9/6/2

✝
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 168.

FRANCISCI HARÆI

ANNALES

DVCVM SEV PRINCIPVM BRABANTIÆ TOTIVSQVE BELGII.

Tomus Tertius:

Quo BELGICI TVMVLTVS, ab anno M. D. LX. vſque ad INDVCIAS anno M. DC. IX. pactas, enarrantur.

Cum breui rerum per EVROPAM *illuſtrium narratione.*

BIBLIOTECA PROVINCIAL
SORIA

FRANCISCI HARAI

ANNALES

DVCVM SEV PRINCIPVM

BRABANTIÆ

TOTIVSQVE BELGII.

TOMUS TERTIUS:

Quo Ducum LIMBURGENSIS, ab anno M.LX.

vsque ad IOANNEM I. BRABANTIÆ DUCEM, anno M.CC.IX.

gesta, continentur.

Cum Privilegio per EUROPAM illigatum praesentium.


FRANCISCI HARÆI
ANNALES
DVCVM SEV PRINCIPVM
BRABANTIÆ
TOTIVSQ. BELGII
Tomus tertius;
Quo Tvmvltvs Belgici, ab
anno M. D. LX. vſq; ad Indvcias
M. DC. IX. pactas, enarrantur
Cum breui rerum per Evropam
illustrium narratione.
LABORE ET CONSTANTIA
ANTVERPIÆ
EX OFFICINA PLANTINIANA
M. DC. XXIII.



CANDIDO LECTORI SALVTEM.

AD posteriorem quod spectat nostrorum ANNALIVM Partem, quæ est de TVMVLTIBVS BELGICIS (prô dolor! nondum sopitis) id ante omnia rogatum te velim, benigne Lector, eam vt omni seposito affectu, quomodo à me scripta est, perlegas. Principis viri Emblema est, NEC SPE NEC METV. commendatur quidem & illud, SPEMQVE METVMQVE INTER. Sed posterius hoc ad singulos in priuata functione dictum est; illud ad eos, qui publicum munus gerunt, excitandos (inter quos & Historicus) suique officij admonendos, plurimùm valet. Itaque nec ego, quod sciam, in hoc Opere vlli insulto, quasi sperans ex hoc aduersarij eius gratiam; nec vice versa vlli adulor, metuens eius offensam

(Deo enim & publico Bono ſcriptiones meas potiſſimùm deſtino) ſed res præcipuas, vt geſtæ ſunt, aut certè vt de eis erant hominum ſaniores ſententiæ, diſtinctè & inprimis ſincerè narrare ſtudeo. Id an ſim aſſecutus, incorrupti arbitri iudicium eſto.

Reiecerunt dudum haud pauci, quidam etiam qui partes Regias ſequi videbantur, præcipuam TVMVLTVVM ſeu Seceſſionum cauſſam in Inquiſitionem Hiſpanicam, & licentiam militarem Hiſpanorum in Belgas, quæ fuit DVCE ALBANO Belgium pro Rege gubernante. Omitto, quòd cogitare debuiſſent Belgæ, Hiſpanos non ita multò priùs ſimiliter peſſimè fuiſſe tractatos à Belgis, de quo prior Annalium noſtrorum Pars ad annum milleſimum quingenteſimum decimum nonum: ſed inde ſcilicet opinio illa longo tempore apud multos obtinuit, quòd per annos viginti à cœptis turbis nullus de earum initijs aut cauſſis ſcripſerit, quàm qui Principis Orangij & ſociorum eius partes ſunt ſecuti; qui ea tantùm ſcriptis mandarunt, quæ ſeceſſioni eorum fauere videbantur, diſſimulatis & omiſſis pænè omnibus, quibus Orangius cum ſuis, annis totis quatuor,

tuor, antequam anno ſexageſimo ſexto ſuperioris ſæculi incendium erupit, iuſtam Regis iram, callidè quidem, ſed indecorè, ne dicam proteruè, concitarunt. Quæ à noſtro FLORENTIO VANDER HAER in doctiſſimo ſuo libello DE INITIIS TVMVLTVVM BELGICORVM, anno Domini M. D. LXXXVII. (qui eſt annus Tumultuum vigeſimus primus) edito, liberè ſimul & grauiter in lucem prolata, & à nobis diſtinctè ſingula ſuis locis & fideliter inſerta, ſi quis ſano affectu & iudicio legat & expendat, haud credam eum miſeriarum primarum cauſſam in Regiam Maieſtatem aut Hiſpanorum inſolentiam poſſe torquere. Lege igitur, quiſquis es, & cenſe incorruptè; & tu inprimis, qui nos ſecuturus es, quantò liberior eris ab inuidia; & ſape, ſi ſapis, noſtro malo.

Felix quem faciunt aliena incommoda cautum.

APPRO-

APPROBATIO.

TERTIVM *hunc Tomum Annalium rerum Belgicarum, quem vnà cum duobus prioribus, magno ſtudio & iudicij maturitate conſcripſit R.D.* Franciſcus Hareus, *eò digniorem cenſui qui prælo committatur, omniúmque cùm Exterorum tum Indigenarum manibus teratur, quò accuratiùs quàm alij quiuis, & maiori fide,* TVMVLTVVM BELGICORVM *initia, cauſſas, progreſſus, vtinam & exitum! proponit, & poſteritati, quæ eadem aliquando demirabitur, tranſmittit. Datum Antuerpiæ in Seminario Epiſcopali, die* XV. *Nouemb. anno Domini* M. DC. XVII.

Laurentius Beyerlinck, Archipresbyter & Canonicus Eccleſ. Cathedral. Antuerpienſis, librorumque Cenſor.

Cum Priuilegio ALBERTI & ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ *Infantis Hiſpaniarum, Archiducum Auſtriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimorum Belgicæ Principum.*

Signat.

De VVitte.

FRAN-

FRANCISCI HARÆI
ANNALES
TVMVLTVVM
BELGICORVM
SVB
PHILIPPO II. HISPAN. REGE,
XLIII. BRABANTIÆ
VI. BELGII VNITI PRINCIPE.

DISCEDENS in Hiſpaniam è Belgio (inquit Florentius Vander Haer in libro De initiis Tumultuum Belgicorum) potentiſſimus Hiſpaniarum Rex Philippus eius nominis Secundus, ſexto Kal. Septembris, anno Virginei partus milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono, Gubernaculum ſupremum Belgicarum prouinciarum, & ſpeciatim Brabantiæ Ducatus primarij curam commiſerat ſorori ſuæ Margaretæ Auſtriacæ, vxori Ducis Parmenſis, prudenti feminæ, in Belgio natæ & educatæ; Prouincias ceteras ſingulis Aurei velleris Equitibus, ſimiliter Belgarum moribus diu aſſuetis. Qui proximi Gubernatrici à conſiliis eſſent (Senatores Status vocantur) conſtituti à Rege erant Granuellanus, Epiſcopus Atrebatenſis, Comites Egmondanus & Hornanus, Princeps Orangius ſeu Aurantius, Boſſutius, Glaionius, Barlaimontius, Philippus Nigri, Viglius, Bruſſella, Regnardus, & Tiſnackius. Res arduæ mox occurrebant tractandæ. Diebus paucis ante diſceſſum Regis venerant in Belgium Roma Nuntius Apoſtolicus Epiſcopus Cluſinenſis cum Franci-

Parmẽſis, Regis ſoror, Gubernatrix Belgij; & qui tunc viri primarij.

1560 ſco Sonnio Doctore Theologo, adferentes litteras Pauli IIII. Romani
Adfertur Diploma Pauli IV. de erigendis nouis Epiſcopatibus. Pontificis, ſignatas quarto Idus Maij eiuſdem anni quinquageſimi noni; quibus nouos Epiſcopatus in Belgio inſtituendi facultatem concedebat: cuius rei Diploma mox ponemus. Sed cùm omnia tunc ad profectionem Regis parata eſſent, dederat id negotij Rex inprimis Atrebatenſi Granuellano; ipſe perficeret. Qui quantas hîc perpeſſus ſit difficultates, dicetur pluribus annis ſequentibus. Interim hoc anno die 13. Nouembris naſcitur Neoſtadij in Auſtria Albertus Auſtriacus Maximiliani,
Naſcitur Albertus Sereniſſimus Belgij Princeps. (qui paulò pòſt Imperator patri Ferdinando ſucceſſit) filius, Sereniſſimus Belgarum Princeps; cùm mox anno ſequenti ſexageſimo, menſe Ianuario Eliſabetha ſeu Iſabella Francica, Regi Philippo deſponſata (deducẽtibus eam Antonio Borbonio Vendomiæ Duce, fratréq; eius Carolo Borbonio Cardinale, aliiſque Franciæ Proceribus) traiectis Pyrenæis montibus in Regnum Nauarrę venit. Hîc poſt ſolemnia vtrimq; officia, redeũtibus in Franciam Vendomiis, recipitur à Prorege Albano, Cardinale Burgenſi ac Duce Infantaſio, regia magnificentia; accurrerántq; ſimul alij complures Hiſpanię Proceres ſpõſæ honorandę cauſa. Rex Philippus Toleto Complutum ſponſæ obuiàm procedit, Aulicoſq; omnes Guadalaram præmittit: à quibus denuò honorificè ſalutata, Complutum ad Regem ſponſum feſtinat. Rex ei ad arcem, quæ in propinquo ſtabat, occurrit: cumque inuicem ſuauiter ſalutaſſent, ad arcem diuertunt; ac poſtridie die 31. Ianuarij celebratis ſolemni ritu nuptiis iunguntur; indeque Madrilium profecti, aliquot diebus omni lætitiæ genere peractis, nuptiis finem fecere. Tum Rex cum Regina Toletum venit: vbi, cùm ſe, ſumptuoſiſſimis à Senatu exhibitis ludis & ſpectaculis, plures dies recreaſſent, ad alias ſimiliter ciuitates profecti ſunt, Francis vbiq; non parum magnificentiam Hiſpanicam admirantibus. Poſt tres menſes cum Rege marito Madrilium venit, dimiſſo pro maxima parte Francico comitatu. Intereà in Belgio vrgebat Antiſtes Atrebatenſis Granuellanus nouorum Epiſcopatuum à Rege diſcedente ſibi demandatum negotium, maximè quòd die quoque decimo quarto Martij anni præſentis ſignarat in eamdẽ rem rurſum Diploma Papa Pius Quartus, qui Pontifici Paulo, anno ſuperiori 15. Kalẽd. Septembris defuncto, ipſa Vigilia Natiuitatis Dominicæ proximæ ſucceſſerat. In Bulla primaria Pauli Quarti, præmiſſis cauſis, tum aliis, tum vt ob hæreſes ingruentes diligentior vbique habeatur Dominici gregis cura, hæc inter cetera leguntur: Itaque Cameracenſi, Atrebatenſem, Tornacenſem, Audomarenſem & Namurcenſem; Mechlinienſi verò Antuerpienſem, Gandauenſem, Brugenſem, Iprenſem, Buſcoducenſem, Ruræmondenſem; Traiectenſi autem Harlemenſem, Dauentrienſem, Leewardienſem, Groeningenſem,

Vrget in Belgio Grãuellanus negotium nouorum Epiſcopatuum.

Contenta Bullæ Pauli Quarti præcipua.

„ genſem & Middelburgenſem ciuitates diœceſeſq; auctoritate Apoſto- 1560
„ lica & tenore præſentium attribuimus, quorum ſingulorum cauſæ ad
„ ſuum cuiuſque eorum Archiepiſcopum ſecundùm ſacros Canones de- *Octodecim Epiſcopi deſignati per Belgiũ, 4. antiqui, reliqui noui.*
„ ferantur perpetuò, ſimiliter concedimus & aſſignamus: & quod ad Ar-
„ chiepiſcopalia & Prouincialia iura pertinet, ciuitates, diœceſes, cleros &
„ populos commemoratos, eiſdem Præſulibus, qui pro tempore fuerint,
„ ſubiicimus; ſicut eaſdem ciuitates, diœceſes, cleros & populos, quod
„ ad ordinariam Epiſcopalem iuriſdictionem & poteſtatem attinet, ſuis
„ quoq; ipſorum, qui pro tempore fuerint, Epiſcopis ſubiectos eſſe decer-
„ nimus. Archiepiſcopatui verò Mechlinienſi quinque millium, & cuili-
„ bet ex Epiſcopalibus menſis huiuſmodi trium millium ducatorum auri *Des noui Archiepiſcopatus quinq; ducatorum millia; Epiſcopatuum, tria.*
„ de camera annuos redditus, ex decimis & bonis ac prouentibus Eccleſia-
„ ſticis per dictum Nuntium ſpecificandis & repartiẽdis, pro earum dote
„ eadem auctoritate etiam perpetuò applicamus & appropriamus. Eidem
„ autem Philippo Regi, eiuſque ſucceſſoribus, qui pro tempore eiuſdem
„ regionis in temporalibus Domini extiterint, ius nominandi perſonas
„ idoneas, in Theologia Magiſtros, aut in Decretis Doctores ſeu Licentia- *Ius nominandi Epiſcopos Regi eiuſq; ſucceſſoribus conceſſum.*
„ tos, nobilium Vniuerſitatum more, diligenti examine præcedente pro-
„ motos, ad dictas Eccleſias, Nobis & Romano Pontifici, qui pro tempore
„ fuerit, per Nos & eumdem Pontificem in Archiepiſcopos & Epiſcopos
„ earum ad nominationem huiuſmodi inſtituendos, de eodem conſilio
„ & ſcientia & auctoritate in perpetuum reſeruamus atque concedimus.
Ita quidem Bulla Pauli IV. data anno, vt dictum eſt, præcedenti. Verùm eo iam mortuo, hanc rationem magis probarunt Nuntius Apoſtolicus atque Epiſcopus Atrebatenſis Granuellanus, ſingulos vt Epiſcopos ſingulorum Monaſteriorum vacantium Abbates perpetuos nominarent, quòd ſic velut non alienarentur aut diſtraherentur Abbatiarum bona. Aſſignatur itaque ab iiſdem (Abbatibus & Monachis fruſtrà re- *Mutato conſilio ſinguli Epiſcopi ſingularũ Abbatiarum eſſent Abbates.*
clamantibus) Archiepiſcopo Mechlinienſi Abbatia Affliginienſis; Ant-
uerpienſi, S. Bernardi; Buſcoducenſi, Tongerloënſis; Brugenſi, Dronga-
na; Harlemenſi, Egmondana; Middelburgenſi, Præmonſtratenſis eius
vrbis; Namurcenſi, S. Gerardi Bronienſis: de aliorum Epiſcopatuum
dotibus ageretur. Intereà nominatur auctoritate Regia ad Archiepiſco-
patum Mechlinienſem ipſe Atrebatenſis Granuellanus; ad Epiſcopatum *Nomina primorum nouorum Epiſcoporum.*
Antuerpienſem, Philippus Nigri (ſed mortuus eſt priuſquam res conſti-
tueretur;) ad Buſcoducenſem, Franciſcus Sonnius; ad Iprenſem, Marti-
nus Rithouius; ad Brugenſem, Petrus Curtius; ad Gandauenſem, Cor-
nelius Ianſenius; ad Ruræmondenſem, Guilielmus Lindanus, quatuor
poſtremi omnes eximij Theologi: ad Harlemenſem, Nicolaus à No-
uaterra; ad Middelburgenſem, Nicolaus à Caſtro; ad Dauentrienſem,

1560 Frater Ægidius de Monte, Franciſcanus; ad Leuwardienſem, Cunerus Petri; ad Groeningenſem, Frater Ioannes Cnifius Franciſcanus; ad Atrebatenſem, Franciſcus Richardotus, ceſſione Granuellani; ad Audomarenſem, Hamericourtius Abbas ſancti Bertini; ad Namurcenſem, Antonius Hauetius, Dominicanus. Variæ ſuper his erant hominum ſententiæ. Alij rectè factum dicebant, propter circumſtantes vndique prouincias hæreticas: tantò itaque vt diligentiùs in ampliſſimè habitato & frequentato ab externis Belgio aduigilaretur; neque nouum id eſſe; iam olim ſub annum Chriſti 725. Gregorium II. Ro. Pontificem reſcripſiſſe D. Bonifacio Germanis prædicanti in hæc verba: Præcipimus, vt iuxta Canonum ſtatuta, vbi multitudo excreuerit fidelium, ex vigore Apoſtolicæ Sedis debeas ordinare Epiſcopos, pia tamen contemplatione, vt non vileſcat dignitas Epiſcopatus; Cauſa 16. quæſt. 1. Alij factum improbabant, maiorum inſtituta valere debere; Monachis eos Præfectos non eſſe dandos qui Monachorum diſciplinam nullam tenerent; violari contra Ius gentium ſupremas teſtatorum voluntates, qui hoſpitibus, qui egenis, quod ſupereſſet Monachorum neceſſitatibus voluiſſent impenſum; nunc in ſpeciem Theologos exhiberi, poſteà aulicis omnia prędæ futura. Addebant, Epiſcopis Abbatiarum titulis in Ordinum comitiis locum aperiri: ipſi deinde ſummo Pontifici obſtricti ſeuerè nimis præter patriæ priuilegia in hæreticos animaduertendum maiori auctoritate decernerent; Belgarum neminem, maximè Brabantinorum, niſi per loci Iudicem, non per Eccleſiaſticos plectendum. Hęc & ſimilia illi. Reddebant tamen alij è contrà, dicentes, in dicto priuilegio, de nemine aliter puniendo, conceptis verbis adiectum eſſe, (Niſi in crimine priuilegiato.) Iam verò hæreſim crimen eſſe tale, dudumque fuiſſe. Vnde illa inter leges Imperiales, C. De hæreticis, L. Manichæos, & L. Quicumque; itemq; in 6. c. Vt inquiſitionis, & alibi. Quod in Religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam. Item, In mortem quoque inquiſitio tendatur. Et rurſum: Vltimo etiam ſupplicio coërceantur, qui illicita docere tentauerint. Denique Lege Iulia Maieſtatis reos ex quo die crimẽ ſit contractum, inteſtabiles exiſtere. Tertij, ſi non iniuria, tamen imprudenti conſilio tam ſeueram apud Belgas, homines ingenij mitis, diſciplinam adhiberi diſſertabant. Atque hæc inter alia ſemina erant turbarum Belgicarum, de quibus heu nimis multis annis erit agendum. Eodem tempore in Francia, ab his qui ſe reformatę Religionis nuncupabãt, apertè tumultuari eſt cœptum. Cauſam hanc prætexebant: Rege Franciſco adhuc iuuene, Cardinalis Lotharingus, cum fratribus Duce Guiſiano, Duce Aumalio, & Marchione Albeuffio, totius Regni gubernacula ſibi ſumpſiſſe videbantur, quòd auunculi Reginæ Mariæ vxoris Regis Franciſci

Rationes eorum qui probabant hoc inſtitutum.

Quid contra nouos Epiſcopos alij diſceptarint.

Ad ea obiecta priorum reſpõſio.

Tum quid tertij ſenſerint.

Initia tumultuum Francicorum, prætextu Religionis.

ciſci eſſent. Huius Gubernationis Guiſianæ causâ murmur non leue inter Nobiles ortum, velut parua ratio aliorum Procerum præter eos in Aula haberetur. Itaque menſe Martio Guiſianis cum Rege Amboſæ commorantibus, plurimi Nobiles, aliíque non pauci tam equites quàm pedites, vi armata ſeſe opponere cogitãt, qui apud præcipuos Regni Proceres ſubſidium refugiumque habere putabantur. Volebant hi ſupplicis libelli exhibitione Guiſianorum delicta abuſúſq; in Regni administratione Regi declarare; verùm ſtudioſiùs obſeruati plerique capti ſunt, eorumque coryphęus Regnaudius (erat is familiâ Nobilis, ſed exul) ſclopeto interemptus eſt. Plures ex captiuis capite truncati ſunt; inter quos Baro Caſtelnauius, cùm iam vt proditor ceruicem incidendam præbere deberet, exclamauit, ſe nequaquam proditorem eſſe, niſi Guiſiani eſſent Reges. Creuit autem in dies ſingulos odium in Guiſianos, quod eos nequaquam latuit. Cumque menſe Auguſto Proteſtantes ſupplicem libellum per manus Ammiralij Caſtillonij Regi pro ſuæ religionis libertate permagnæ multitudinis nomine ſignatum obtuliſſent, parum tamen tunc promouerunt. Guiſiani autem tum factionis Amboſianæ inuidia, tum Reformatæ religionis titulo dudum Edictis duorum præcedentium Regum proſcripto, potentiam interim ſuam auctoritatemque firmiorem reddebant. Nec multò pòſt, varias ſuſpiciones conquirentes, de Rege Nauarræ, Principe Condæo eius fratre, Vidaſmo Caſtreo, aliiſque Proceribus, tamquam tumultus Amboſiani auctoribus, eos in Curiam appellari procurant. Condæus, Vidaſmus, & alij quidam ſine mora captiui ſeruantur, Regi autem Nauarræ cuſtodes conſtituuntur; actio omnibus grauis intentatur, Rege magna militum copia inſtructo. Videbatur iam cauſa Guiſianorum triumphare, cùm Nonis Decembris è maligno vlcere in capite enato Aureliis Franciſcus Secundus Francorũ Rex moritur ętatis anno decimo ſeptimo, nullis è Maria Scotiæ Regina relictis liberis; ſucceſſitq; frater Carolus, eius nominis Nonus, Aurelianorum tum temporis Dux, ętatis annum vndecimum ingreſſus. Tum libertati reſtituti ſunt Rex Nauarræ, Condæus, & alij; quin eidem Nauarræo, & Reginæ matri Catharinæ Medicęæ Henrici Secundi viduæ, Regni gubernatio à Statibus Regni committitur. Menſe Aprili huius anni claſſis Hiſpanica inſulam Guelbes, olim Meningæ ac Lotophagi appellatam, ad oram Africæ occupant, extruuntque in ea arcem Philippo-calcazeram dictam. Sed ſub finem Iulij Turcæ eamdem rurſum vendicant cruenta victoria. Hinc præſidia quæ in Belgio adhuc reſtabant Hiſpanorum, in Hiſpaniam ſunt reuocata. Menſe Iunio Regina Scotiæ, ſenior Ducis Guiſiæ ſoror, obiit, relinquens Gallos ſibi præ ceteris ſemper fideles, à Scotis, auxiliantibus Anglis, apud Letham obſeſſos;

1560

Amboſa conſpiratio cõtra Guiſianos.

Coryphæus conſpirationis ſclopeto ictus, pleriq; alij capti.

Captus demum & Condæus, aliiq; nonnulli Proceres.

Moritur Rex Franciſcus, ſuccedit frater Carolus, vndecim vix annorum

Captiui dimiſſi: quin & Nauarræ cum Regina matre Gubernatio tradita.

1560 qui cùm non multò pòſt certis legibus ſe tradidiſſent, quòd ex turbatiſſima Gallia nullum veniret ſubſidium, Scoti mox à Catholica Romana religione deſciuerunt; próque vetere, Religionem nouam ad affinis Angliæ conformatam ſuſceperunt. Menſe Iulio Antonius Perenotus Granuellanus Archiepiſcopus Mechlinienſis, vt diximus, deſignatus, etiam Cardinalitio honore à Romano Pontifice Pio Quarto decoratus eſt. Tum menſe Septembri propè exacto, Guſtauus Suecorum Rex valdè inclinata ætate mortem obiit, cùm annos quinque ſupra triginta regnaſſet, viginti Catholicus, reliquis Lutheranus, ſuccedente filio Erico. Menſe Nouembri extremum quoque diem clauſit Andreas Doria ſeu Auria, Melphenſium Princeps, Neptunus alter, cuius expeditiones plurimæ ſuprà ſunt commemoratæ, ſeptennio circiter centenario minor. Cuius ad laudum cumulum hoc acceſſit, quòd patriam Genuam fidelitate ac fortitudine ſumma iam inde ab anno duodetrigeſimo ſupra ſeſquimilleſimum magna virtute animi Gallis eiectis, libertati reſtituit. Cuius ſingularis beneficij memor Ciuitas, Tabulæ publicę in Curia Dorienſi appenſæ PATREM PATRIAE inſcripſit; vt ne tanti viri memoria aliquando deperiret. Vxore numquam ducta, omnium fortunarum triremiumq; ſuarum heredem ſcripſit Ioannem Andream Auriam fratris ſui filium. Tertio Kalend. Decembris Pius IV. Pontifex, Concilium Tridentinum aliquandiu intermiſſum, ad proximum Paſcha reſumendum omnibus indixit.

Scoti quoquetumultuantes à Catholica Romana deſciſcunt.

Mors Regis Sueciæ, & Principis Genuæ.

Pius IV. Concilium Tridentinum reſumi iubet.

1561 Itaque ſub principium anni ſequentis 1561. mandatum omnibus Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopis, vti ſe ad Concilium Tridentinum adeundum pararent; ſed ſine effectu, nec niſi anno proximo Concilium illud reſumptum eſt. Diximus antè, poſt mortem Franciſci Secundi Galliarum Regis, Regni curam tutelamq; Caroli Noni Regis vndecim tantùm annos nati, Reginæ matri, Regiq́ue Nauarræ fuiſſe demandatam. Verùm non multò pòſt inuidiæ atque diſſidij non parum inter eos ortum eſt; quod quidem Guiſiani, Dux Nemourſius, Cardinalis Turonenſis, D. Andreæ Mariſchalcus, Briſachus, plureſq́ue alij Reginæ partes ſecuti fouebant; Condæus è contrà, Cardinalis Borbonius, Ammiralius cum fratribus, aliiq́; Proceres nonnulli Nauarræo ſtudebant. Altercatio erat, Poſſítne femina in Galliis eſſe Regis tutrix? tum non ſatis erat Nauarræum inſcribi Regis Locum-tenentem. Poſteà Comeſtabilis reconciliaſſe Reginam & Nauarræum viſus eſt. Verùm is, dum conſpiceret Quadrageſimali tempore liberè carnes edi, & publicè etiam venumdari, conciones palàm ad Condęi cubiculum haberi, ſuſpicari cœpit occulta eſſe de Religione inter Reginam & Nauarræum conſilia. Intereà Mareſchallus Mommorantius pluribus cum Comeſtabili agit, perſuadere

Diſſidium in Francia ſuper gubernatione Regni.

Pariſiis palàm ad cubiculum Condæi habentur cõciones dictæ Reformatæ.

dere conatus, maiora ſe familiæ fundamenta peruertere, cùm à Condęo, 1561
Caſtillonæis, Comite Rupefocaldio, ceteriſque Religionem reformatam profitentibus ſe alienaret, nec bonam ideò Nauarræi gratiam inire, nec fortaſſe Reginæ. Satius eſſe Caſtillonæos & Guiſios colluctari finere, intereà ipſe pignora ſeruaret. Verùm hoc tantùm Mommorancij prolixis ſermonibus Comeſtabilis reſpondit; Religionis nouationem ſine ſtatus & politiæ mutatione exiſtere non poſſe; ſe fidelem eſſe Regis famulum; non paſſurum Regum demortuorum actiones improbari. Ita gliſcere in dies diſſenſiones, & palàm demonſtrari multæ iniurię & contumeliæ inter vtriuſq; Religionis homines, factioſáque Hugonotarum & Papiſtarum agnomina cœpere: Condæus eiuſque aſſeclæ deprimebant Guiſianos, quòd etſi fortè ex ſtirpe eſſent Caroli quondam Magni, ſed nequaquam ex ea proſapia ex qua ipſi Regeſque iam dudum regnantes, nempe Hugonis Capeti. Quòd dextrè in eos retorquentes Guiſiani, proinde Hugonotas eos appellabant; ſed viderent, ne vt olim Hugo ille Capetus, nouum Regni Statum molirentur. Miſſum hinc menſe Iulio nomine Regis ad omnium Prouinciarum Magiſtratus Reſcriptum;

Pronũtiatum Comeſtabilis de innouatione Religionis.

Hugonotæ vnde in Francia dicti.

„ Ne vocabula Hugonotæ vel Pontificij ſeu Papiſtæ poſthęc vſurpentur.
„ Ne quis magno vel paruo numero domos alienas, ſuperiorum Edicto-
„ rum, quæ cœtus illicitos prohibuiſſent, prętextu ingrediatur. Qui Reli-
„ gionis cauſa detinerentur, liberentur. Qui pro eadem cauſa Regno abſ-
„ ceſſiſſent, iis redeundi plena corporum facultatumque ſuarum libertate
„ facultas ſit, dummodò Catholicè, & ſine ſcandalo viuere velint; ſin no-
„ lint, ſua bona vendere, ſéque aliò recipere fas ſit. Exinde multò etiam maiores vbique turbæ. Quare mox eodem adhuc menſe Iulio aliud
„ Pariſiis editur Edictum: Ne Religionis prætextu conuitia aut iniuriæ
„ fiant; qui ſecùs fecerit, capitalem pœnam pendat. Interim vſque ad Ge-
„ neralis aut Nationalis Concilij determinationem, ne vel priuatim vel
„ publicè Conciones aut Sacramentorum adminiſtrationes habeantur,
„ alio quàm in Catholica Eccleſia vſitato ritu. Gratia tamen ac venia tri-
„ buta, ob res ad illum vſque diem propter Religionem geſtas. Falſis dela-
„ toribus pœnæ graues ſtatutæ. Armis omnino interdictum. Exinde in decimum Auguſti Poſſiacum oppidum Sangermano proximum indictus Conuentus. Data his qui Reformatos ſe vocabant, eò liberè conueniendi diſceptandíque facultas, publica fide per Regias litteras tributa. Conueniunt Beza, Petrus Martyr, Marloratus, & alij. A die nona Septębris per dies aliquot præſente Rege totaq; aula diſceptatum eſt, ſed nullo cum fructu, vtriſque victoriam ſibi tribuentibus. Itaque ſingulis diebus querelæ vtrarumque partium deinceps ad Regem ex omnibus Regni partibus deferebantur, conciones nouæ vbique habebantur, data

Edictum in Frãcia, mitigans Edicta ſuperiorum Regum.

Item Edictũ aliud.

Diſputatur Poſſiaci de Religione, ſed vtriſq; victoriam ſibi tribuentibus.

1561 ad hoc à Rege, nec data facultate. Apud Belgas magna Tornaci erat Gallorum gratia, Galliſque ita Tornacenſes libenter vtebantur, vt nulla cum gente commercia æquè frequentarent. Cùm itaque in Galliis ferueré nouis ſtudiis cuncta cœperunt, tum id equidem euenit, vt menſibus Auguſto & Septembri huius anni 1561. conciones habere ad ſiluas vrbi vicinas Nouatores inciperent, intra vrbem turbas molirentur, ſub noctẽ in forum progreſſi Pſalmos ad numeros Geneuenſes decantarent, Præpoſito rerum capitalium litteris minarentur. Sed de his pleniùs anno ſequenti. Intereà apud Brabantinos ceteróſque Belgas populares nullus in poſterum videbatur calamitatum metus, omnia iam firma pace conſiſtere vulgus exiſtimabat. Sunt ibi veteri conſuetudine in ſingulis ferè vrbibus municipiiſq; Contubernia ſiue Collegia quædam (Guldas vocant) conſtituta. Contubernales autem certis diebus, feſtis præcipuè, peracto diuino Officio, armis ſe exercent; ſagittarij veteres olim baliſta chalybea, & arcu manuario, gladiatores quouis armorum genere; patrumque noſtrorum memoria etiam ſclopetarij acceſſerunt. Hi omnes, neceſſitate vrgente, non tantùm patriæ defenſioni, verùm etiam Principum cuſtodiæ & ſatellitio deſtinabantur, ita vt è ſuo quiſq; oppido Principem diſcedentem in proximum deducere conſueuerint. Et hæc quidem Collegia exercitio corporis, & patriæ Principumq; defenſioni erant ſacra. At verò & alia quædam ingeniis animique exercitationibus, nempe ſcientiis eloquentiæ & Rhetoricæ, quam vocant, vernaculæ deſtinabantur; quorum præcipuum erat ſtudium Principem populumque comœdiis, tragœdiis, fabulis ſcenicis, aliiſq; id genus ludis recreare. Sunt autem hęc ſodalitia omnia, multa immunitate, priuilegiiſq; non cõtemnendis à ſuis Principibus donata ac cohoneſtata, legibus prętereà decoris probiſque ſtabilita. Huiuſmodi Collegæ in læto Principum introitu, triumphis, victoriæ paciſque feſtiuis gaudiis, congratulationibus, felici optatóque Magnatum aduentu celebrandis, ornandis, decorandis, ſemper primi præcipuique fuere. Pacis tempore Collegia hæc in vrbibus brauia pręmiáque quędam, priſcam frugalitatem loquentia, inter ſe cõſtituebant. Ad ea exercitio ſagittandi aliiſque armis tractandis obtinenda conuocabantur ciuitates vicinæ inuitabanturque; adducebántque Sagittarij plerumque comites ſodaleſque Rhetoricos. Atque his modis ciuitates communitatéſque ſumma cum virtute ac honeſtate in concordiæ amoríſque teſtimonium aliquot retrò ſęculis ſępè conuenere. Similiter & Rhetorici ſua quoque pręmia optimè ad propoſitam quęſtionem reſpondenti conſtituerunt. Exempli cauſa. Anno 1539. Collegium Rhetorum rhythmicorum Gandaui Fontanorum nomine appellatum, Caroli Quinti Cęſaris permiſſu gratiáque, chartam vicinis ciuitatibus miſit,

Noua conciones etiã Belgium circa Tornacum inuadunt.

In Brabãtia nihilominùs adhuc pax, & feſtiuitates.

Collegia ibi varia ſagittariorum, tum & ſcenicorum.

Excitant inuicem, propoſitis præmiis.

miſit, hanc quæſtionem continentem, *Quæ morienti homini maxima ſit conſolatio?* Ad quam ſoluendam nouemdecim Collegia (Cameras vocant) diuerſis è locis ſolemni pompa præſtò adfuerunt, & ſuam quiſque ſolutionem Comœdia morali publico in theatro ediderunt. Hîc ſummum brauîum Antuerpienſibus datum, huius ſolutionis ratione; *Carnis reſurrectionem homini morienti maximam eſſe conſolationem, Chriſti paſſioni, morti, atque reſurrectioni innixam.* Winoxbergenſibus ſecundum præmium decretum, expoſita ſolutione; *Fiduciam in Chriſto, & eius ſpiritu nobis dato, homini morienti maximum eſſe ſolatium.* Huiuſmodi brauij primarij genus vernaculo nomine *Landt-iuvveel*, id eſt Prouinciæ cimelium, appellatum eſt. Ad eum modum hoc anno 1561. Antuerpienſe Contubernium à Viola flore nomen ſortitum, charta ſimili vicinas ciuitates inuitauit, rogans in tertium diem Auguſti adeſſe quæſtionemque ſoluere velint, *Quid homines ad artes potiſſimùm excitet?* Conſtituta hîc præmia non ſolùm quæſtionem doctiſſimè ſoluentibus, verùm etiam eleganter, ſpeciosè, maximóque contubernalium numero intrantibus; figurato quoque & morali ingreſſu, *Quomodo amicè conueniendum, ſuauiterque diſcedendum ſit*, declarantibus; præterea Emblema ſuum elegantiſſimè præſentantibus; Templum ampliſſimè honeſtiſſimeque intrantibus; feſtos ignes quauis materia & arte, picatis vaſis, pyribolis, facibus, tædis, laternis, trullis ferreis, ſimilibuſque inſtrumentis luculentiſſimè extruentibus; feſtiuiſſimum ludum, lepidiſſimamq; Comœdiam agentibus. Ad hęc Comœdiæ moralis ſpectaculo demonſtrantibus, *Quàm neceſſarij ſunt humano generi Mercatores, iuſtè negotiantes*; tum ſimplicitate innocentiáque maxima, ridiculis verbis factiſque ſine ſcommate, contumelia, dedecore aut infamia, ſtultitiam ſimulantibus. Atque in hanc rem victoribus variis varia erant ordinata præmia. Miſſa itaque hac quam diximus charta, ad tertium Auguſti quatuordecim Rhetorum rhythmicorum Collegia, ex variis Brabantiæ ciuitatibus municipiiſque conuocata, Antuerpiam venere. Bruxellenſi Serti Mariæ nomine appellato, mox brauium pulcherrimi introitus meritò adiudicatum. Hi enim contubernales trecenti & quadraginta numero, equites omnes, magnificè primo ingreſſu incedebant, Hungarorum more amicti, pallis holoſericis ſericiſque murice tinctis, fimbriis argento prætextis; rubris pileis inſtar galearum antiquo opere ſummaque arte factis; thoracibus, plumarum faſciculis, cothurniſque candidis; zonis lutei, rubri, cærulei & albi coloris auro affabrè intertextis. Porrò aduehebant pegmata ſeptem, pulcherrimè veteri arte fabricata, à diuerſis perſonis dexteritate inſigni intus latentibus geſtata; præterea currus vulgares 78. pulchrè inprimis facibus ardentibus inſtructos, & panno rubro lineis albis prætexto contectos;

1561

Quæſitum an. 1539. Belgis omnibus à Gandenſibus propoſitum.

Victores tunc Antuerpienſes, proponunt hoc anno & ipſi.

Singulis victoribus ſingula quoq; præmia propoſita.

Quatuordecim Rhythmicorum collegia ſplendidè Antuerpiam ingrediuntur.

Contubernales Bruxellenſes 340. omnes inſtar equitum Hungarorum.

1561 tectos; aurigæ ſimul omnes rubris palliis veſtiti; in ipſis curribus variæ perſonæ collocatæ erant, egregias vetuſti artificij figuras repræſentantes, quarum interpretatione declarabatur, *Quomodo ſuauiter conueniendum, amanterque diſcedendum ſit.* Magna etiam celebritate pompáque eò venit Mechlinienſe Contubernium Pæonia appellatum. Fuere trecenti & viginti ſex equites, tunicis multitiis ruſſi coloris, limbis auro intertextis, pileis rubris; thoracibus, caligis, & plumis luteis, corollis aureis, cothurnis ocreiſque nigris. Habuere ſeptem pegmata, priſco more artificioque conſtructa, & perſonis ornata: ad hæc currus ſeptem panno rubro in quadrum pulchrè coopertos, quorum ſingulis octo emblematibus, præclarè decoratis inſidebant contubernales duo cum facibus, ponè exſtabant binę trullæ ferreæ ardentibus funalibus. Reliqua quoq; aliorum locorum Collegia his quidem modis, non tamen tanto ſumptu numeróve vrbem Antuerpianam ſunt ingreſſa. Feſtis ignibus, ludis ſcenicis, fabulis, iocis, ſalibus, geſticulationibus ridiculis, conuiuiis comeſſationibúſque aliquot hîc tranſacti dies, donec brauia victoribus fuere collata. Obtinuit pulcherrimi introitus palmam Bruxellẽſe Collegium Sertum Mariæ dictum; Quæſtionis autem primariæ, *Quid hominem ad artes potiſſimùm excitet?* optimè his verbis ſolutæ, *Laus, honor, præmium;* Louanienſibus, Roſæ nomine inſignitis, meritò datum eſt præmium: & alia, aliis, in vulgari libello hac de re edito prolixè narrata. Hoc anno Guilielmus Naſſouius Orangiæ Princeps Lipſiæ in Germania Annam filiam Mauritij Ducis & Electoris Saxoniæ ritu Lutherano ducere conſtituerat (ſicut & menſe Auguſto duxit.) Detulerat eam rem ad Cardinalem Granuellanum priùs, & veluti cum eo deliberarat. Reſponderat Cardinalis quod ex re ipſius eſſe putabat, multáque cauſatus erat, cur eas nuptias non probaret. Contrà, Orangius eò rem progreſſam affirmat, vt diſcedere ab iis nuptiis, de quibus cum Auguſto patruo conueniſſet, minùs poſſet. Itaque iraſcitur Cardinalis, grauemque ſibi facere iniuriam coram Orangio magno ſtomacho ſæpiùs commemorat, ſuo, vti exiſtimabat, iure. etenim hucuſque Orangius Cardinale Granuellano familiariter atque amicè vſus erat. Fuerat enim Orangij perquàm ſtudioſus pater Cardinalis tum cùm de Renati Chalonij hereditate diſputaretur, neque Iure pertinere eam ad hæretici filium poſſe multi affirmarent. Vnius enim ſenioris Granuellani auctoritate Orangius tum fuerat defenſus, multíſque ita pòſt beneficiis ab eo cultus, vt ſe Orangio apud Cæſarem peculiarem patronum, & filium Hieronymum familiæ atque ineunti adoleſcentiæ Orangij Præfectum daret: quod Granuellanorum in ſe ſtudium ita Orangius excipiebat dudum, vti Legationes, ceterarumque rerum negotia, ſi quæ publica cum Granuellano hoc iunio-

Mechliniẽſes equites 326.

Item adſũt aliorum locorum Collegia ſuo quaque modo.

Quæ præmia, quibus data?

Fomes ſimultatum Granuellani contra Orãgium.

Quàm familiaris priùs fuerit Orangius Granuellano, & quare?

re,

re, priùs Atrebatenſi Epiſcopo nunc Cardinale, inciderent, ſumma ea 1561
animorum conſiliorumque concordia procurare videretur: imò de rebus priuatis, niſi auctore Atrebatenſi, rem grauiorem nullam conſtitueret: peregrè Bruxellam adueniens, antè ſæpenumerò apud Atrebatenſem quàm domi ex equo deſcenderet; multáque iis ædibus, Atrebatenſi vel impedito, vel abſente, libertate vteretur; quo factum eſt, vt tantò maiores deinceps eſſent animorum auerſiones. Accedebat iſtud. Reliquerat Rex in Belgio ad belli negotia conſiliaq; Lazarum Zwendium Germanum, qui in Cæſaris atque Regis exercitu honeſtiſſimos Germanicæ militiæ ordines diu duxerat. Huic cum Orangio atque Egmondano, ceteriſque eius ordinis, ea erat familiaritas, vti cùm per eorum amicitiam infinita ſibi polliceretur, per vnum ſtare Cardinalem exiſtimaret, cur non etiam in Senatum Concilij Status adlegeretur, maioremq; quàm haberet, honorum atque opum dignitatem adipiſceretur. Simultates iis temporibus Orangio cum Egmondano non leues intercedebant: reprehendit vtrumq; Zwendius, non illos videre, quàm ea res Cardinali perutilis exiſtat, qui ad ceterorum contumeliam hac ratione vnus in Repub. omnia auderet, poſſetq; omnia; ſicq; facilè vtrique concordiã perſuadet: erat enim illius viri cùm magna apud vtroſque gratia, tum ſumma apud Orangium auctoritas; multúmque eius conſilio Orangius vtebatur. Et quidem Egmondanus homo militaris, qui omnem in laude atq; gloria cogitationem collocabat, facilè eò eſt perductus, vti alienam dignitatem (quam ſuæ exiſtimationi indecoram arbitraretur) ingenuè odiſſe ſe ſatis apertè profiteretur; contrà Orangius conceptam animo indignationem ita diutiſſimè celabat, vti niſi rebus ex animi ſententia conſtitutis, eam in publicum non proferret: iampridem enim Orangius eos animos cõceperat, vti ferre iam non Cardinalis, ſed nullius propè imperium poſſe à nonnullis crederetur. Certè hæc ſunt ipſius Orangij in eo libello quem Proſcriptioni Regiæ in ſe anno octuageſimo die 15. Martij factæ oppo-

Lazarus Zwendius Germanus, vir tunc magnus in Belgio.

Agit is, vt Egmondanus & Orangius Granuellano ſimul ſe opponãt.

Egmondanus homo militaris apertiùs, Orangius tectiùs Granuellanum laceſſunt.

„ ſuit: Orangij Principatum nullis alieni Imperij legibus obnoxium; gen- *Magni ſpiritus Orãgij, propria eius confeſſione.*
„ tem Naſſouiam Auguſtorum Cæſarum dignitatem tenuiſſe: ſi Naſſo-
„ uij in Belgio nulli extitiſſent, imperium in Belgio non fuiſſe Auſtrios ha-
„ bituros: Engelberto patruo ſuo magno victoriam Guinegaſti, ditiones
„ Tranſmoſanas, Flandrorum coërctionem Maximilianum Cæſarem de-
„ bere; ac ſimiliter Henrico patruo Imperij dignitatem: Renato Chalo-
„ nio, Geldriam reſtitutam, Cæſarem Carolum; ſibi pacem Cameracenſiam Regem Philippum: eas eſſe ſuæ gentis opes, vti alienis beneficiis
„ non egeret; quindecies centena florenorum millia expenſa ſe Cæſari atque Regi ferre; tam non ſibi eam pecuniam reſtitutam, vti contrà, multa
„ ſuos gẽtiles, atq; ſe à Belgij Principibus pati damna fuerit neceſſe. Et cùm

pro-

1561 propiùs ad rem accedit, fatetur ſuſpectam ſibi Cæſaris atq; Regis volun- «
Fatetur Cæſaris & Regis voluntatẽ ſibi diu fuiſſe ſuſpectã. tatem diu extitiſſe; ferre ſe eas imperij leges non potuiſſe, quas non tam «
iudicio, quàm pro libidine Rex meditaretur: ſeorſum multa ſe ſibi con- «
ſilia cepiſſe, quibus Regis conatibus occurreret; cùm Equites in Ordi- «
nem Aurei velleris Gandaui Rex adlegeret, collegarum ſententiis, quos «
Rex nollet, in eum Ordinem Equites cooptandos curaſſe: dum obſes in «
Ad hæc ſe ſtuduiſſe ſemper nouis Religionibus. Galliis venatione in ſpeciem ſeſe oblectaret, inuiſa Regi conſilia ſuſce- «
piſſe: nouarum Religionum hominibus ſemper ſeſe ſtuduiſſe; admoni- «
tum à Rege diſcedente, vti in certorum hominum ſuſpectam religio- «
nem animaduerteret, delatis rem denuntiaſſe. Hæc & plura in eo libro «
de ſe Orangius, ne quis incredibilia putet, quæ in poſterum de eo ſunt commemoranda.

1562 Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, menſe Februa-
rio, Legatos in Hiſpanias Brabantini ad Regem mittunt; hos ſequuntur
menſe Maio vrbis Antuerpiæ delegati; inde à Principe Parmenſi Gu-
bernatrice menſe Auguſto Montigneus, qui de ærarij Belgici ration-
Legationes in Hiſpaniam, inprimis contra nouos Epiſcopatus. ibus, de Galliarum motibus, ſubſidiiſque à Rege & Regina matre è Bel-
gio poſtulatis, tum inprimis de nouorum Epiſcoporum inſtituto, &quã-
tæ ſe obiicerent difficultates, vti ante biennium narrare cœpimus, ad
Regem referret. Omnium earum legationum is fuit exitus: Epiſcopum
Antuerpia nondum haberet: per vnita Epiſcopatibus Brabantinorum
Cõceſſum, vt nihilominùs Abbates legerentur, ſed nihil profuit. Monaſteria, nihilominùs de more Abbates legerentur. Compoſita ita-
que in præſens ea controuerſia videbatur; ſed nihilo æquiores multo-
rum animos ea res faciebat. Affligemij & Tongerloij viri boni Abba-
tes leguntur; ad ſanctum Bernardum eiuſcemodi, qui tum Catholicus,
quãtum videre erat, paulò pòſt Lutheranus, inde Caluiniſta, ducta vxo-
re, Miniſter exiſteret: quin & iis Monachorum electionibus acceſſit
quæ conſueſſet Regis auctoritas: Electi quoque (quod iure Tranſmon-
tanis permittitur) Monaſterium procurant, Ordinumque Brabantino-
rum Comitia frequentant. Sed quod erat poſtremum, vti ea Monacho-
rum electio à Pontifice confirmaretur, id impetrari Romæ non poterat.
In calumniam quoque vocatur inſtitutio Academiæ Duacẽſis, etſi longè antè concepta. Accidit item hoc anno Brabantinis perquam moleſtum, quòd Acade-
miam (quæ vna toto Belgio hactenus Louanij celeberrima exiſtebat)
noua Duacenate Academia imminuere velle Cardinalis atque Viglius
viderentur; quamuis diu antè ea de re fuiſſet actum. Etenim ab anno
milleſimo quingenteſimo trigeſimo Duacenates, quòd rem eam Cęſari
honeſtam, Belgio neceſſariam, ſibi vtilem futuram affirmarent, diu mul-
túmq; à Cæſare contenderant, vti nouam omnium diſciplinarum Aca-
demiam in ea vrbe collocaret, vt quæ Gallicè loqueretur, vrbiſque laxi-
tate, ciuiumque ingeniis peropportuna exiſteret. Reſtiterant hiſce poſtu-

latis

latis Louanienſes, quorum ſumma iis temporibus penes Cęſarem gratia, 1562
ſumma apud omnes erat auctoritas; neque obtinere quod poſtularant Duacenates tum equidem potuerunt. Poſteà, cùm ſe Imperio Cæſar abdicaſſet, multaque à Rege de conſeruanda Religione ſunt ſuſcepta conſilia, tum demum, etiam Duacenſibus ignaris, ea Regi ratio eſt probata, vti ea vrbe Academiam aperiret, qua adoleſcentes Gallicè ſimul diſcere cupientes, à Galliarum Academiis ac potiſſimùm à Geneuenſi retineret. Auctoritate itaque iam tum à Paulo IV. Pontifice impetrata, Rege in Hiſpaniam profecto, Hieronymo à Francia vrbis Duacenæ Penſionario ſeu Syndico rem eam Viglius exponit, Reſcriptum Pontificium, Regiſque auctoritatem oſtendit. Rem lætanter Hieronymus excipit, ad Magiſtratum refert: magno totius vrbis conſenſu res non ſolùm conceditur, ſed etiam ſtudiosè flagitatur. Auget hominum ſtudia Franciſcus Richardottus Atrebatenſis Epiſcopus, à Pio Quinto Pontifice Cardinalis pridem creatus, ad cuius Epiſcopatum ea vrbs pertinebat. Frequentes Duacenſium Legati, & in his Hieronymus iam dictus, Bruxellam proficiſcuntur: re cum Cardinale, Viglio, atque Nigri ſæpiùs deliberata, de Profeſſorum ſtipendiis, Academiæ immunitate, ceteriſque ad rem eam pertinentibus conſtituunt. Ferre id ægrè Brabantini; neque minùs offendebatur Orangius, quòd & ſeſe inconſulto res tanta ſuſciperetur, tum quaſi vrbe limitanea Academiam inſtitui non oportere arbitraretur. Louanienſes apud Ordines ſic rem inſtituunt, vt quibus videretur commodiſſimis rationibus, ornatiorem ſaltem cultioremque efficere ſuam Academiam conarentur; Profeſſores adhuc nouos Theologiæ, Iuris, Medicinæ, Matheſeos, Hiſtoriarum, Linguarum, Græcæ, Latinæ, etiam Gallicæ conſtituerent; ſtipendia ceteris augerent, ſcholas magnis impenſis exornarent. Succedit nihilominùs Duacenatibus negotium, Academiam iiſdem cum Louanio legibus atque inſtitutis hoc anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo menſe Octobri aperiunt, magna cùm aliorum quorumdam, tum duorum in primis Abbatum Benedictinorum inſigni pietate, Ioannis Lentailleur Aquicinctenſis, & Arnoldi de Cambe Gantoiſij, Marchianenſis, qui magnis impenſis ſingula è fundamentis ampliſſima Collegia inſtituerunt. Malè habebat hæc res Belgas nouis Religionibus ſtudentes, ſed rurſum recreabat, vti dicebant, quòd Deus tandem eorum votis reſponderet, qui binos ſibi infenſos Galliarum Reges Henricum & Franciſcum è medio ſuſtuliſſet, Regnis Angliæ & Scotiæ Euangelium dediſſet, Cæſarem Carolum emota mente decedere de Imperio coëgiſſet, Cardinali Granuellano Papiſtarum per Belgium principi fortiſſimos hoſtes opponeret, (Orangium, Egmondium, atque alios intellige-

Dudum ei obſtiterant etiam Louanienſes.

Datum de ea Diploma Pauli IV. anno 1559. ſed hactenus ſuppreſſum.

Multis rationibus obſtitit Duacenſibus.

Tandem tamen hoc anno Academiam aperiunt.

Mira nihilominùs ſibi promittunt noua Religiones; & quare?

1562 bant, qui iam aperire ſe incipiebant) deeſſe itaque ſe rebus tantis, tam præclaris, non debere: indignum, locis ceteris illuceſcere Euangelium, ſolo Belgio impunè Cardinalem dominari, nouos Epiſcopos ad Euangelij perniciem conſtitui, Academiam Papiſtis Duaci nouam procurari, Ieſuitas nouæ ſuperſtitionis inuiſum hominum genus in Belgium venire, Tridentinum ad rem Papiſticam ſtabiliendē Conuentum, Rege procurante, à Pontifice reſtitutum; illud poſtremò, quod ferre diutiùs non oporteret, crudeliſſimis ſuppliciis in fideles animaduerti. Paſſim itaque toto Belgio propenſę in nouas Religiones multorum ſeſe hominum voluntates oſtendunt. Narrauimus anno præcedenti quòd ex tunc iuxta Tornacum in ſiluis vrbi vicinis conciones habere cœperint; hoc anno Valencenis vrbe vicina maiori quoque motu res gerebatur. Tandem Magiſtratui in eos conuentus diutiùs diligentiuſque inquirenti, ædes in ſuburbio denuntiantur, quibus puellam dæmoniacam nouarum Religionum Antiſtites fruſtrà curandam ſuſcepiſſent. Conuicti inquilini, Philippum Maillard & Simonem Faueau ex infima hominum plebe obſcuros atque indoctos homines eorum conuentuum principes accuſant; duci in vincula vtrumque iubet Magiſtratus. Ferebant id eorumdem ſtudiorum homines indignè; itaque ſub noctem per plateas, modò plures, modò pauciores, (quod à Tornacenſibus cœptum fuiſſe ſuperiùs diximus) Pſalmos ad Geneuenſium modulos decantare; captiuos de nocte clara voce hortari, viros fortes ſe præſtarent, auxilio ſe futuros, ſi duci ad ſupplicium contingeret; libellos publicè de ſuo in eam Religionem ſtudio proponere: Præpoſito, Scabiníſque (ſi grauius quid in captiuos decernerent) litteris comminari audebant. Magiſtratus anxius, per Michaëlem de la Houe Præpoſiti Vicarium & Antonium Coruillain Penſionarium ad Parmenſem rem refert. Reſpondet Parmenſis, inanem eum metum exiſtere, turpe Magiſtratui futurum, ſi timere paucorum hominum temeritatem eſt neceſſe. Reſponſum referunt. Magiſtratus, quòd Sabbato ad veſperam manu promptiores qui lanam pecterent vrbe diſcederent, reuertíque ex agris vbi habitabant, non niſi die Lunæ vt plurimùm conſueuiſſent, ita rem conſtituit: Quinto Kalend. Maij (qui erat dies Lunæ) ſummo manè ſententiam ex Edicto reis pronuntiat; nec mora, tria eius vrbis ſagittariorum Collegia armata in Curiam ad ſe vocat, honeſtiſſimos quoſque ciues inermes eo conſilio accerſit, quòd neque armatos incedere per plateas conueniret, & armis Curia abundaret. Antonium de Goignies atque eius fratrem Hannoniæ Nobiles (qui tum fortè cum grauis armaturæ aliquot equitibus in vrbem aduenerant) rogat Magiſtratus, cùm ſigno dato duci ad rogum reos intelligerent, conſcenſis equis in forum venirent. Rebus itaque hunc in modum curatis,

Omnia mordent noui homines, præſertim leges ſeueras in hæreticos.

Capiuntur Valencenis duo noui Euãgelici.

Socij eorum per litteras minãtur Magiſtratui.

Conſulta Gubernatrix, dicit inanẽ metum; agerent lege.

Producti ad ſupplicium, orto tumultu, iterũ carceri mancipantur.

vixdum

vixdum productis damnatis, magno hominum impulsu crepat septum, quo supplicij locus cingebatur; pergit Magistratus, exclamat Faueanus; Pater æterne. Ad eam vocem incerti toto foro hominum clamores, calcei sediliaque in paratam lignorum struem iniecta. Conturbatus ad certum tumultum Magistratus, damnatos in carcerem reducit, populum edicto commonefacit. Goigneus, quòd signum è turri non daretur, seriùs in forum venit; cùm aduenit, frustrà de re componenda laborat. Semel enim auctoritate cõtempta, teneri in officio diutiùs homines nõ poterant; septo refracto, ligna rapiuntur, arma toto foro inconditis vocibus ostentantur: vno aliquo præeunte, in genua, sublatis in cælum oculis, multi procumbunt. Quidam suadebant, vti secta damnatorum capita è carcere in forum proiicerentur: non placet maiori parti anceps consilium. Dum itaque anxius Magistratus deliberat, in carceres effractis foribus multi irrumpunt, sublatosque humeris damnatos in forum boarium deportant. Magistratui consilio rem agi placet, Edictum proponit, In suam quisque stationem discedat; qui ab excubiis stationéque abfuisset, is commotæ plebis reus existeret. Paretur Edicto, sed in tutas latebras deductis damnatis; in eumque modum res componitur, vti sub vesperam adducto in vrbem equitatu, inde diebus aliquot posteà etiam peditatu, damnatis dilapsis, in auctores seditionis seuerè vindicaretur. Hinc iterùm nouæ querimoniæ. Quin & Comiti Egmondano istiusmodi cum Cardinale simultatis ratio sub idem ferè tempus incidit. Hesdinum in Artesia vrbs noua, vetere exciso Hesdino, à Rege Philippo constructa, omnium eius Prouinciæ longè honestissimam opulentissimamque Præfecturam habebat. Eam, Domino Noiellij mortuo, multi summi Ordinis viri ambiebant. Antonius Dominus Helfautij vir nobilis, (sed qui ceteris candidatis nec dignitate nec gratia par vulgò existeret) eamdem & ipse Prefecturam petit. Antonio, cui optimè volebat, id Cardinalis consilij dat, esse eam de more Artesiæ Præfectorum prærogatiuam, vti quarum per eam Prouinciam vrbium arciumque Præfecturæ vacarent, ad eas vrbes atque arces quos vellent, tres Regi nominarent; inde ex eo numero quem vellet vnum Rex assumeret. Curaret itaque Helfautius, vti se Egmondanus Artesiæ Gubernator, Regi nominaret; id si impetret, curæ sibi rem reliquam futuram. Aggreditur itaque Egmondanum Helfautius, intelligere se affirmat, quàm cõtendere cum iis, quos haberet, competitoribus non posset; nominationem tamen eo studio se flagitare, vt aliquando posteà dignum se aliquo loco Rex intelligeret, sibique præsenti repulsa maiorem in posterum petendi apud Regem occasionem fiduciamque pararet. Persuadet Helfautius, Regique præter tres à se delectos, dicis causa, quartum Helfautium Egmondanus no-

1562

Tragica Valencenẽsium tumultuatio.

Effractis carceribus noui Concionatores eripiũtur.

Noua iterùm simultatis ratio Egmondani contra Granuellium.

Arte quadam deluditur Egmondanus.

1562 minat. Qui cùm Præfecturam à Rege impetraſſet, ea res ſic offendit Egmondanum, vt non niſi Cardinalis artibus, ſe ceteroſque à ſe præcipuè nominatos, contemptos grauiter interpretaretur. Eodem anno menſe Nouembri Francofurti Imperij Comitia creando Regi Romanorum Maximiliano filio Cæſar Ferdinandus habebat. Frequentes ad ea Comitia cùm Germaniæ ceterorumque Regnorum Principes Legatique, tum à Turca ſplendidiſſima Legatio aduenerat. Brabantini à Carolo IV. Imperatore certa maximarum rerum Priuilegia olim acceperant; Bullam auream appellant; oſtendunt itaque Parmenſi Brabantini, multas ſibi cum Colonienſibus, Aquiſgranenſibus, aliiſque Imperij ſubditis eſſe cõtrouerſias, neceſſarióque ea de cauſa eius ſe Diplomatis confirmationem poſtulare à Cæſare debere. Aſſentitur Parmenſis, Legatique à Brabantinis Antonius Stralen & Guilielmus Martini Antuerpienſes ad ea Comitia mittuntur. Proficiſcitur quoque eò Regis nomine Dux Arſchoti, priuatoque officio Egmondanus & Orangius. Habebat iis quoque Comitiis ſuos Legatos Ludouicus Borbonius Princeps Condæi. Propoſiti fuere pro Belgis eo Conuẽtu Cæſari Ferdinando, libelli, quibus ſocietas, Religioniſque, quam haberet Imperium, libertas flagitaretur. Quæ res quia ab ignotis cœpta erat, nec à quo quam promoueretur, effectũ alium non eſt ſortita, quàm quòd Rex Philippus Belgarum ſtudia deinceps etiam magis ſuſpecta haberet. Accidit & iſtud quòd turbas augeret. Refert Matthæus Lanoius, is ipſe qui geſſit, eo libro quo rationem ſecundò reddit, cur à Caluinianis ad Catholicos tranſiiſſet. Anno hoc 1562. Claiæ ad Marnam in Galliis concionantem Matthæum mercatores nonnulli Belgæ audierant. Cùm itaque, Principe Portiano relicto, apud quem morabatur, Angliam ſtudiorum cauſa Matthæus cogitaret, iterque ſibi in Angliam per Belgium conſtituiſſet, factum eſt vt Valencenis ab iis mercatoribus, qui Claiæ fuiſſent, retineretur, probarẽt hominis ſtudium eius vrbis iam tum conſtituti Seniores & Diaconi, multumque eius opera Valencenatum Tornacenſiumque Miniſtri ita vterentur, vti varia per loca ſexies ſæpenumerò intra horas viginti quatuor Matthæus concionaretur. Placebat Senioribus ea hominis induſtria, plurimumque ad nouæ Religionis dignitatem valere eam peregrini hominis auctoritatem exiſtimabant. Tornacum itaque Matthæum accerſunt, multáque cum eo contra Magiſtratum ſe oppugnantem conſilia ſuſcipiunt. Dum eſt Tornaci Matthæus, acciderat vti Inſulis Eccleſiæ Catholicæ miniſterio dæmon è quodam honorato homine exorciſmis pelleretur, multi quoque Rotnaci oppido Flandriæ Sanctorum precibus à Deo curari dæmoniaci dicerentur. Ægerrimè id ferunt eius ditionis Seniores, multumque ſuæ apud homines exiſtimationi deceſſurum exiſtimant, ſi

Comitia Imperialia Francofurti.

Permiſſu Parmẽſis, etiam illuc proficiſcũtur Legati Brabãtia.

Exhibetur ibi Cæſari libellus nomine Belgarum pro libertate Religionis.

Audacter prædicat Valencenis & Tornaci quidam Lanoius.

Sapè ſexies intra 24. horas concionatur.

quod

quod eſſet ab Apoſtolis factitatum, & in Eccleſia Papiſtarum fieri homines coràm intuerentur, id præſtare ſuæ Religionis Antiſtites minùs poſſent. Cum quodam itaque Ludouico in pago Queſnoij ad Duplam & vxore cuiuſdam Diaconi Perenchęi eius item ditionis pago commorantibus paciſcuntur; numeratam pecuniam atq; in annos ſingulos certum redditum vtriſque conſtituunt, ſi dęmoniacos ſeſe profiterentur, curariq́ue ſe à ſuæ Religionis Miniſtris paterentur. Pauci rem iſtam curandam ſuſcipiunt, neq; antè ſunt eæ technæ Matthæo intellectæ, quàm pecuniis tandem malignè præſtitis litem mouere debitoribus ficti dæmoniaci cœperunt anno 1574. cùm Matthæus rem totam ſibi narratam ſcribit in Hollandia à duobus, Chriſtiano de la Quenoillerie, & Ioanne Walle. Pactis ſuſceptis Queſnoij Ludouicus, Perenchęi vxor Diaconi, quibus didicerant indecoris motibus ſermonibuſq́ue ingreſſum corporibus malum dæmonem mentiuntur. Latè ea ſe fama per nocturnos fratrum conuentus diffundit; laborantes multi inuiſunt: terrent homines indecorę facies, proſtrata indecenter humi corpora, inconditi ſermones. Dæmon Ludouici non niſi ruſtico idiomate, nec niſi in aurem Ludouico loquebatur; dæmon Perenchęus mulierem hortabatur, vti in vicinum domui lacum ſe ſubmergeret, Miſſam audiret, B. Virginem Hallis inuiſeret, peccata confiteretur, tres Miſſas Cominij dici curaret. Refertur ea miſerorum hominum calamitas Tornacum ad Matthæum, rogãt Seniores, proficiſceretur, curandis iis hominibus opem diuinæ gratiæ non negaret. Recuſat Matthæus, quòd nec miracula didiciſſet, neque tantum ſibi tribueret, vti ſufficere ſe dæmonibus arbitraretur. Vrgent nihilominùs Seniores, clamant intereà dæmones, venturum breuî peregrè quemdam virum Dei, qui ſe abſcedere ab hoſpitio ſit coacturus. Matthæus itaque expugnatus litteris atque nuntiis Armenteriam proficiſcitur, totoſq́ue iſthîc dies ſeptem, vti conuenerat, commoratur: hinc deductus à fratribus ex itinere Perenchęum ad vxorem Diaconi diuertit. Mulier admonita, vbi hominem eſt conſpicata, è veſtigio è manibus elapſa fugiens, horrendùm inclamat: Quid nobis & tibi vir Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos? Mouet ea res ignarum doli Matthæum; accedit, mulierem manu prehendit, ad ignem proſtratam in genua orare vnà ſecum iubet; Symbolum fidei Matthæus pronuntiat, præeuntem ægrè mulier ſubſequitur, linguam inflaſſe ſibi dæmonem commemorat, verba nonnulla trunca, alia titubans pronuntiat, multa quæ ad rem non pertinerent, ridicula atque incondita interloquitur; minari ſibi dæmonem affirmat, futurum vti malè ab eo excipiatur. Inſtat Matthæus, oraret, fabulas omitteret: non reſpondet mulier, contorto atque hiante ore vultum deformis vetula indecorè facilè componit. Matthæus ex

1562

Quin æmulatione Catholicorum, etiam dæmones effugare rogatur.

Duo fingunt ſe dæmoniacos.

Euocatur ad eos curãdos Miniſter Lanoius.

Egregiè quædam ſe gerit dæmoniacam.

Multa ridicula & incondita interloquitur.

1562 ſponda interiore lecti, aſſidente ſibi dæmoniaca, concionatur. Concione peracta mulierem ſedi incubantem proiectis brachiis toto corpore indecorè ſeſe motitantem intuetur; proſternit ſe in genua; pauca orat Matthæus. Nec mora, magno equidem miraculo, mulier quieſcit, & omni eo cruciatu ſe liberatam teſtatur. Nec diſſimilis fuit Ludouici curatio, quam qui ſigillatim diſcere cupit, iam dictum librum eiuſdem Matthęi adeat. Interea creſcebant magis magíſque in aula Bruxellæ ſimultates: multa iactabant tam Nobiles quàm ignobiles; coniuraſſe Cardinalem, Barlaimontium & Viglium; per eos homines dignitatem ſuam reliquos Proceres tueri non poſſe: ſi quæ res grauior in Senatu proponeretur, ſi cuius honorati hominis de dignitate præmiiſque ageretur, tum Parmenſem, quæ Cardinali inuita ſeruiret, in incertum diem eius rei deliberationem differre; nec niſi Orangio ceteriſque Proceribus boni publici maximè ſtudioſis abſentibus, habere eum Conſultæ diem non ſolere: inualeſcere vicinorũ Regnorum exemplis nouarum Religionum ſtudia: tot damnis acceptis, quieſcere Valencenas nondum poſſe: miſſos in eam vrbem cognitores, Marchionem Prouinciæ Pręſidem, Auxſtruſium, Indeueldium, Rotallerum, Meſdachium, ſupremorum tribunalium Iudices, conſiliorum ſuorum exitum in tanta peccantium multitudine inuenire nullum potuiſſe. Hęc illi nec tamẽ eſſe eam ſuam ſententiam, vt liberrimè pro ingenio ac libidine homines quam vellent Religionem profiterentur; verùm hoc deſiderari, vti coactis Ordinibus de re longè grauiſſima deliberationes ſuſciperentur, magnam eas leges auctoritatem eſſe habituras quas iis auctoribus Rex eſſet laturus, qui ſingulorum hominum ingenia optimè noſſent. Alij è diuerſo, non eſſe hoc Ordinum, ſed Principis eiúſve Locum-tenentis, adhibitis tantùm ſuis Conſiliariis, leges Edictáque quæcumque condendi auctoritatem ſupremam eſſe, ex Priuilegiorum, quæ Iucundum Aduentum vocant, articulo quinto, recèns ab ipſis quoque Ordinibus anno 1549. confirmato, aſtruere nitebantur. Totus quoque hic annus ita Galliarum potentiſſimo Regno infamis funeſtuſq; fuit, vti ad varias vrbes tranſlato bello, Regno direpto, Nauarręo dum Rothomagum obſidet, globo ex vrbe emiſſo interfecto, auxiliis ex Hiſpaniis, toto Regno, Germania, Angliáque comparatis, demum ad 14. Kalendas Ianuarij iuſtis exercitibus ad Dreuſium vrbem Normanniæ eo euentu pugnaretur, vti Condæo Hugonotarum Duce capto, cruentam Rex Carolus, amiſſo Mariſchalco, & capto Comeſtabili, victoriam Duce Guiſio obtineret. Hac hieme genialibus diebus Comes Hornanus, Vanden-Bergius, Culenburgius, Bredenrodius, qui omnes Lutheranè educatas habebant coniuges, liberiùs paſſim loqui incipiunt de pœnarum ſeueritate in hæreticos conſtituta; optant, clamant, obteſtan-

In ſpeciem curatur; item alius; teſtante poſteà ipſo Lanoio.

Multa Bruxellæ iactantur in Granuellium, Barlaimõtium & Viglium.

Diſputant plures & variè de legibus in hæreticos.

Cruenta Hugonotarum in Francia ad Dreuſium victoria.

In Belgio qui habebant vxores Lutheranas, maximè clamant contra Edicta in hæreticos.

obteſtantur mitiorem rationem inueniendam. Et Hornanus quidem, 1562
diſſimulantibus Egmondano & Orangio, familiariſſimè ſe his dabat, tum quòd vxoris eius frater Comes Hermānus Georgium Caſſandrum Conciliatorem illum Religionum magno haberet loco, tum quòd vindicare ſe de Cardinali Granuellano hac ratione arbitraretur, in quē dudum malè erat affectus. Cauſa iſta narratur. Antequam Philippus Rex in Hiſpaniam abiret, Hornanus Geldriam & Zutphaniam aliquandiu adminiſtrarat, ſummíſque eam Præfecturam votis ambiebat. Cum Granuellano itaque agere hac de re inſtituit. Reſpondet ille, neque ſui iudicij eam rem eſſe, neque ſcire ſe quid de ea Præfectura Rex cogitaret. Vrget Hornanus. Offenſus hominis importunitate, ne ſi ſciat quidem Regis ſententiam, elaturum eam, Granuellanus affirmat. Iraſcitur Hornanus, iampridem tenere ſe aſſeuerans, quàm in ſe bona voluntate Granuellanus non exiſteret. Ita per manus hoc apud aulicos traditum: ſaltem Præfectura illa non Hornano, ſed Meghano, vt ſuperiùs narrauimus, tunc eſt commiſſa.

Cauſa, cur Hornanus etiam ſpecialiter Granuellano malè effet affectus.

Diu ſatis ſimultatibus iam certatum erat, cùm anno 1563. quinto 1563
Idus Martij, Orangius, Egmondanus & Hornanus Regi apertè ita ſcribunt: Si hoc vel officij in te noſtri ratio, vel rerum publicarum pati diutiùs ſalus potuiſſet, libenter equidem, quod diu fecimus, id tuis grauiſſimis curis negotiiſque etiamnum daremus, neq; de re longè grauiſſima ad te ſcriberemus. Verùm cùm ea ſeſe rerum magnitudo his Prouinciis oſtendat, quæ & obſeruantiæ in te noſtræ rationem, Prouinciarumq; inuicem ſalutem vnà contineat, neceſſariò nobis fuit faciendum, vti ingenuè grauiſſimorum ad te periculorum cauſas ſcriberemus. Complures ſummi Ordinis viri (qui dominari publicis Belgicarum rerum negotiis Cardinalem animaduertunt) id credere, id videre ſeſe aſſeuerant, vnum eſſe Cardinalem, ad quem rerum publicarum ſumma ſit tranſlata: ita altè huius rei cogitatio in illorum, & (quod palàm profitemur) in noſtros quoque animos deſcendit, vt Cardinale in Belgio remanente, euelli ea opinio nulla ratione poſſit. Per illam itaque noſtram in Veſtram Maieſtatem fidem, quam tot retrò argumentis cognouiſtis, id oramus, vti quanti ea ſit res momenti, quantique interſit, vti ea ex hominum mentibus offenſa deleatur, cogitare etiam atque etiam velitis. Id enim certò Maieſtatem Veſtram ſtatuere oportet, quamdiu eſt in Republica Cardinalis verſaturus, quem tanta indignatione homines oderunt, neque vos, quem deſideratis, neque nos quem optamus felicem rerum ſucceſſum eſſe habituros. Quamobrem ſi Prouinciarum vlla Maieſtati Veſtræ eſt cura, ſi res veſtras rectè adminiſtrari, ſi publicos rerum motus caueri poſtulatis, id equidem, quod flagitamus, vti faciatis, obnixè

Litteræ Orangij, Egmondij & Hornani ad Regē cōtra Cardinalem Granuellanum.

Vrgent audacter, vt Rex ipſis fidem habeat.

Nempe Rēpublicam non fore ſaluam, quamdiu in ea erit Cardinalis.

1563 oramus. Si tam non eſſent in vicino pericula, ſi tam moram pati res iſta « poſſet, numquam equidem id nobis ſumpſiſſemus, vti hoc vehementi « ſcribendi genere vteremur. Verùm, eſt ita ſanè, vt nec diſſimulari, nec « differri ea res diutiùs poſſit. Quamobrem, ſi vllo antè tempore fidem « apud vos noſtri ſermones inuenerunt, hoc certè illud eſt tempus, hæc « illa eſt ratio, cùm maximam certiſſimamque inuenire nos oportet. «

Excuſant, quòd tam vehementer ſcribant.

Quod ſi eſtis facturi, certè maximorum inſtantium periculorum dam- « na cauebitis. Atque hæc fuit equidem cauſa, cur viri Principes complu- « res, qui Prouincias imperio procurant, alij quoque honeſtiſſimi Ordinis « nonnulli, referri haſce res per nos ad Maieſtatem Veſtram voluerunt, « quòd intelligerent, re iſta à vobis neglecta, certam eſſe Rempublicam « perniciem habituram: contrà, ſi, quod ſperamus, plus apud vos tot «

Multa pollicentur, ſi Rex eis obſequatur.

optimorum ſubditorum merita, tot pro publica ſalute & tranquillitate « poſtulata valebunt, quàm vt in vnius gratiam tot velitis optimos mini- « ſtros auerſari, id certè futurum exiſtimamus, vti ea re impetrata, felicem « breui Remp. eo ſucceſſu ſitis habituri, vt & conſilij veſtri præclarum fru- « ctum, & obſequij in Maieſtatem Veſtram noſtri maxima certiſſimaque « teſtimonia ſitis adepturi: idque eò faciliùs, quòd prudenter ita rem Par- « menſis gerat, vti magnas ei habere nos gratias ſit neceſſe. Futuri ſunt « fortaſſis, qui ambitiosè proponi iſta à nobis affirmabunt: id ne de opti- «

Potiùs orat Senatu moueri, quàm cum Cardinale in commune conſulere.

mè ſentientibus inducere in animum poſſitis, accuratè oramus, quod « per Veſtram Maieſtatem liceat, vt Senatu motos abeſſe nos ab eo Conci- « lio patiamini, in quo Cardinali eius merito offenſi, neque Veſtræ Maie- « ſtati neque noſtræ exiſtimationi ſatisfacimus. Quod ad Religionem « attinet, quæ res maximi momenti nunc exiſtit, id recipimus, quanta à « nobis & Catholicis ſubditis flagitari poſſit, tantam nos operam Religio- «

Denique finiũt, fingentes Religionem adhuc ſatis tranquillo loco haberi.

ni conſeruandæ impenſuros. Sanè ſi non, quam conſueſſent, eam Reli- « gioni aſſiduam viri Principes Nobileſq; operam impendiſſent, iampri- « dem, quo nunc exiſtit tolerabili tranquilloq; ſtatu, Religionem non ha- « beremus; iam enim latè per vulgi animos lues graſſatur, neque mederi « graui malo Cardinalis vel auctoritas vel vita poteſt. Sic illi ad Regem. «

Libello ſupplici item Parmenſi multa proponunt.

Quin præter haſce ad Regem litteras, libellum in hanc ſententiam Par- menſi proponunt: Re deliberata cum Prouinciarum Præfectis, ceteriſque viris Principibus, qui Bruxellam iis, quas noſſet Parmenſis, de cauſis veniſſent, multa ſeſe inuenire in Rep. quæ neque Regis amplitudo atque dignitas, neque pati Prouinciarum ſalus diutiùs poſſit. Primùm nouarum damnatarúmque Religionum prętextu, aliiſque de cauſis (quæ paucis commemorari omnes difficulter poſſunt) accidere, vt Magiſtratuum atque Legum magnus vulgò contemptus ſit exortus; neceſſariò itaque eam ſuſcipi curam debere, vti, cùm vetera Edicta huic malo minùs ſufficiant,

ciant, citiſſimè nouis legibus rationibuſque tanti periculi atque mali damna caueantur. Deinde, cataphractos ordinarios equites, de veterum bellorum atque annorum ſtipendio iampridem ſeriò, idque ſæpiſſimè ſecum egiſſe; feciſſe ſe hactenus, vti, quibus poſſent, optimè meritos milites verbis atque ſpe cohortarentur, agere nunc iſtos equites multò quàm antè ſecum ſeueriùs; exprobrare tot in annos dilata promiſſa, oſtẽdere veterem fidem atque operam; commemorare æs alienum, patrimonium diuenditum, eò rem progreſſam affirmare, vti ob æs militia contractum experiri ſecum iudicio creditores incipiant; iniquum, vti pro ſtipendiis verba ſibi exoluantur. Eamdem eſſe querimoniam ordinariorum peditum, quibus quadriennij ſtipendium deberetur. Accedere eorum militum ſermones, qui ſtipendio non annumerato, militia eſſent dimiſſi. Et quidem hos ordinarios equites atque pedites eò iuſtiorem ſuam querimoniam profiteri, quòd proximo Octobri menſe nouennalis ſit penſio ceſſatura, quam in equites atque pedites Ordines ſubminiſtrarent, neque nouorum Comitiorum ſpes vlla etiamnum oſtendatur. Et qua ratione dicunt milites id futurum? vt vel ſe Rex ſit exauctoraturus, vel malè ſolutis ſtipendiis in militiam ſit coacturus? Prętereà magnas eſſe ærarij difficultates; iis accidere, vt neque Regi Parmenſique auctoritas conſtaret, neque curari quæ oporteret, ritè poſſent; limitanearum vrbium munitiones eam ruinam minari, cui ſarciendæ neque vllæ ſint opes ſuffecturæ, & hoſtibus percommodæ ſint futuræ: perexiguam ſpem Regem facere, futurum, vti aliunde ſubminiſtratis pecuniis harum Prouinciarum neceſſitatibus ſatisfiat. Grauem itaq; eam cauſam exiſtere, cur metuere ſe, quæ dicerent, oporteret. Accedere alterum quoque metum; vereri ſe vti peregrini mercatores (quibus de pecunia Regi credita, Quæſtores Regij Tabulis cauiſſent) iure arreſti in Belgas mercatores vti incipiant: id ſi faciant, intelligere Parmenſem, quàm ea res, mercimoniorum Belgicorum negotiis damnoſa ſit futura. Tantas eſſe res iſtas quas proponerent, vti omnem iis Reip. ſalutem contineri arbitrarentur. Multum itaque atque diu, in res eas cogitantibus, id ſibi atque illis, quos dixiſſent, conſilij placuiſſe, (quod vnum atq; ſolum ſupereſſe arbitrarentur) indictis vti Ordinum Generalium Comitiis, de rebus tantis Parmenſis videret. Probari ſibi equidem eam de Comitiis ſententiam, vrgere tamen ſe nihilominùs Parmenſem nolle, vt hoc quod ſibi ceteriſque probaretur conſilium, ipſa quoque ſequeretur, ea ratione, quòd imperaſſe ſibi Regem Parmenſis affirmaret, vti Ordinum Comitia nulla haberet. Non fuiſſe id equidem Regem imperaturum, ſi non etiam Regis patriæque iurati hoſtes malis artibus calumniiſque malè ſuſpicari Regem de Ordinibus eorumque Collegiis coëgiſſent; ij homines,

1563

Inter alia valdè exaggerant de ſtipendiis militaribus adhuc debitis.

Quibuſdã etiam quadriennij ſtipendium debitum.

Querunt. & munitiones limitaneas negligi.

Querunt. & alias nec mederi his malis poſſe niſi Comitia Generalia.

Scire ſe quidẽ Parmenſem nẽ poſſe ea indicere; ſed id prohibitum præſtitiſſe.

1563 nes, qui nec alios mederi publicis malis paterentur, neque remedium per ſe ipſi vllum adferrent: non poſſe non ſe ea contumelia atq; hominum iniquitate commoueri. Rogare itaque, vt, quoad meliore conſilio vti Regem cõtingat, abeſſe ſibi bona Parmenſis gratia, ab ea Curia & Concilio liceat, quo annos iam quatuor numerus atque vmbræ extitiſſent: id ſi impetrarent, & magnos ſeſe Parmenſi eſſe gratias habituros, & cetera negotia, quæ vel ad Regis tuendam dignitatem, vel ad ceterorum ſuorum munerum procurationem pertinerent, ſumma ſe fide atque ſtudio eſſe curaturos. Hæc in illo libello. Interim menſe Iunio Rex reſpondet eorumdem Procerum litteris ſuprà poſitis in hanc ſententiam: Multa extare eorum qui ſcriberent in ſe præclara fidei atque obſequij teſtimonia. Non dubitare ſeſe itaque quin optimè in ſe animati ea ſcriberent, quæ litteris cõtinerentur: verùm cùm id pati ſua conſuetudo minùs poſſet, vt miniſtris, indicta cauſa, moleſtiam faciat, pergratum ſibi futurum, ſi è tribus vnus ad ſe eſt venturus, cauſaſque coràm eſt explicaturus, cur facere ſe, quod poſtularetur, oporteret; nullas enim litteris cauſas recitari, neque curari per abſentes rem tantam facilè poſſe. Iſta Rex. Reſpondent denuò Kalẽd. Auguſti Orangius, Egmondanus, Hornanus in hunc ſenſum: Quartum iam menſem expectantibus redditas ſibi eas eſſe litteras, quas menſe Iunio Rex dediſſet; legiſſe eas eos Proceres, quibus auctoribus priores ſcripſerant; pergratum ſibi ceteriſque extitiſſe, quòd præclarè de ſe Rex ſentiret ſcriberetque. Omnino plenius ſe reſponſum à Rege expectaſſe; iis enim de rebus ſe retuliſſe, quarum curam procraſtinari non oportebat. Quòd de vnius profectione ſcriberet, optaſſe, vt non vni, ſed in vniuerſum ea ad Regem veniendi facultas tribueretur; quòd ab abſentibus, neque publicæ rerum neceſſitates, neque ſua in Regem ſtudia explicari facilè poſſint. Verùm eos nunc eſſe in Belgio rerum metus, ea vicinorum Regnorum exempla, vti domo abeſſe ſine graui Reip. periculo non poſſint; tanti non eſſe Cardinalem, vti in eius gratiam deeſſe officio ſe ſuo oporteat. Nolle ſe, vt iudicio ſic in delati Cardinalis nomen ſubſcribatur; certè id ſeſe exiſtimaſſe futurum, vti iuſtiſſimis ſubditorum querelis honeſta commodáve qua ratione Rex ſubueniret. Præclaram eam eſſe Regis ſententiam, de miniſtris indicta cauſa non violandis: verùm non id agi, vti damnum Cardinalis accipiat; quin contrà id ſe poſtulare, vt ſubleuatum eo onere, cui par non exiſteret, quouis digno eum loco alio Rex collocaret. Quòd de cauſis exprimendis monerentur, eſſe ita ſanè, vt niſi certi criminis rei fieri nulli poſſint. Verùm neque Cardinalis ſeſe accuſatores exiſtere, neque rationes tamen deſuturas ſibi fuiſſe, ſi accuſatoris perſonam ſuſcipere voluiſſent. Vnum ſe ſpectaſſe, vti ſibi, quorum fidem Rex laudaret, de animorum offenſa

Itaque rogant vt liceat eis à Curia abeſſe, vbi quatuor annis non ſint niſi vmbræ.

Reſpondet Rex non poſſe ſe cõdemnare aliquem non auditum.

Rurſum ſcribunt Regi Orãgius, Egmondius & Hornanus.

Voluiſſent ſcilicet, vt Cardinalis ſine iudicio commodè dimitteretur.

Nihilominùs eſſe rationes, ſi vellent accuſatores haberi.

verè

»» verè monentibus Rex aſſentiretur. Totum iam biennium multis ſæpè 1563
»» de rebus Regem ſe monuiſſe; Parmenſi libellum, cuius exemplar tranſ-
»» mitterent, porrexiſſe; videre ſe quàm tot ſuis ſtudiis nil proficerent. In
»» Senatum itaque non eſſe ſe poſthac redituros, quòd neque ſententiæ di- *Certè poſthac ſe in Senatum cum Cardinale non venturos.*
»» cendæ dignitatem tenere eo Senatu poſſint, neque vel Regi vel Reip. vti-
»» les eæ ſuæ cum Cardinale ſimultates exiſterent. Libenter itaque ſe-
»» ſe Cardinali eam quæ ſibi non debebatur, quamque Rege inuito Car-
»» dinalis aſſumeret, auctoritatem eſſe relicturos, rebus ceteris officio
»» ſeſe ſuo nullatenus eſſe defuturos. Scribere ſe iſto modo impolitè,
»» non eſſe ſe magnos Oratores, facere ſe quàm dicere doctiores. Hæc
Proceres; quibus quid reſponſi Rex dederit, dicetur anno ſequenti. Iſque erat hoc anno Belgij ſtatus. In Gallia, victoria Guiſij ſuperiori anno à nobis commemorata, in eam ſpem multorum animos excitarat, vti profligato bello, aurea ſæcula reditura viderentur; ſed non tulerunt hoc hominum peccata. Lutetiâ profectus Guiſius, Aureliam *Guiſius in Francia proditoriè ſclopeto traiectus.*
hoſtilis imperij caput non dubia potiundæ vrbis ſpe, tentat. Ammirallius (vti fama eſt) ad quem, Condæo capto, imperium peruenerat, per Ioannem Poltrotum, qui ſe transfugiſſe fide optima Guiſio mentiebatur, inermem vno tantùm atque altero comitatum Guiſium, à tergo tribus vno ictu globis, confodiendum curat; eo rerum euentu, vti ſicarius Poltrotus concitatiſſimo equi curſu totam ita noctem velut furiis agitatus diſcurreret, vti manè eodem ferè quo diſceſſerat loco comprehenderetur, turpiſſimíque latrocinij, diſtracto corpore equis in diuerſa agitatis pœnas exolueret. Contrà Guiſius, animo ad pietatem compoſito, *Moritur ſexto poſt die.*
liberis de officio ſtudiiſque in patriam commonitis, placidè ſexto poſtquam vulnus acceperat die, hanc vitam relinquit. Poſt cuius mortem menſe Martio hoc eodem anno ſexageſimo tertio ſupra ſeſquimilleſimum, pax conſtituitur, Condæo & Comeſtabili viciſſim in libertatem reſtitutis, promulgaturque Edictum quo certis legibus & locis Caluiniſtarum religio eo in Regno, citra Religionis Catholicæ iniuriam permitteretur. Quæ res magis etiam Belgas, quos diximus, in ea ſua quam tuebantur ſententia confirmabat, vti vi armiſque malè defendi Religionem Catholicam profiterentur; multique hoc Galliæ exemplo, & dicta Procerum Belgicorum primariorum ſocietate, & illis quas oſtendimus ad Regem litteris adducti, apertè iam facere diceréque in Cardinalem quæque acerba aggrediuntur, idque eò vehementiùs, quòd ingenio vehemẽs & natura iracundus Cardinalis, magno vt ſibi videbatur animo, omnes *His occaſionibus plures etiã in Cardinalem acuuntur.*
ſuos hoſtes parui ſe facere etiam palàm ſatis oſtenderet. Plurimi itaque omnibus locis per conuiuia & pocula de eo hominum ſermones, multæ comminationes, complures per ſpeciem vel nuptiarum, vel qua alia amicitiæ *Certis legibus & locis Caluiniſmus in Francia permittitur.*

1563 citiæ ratione nunc in hanc, nunc in illam vrbem conuentus, variáq; consilia. Longum esset vel præcipuorum talium conuentuum conuiuiorumque numerum seu seriem texere: illum tantùm conuentum commemorabimus, qui coniurationis speciem habere apud quosdam visus est. Cœnabant apud Gasparum Schetum supremum ærarij Regij, seu, vt loquuntur, Finantiarum Quæstorem, Egmondanus, Bergensis, Montigneus, atque eius Ordinis alij nonnulli. Inter pocula exoritur is sermo, vt sublata ea vestium signorumque diuersitate, qua singulorum ministri de more distinguerentur, vnum aliquod vestis genus, vestisque vnum aliquod signum sumendum diceretur, quo omnium in vniuersum ministri vterentur. Multa adferuntur, cur hoc quod proponeretur, placere consilium oporteret; inter cetera, quòd immensis sumptibus in his certaretur. Vnum restabat, cuinam potissimùm id tribui oporteret, vti vestē signumque præscriberet: sortitò eam controuersiam placet definiri. Tribus itaque iactis aleis Egmondanus eam prouinciam sortitur, vestes nigras è panno laneo, signum ad manicas cucullos morionum seu stultorum ex imperio designat. Passim itaque per sartorum officinas plena hisce vestibus vniuersa; vulgo ita rem interpretante, vti societatem profiteri hosce Proceres in Cardinalem affirmaret, qui appensum humero cucullum vti Episcopus Cardinalis gestaret. Non placet Parmensi institutum, indecorè ab iis stultitiæ notas assumi, quos prudentia modestiaque commendari in publicum oportebat; futurum quoque affirmat, vti pessimo exemplo susceptam coniurationem homines arbitrentur. Respondet Egmondanus, vnam se suosque collegas societatem spectare, quæ Aurati Ordinis instituto, agnationum necessitudine, Regis, publicarumque rerum studio contineretur: sumptus, qui impendi ministrorum vestibus permagni consuessent, nigris sese laneis vestibus designandis vitauisse: si nota minùs probaretur, aliam sese quæ reprehendi non posset, esse designaturum. Cucullis itaque relictis, colligatum sagittarum fasciculum proponit; siue ea (vti videri volebat) ratione quòd hoc vti symbolo Reges Catholici in numismatibus solerent; siue (quod vulgò ferebatur) vti inuictos futuros collegas, neque Cardinali cessuros profiteretur. Suscipiunt itaque hanc tesseram, eo multorum metu, vti eruptura eam animorum indignationem in grauiorem aliquem motum vix dubitarent, eoque iam res erat progressa, vti cum quodam Villetta Burgundo de Cardinale trucidando suscepta consilia incertis hominum sermonibus diceretur. Mense item Decembri cùm Prouinciarum Comitia de pecuniis conferendis Bruxellam essent indicta, Orangius eiusq; socij nonnulli palàm Parmensi denuntiabant, se Comitiis non adfuturos, si Cardinalem adesse contingeret; vnde id consecutum, vti & Mechliniæ

Cōuiuium Bruxellæ, coniurationis speciem habere visum.

Agitur vt omnium Procerum ministri eodem signo vestis vterētur.

Iactis aleis decernitur cucullus morionis pro symbolo gestandus.

Trahitur ea res à Gubernatrice & aliis in cōtumeliam Cardinalis cucullati.

Assumitur itaq; aliud symbolum, scilicet sagittarum colligatarum.

liniæ, vbi tũ erat Cardinalis, Comitiorum diebus permaneret, & Comitia nullo cum fructu citiſſimè diſſoluerentur. Cùm itaque diuturniorem iam moram ferre ea diſſidia non poſſent; neque Rex iis litteris, quas oſtendimus, ſententiam explicare ſatis diceretur, Armenterium Hiſpanum (quo in rebus priuatis Secretario Parmenſis vtebatur) in Hiſpanias tranſmittit. Et ſic quidem annus iſte concertationibus, quas diximus, apud Belgas tranſiit, memorabilis ſimiliter Galliæ, illa quam dicebamus cæde Guiſij, pace Aureliana, denique vrbis maritimæ Hauræ-gratiæ deditione. Tulerat ſiquidem ſuppetias Hugonottis Angliæ Regina, vrbemque iſtam Hauram-gratiæ ab Hugonottis fiduciaria poſſeſſione acceperat. Bello itaque Aureliis compoſito, cùm præſidium deducere ex vrbe Regina recuſaret, iunctis copiis conſiliiſque redire in ſuam Inſulam, Duce Comeſtabili, Comité Waruici Catholici atq; Hugonotti coëgerunt. Memorabilis quoq; toti orbi Chriſtiano iſte annus Oecumenico Concilio Tridentino, quod à Paulo III. Iulio III. Pontificibus inchoatũ, à Pio IV. menſe Ianuario anni præcedentis 1562. reſumptum, controuerſiis fidei definitis, veteréque Eccleſiæ diſciplina reſtituta, hoc anno 1563. die quarto Decembris eſt abſolutum. Acciderat illud quoq; hoc anno, vti cum viris eruditis tam peregrinis quàm domeſticis varia de Religione, de Rep. conſilia iam dicti Proceres Belgæ ſuſciperent; quo in genere vnus, quocum ſæpè multumque deliberarent, erat Franciſcus Balduinus Atrebas I.C. cuius iis temporibus erat percelebris per Gallias fama. Hic adoleſcens de hęreſi poſtulatus, in Gallias ſeceſſerat: hinc Caluino familiaris effectus, totum ſe huic vni tradiderat: in Franciſcum Duarenum Iuriſconſultum, de ſacris Eccleſiæ miniſteriis ſcribentem, libris inuectus, ingenium (quod præclarum à natura acceperat, cultiuſque doctrina ſtudioque effecerat) totum ad eius ſectæ defenſionem ita contulerat, vti eo perquam familiariter Caluinus vteretur, cum illo poſtremò (quod facere ob Catholicos ſeſe oppugnantes erat neceſſe) legendos ſibi veteres Eccleſiæ Scriptores Caluinus ſumeret. Hoc illorum ſtudio id euenerat, (quod Auctor fide dignus ſe ex Balduini nepote habere aſſeuerat) vti Caluinus, qui Euangelium reſtituere aggreſſum ſe fatebatur, antequam Veteres illos inſpexiſſet, ita illorum lectione ſæpenumerò turbaretur, vt qua ratione ſe è tanta auctoritate explicaret, non inueniret; diſcedere nihilominùs à negotio ſemel ſuſcepto, tot hominum applaudẽtium ſtudiis comprobato, ea ratione nollet, quòd iſtos eſſe nęuos illorum ſanctiſſimorum hominum diceret, quibus eluendis operam pręſtare ſeſe oporteret. Contrà Balduinus, illorum auctoritatem cum Caluini auctoritate comparabat, multáque animo meditabatur, cur grauiſſimarum ſummarumque rerum, non vnius ſed omnium omnino Catho-

1563

Gubernatrix Parmenſis Secretarium ſuum in Hiſpaniã ablegat.

Abſoluitur Concilium Tridentinum.

Varia in Belgio de Rep. conſilia.

Memorabilis de Caluino & Franciſco Balduino hiſtoria.

Simul legunt Veterum ſcripta, ſed diuerſo guſtu.

1563 licorum hominum, non corruptis, ſed præclariſſimis Eccleſiæ temporibus, nec dubia, ſed certa pronuntiata, inter nęuos deputari nullatenus poſſent. Subortæ itaque ſunt inter Caluinum & Balduinum initiò animorum, pòſt etiam verborum litterarumque ſimultates, ita vtriuſque diſſidentibus ſtudiis, vti Caluinus in inſtituto permaneret, Religionemque Catholicam Romanam totam, quanta eſt, doctrinam Antichriſti profiteretur; contrà Balduinus ea moderatione vteretur, vti reſtitui ex veteris Eccleſiæ ſententia nonnulla poſtularet: hanc illam Romanam nihilominùs, quam Caluinus grauiſſimorum criminum ream faceret, ita Dei Eccleſiam profiteretur; vti ſi ea Eccleſia non exiſteret, per tot retrò ſęcula nullam toto orbe fuiſſe Dei Eccleſiam fateri ſit neceſſe. Atq; hęc, vt maximè hunc in modum Balduinus affirmaret, eorum quoque ſępè recordaretur, quæ B. Auguſtinus in Donatiſtas hac ipſa de re præclarè dixiſſet, eum ſe nihilominùs gerebat, vti & varia in Religionis Catholicæ Romanę vſu publico deſideraret, & Catholicos ita ſequeretur, vtnec à conuictu, nec à libris Lutheranorum & Caluiniſtarum abſtineret. Flagrabat his tęporibus, vt oſtendimus, grauiſſimis bellis Gallia, multique ex Geneua in Galliam dimiſſi Caluini diſcipuli omnia motibus complebant. Reuerſus itaque eo Galliæ ſtatu Balduinus è Germania, vbi annos quatuor fuerat commoratus, cùm in Cardinalis Lotharingi amicitiam tranſiſſet, Principémq; Biarnenſem ab Hugonottis auertiſſe diceretur, librum quoque Georgij Caſſandri de Officio pij & publicę trāquillitatis verè amantis viri, in hoc Religionis diſſidio, in Gallias attuliſſet, omnium facilè in ſe Hugonottarum odia concitauit. Ludouicus tamen Naſſouius Orangij frater, qui profitentem Balduinum Heidelbergæ audierat, multa fratri Orangio ceteriſque commemorare de Balduino ſolebat; tantumque eius ſtudium iudiciumque noſtris faciebat, vti hunc ſibi dari Conſultorem ſummopere exoptarent. Philippus à ſancta Aldegonde, Egmondano ceteriſque perquam familiaris exiſtebat, multumque eius conſilio atque opera ita Egmondanus atque Marchio vtebantur, vti niſi eo conſulto, rem grauiorem nullam conſtituerent. Per hunc itaque perſuadent Duacenatibus, vti Balduinum è Galliis Duacum accerſirent. Archiepiſcopus Cameracenſis cognatione ad Marchionem attinebat, oſtendit rem Cardinali Lotharingo Cameracenſis: venit itaque in Belgium Balduinus; ſententiaque reſciſſa, quæ in abſentem à ſupremo Arteſiæ tribunali fuerat pronuntiata, Bruxellam proficiſcitur. Orangius clàm ſilua Iunia, remotis arbitris, cum Balduino deliberat: arridet Orangio ceteriſque Balduinus; res vna moratur, quòd ſuſpecti hominis conſilio palàm vti non permitteretur. Placet itaque, vt vel Louanij vel Duaci Balduinus Ius profiteatur, quoad in Senatum, ſe procurante, à Rege adlegi contingeret,

Non patitur Balduinus certa Veterũ pronuntiata vocari nouos.

Item nec Eccleſia Romana doctrinam vocari Antichriſti.

Fluctuat nihilominùs.

Qua occaſione Balduini huius conſilium ab Orangio & aliis ſit expetitum.

Agitur de Balduino ad profeſſionē Duacenſem adnocando.

vltra

vltra Academiæ ſtipendium in annos ſingulos pecuniam à ſe acciperet. 1563
Donatus itaque ab Orangio, Egmondano, Hornano & Marchione torque aureo ſexcentorum, vti ferebatur, florenorum, in Gallias, breuî rediturus, Balduinus diſcedit. Balduinus in ea erat ſententia, vti veterum Edictorum ſeueritatem leniendam profiteretur, auctorque noſtris eſſet, vti Regi libello rem oſtenderent; quin Viglio & Ioachimo Hoppero probaturum ſeſe affirmaret, retinere ea ratione Eccleſiæ auctoritatem neque veteres conſueuiſſe, neq; iis quæ nunc eſſent temporibus diu poſſe: plurima quoque omni ſermone Balduinus adferret, quibus ſatisfieri diuerſis hominum ſtudiis poſſe crederetur. Quæ res eò noſtris Proceribus gratior exiſtebat, quòd neque Inquiſitorum Theologorumque acrimoniam, neque Caluiniſtarum nimiùm vehementes animos pati ſeſe poſſe profiterentur. Orangius cumprimis, qui vxorem ſororeſque Lutheranas Miſſæ adhibebat, Lutheranas nihilominùs ſermone atque vita reliqua eſſe patiebatur. Venerat quoque in Belgium is, quem diximus, Caſſander, & eiuſdem ſtudij nonnulli; ſed qui ab ambitioſis aulæ ſtudiis longè abeſſent, citoque vnde venerant, domum reuerterentur, contrà atque Balduinus, qui eruditione ſtudiiſque ita vteretur, vti lubrica atque infida maximarum rerum negotia, ſumma ingenij atque morum dexteritate libenter verſaret.

Donatur ab Orangio & ſociis torque aureo.

Magna ſcilicet promittebat Balduinus.

Adeſt in Belgioque Caſſander Pacificator Religionis æſtimatus.

Menſe Februario anni ſequentis 1564. reuertitur ex Hiſpania Armenterius, quem ſuprà retulimus à Parmenſi illuc ablegatum: quam Legationem id conſecutum eſt, vti Cardinalis fratribus ſuis Chantonetto & Champaigneo comitatus, ſpecie priuati officij in Burgundiam menſe Martio proficiſceretur, cùm non multò pòſt Orangius, Egmondanus & Hornanus à Rege accipiunt litteras ſcriptas Barcelonæ 11. Kal. Martij „ huius anni 1564. in iſtam ſententiam: De Cardinale ſeſe deliberaturum: „ velle in Senatum reuertantur; pluriſque ſuam auctoritatem atque iſtas „ priuatas, quas ſuſcepiſſent, ſimultates facerent. Iſta Rex. Diſcedens in Burgundiam Cardinalis, ſupremam Eccleſiaſtici muneris, priuatarumque rerum curam Maximiliano Morilono Præpoſito Arienſi reliquit, qui iam pridem vnà cum fratre Antonio (cuius, dum viueret, magna atque ea percelebris eruditio extiterat) in Cardinalis amicitiam familiamque tranſiens, magnam ea ratione apud eum auctoritatem inuenerat, quòd prudentiæ atque eruditioni ſingulare in Cardinalem ſtudium, atque indefeſſum in rebus agendis laborem coniunxiſſet. Attamen, Cardinale profecto, nihilo erant res quietiores. Licet enim iam in Senatum venirent Orangius, Egmondanus & Hornanus, ad hoc Parmenſem multò etiam quàm anteà maiore ſtudio officióque obſeruarent, in libertatem ſeſe ex iugo Cardinalis eam aſſeruiſſe gloriarentur,

1564

Granuellanus ſpecie priuatorum negotiorum in Burgundiam diſcedit.

De Morilono negotiorũ eius curatore.

Profecto Cardinali, nihilo tamen res quietiores.

1564 ipſi quoque tanto ſuæ dignitatis æmulo liberati, Armenterio denique perquam familiariter vterentur: manebat ea nihilominùs animorum offenſa, vt Remp. Cardinalitiis conſiliis adminiſtrari quererentur; pecuniarum cogendarum cauſa Comitia rogari, de rebus grauiſſimis ceteris, quibus Reip. ſalus contineretur, ad Comitia non referri; de ſeueritate Regiorum Edictorum tam nihil remitti, vti contrà ad animos exacerbandos Concilium Tridentinum multis Regis litteris proponeretur, miſeri ad ſupplicia raperentur, Inquiſitióque ſæpiùs repeteretur: Viglium, Barlaimontiúmque pro arbitrio rem gerere; Leges Concilio priuato nouas indies cudi; Finantiis, quæ vellet, Barlaimontium conſtituere; inanem dignitatis ſpeciem magno ſeſe opprobrio difficulter tueri. Noua itaque non tantùm perſonarum, ſed & tribunalium ea diſſidia ſunt exorta, vti Orangius ſociiſque tollendam è Rep. trium iſtorum tribunalium, Status, Priuati, & Finantiarum, diſtinctam auctoritatem profiterentur, vnúmque aliquem ſupremum Senatum conſtitui oportere affirmarent, qui vniuerſam, non vnam aliquam Reip. partem procuraret. Omnino, ſi ſeditiones exoriuntur, ſi de ſtationibus præſidiiſque milites decedunt, ſi munitiones atque arces ruinam faciunt, vnis tunc ſibi eam culpam tribui; quam tamen præſtare eos non oporteret, vt qui neque legibus ferendis intereſſent, neque de tumultibus Religionum medendis rogarentur, neque Ærarij rationes tenerent. Neceſſariò itaq; eum ordinem inſtitui oportere, vt viris excellente prudentia in Senatum allectis, de rebus tam inter ſe connexis, non diuerſorum, ſed vnius Senatus atque Curiæ ſententiis videretur. Negotia quæ iuſtitiæ dicerentur, vel ad Mechlinienſe, vel ad Prouincialia tribunalia remitterentur; cetera quæ gratiæ exiſterent, quæque minorem ſupremi Imperij curam flagitarent, de iis cum vno atque altero Aſſeſſore Præſes Concilij Priuati videret; de ærario Regio, deq; tota Finantiarum ratione ſupremus hic Senatus cognoſceret; res minutiores, quæ non tam Senatus auctoritatem quàm vnius atque alterius operam flagitarent, eas Senatus pro arbitrio duobus aut ſummùm tribus ordinariis Delegatis examinandas relinqueret. At contrà alij ambitioſè eo ſtudio rem iſtam proponi affirmabant, vti ſuo iudicio quos vellent homines in eum à ſe inuentum Senatum promouendos curent: ſi Parmenſem ſupremam Belgij Gubernatricem ab vno aliquo trium iſtorum tribunalium arceri contingeret, ſi non tres dicti Senatus illi vnus exiſteret. Senatus, cum quibus modò ſeorſim, modò coniunctim pro arbitrio deliberaret; tunc legitimam querelam fore, ſi ipſa præſtare aliena conſilia atque culpam cogeretur: non pertinere ad Orangium & ſocios ſupremam rerum Belgicarum curam; ſuam, quam accepiſſent, ſi præſtarent, extra culpam futuros. Cùm itaque iſta ratione turbari

Diſplicent nunc Viglius & Barlaimontius.

Affirmãt Orangius & ſocij, ſublato triplici Concilio, vnicum Supremum conſtituendum.

Multis rationibus ſententiã ſuã Orangius probare nititur.

Refelluntur illa ab aliis.

turbari tribunalium deliberationes cœperunt, tum plura indies nouarum rerum consilia creuerunt; Concilium Tridentinum sine Regis, sine certa Priuilegiorum iniuria, sine Reip. magno periculo promulgari non posse conclamatur. Ad hæc Præpositio sancti Donatiani Brugis Flandriæ, ceterisque in vniuersum Clericis, omnem profanam seu ciuilem iurisdictionem auferri debere, itémque confiscationes Regias vel tolli vel minui oportere. Ludouicus Nassouius Orangij frater Bruxellæ (vti ostendimus) iis temporibus existebat. Is qua erat ætate, quo ingenij feruore, quo in peregrino imperio obseruantiæ minùs studiosus, de rebus nouandis multa quotidie cum Lutheranis & Caluinistis consilia versabat; tamen quòd (vti scribere atque dicere solebat) tot essent toto Belgio Nicodemi, qua se ratione explicaret, difficulter inueniebat. Franciscus Balduinus, de quo suprà egimus, in Gallias redierat, neque vt in Belgium ad diem constitutum reuerteretur, adduci ea ratione poterat, quòd, vt dicere solebat, ita etiam Proceres rem gererent, vti tumultuariè priuata odia, non etiam Remp. certo aliquo ordine administrarent. Vrget nihilominùs Ludouicus, multisque vltrò citróque per internuntium Warlusium arcis Cameracensis Præfectum transmissis litteris, cum Balduino & de Rep. & de Religione ita agere instituit, vt si donari in Sacramento hominibus vsum calicis, matrimonium Sacerdotum, & doctrinam de Iustificatione contingeret, omnes quieturas controuersias diceret. Quod vt maximè ita Ludouicus Nassouius faceret, multísque sæpè litteris de reditu Balduinum commonefaceret, variis nihilominùs de causis fiebat, vti Orangio ceterisque minùs quàm consuesset, probaretur, cùm inprimis, quòd grauissimis odiis Balduinus ita à Caluino atque Beza dissentiret, vti istorum concertationibus atque libris Europa, omnibus Academiis, doctorúmque hominum sermonibus personaret, tum quòd multis vltrò citróque à Condæo ad Cardinalem Guisium profectionibus (quamuis eæ nuptiarum tantùm certarum conciliandarum causa susceptæ dicantur) suspectam suam Orangio fidem feciisset. Cùm itaque Cardinale submoto, multa hunc in modum seu malitiosè, seu arroganter, seu imperitè committerentur; Concilium quoque Tridentinum, etsi non Religionis, sed Priuilegiorum tantùm specie initio recusaretur, inde certis conditionibus promulgaretur, suprema tribunalia turbarentur, nouarum Religionum cupidi audaciores indies in vulgus sermones proferrent; accessisset, vt Antuerpiæ ob quemdam Christophorum Smetum seu Fabritium Monachum apostatam, qui de hæresi sententiam accepisset, ita fuisset tumultuatum, vti carnifex, qui alligato ad palum Christophoro, ignem ob irruentem populum subiicere non poterat, fugiens, accepto pugione, damnatum confoderet, Magistratus lapidi-

1564

Conclamatur non posse publicari Concilium Trident. nisi cum iniuria Priuilegiorum.

Refrigescit Balduini studium in Belgas, & quare?

Nihilominùs vellet eum vocatum Ludouicus Nassouius.

Tandem alienatur omnino Orangius à Balduino, & quare?

Apostata Monachus Antuerpiæ manibus carnificis panè ereptus.

1564 pidibus è foro pelleretur, Pſalmi Geneuenſes toto foro atque vrbe palàm cantarentur, totumque eum diem noctémque inſequentem, occluſis tabernis, tota vrbe grauiſſimo metu trepidaretur: tum id fuerat ſecutum, vti ex iis qui in Cardinalem Granuellanum amouendum conſenſerant, à ceterorum ſocietate nonnulli diſcederent, Orangius tamen, Egmondanus & Hornanus abduci à ſuſceptis ſemel ſtudiis conſiliiſque non poterant. Denique cùm in haſce graues turbas res tranſiiſſet, nec teneri iam diutiùs rerum quies poſſe putaretur, proponit Senatui Parmenſis; Videre Senatores, quanta eſſet hæreticorum fautorúmque multitudo; quantus Magiſtratuum atque Legum contemptus; quàm acciſæ ærarij rationes: vnà ſeſe cogitando rationem reperire, vti cùm per ſe minùs poſſit, per Regem reſtitui rem procuraret: difficulter rem tantam literis explicari; probari itaque ſibi, vti Egmondanus in Hiſpanias ad Regem proficiſcatur. Rogati Senatores, in eamdem ſententiam omnes deſcendunt. Parmenſe itaque imperante, litteras mandatáque, quæ Egmondano traderentur, concipit Viglius, eo genere ſermonis, vti leuiter nonnulla attingeret, pleraque Egmondano explicanda relinqueret. Relectis in Senatu mandatis, ſententias eas dicunt plerique, vti ſufficere eam formulam affirmarent. Rogatus Orangius in hanc ſententiam proloquitur: Fallimus, fallimúrque, dum iſtis in ſpeciem obſequioſis ſermonibus æquè morbum atque medicinam diſſimulamus; planè atque ingenuè, quod res eſt, explicare Regi nos oportet; ferre enim moram res diutiùs non poteſt. Initio quaſſatam vicinis regnis prouinciiſque Religionem, eam in Belgio accepiſſe iniuriam, vti vetere Edictorum quęſtione numque ſeueritate, nouorum Epiſcoporum inſtituto, profligata Clericorum vita, tenere quam conſueſſet dignitatem diutiùs non poſſet; rem iſtam ſimpliciter, nulla verborum ambage explicari Regi debere. Deinde, non ferre ſubditos profanorum Iudicum intemperiem: eſſe enim pleroſque ita corruptos, ita diſſidiis atque odiis infames, vt tenere in officio homines diutiùs non poſſent, cuiuſcemodi eſſent illæ turpiſſimæ Cancellarij & Conſiliarij (quem nominabat) ſimultates. Accedere, quòd Regia negotia procurari niſi vno Senatu non oporteret: fieri enim iſta curiarum diuiſione, vti ad ſe ſingulæ rem raperent, totamque iſtis contentionibus Remp. turbarent. Prætereà legi in Senatum plures prudentes atque magnos eos viros debere, quorum penes populum probata auctoritas exiſteret. Poſtremò, oſtendi Regi debere, quàm nulla ratione, decreta Concilij Tridentini obſeruari conueniat: vicinas eſſe haſce prouincias Germaniæ; quæ non Proteſtantium modò, ſed & Catholicorum Principum auctoritate, hoc illud Concilium grauiſſimis de cauſis recuſaret: perſuaderi itaque Regi debere, vti conniuere Parmenſem

Tota ibi die & nocte tumultuatum.

Obtantum Magiſtratuum contemptum Egmondanus in Hiſpaniam ablegatur.

Multa diſſerit Orangius de his quæ Regi ſint proponenda.

Inter alia, iterùm agit de vnico Concilio inſtituendo.

Tum conniuendum eſſe ad Cõcilij Trid. executionem vult.

ſem

„ ſem ad huius Concilij executionem patiatur. Faciendum id quoque, vti 1564
„ de quæſtionis in hæreſim ſeueritate Rex decedat: Catholicum ſeſe Oran-
„ gium exiſtere, neque ab ea ſeſe Religione abduci vllatenus poſſe; probari
„ ſibi nihilominùs eam Regum conſuetudinem non poſſe, vti ſuo arbitrio
„ atque iuſſu hominum fidem Religionémque intra quos vellent termi-
„ nos coërcerent. Atque iſta Orangius graui oratione, eaque verborum *Pluribus diſplicet Orangij Oratio.*
prolixitate (muſſitantibus interim non paucis) vti extracto in horam ſeptimam veſpertinam Senatu, nihil tunc concluderetur. Viglius, domum reuerſus, quòd eò rem perductam animaduerteret, vti Regij Senatores de ſumma rerum, de Religione, de vetere Reip. forma noua profiteri cõſilia auderent, deiectus animo atque anxius, totam ita noctem peruigil variis ſecum conſiliis volutat, vt ſiue ea ratione, ſiue qua occulta vi morbi manè de lecto conſurgens, inter manus miniſtrorum apoplexia corriperetur, & venire in Senatum, niſi menſibus aliquot pòſt, reſtituta vtcumque valetudine, non poſſet. Abſente itaque Viglio, auctore Orangio, in eam ſententiam mandata Hopperus deſcribit, vt à Viglio conceptæ formulæ nonnulla adiicerentur. Atque iſte erat annus quartus & ſexageſimus ſupra milleſimum quingenteſimum, memorabilis ſimul ea ſæuiſſimæ hiemis inclementia, vti per ſex continuas ſeptimanas gelu perduraret, ea glaciei firmitudine, vti ab altero à Natali Domini die vſq; ad diem Epiphaniæ Scaldis ad Antuerpiam curribus tranſiretur, officinas mercatorum, tabernaſq; ingente hominum confluente multitudine glacies ſuſtineret. Rhenus quoq; atque Moſa grauiſſimis oneribus onuſtos currus tranſmitteret, aqua ad magni pedis, terra ad duorum & ſemis pedum altitudinẽ frigore ſtringeretur; minori tamen ęquitia, quàm illud fuerat frigus, quod anno 1511. à 18. Kal. Decembris vſq; in 12. Kal. Martij perdurarat, cùm curribus Antuerpiâ in Zuytbeuelandiam ceteraſq; Zelandiæ inſulas merces tranſueherentur. Memorabilis quoque iſte annus morte Ferdinandi Imperatoris, cui non Germania modò, quę eum Principem in Hiſpaniis natum incredibili ſtudio coluerat, ſed totus quàm latè patet orbis Chriſtianus, religioſiſſimi pręſtantiſſimique Principis laudem tribuerat. Gallia verò hoc anno Edicto Aurelianenſi quieſcebat; finita tamen pubertate Caroli Regis tutela, Regéque vnà cum Regina matre toto Regno circumductis, ſuſpecta tandem Hugonotis ea profectio ſuſcipitur, qua Baionam ſub initium anni ſequentis Eliſabetha Hiſpaniarum Regina, comitata Duce Albano ad matrem atque fratrem Regem Carolum venit.

Viglius noctu varia voluens, manè apoplexia corripitur.

Hyems ſæua, mitiòr tamen quã anni 1511.

Moritur Ferdinandus Imperator.

Hoc anno, mandatis Belgicæ Legationis, in eum quem diximus mo- 1565
dum conceptis, ipſis Kalend. Ianuarij, Bruxellâ Egmondanus diſcedit. Multi omnibus è locis (ſiue quæ erat Egmondani gratia, ſiue quòd in

1565 celeberrimi hominis accurata Legatione omnem publicarum priuatarúmq; rerum cogitatione collocarent) Bruxellam maiorum minorumq; gentium Nobiles conuenerant, ea ira atque animorum offenſa, vt ſi imbutum Cardinalitiis artibus Regis animum à pernicioſis (vti aiebant) conſiliis iſta Legatio non abduceret, quiduis ſe facturos clàm minarentur. Celeribus itaq; equis proficiſcentem Egmondanum nõnulli in Hiſpanias, plures Cameracum vſque officij cauſa comitantur. Erat Cameracenſis arcis Præfectus Warluſeus, Egmondano, Bergenſi, ceteriſque eius ordinis atque ſtudij multis officiis comprobatus. Ad hunc itaque diuertit Egmondanus; atque ea vrbe, dum de tranſitu per Gallias ceteriſque de rebus conſtituiſſet, vnum atque alterum diem ſubſiſtit. Quod dum facit, multa breui tempore iſthic indecora turpiſſimáque eius itineris Comites admittunt; quarum rerum memoriam non equidem iſti ſcripto inſereremus, ſi non etiam ad publicarum rerum negotia, & ad hominum in poſterum prudentiam ea res pertineret. Cœnabant apud Warluſeum Archiepiſcopus vrbis, Egmondanus, ceterique honeſtiſſimi ordinis homines complures. Egmondanus Archiepiſcopum officioſè obſeruabat, ceterorum non par ſtudium. Nonnulli, ſiue quo vetere priuato odio, ſiue (quod eſt peſſimorum hominum ſtudium) vti ebrius Archiepiſcopus indecorè ſeſe haberet, multis atque immanibus cyathis obruere eum conantur: inde, incaleſcente cœna, galerum cum Archiepiſcopi pileo commutant; atque vnà cum cyatho per conuiuas ex ordine tranſmittunt. Non fert eam indignitatem Maximilianus à Meloduno, Vice-comes Gandauenſis, Atrebati Præfectus, ſurgénſque de menſa, delatum ad ſe ex ordine pileum Archiepiſcopo reſtituit. Hinc, cibis ſublatis, poſtulat vaſtum aliquod poculum certus quis conuiua, Archiepiſcopóq; id propinat. Reſpõdet Archiepiſcopus, paruiſſe ſe conuiuarum voluntati, dum cœnaretur; cœna peracta non eſſe ſe ampliùs bibiturum. Vrget alter, negat conſtantiùs Archiepiſcopus. Ibi tum excandeſcens recuſatus; Sat te, inquit, nouimus; non eſt cur id te mihi recuſare oporteat. Omnino, reſpondet Archiepiſcopus, is ego ſum, qui cognoſci me cupiam, vir honeſtus, iis licet frementibus indignantibúſque qui hoc ſunt mihi negaturi. Ibi tum offenſus conuiua, arreptam argenteam peluim (quæ manibus abluendis menſæ fuerat impoſita) iniicere Archiepiſcopo in caput conatur: retinet peluim Egmondanus: quod dum facit, en conuiua ille, pugno in frontem Archiepiſcopi eliſo, pileum de capite deturbat. Archiepiſcopus tueri armis ſe non poterat. Egmondanus compellatus ab Archiepiſcopo ingentem vultu mœrorem præ ſe ferebat, verùm quid facere ſe oporteat, inuenire ſe negat. Diſcedit itaque Archiepiſcopus, Vicecomite Noircarmioque eum deducentibus, ſcripturumque

Egmondanus Bruxellâ in Hiſpaniam diſcedit.

Deducunt eum pluri mi Cameracum vſque.

Agunt Egmondani ſocij vti ebrius Archiepiſcopus indecorè ſe habeat.

Pileum Archiepiſcopi potando circumferũt.

Tandem & pugnum fronti Archiepiſcopi quidam impingit.

que ſe res eas Regi palàm aſſeuerat. Quin & alio conuiuio, in eadem 1565
vrbe eodemque tempore, cùm apud quemdam nobilem Blondeum (qui in exercitu legionem Walonicam duxerat) cœnaretur, id accidit, vti quidam hoſpiti Blondeo ita propinaret, vti iniecto in vinum multo ſale, deteſtari ſe probroſo conuitio Cardinalem profiteretur, rogaretque, vti, quibus præiſſet verbis, iiſdem, cui vellet, Blondeus propinaret. At reſpondet Blondeus, cyathiſque vinoque benè ominari ſeſe conſueſſe; Cardinalis nullum eſſe in ſe neque maleficium neque beneficium; nolle itaque ſeſe ea conditione bibere. vrget alter, negat conſtanter hoſpes Blondeus. reprehendit intempeſtiuos atque indecoros hominum mores Egmondanus; agitari hoſpitem iſta ratione non oportere affirmat: inſtant ceteri, tantum ſibi tribuere Blondeum non debere, vti pluris ſuum quàm tot Nobilium, tot optimè in Regem atque patriam animatorum hominum iudicium eum facere oporteat. Non mouet id Blondeum, tantiſque ea res verborum concertationibus exagitatur, vti non iam conuiuium, ſed conuitium cœna exiſteret. Digreſſi denique nunc Blondeum per internuntios obſecrant, eamdem ſecum cõſiliorum ſtudiorumque ſocietatem amplecteretur; nunc metu iniecto, pericula, ſi negaret, permagna oſtendunt: ad extremum, per arcem apud milites Archiepiſcopo Blondeoque Cardinalitiis hominibus conuitiantur; noctes totas perpotant, vinum recuſantibus in lectum infundunt; duo ex eo numero ſe ſublatos humeris nudos, cyathos manibus tenentes, deferri ad militares extubias patiuntur. Tanta adeò modeſtia prudentiáque erat hominum, qui conſilia reſtituendæ Reip. ſe promouere iactabant. Egmondanus fieri iſta equidem dolebat, coërcere nihilominùs deuinctus eorum in ſe hominum ſtudiis aut non poterat, aut non volebat. Digreſſus itaque Cameraco, ſequi ſe, quod conſtituerant, in intimam vſq; Galliam, niſi vnum atque alterum non permittit. Tandem mandatis in Hiſpania procuratis, vnà cum Alexandro Farneſio Ducis Parmæ filio, menſe Maio Bruxellam reuerſus, cùm infinita de præclara Regis in Belgas voluntate multa commemorat, tum Parmenſi Senatuique Legationis ſuæ euentum exponit: Velle Regem, vti de iuuentute inſtituenda, Clericorum vita, populi doctrina, hæreticorum poſtremò pœnis, conſilia, quibuſcum videretur, Parmenſis ſuſciperet: ceteris de rebus eam eſſe Regis ſententiã, vti Leges Priuilegiáque, quæ haberent, Belgis relinqueret; præter Religionem Catholicam, legitimumque quod ſibi officium deberent, rem aliam à ſubditis nullam poſtularet. Priuatim quoq; nonnullis de Regis aduentu, de propenſo illius in hunc atque illum ſtudio, ita multa oſtendit, vti recuperatas ea Legatione hominum voluntates multi arbitrarentur. Contrà Orangius, aliique nonnulli deluſum Egmonda-

Alius etiã probroſam in Cardinalem potationem hoſpiti præſcribere conatur.

Negante hoſpite, cõuiuium fit conuitium.

Multa & alia indigna ibi cõmiſſa.

Egmondanus per Franciam tendit in Hiſpaniã.

Reuerſus Legationis ſuæ rationem & euentum exponit.

1565 mondanum priuatis in ſe officiis affirmabant; tum quòd ſtabiliendo, non etiam mitigando Papatui conſilia ex Hiſpaniis attuliſſet, quòd iis, quas tradidiſſet obſignatas, litteris, contrà quàm ſibi coràm Rex explicaſſet, non referri ad Senatum de pœnis, ſed animaduerti in captiuos hæreticos vetere iudicio imperaretur; curaſſe Egmondium, vt donatiui quinquaginta millium florenorum ſolutionem acciperet, res priuatas curaret; publica nec cordi habuiſſe, nec ad animum reuocaſſe. Senatu itaque coacto, accerſitis è ſupremis Prouinciarum tribunalibus, Præſidibus Flandriæ & ditionis Vltraiectinæ, Senatore Mechlinienſi Antonio Meulenare, adhibitis tribus qui Concilio Tridentino interfuerant Epiſcopis, Atrebatenſi, Iprenſi, & Namurcenſi, tum Theologis Rauenſtenio & Ianſenio, item I. C. Vulmaro Bernarts, Kalend. Iunij rem vniuerſam Parmenſis proponit. Reſpondet Senatus, quatuor capitibus rem totam poſſe explicari. Si rationes ſuſcipiantur, quibus populus Catholicè ſeriò doceatur; ſi Seminariis atque Scholis poſteritati caueatur: ſi in Clericorum mores ſtudioſè inquiratur; ſi poſtremò in pœnis hæreticorum certa quæ moderatio atque æquitas teneatur. Quæ res quibus ſit ab eo Senatu rationibus propoſita ac probata, obſeruabit Lector anno ſequenti menſe Maio. Addit Eytzingerus, qui horum temporum memoriam accuratè ſatis deſcripſit; rogatos Orangium, Egmondanum atque Hornanum ſententias dicere idcircò noluiſſe, quòd, vt id facerent, mandatum à Rege nullum accepiſſent. Re itaque hunc in modum deliberata, 6. Kalend. Iulij Regi rem vniuerſam Parmenſis reſcribit. Reſpondet Rex 16. Kalend. Nouembres, intelligere ſe, quo ſtatu res exiſterent; non probari quòd de immutanda veteri in hæreſim quæſtione proponeretur; vnam ſibi videri Iudicum ignauiam quæ graſſari impunè hæreſes pateretur: ſi pericula metuerentur, quæ & à quibus ea metui oporteret, reſcribi ſibi debere; vtrumque ſibi curæ futurum, vti & ſubmotis timidis Iudicibus viri fortes, Religioníſque Catholicæ ſtudioſi ſuffician-tur, atque ea quæ oſtenderentur pericula, cauerentur. De Inquiſitoribus, quod eſſet proximum, velle, vti hoc vtiliſſimum ac ſummè neceſſarium Reipublicæ munus accuratè teneatur; Quæſtores, quibus conſueſſent, quibúſque oporteret Iuris ſcripti legibus, de hæreſi cognoſcant; perexigua quæ dicerentur pericula exiſtere præ iis, quæ, ſublatis quæſtionibus, oriri ſit neceſſe. Iubere itaq; ſe, vti rem eam ſummo ſtudio diligentiáque Parmenſis procuret, quòd neque Reip. vtiliorem, neque ſibi gratiorem vllam poſſit. Quod eſſet tertium, Concilium Tridentinum Edictis Regiis iam eſſe Belgis imperatum: ſupereſſe, vt ſacroſancti Concilij legibus pareatur; Epiſcopis conſilium, operam Clericis ceteríſque corrigendis Parmenſis præſtaret. Atque hæ ſunt litteræ, quibus omnes in poſterum cala-

Multa pollicente Egmondio, Orangius eum deluſum interpretatur.

Parmẽſis, euocatis extra ordinem certis nouem viris, grauiter de Rep. deliberat.

Cenſent illi inter alia, nonnihil moderandas hæreticorũ pœnas.

Non probat id cõſilium Rex, ſed veteri more procedi iubet.

Iubet etiã Concilium Tridentinum obſeruetur.

calamitates, Nobilitatis coniurationem, populíque inconditi rebellionem acceptam ferre Orangius ceteríque eius ſtudij conſueuerunt. De litteris his menſe Nouembri allatis refert ad Senatum Parmenſis. Viglius conſtitui ex iis litteris, niſi Rege denuò conſulto, rem nullam oportere affirmabat: contrà Orangius ceteríque ita loquebantur; feciſſe ſeſe hactenus quod officij à ſe ratio flagitaſſet, tot litteris, tot Legationibus dimoueri à ſententia Regem non potuiſſe: reſtare itaque vti Regi Parmenſis obſequatur; ſententiis non id quærat, num fieri rem iſtam oporteat, ſed quibuſnam rationibus, quod facere eſſet neceſſe, facere oporteret. In eam itaque ſententiam diſceditur, vt Idibus Decembris, litteris eam Regis voluntatem ſupremis Prouinciarum Præfectis tribunalibuſq; Parmenſis denuntiaret, rationemque rei curandæ eam præſcriberet, vti quolibet trimeſtri, delectos ei negotio, certos eius Prouinciæ homines referre de ſtatu Religionis, Conciliique Tridentini obſeruatione, ad Concilium Priuatum imperaret. Qua de re ſic Viglius aliquando narrare ſolebat, fuiſſe, cùm hac de re ſententiæ rogarentur, qui aſſidenti ſibi Collegæ futurum gratularetur, vt magnum atque inſignem breui motum Reſpublica eſſet habitura. Alexander Farneſius Parmæ Princeps, vt oſtendimus, menſe Maio cum Egmondano in Belgium aduenerat. Inde menſe Iulio profectus in Portugalliam Comes Mansfeldius vnà cum vxore Maria Mommorantia, & filio Carolo (quem priore matrimonio ex filia Regnardi Bredenrodij ſuſceperat) per ſumma rerum pericula, ſæuiſſimaſque tempeſtates menſe Nouembri Mariam Emanuelis Regis Portugalliæ ex filio Eduardo neptem Farneſio ſponſam Bruxellam adduxerant. Erant itaque Bruxellæ cùm ob haſce nuptias (quibus ex Italia pater Octauius Farneſius intererat) tum ob ſolemnem B. Andreæ diem, ingens noſtrorum Procerum Nobiliumque aliorum multitudo. Acerbi in vulgus ſparguntur rumores, eſſe quamdam in Hiſpaniis crudeliſſimam quærendi rationem, eam eſſe eorum qui quęſtionibus præeſſent arrogantiam, vti cedere iis Regem oporteret. Accidiſſe, cum fortè verbo quem eorum Rex lęſiſſet, vti incidi Regi venam, ſanguinémque expiando crimini igne cremari oportuerit: Cæſari morienti ægrè idcircò peperciſſe, quòd in Germania cum Lutheranis diu conuerſatus labem contraxiſſe diceretur; iſtorum hominum imperio adductum Regem hanc illam Hiſpanicam Inquiſitionem Belgis velle imponere. Verùm vtrùm hoc tempore nuptiarum, ſub finem ſcilicet Nouembris, ſimul factũ ſit ſolemne illud fœdus Nobilitatis (de quo mox dicemus) an non niſi paulò pòſt, nõ affirmo; tametſi parum refert, ſi modò inita eſt ea ſocietas ante Idus Decembris, quibus de publicandis Regiis litteris fuit ſtatutum. Auctor Anonymus, primus Scriptor harum rerum inter eos quos vidi, (credi-

1565

Cenſet Viglius nihil conſtituendum, niſi Rege denuò conſulto.

Vrgente Orangio, publicantur Regia littera.

Paulò antè Bruxellæ celebratæ erant nuptiæ Farneſij cum Luſitana.

Multa ibi iactata in Inquiſitionem Hiſpanicam.

Sancitur deniq; contra Inquiſitionem fœdus.

1565 (creditus Philippus de Lens, priùs Secretarius Brabantiæ, poſteà in Zelandia defunctus) antequam exemplar huius fœderis proponit, hæc prę-
mittit: Nobiles patriæ, vt quorum domicilia ruri eſſent, eaque ratione primò expoſita periculis tumultuum publicorum, quos ex ſeueritate
Quo prætextu hoc fœdus à Nobilibus ſuſceptum. Edictorum veriſimiliter orituros mox dicebant, paulatim magis magiſque inter ſe tractant, quatenus iis periculis occurrant; primùm Bruxellæ, cùm ipſi in nuptiis Principis Parmenſis eſſent congregati, ac deinceps alibi. Hæc ille, & nonnullis interiectis, ſcriptum fœderis iam dicti
Exemplar ſeu forma fœderis. proponit in hunc ſenſum, quo & alij: Eò Rempublicam prolapſam, vt « paucorum impietas, inexhauſta auaritia, incredibilis arrogantia, ſtu- « dium Religionis Catholicæ, populíque ſalutem ementita, maiorē apud « Regem fidem inueniſſet, quàm vel æquiſſima optimorum ſubditorum « poſtulata, vel prudentiſſimorum hominum monita potuiſſent. Factum « iis peſſimorum hominum conſiliis, vti contrà quàm Deo, quàm bonis « ſubditis Rex promiſiſſet, eam ſceleratam atque impiam Inquiſitionem « imperaret, quæ diuinis humaniſque legibus repugnaret; quam recta ra- « tio hominumque per ſe ſenſus abominaretur; quæ omnium retrò tyran- «
Execrantur ſcilicet Inquiſitionem, vti ſauiſſimā tyrannidē. norum, omnium Paganorum atq; infidelium barbariem ſuperaret: quæ « eam contineret rerum indignitatem, vti diuino nomini ignominioſa, « hominibus æquè calamitoſa res nulla exiſteret: ſic enim Inquiſitione in « æternam turpiſſimamq; ſeruitutem innocentiſſimorum hominum for- « tunas atque vitam addici, vt ſi quem Sacrificum, vel Hiſpanum, vel « quem alium ſcurram accuſatorem inueniri contingat, vna ea ſit ad ſum- « mam calamitatem res ſuffectura. Ea itaq; indignitate commotos feciſſe « ſe Nobiles, ad quos ea cura Nobilitatis priuilegio pertineret, vti præcla- « riſſimæ rei ſocietate ſuſcepta, eorum ſeſe impietati opponerent, qui pro- « ſcriptionibus cædibuſque optimorum ciuium fortunas ſpectarent. Ver- « bis itaque ſolemnibus iurare, Inquiſitionem ſe non publicam, non pri- «
Quin nec nomina Viſitationis Edictorũve admittunt. uatam, non eam, quæ nominibus Viſitationis, Edictorum, Mandato- « rúmque contineretur, vlla eſſe ratione admiſſuros; quin contrà huic il- « lorum inſtituto tamdiu ſe repugnaturos, quoad radicitus extirpatæ nulla « eius ſit in poſterum memoria ſuperfutura: Iratum ſibi Deum atq; homi- « nes precari, ſi vel à fœdere diſcederent, vel ſociis laborantibus, ope conſi- «
Nihilominùs Regis amplitudinem ſe ſpectare proteſtantur. lióve deeſſent: Deum hominesque teſtari, ſummi Dei honorem, Regis « amplitudinem, patriæ ſe ſalutem ſpectare, ſeditiones motuſque popula- « res abominari; Dei viuentis ter ſanctum nomen ſe inuocare, hunc iudi- « cem, hunc mentium ſuarum cognitorem appellare, qui quam profiten- « tur, eſſe ſuam conſcientiam intelligit, humiliter eum deprecantes, vt gra- « tiam ſancti Spiritus iis largiatur, quáſque res ſuſceperunt, eas ad hono- « rem ſanctiſſimi ſui nominis, publicam rerum quietem, animarumque «

ſuarum-

„ ſuarum ſalutem perducat. Sic illi, quàm poſſunt iniquiſſimam imma- 1565
niſſimamque Inquiſitionem depingentes. Sunt quidem in Inſtructione
data Inquiſitoribus in Belgio anno 1555. & aliàs nonnulla dura; ſunt ta-
„ men inter cetera & iſta: Si aliqui (inquit Rex) apud Inquiſitores com-
„ pareant, volentes alium deferre ſuper hæreſi, ea tamen conditione, quòd
„ nomen delatoris celabitur, & informationi non inferetur (vt ſæpiùs
„ contingit) illos tamquam teſtes non recipient; neque eorum delatio- *Expende, an ergo id verũ, quod ſupra dicũt, vnius ſcurræ accuſationem ſufficere.*
„ nem informationi inſerent, neque ex eiuſmodi delatione contra ali-
„ quem procedent. Et rurſum: Si Inquiſitores commiſſarij compe-
„ riant aliquos, qui per inuidiam aut alia occaſione alios iniuſtè de-
„ tulerint, hoc Iudici & Magiſtratui loci, aut Concilio Prouincia-
„ li indicabunt, vt ipſi contra tales calumniatores procedi curent. Hæc
obiter. Ceterùm quis fuerit primarius ſupradicti Fœderis incentor,
certum non habeo. Auctor grauis, ex quo pleraque iſta, ſic ſcribit:
Inter Nobiles erant adoleſcentes nonnulli, qui vel Geneuæ vel in Ger- *Primi auctores Fœderis qui.*
mania peregrinas Religiones didicerant; deſeriſque Galliarum exem-
plo quam ſequerentur Religionem non debere affirmabant. Ab his
paucis coniuratio primò ſuſcipitur, ita incerta initio, vt quid qua ra-
tione aggredi oporteret, conſtituere ſecum difficulter poſſent. Verùm
cùm hæc verbis concepta coniuratio inanis futura diceretur, Philippo
Marnixio Domino ſanctæ Aldegondæ dictante, ſex vnà ſecum Nobiles
fœdus ſanxerunt. Sic ille. Alius eos nominat & hos ſex: Dandelotium,
Vilerſium, Hameſium, Tholouſium, Bouxtelium, & Dolhainum.

In externis; hoc anno Solymannus Turcarum Imperator claſſe 130. tri- *Turca magna vi Maltam inſulam oppugnat.*
remium, 30. biremium, 20. magnarum, plurimarúmque minorum
nauium, duobus Baſſis, Muſtapha copiis terreſtribus, Pialio naua-
libus præfectis, cum Archithalaſſo Dragutio Rayſio Rege Tripolis, &
Rege Algierij, aliiſque, oppugnauit acriter, ſed caſſo euentu, Inſulam
Melitenſem (Maltam dicunt) in mari Mediterraneo inter Siciliam
Africamque, vbi Rhodij milites (Rhodo à Turcis anno 1521. expugna-
ta captaque) ſedes fixêre. Turcæ claſſe apparatúq; omni ad littus appulê-
re 18. Maij. Milites Rhodij, nunc Melitenſes, ſub Magno Magiſtro
D. Valetto Gallo militantes fuêre numero circiter quingenti. His mili- *Propugnãt eamdem fortiſſimè Milites ſacri cum aliis.*
tum ſtipendiariorum plus minus tria millia, & incolarum Melitano-
rum, ſclopetis inſtructorum atque expertorum, millia quinque aut ſex
iuncti. Erant in defenſionem Inſulæ propugnacula tria, munitiſſima
ſitu & arte loca; caſtrum S. Angeli, arx S. Michaëlis, & S. Elmo. Mu-
nitionem S. Elmo tormentis æneis triginta duobus Turcæ quatiunt, tan- *Occupant Turcæ vnã munitionẽ.*
démque expugnant. Interempti hîc 1300. Chriſtiani cum 150. Militi-
bus Rhodiis; cæſus interim Archithalaſſus Dragutius Rayſius, pirata

1565 veteranus. Poſt hæc 15. Iulij ciuitatem arcémque D. Michaëlis concutiunt bombardis ſeptuaginta, quarum tres (baſiliſci dicti) globos ducentorum pondo, palmorum orbiculatim ſeptem, iaculabantur. Vario impetu aſſultuque frequenti munitionem eam aggrediuntur, cuniculoſque agunt, aliis contrà ſuffodientibus. Muri autem magna parte deiecta ſoloque æquata, quà ingreſſus iumentis plauſtroq; patebat, vna ſimul impreſſione irrumpere moliti, ſtrenuè propulſantur, interfectis Turcis circiter mille quingentis, præſidiariis verò ducentis, totidemque læſis. Tandem eadem S. Michaëlis ciuitas & arx iterùm diuerſis oppugnantur vicibus, Auguſti 18. 20. 21. bíſque vno die, cæſis Chriſtianorum ampliùs ducentis; rurſus 26. Die autem 29. oppugnatur ſpecialiter arx, ipſo etiam Baſſa Muſtapha cum præcipuo Turcico militari ſigno foſſas ingreſſo: bis ceſſant quieſcuntque; victoriam verò tertia impreſſione expectantes, deſideratis ſuorum plus minus quingentis, repelluntur. Id temporis Magno Magiſtro nuntium adfertur, Dominum Garciam Toletanum Siciliæ Proregem ſperare breuî in Inſulam cum copiis appulſurum. Nuntiat præterea ſeruus Chriſtianus à Turcis fugitiuus, crebra oppugnatione, fame, morbo, aliiſque malis magnam Turcarum multitudinem periiſſe, vixque ſupereſſe quatuordecim millia. Septembris die ſexto Chriſtianus quidam apoſtata ad Magnum Magiſtrum confugiens, Turcas Sabbato die expugnationem omnibus copiis viribuſque tentaturos, poſteaque diſceſſuros affirmat. Intereà Dominus Garcia cum 72. triremibus appellit, & die 7. Septembris ab altera Inſulæ parte in terram nouem millia ſtipendiariorum exponit, Ducibus Aſcanio Cormano, Aluara, Sandeo, & Schiappio Vitellio. Hi in veterem vrbem Melitanam, nondum à Turcis expugnatã, tendunt, quibus ſe iungunt circiter ducenti Rhodij Milites. Turcæ certiores facti de Chriſtianorum ſubſidiis, vaſa colligunt, tormentiſque & præda in naues delatis diſcedunt. Nihilominùs die 11. Septembris Turcæ numero circiter decies mille caſtra Chriſtianorum inuaſuri Melitam reuertunt; verùm terga dare coacti triremes repetunt, deſideratis ſuorum mille quingentis. Quare inſulam 12. Septembris relinquunt, æneis tormentis in munitiones Melitanas 78000. vicibus vt minimùm fruſtrà diſploſis. Turcarum in vniuerſum interfectorum numerus circiter 36000. Chriſtianorum ſatis magnus, ſed incertus, Rhodiorum Militum 313.

Incredibili furore oppugnant & aliam, ſed fruſtrà.

Nũtiatur, mox auxilia à Sicilia adfutura.

Aduẽtantibus Chriſtianorum auxiliis, Turcæ diſcedunt.

Numerus cæſorum vtrimque.

1566 Menſe Ianuario anni milleſimi quingenteſimi ſexageſimi ſexti, Orangius Edicto Regis ſuprà commemorato ad ſe miſſo, in eam ſententiam Parmenſi reſpondet, vti ferre Remp. atque hominum mores Concilium Tridentinum, certis quæ adiectæ eſſent conditionibus poſſe fateretur, cetera Edicti capita non poſſe oſtenderet; rogarétque, vti cùm ſuſtinere

Orangius ſcribit Parmenſi, non poſſe ſeruari Edictũ nuper publicatum.

ſe

ſe imminentes motus minùs poſſe intelligeret, decedere ſe de Hollandiæ, 1566
Zelandiæ atque Vltraiecti Præfectura Parmenſis pateretur. Veniunt quoque 22. Ianuarij Bruxellam quatuor ſupremarum Brabanticarum vrbium Delegati, iunctíſq; ſibi Brabantię Cancellariæ Delegatis, Inquiſitorum iuriſdictionē pati ſe ob certa quę haberent priuilegia non poſſe, Parmenſi oſtendunt; quibus tandem 24. Martij id fuit conceſſum, vti Brabantia Inquiſitores non haberet. Interea Nobiles fœderati, quos diximus, Prouincias atque vrbes in quas proficiſcerentur partiti, in ſua quiſq; Prouincia apud amicos & notos multa adferebant, cur neceſſariò, cur tutò, cur magna cum laude, ingenti patriæ cōmodo ſuſcipi eam ſocietatem oporteret. Signa multorum Nobilium ſeu vera ſeu conficta oſtenduntur; occulti auctores Fœderis, Orangius, Egmondanus, Hornanus, Bergenſis, Montigneus, Hoochſtratanus laudantur. Antuerpiæ, Amſterodami, Buſciducis, aliarum potentium vrbium, ditiſſimorúmque mercatorum conſenſus prędicatur; poculis poſtremò conuiuiiſque res promouetur. Paſſim itaque magna voluntatum ſtudiorumque conſenſione multi Nobiles coniurant, tabuláſque conſignant; ea quoq; nonnulli animi leuitate, vt ne lectis quidem tabulis ſubſcriberent, ceterorúmque qui ſubſcripſiſſe dicerentur, iudicio ſe ſtare profiterentur. Qua in re rurſum ea fuit quorumdam ars, vt cùm pridie inter cœnandum aut potandum ſignaſſent, die poſtero exhiberi ſibi eas tabulas, atque induci ſuum nomen armis curarent. Hunc itaque in modum turbulentam atq; intempeſtam iis temporibus Remp. Parmenſis habebat, iis rerum motibus, vt velut Panico timore, ſic ad incertos rerum euentus conſternatis animis, omnibus locis trepidaretur. Venturus breuî magna manu militum auxilio Inquiſitoribus Ericus Dux Brunſwicenſis nuntiabatur. Libelli ſeditioſi per vrbes varij proponuntur. Econtrà nouis Edictis de officio homines Parmenſis commonefacit, inſuetas vrbibus ciuium diurnas nocturnaſque vigilias imperat, conſilia poſtremò de mitigandis Regiis in hæreſim Edictis continua habet. Erant tum per menſem Martium Bredæ apud Orangium frater Ludouicus, ſororis maritus Comes Suartzenburgius, Georgius Hollius, & Weſterholtius, Germani. Euocatus è Viana Bredenrodius, priuato item officio, quod ferebatur, Hornanus, Megemus, & qui recèns à nuptiis Ducis Holſatiæ Regius Legatus redierat, Hoochſtratanus, atque vnà fœderati Nobiles, Dandelatius, Vilerius, Hames, Boxtelius, Tholouſij, Dolhaignius, Louueruallius, Warouſius, numero ad duodecim. Multa ibi conſilia. Aberant ab iſto conuentu Egmondanus & Marchio Bergenſis. In diem itaque ſequentem Hoochſtratano cœnam Hoochſtrati Orangius ceterique indicunt, ſimulque Egmondanum Bruxellâ, Marchionem Bergis ad cœnam iis litteris inui-

Quin, etiam vrbiū & Cancellaria Legati contra Inquiſitionem proteſtantur.

Prædicantur occulti auctores Fœderis, Orangius, Egmōdius, & alij.

Plures magna leuitate Fœderi ſubſcribunt.

Spargitur Brunſwicenſis cum milite Inquiſitoribus auxilio venturus.

Fœderati Bredæ de negotio ſuo conſultāt.

1566 tant, quòd, niſi iis ſalutatis, diſcedere in Germaniam Suartzenburgium nolle affirmarent. Hoochſtrati itaque nouis conſiliis de re tota deliberatur. Oſtendit Orangius (vt ſuo illo in Regem libro ipſe commemorat) periculoſos imminere ciuiles motus; coniuraſſe Nobilitatem; vereri ſe vti morbo grauior ſit medicina; pertinere ad ſuam Collegarumque ſuorum curam, vti neque Cardinalitiis hominibus Remp. prodant, neque iſtiuſmodi periculoſis Nobilitatis conſiliis iactari rem patiantur: conſilia itaque atq; operas in commune Collegæ conferrent, Remp. per ſe capeſſerent. Adferunt in eam ſententiam nonnulla etiam Suartzenburgius atque Hollius. Ibi Megemus: Itáne, vt pauci tenebriones rem tantam auderent? Deum teſtor, ſi ducenta mihi florenorum millia Rex annumeret, næ hiſce ego omnibus caput comminuero. Quin tu, inquit Orangius, parciùs Megeme; neque tibi tam eſt ea res facilis futura, & multos eo numero viros honoratos es reperturus. Egmondano quoque Bergẽſiq́ue, hoc quod Orangius propoſuerat, minùs placet. Diſceditur itaq; Hoochſtrata, eo euentu, vt reuerſi Bruxellã Egmondanus & Megemus, rem totam Parmenſi denuntiarent, omnibuſq́ue in poſterum Orangij conſiliis ſermonibuſq́ue Megemus abſtineret, Parmenſi totum ſe daret; Egmondanus eum ſe gereret, qui neque Parmenſi neque Orangio ſatisfaceret: Fœderati contrà multò etiam maiore ſtudio rem agerent, ſociis in Kalend. Aprilis Bruxellam diem dicerent, de tota conſilij ratione multa verſarent; libellum, quem Parmenſi traderent, modò in hanc modò in illam ſententiam deſcriberent; de adducendis vnà ſecum Bruxellam grauis armaturæ cohortibus diu cogitarent; chartas in vulgus eas ſpargerent, quibus vrbium Magiſtratus, Collegia, ſingulos quoſque homines viritim ad præclariſſimi facinoris ſocietatem cohortarentur. Atqui nec deerat ſuo officio Parmenſis, commonefacit Magiſtratus, laudat animatq́ue viros bonos; de Regis in Belgium aduentu Regis litteras profitetur; priuatim continuis frequentiſſimi Senatus conuentibus de re tota deliberat, nouam mitigandis Edictis formulam concipit; id poſtremò Senatui proponit, admittíne in vrbem, tantam quæ diceretur Fœderatorum multitudinem oporteret. Barlaimontius admitti debere negabat. Contrà Orangius alijq́ue grauem barbariem fore affirmant, ſi Nobilibus ſupplicare, quod miſerrimo cuique licet, non permitteretur. In eam itaque ſententiam diſceditur, vt ſine milite venientes, audituram ſe Fœderatos Parmenſis pronũtiaret. Primus itaque 4. Nonas Aprilis Bruxellam Henricus Bredenrodius frequenti Nobilitate comitatus ingreditur. erat enim ea Bredenrodio à Fœderatis delata prouincia, vti pro toto conuentu verba faceret, libellúmque Parmenſi porrigeret. Die poſtero 3. Nonas Aprilis item ingreditur Bruxellam Ludouicus Naſſouius, ea Fœde-

Rurſum Hoochſtrati, vbi multa Orangius, velut pro Fœderatis.

Econtrà Megemus militariter in Fœderatos intonat.

Egmondanus & Megemus, quæ acta eſſent Hoochſtrati, Gubernatrici indicant.

Gubernatrix nouã mitigandis Edictis formam concipit.

Nihilominùs Fœderati Bruxellam venire permiſſi.

Fœderatorum multitudine, vt iam numero ad centum quinquaginta Bruxellæ exiſterent. Inde expectatis ne quidquam in diem inſequentem Culenburgij & Sherenberghæ Comitibus, libello ab Orangio, vti ferebatur, in lenius verborum genus commutato, Nonis Aprilis, id eſt die eiuſdem 5. cùm ampliſſimum eo die Equitum Togatorúmque Senatum Parmenſis haberet, bini compoſito ita ordine Fœderati in Curiam via publica procedunt, vt poſtremi Bredenrodius & Naſſouius omnium in ſe hominum oculos conuerterent. Ingreſſus itaque ad Parmenſem & Senatum Bredenrodius, in hanc ſententiam proloquitur: Nobiles qui Bruxellam veniſſét, alios item eius Ordinis complures, qui certis de cauſis adeſſe minùs poſſent, commotos officij cogitatione, qua ſe Regi patriæque obligatos intelligerent, hoc illo quem exhiberet libello, de rebus grauiſſimis officiosè referre: inuentos eſſe, qui apud Parmenſem Senatoreſque eam Nobilitati calumniam facerent, vti ad homines commouendos, quodque eſt omnium grauiſſimum, ad Regem ab imperio amouendum, ſuſcepta cum Gallis Germaniſq; conſilia profiterentur; cognituram per ſe Parmenſem iſtius libelli lectione, quàm hoc ad ſe crimen non pertineat. Quæ cùm dixiſſet, libellum in hanc ſententiam deſcriptum Parmenſi tradit: Eſſe ita ſanè, vt cauſas non improbabiles Rex haberet, quibus cùm antè ſæpè, tum poſtremis litteris, patris Cæſaris exemplo retinendam veterum de Religione Edictorum ſeueritatem imperaret. Verùm cùm non vnis neque iiſdem conſiliis adminiſtrari Rempublicam perpetuò oporteat, fuerintque ea Edicta iam olim (cùm ferre ea poſſe homines crederentur, cumque minùs exactè ex eorum præſcripto ius diceretur) maximorum malorum, grauiſſimorumque motuum cauſa, vereri ſe modò, non tam veteres animorum offenſiones, atque eos rerum motus ſeditioneſque, quibus concuſſa grauiſſimâ ruinâ Reſpublica collabatur. Iam pridem ſe ſperaſſe futurum, vti vel Proceres, vel Prouinciarum Ordines hanc in ſe curam ſuſciperent: verùm cùm certis quas ignorarent de cauſis hoc illi Reip. officium non præſtiterint, facere ſe neceſſariò, pro ea qua Regi patriæque neceſſitudine tenerentur, vti de rebus tantis Parmenſem commonefacerent; ceteriſque hoc ſuo officio idcircò præirent, tum quòd agros habitarent, in quorum vaſtitatem commotorum ſeſe hominum rabies vt plurimùm conuerteret, tum quòd ſibi ceteriſque per Belgium hominibus nullam contra calumniam ſuffecturam innocentiam intelligerent. Poſtulare itaque ſe, vti & Legatione Regi Parmenſis exponat, retineri (niſi veteribus Edictis abrogatis, nouiſque ex ſententia Ordinum Generalium promulgatis) Remp. diutiùs non poſſe; tum quoad de hac eſt Legatione ſententiam Rex reſcripturus, differri omnem Inquiſitionis Edictorumque executionem Parmenſis patiatur.

1566

Fœderati numero 150. bini in Curiam procedunt.

Ore omnia verba facit Bredenrodius.

Tenor libelli, vbi primùm poſitum, aliquando ſcilicet leges mutandas.

Poſtulant itaque vt noua Edicta in hæreſes ex ſententia Ordinũ fiant.

1566 tiatur. Atque hæc eſſe poſtulata, quæ Nobiles iam pridem Regi fide probati humillimè flagitarent, extra omnem ſeditionum cædiumque culpam futuri (quod Deum, Regem, Parmenſem, Senatores, omnes omnino homines atque ſuam conſcientiam teſtarentur) ſi fide optima, præclariſſimóque in Remp. ſtudio monentibus non pareatur. Libello perlecto, dimiſſóque ſub meridiem Senatu, die poſtero ingreſſis vrbem Culenburgij & Sherenbergæ Comitibus, ex ædibus Culenburganis, quaterni ex ordine Nobiles in Curiam progrediuntur. Reſponſum flagitantibus ſcripto in hanc ſententiam Parmenſis reſpondet; facturam ſe quod de Legatione Hiſpanica proponeretur. Re cum Equitibus Aurei velleris, Prouinciarum Præfectis, Senatoribúſque, iam anteà ſeſe eam nouam Edicti formulam concepiſſe, quam Regi ſimul ſubditíſque probaturam ſeſe exiſtimaret. Sed ferre imperij ſui rationem non poſſe, vti ſublato omni Legum metu, Religio malorum hominum iniuriis exponatur; quod poſſet, id ſe eſſe curaturam; Iuriſdictionem, ſe imperante, comiter lenitérque Inquiſitores Iudicéſque habituros; Regi perſuadendo eam ſe operam impenſuram, vt quod Brabantiæ ciuitates impetraſſent, vti ne Inquiſitorum iuriſdictioni parêre ſit neceſſe, id ceteras etiam vrbes Prouinciáſque impetraturas arbitraretur: daturam ſe huic rei ſeriò idcircò eam ſuam operam, quòd certò ſibi polliceretur longiſſimè à nouandarum rerum ſtudio Nobilitatem abeſſe. Reſpondent denuò Fœderati, magnas ſe Parmenſi habere gratias, quòd de Nobilitate honorificè ſentiret, quòd ad poſtulata tam humaniter atque citò reſpondiſſet, dilucidius nihilominùs clariuſque ſe reſponſum expectaſſe. Teſtari denuò, extra culpam ſe futuros, ſi tempeſtiuè de periculo monentes non audiantur. Atque hæc tum equidem non ea modeſtia, quin multa ſimul indigna committerent. Quo in genere fuit illud cumprimis celebre conuiuium, quo in ædibus Culenburganis tercentum Fœderati plus minus, intempeſtiuis compotationibus, ſolis ſibi initiò, inde toti cohorti, probroſam Geuſiorum compellationem procurarunt. Prandebant vnà iam dicti Fœderati trecenti eodem menſe Aprili; pro magnitudine poculorum creſcebant publicarum rerum curæ conſiliaque. Inter cetera multorum ſermonibus recitatur, Barlaimontium totam eam optimorum nobiliſſimorumque hominum multitudinem voce Gallica *Geus*, quaſi errones mendicos, compellaſſe; libenter in Regis patriæque gratiam Geuſios ſe futuros. Magnis itaque conuiuantium vocibus, ſumptiſq; ingentibus cyathis, totis ædibus pro Geuſiorum ſalute fauſtis acclamationibus decertatur, VIVAT REX, VIVANT GEVSII. Dum itaq; pocula atq; vota repetuntur, en adeſt Hooch ſtratanus. Accurritur, intrò abripitur antequã quibus de rebus à Parmenſi veniſſet, explicare poſſit. Exiliunt præ

Flagitant mox poſtridie, & referunt reſponſum.

Reſpondẽt iterũ Fœderati; & quidẽ clarius reſpõſum ſe exſpectaſſe.

300. Confœderati conuiuantes, dicunt ſe à Barlaimontio Geus *cognominatos.*

Conclamant ingentibus cyathis, Viuat Rex, Viuant Geuſii.

gaudio

gaudio conuiuæ; aduentum noui hoſpitis fauſtis acclamationibus excipiunt, VIVAT REX, VIVANT GEVSII; in ſedes ſubſiliunt, ex alto ad Regis Geuſiorúmq; ſalutem immanibus ſeſe poculis perfundunt. Bredenrodius vas ligneum poſtulat; manticā è trabe ſuſpendit; ſub trabe fauſtam Regi Geuſiiſq; potationem conuiuis indicit; iuriſiurandi eam formulam potanti præſcribit, vti vſque ad panem, ſalem, atque manticam non diſceſſurum ſeſe ab inſtituto quiſque profiteretur. Creſcit bacchantium furor, galeri permutantur, inuerſi capitibus imponuntur, ad ſingula quæque momenta, VIVAT REX, VIVANT GEVSII, inclamatur. Orangius, Egmondanus, Hornanus, è Mansfeldani conuiuio, eo itinere Palatium conſcendebant; tranſeuntibus de Hoochſtratani ingreſſu, conuiuarumque potatione, oſtenditur. Siue itaque (quod ferebant) vt Hoochſtratanum è temulēto conuiuio in Curiam ſecum abducerent, ſiue qua alia de cauſa, in aream procedunt: conſpectos conuiuæ circumaſtant, poculis vocibuſque, VIVAT REX, VIVANT GEVSII, identidē ſalutant. Repetunt quoq; idem ſymbolum Fœderati per dies inſequentes, & mox veſtes è panno cinericio aſſumunt, minutas mendicantium è ligno ſcutellas poculáque è galero ſuſpendunt; numiſmata cudi in eam formam procurant, vt vno latere Regis effigiem, his verbis circumſcriptam, FIDELES REGI; altero duabus fœderatis manibus implicatam manticam, hiſce adiectis verbis, VSQVE AD MANTICAM, haberent: radi ſibi poſtremò præter labrum ſuperius, barbam reliquam iubent. Cornelius Valerius vir doctus eo tempore Gallicè *Geus*, idem quod Teutonicè *Geuten* interpretabatur, à Gothis vaſtatoribus nomen deducens. Quid ſi à Iutis? populo Danico ſeu Nortmannico, olim vel in primis Belgis infeſto? Sed parum refert. Duo itaque, vti oſtendimus, Fœderati, iam Geuſij, flagitarant; primùm vt Legatione Regi ſua poſtulata Parmenſis exponeret; dehinc, tolli omnem, dum Rex reſponderet, Inquiſitionis Edictorúmque executionem pateretur. De priore ita rem conſtituit, vt Marchioni Bergenſi & Montigneo, quorum vterque magnam prudentiæ laudem obtinebat, profectionem in Hiſpaniam perſuaderet. Probant conſilium Fœderati; quin oſtendunt profecturis, quoad in Hiſpaniis ſunt futuri, tranquilliſſimè ſeſe domi Remp. habituros. Prior itaque Montigneus, quòd pedem Marchio offendiſſet, Pariſios proficiſcitur. Ea vrbe, cùm apud Franciſcum Alaua, Regis Catholici Legatum, vnà cum Balduino I. C. de quo anteà, prandiſſet, multáque ita loquentem Legatum Alaua audiſſet, vti ſecari capita auctoribus nouorum per Belgium motuum oportere ſatis ſignificaret, progredíne oporteret, cum dicto Balduino deliberat. Balduinus manendum, morbumque ſimulandum affirmat; Montigneus contrà, nec diu ſimulare,

1566

Indicitur iuſiurandum certū ſingulis potantibus.

Quin aſſumunt & ſymbola mendicantium; hoc enim ſonare Geus.

Plenior eiuſdē vocis Geus *explicatio.*

Perſuadētur in Hiſpaniam proficiſci Bergenſis & Montigneus.

Mōtigneus mira audit Pariſiis, nihilominùs progreditur.

1566 nec niſi grauiſſimis de cauſis redire non poſſe ſe oſtendit. Pergit itaque in Hiſpanias, ſequitúrque Marchio; numquam redituri. Et hoc de prima libelli ſupplicis parte. De altera Fœderatorum petitione ita Parmenſis conſtituit, vt dimiſſis in Prouincias Præfectis, habere eos ſingulos ſuarum Prouinciarum Conuentus menſe Maio imperaret; nouumque iis Ordinum Conuentibus in hęc capita Edictum proponeret: Religionem, « præter veterem Catholicam, neminem totis Prouinciis vel publicè vel « priuatim habiturum. Qui aliam à Catholica Religionem publicè pri- « uatímve doceret, munus gereret, libros ſcriberet, domum ſciens dolo « malo præberet, turbam concitaret, Catholicos offenderet, in eos homi- « nes pœnitentes gladio, non pœnitentes laqueo animaduerteretur: bona « ita demum fiſco cederent, ſi non iis Prouinciis atque vrbibus exiſterent, « quibus ob crimen in commiſſum cadere bona damnatorum non con- « ſueuerunt. Qui crimen hæreſis animo contraxiſſet, res facto non admi- « ſiſſet, huic pœnitenti, & coram Epiſcopo hæreſi renuntianti, pœnæ is « terror non exiſteret. Qui delatus hæreſi non renuntiaret, is proſcriptus « bonis vteretur; alienandi, teſtandíque de iis bonis poteſtatem non ha- « beret; mortuo heredes Catholici ab inteſtato ſuccederent: bona ita ta- « men amitteret, ſi contra Religionem quietémque Prouinciarum ab- « ſens moliri quid conuinceretur. Anabaptiſtæ pœnitentes, nullius gra- « uioris facti rei, extra ordinem arbitrio Iudicis coërcerentur, pœna mor- « tis non tenerentur: ſed non pœnitentes, definito exilio boniſque mulcta- « rentur. Hæretici relapſi, inde denuò pœnitentes, exilio atque bonis, non « pœnitentes morte punirentur. Anabaptiſtæ relapſi, nullo diſcrimine la- « queo ſuſpenderentur. Qui libros vel hæreticos vel ſeditioſos ſciens do- « lo malo ſæpiùs excudiſſet, diſtraxiſſet, is pœna Miniſtrorum Docto- « rumque teneretur. Qui rariùs feciſſet, is proſcriptus arbitrio Iudicis vel « ære vel corpore pœnas daret. Qui lucro non hæreſi adductus res eas fe- « ciſſet, extra ordinem arbitrio Iudicis coërceretur. Qui, quò quis ſeducere- « tur, frequenter diſputaret, pœna mortis; qui rarò, nec ſeducendi animo, « ſed curioſitate id faceret, in eum arbitrio Iudicis animaduerteretur. Qui « libros improbatæ lectionis legeret, legendos alteri exhiberet, imagines, « ſigna, ſtatuas Religioni contumelioſas pingeret, ſculperet, pictas, ſcul- « ptas haberet, illicitis nouarum Religionum collegiis interfuiſſet, in eum « pro criminis, perſonæ, atque rei diuerſitate, arbitrio Iudicis ſtatueretur. « E contrà, qui hæreticorum illicita collegia denuntiaſſet, huic, ſi collega « extitiſſet, pœna cõdonaretur; ſin collega non fuiſſet, vel dimidium bono- « rum, ſi ſexcentos florenos non excederent, vel quartã, ſi excederent, è bo- « nis damnatorum acciperet. Peregrini intra vrbes atq; pagos ita demũ fu- « turi inquilini admitterẽtur, ſi idoneas ab eo cui poſtremò paruiſſent Pa- «

Proponit Parmenſis mitius in hæreticos Edictum.

Nẽpe gregarius non renuntians hæreſi, tãtùm proſcriberetur.

Relapſi nõ pœnitentes, morte mulctarentur.

In aliis caſibus arbitrio Iudicis ſtatueretur.

rocho,

„ rocho, atq; Iudice, litteras adferrent. Ad peregrinos tamẽ mercatores ita 1566
„ ea cautio non pertineret, ſi modeſti ſine Catholicorum offenſa permane-
„ rent. Quibus reis ob pœnitentiam fuiſſet condonatum, ij Magiſtratum
„ in poſterum nullũ gererent; quos tamen ſuſpectos de hæreſi Iudices pro-
„ nuntiaſſent, ij, re cognita, impetrata in integrum reſtitutione, à Magiſtra-
„ tu non prohiberentur. Erant & capita de Ludimagiſtris & Typographis,
& alia pauca. Reſpondent variè Ordines. Et quidem Arteſij, ſi calum-
niatoribus pœna ſtatueretur, placituram ſibi rem vniuerſam oſtendunt.
Flandri Edicto ita aſſentiuntur, vti multa nihilominùs de certis ſuis Pri-
uilegiis, de Iudicum præuentione, inferrent; ius nullum dicere in laicos
Clericis permitteretur; de libris non ſoli Theologi, ſed ceterarum quo-
que diſciplinarum Profeſſores cognoſcerent; & alia. Longum eſt cetero-
rum Ordinum ſententias perſcribere, maximè quòd fructum ex eo Edi-
cto Reſpublica nullum eſt conſecuta. Etenim mox vbi de mitioribus his
legibus Parmenſis agere cœpiſſet, inque lubrico ita rem conſtitutam
nonnulli Fœderati animaduerterent, vti ſi perſuaderi hoc quod propo-
neretur Edictum contingeret, nulla in poſterum ſtabiliendæ nouæ Re-
ligionis ſpes exiſteret, paucis ante Kalendas Maij diebus circum maiores
vicos Flandriæ per agros, diurnos etiam haberi Caluiniſtarum conuen-
tus curant; (nam nocturnos diu celebrarant;) inde quarto Nonas Maij,
circa Antuerpiam; hinc, vt graſſante ſcabie, ſic variis in locis, variæ
pruritu attractæ Caluiniſtarum, Lutheranorum, atque Anabaptiſta-
rum conciones ſeſe oſtendunt. Nullæ tamen per Lutzenburgum, Ar-
teſiam, Hannoniam, Namurcum: nullæ quoque per Inſulas, Duacum,
& Orchinium: frequentes contrà per Flandriam, ditionem Tornacen-
ſem, Valencenenſem, territorium Antuerpienſe & Buſcoducenſe in
Brabantia, itemque per Hollandiam, Zelandiam, ditionem Vltraie-
ctinam, Geldriam, Friſiam. Procedit quidquid vſquam Belgarum,
qui vel veteri vel recenti memoria extorres ſeu proſcripti, telum pro ſe
ſinguli ad conuentus deferre, plebémque Pſalmorum cantu concitare
poſſent. Concionabantur ingenti hominum concurſu multis locis Cal-
uiniſtæ; Lutherani minore frequentia, nec niſi in Brabantia; Anaba-
ptiſtæ maiori quàm Lutherani numero, ſed non ea luce, neque diſci-
pulorum pari cum Lutheranis auctoritate: ſic enim de Lutheranis non-
nulli loquebantur, & celeberrimam eam Principibus pluribus probari,
& minùs eſſe hanc iſtam, quàm eſſet Caluiniana, ſeditioſam affirma-
bant. Non fert Parmenſis tantam Religionis, tantam Regis atque ſuam
contumeliam. Relicta itaque omni de mitigandis Edictis cogitatione,
ad coërcendam eam hominum temeritatem ſe conuertit; pœnas in illi-
citos conuentus graues menſe Iunio conſtituit: mortem Miniſtris re-
cepta-

In peregrinis mercatoribus ſatis, ſi abſq; ſcandalo viuerent.

Varia de his legibus Ordines Prouinciarum reſpõdent.

Fine Aprilis plurimis in Flãdria locis fiunt palàm nouæ conciones.

Quibus locis Belgij factæ conciones, quibus non.

Lutherani etiam & Anabaptiſtæ in aream prodeunt.

Ergo pœnas graues edicit Parmenſis in nouos cõuentus.

1566 ceptatoribuſque indicit; ſexcentos florenos, ſi Miniſtrum quis compre- "
hendiſſet, pollicetur: auditoribúſque, ſi cum telo deprehenderentur, "
exilium; ſi inermes, pœnam arbitrariam comminatur: de culpa filiorum, "
familiarium, diſcipulorum, famulantium, ita conſtituit, vt parentes, pa- "
tresfamilias, magiſtri, heri de ea tenerentur. Edicti eius ſui eum fru- "
ctum Parmenſis conſequitur, vt quibus locis conciones nondum haberentur, iis vti ne ſuſciperentur, Magiſtratus cauerent; at contrà, quibus locis iam factæ erant, maiore etiam hominum concurſu, armatorumque multitudine Miniſtri conuentus ſuos ad loca vrbibus viciniora iam transferrent, Pſalmos ad numeros Marotanos Bezanoſque inſtar Sirenum decantarent; in Papam vt Antichriſtum, in Sanctorum imagines vt idola, in Monachos ceteroſque Sacerdotes vt Phariſæos, (exemplo Ducis Ioſuæ, Eliæ, Machabæorum, quin & Chriſti, vt iactabant) conciones acerbas perpetuò haberent; Legatos in Gallias, Angliam, Germaniam varios mitterent. Frequentiſſimis intereà Senatus deliberationibus multa querebatur Parmenſis; modò ſeorſim Barlaimontio, Viglio, atque Aſſumuilio dicebat, eorum ſeſe dolis iactari, à quibus caueri, ob imperij quam tenerent auctoritatem minùs poſſet; modò etiam Orangio ceteríſque ita loquebatur, vti deſiderare ſeſe multa in eorum erga ſe officio munereque oſtenderet. Non fert id neque Orangius neque ceteri, multa cauſati, cur eorum ad ſe motuum culpa non pertineret. Hoochſtratanus Orangio perquam familiariter vtebatur: in eius itaque gratiam multa Hoochſtratanus in Senatu liberiùs dicebat, quàm ferre Parmenſis facilè poſſet. Laudat eam hominis fortitudinem Orangius & ceteri; creſcit hinc illi pro amicis decertandi cupiditas: quæ res eò triſtior multis accidebat, quòd Religionis Catholicæ perquam ſtudioſus Hoochſtratanus, Orangij conſilia non tam iudicio quàm amicitia ſequi videretur. De præſidiis in vrbes adducendis Parmenſis deliberat; Megemus Antuerpiæ perſuadere Magiſtratui populoq; conatur, ſed fruſtrà. Rex intereà Orangium ceteróſque litteris perhumaniter laudatos de vetere officio retinendo commonefacit. Prouinciis quoque vrbibuſque, iam pridem in Belgium ſe venturum fuiſſe oſtendit, ſi non Turcam vlturum clades Maſalquibirij, Pignonij atque Maltæ, in Regna Hiſpaniæ maritima irrupturum putaſſet: conſcribere nunc Turcam terreſtres copias; ea re fieri, vt hac cura depoſita, ad iter ſe in Belgium componat. Officij itaque in ſe veterem, quam conſueſſent, rationem homines tenerent, ſeditioſis non aſſentirentur; coràm ſe de ſubditorum poſtulatis æquiſſima ratione cogniturum; ceteraque in eam ſententiam nonnulla. Sub idem quoque tempus Fœderatis nonnullis Parmenſis ſcribit, eſſe eam multorum ſententiam, vt fœderatæ Nobili-

Acerbè paſſim declamatur in Papam vt Antichriſtum, & imagines vt idola.

Declarat Parmenſis ſe multa in Orangio & ſociis deſiderare.

Megemus fruſtrà agit cum Antuerpienſibus, de recipiendo præſidio.

Littera Regis, quibus iam ſe iter in Belgium parare ſcribit.

tatis

tatis auſpiciis tumultuari hunc in modum plebem arbitrarentur; adduci 1566
ſe minùs poſſe, vti huic hominum ſuſpicioni aſſentiretur: extare enim Nobilitatis præclariſſima in Regem atque ſe officia: recentem quoque eam eſſe à nobilitate datam ſibi fidem, qua ſe Regi atque ſibi ſacra- ſanctè deuinxiſſent. Rogare itaque ſe hanc ſuam de tota ſocietate præ- claram opinionem factis comprobarent, illicitos conuentus, periculoſa nouarum Religionum conſilia opere conſilioque diſturbarent. Fœderati, quòd Hiſpanicis Legationibus non reſponderetur, deliberare in commune cupiebant. Peropportunè itaque vt de iis Parmenſis litteris videretur, ad 16. Kalend. Auguſti ad ſanctum Trudonem, vrbem ditionis Leodienſis, conuentum ſocietati conſtituunt. Non placet ea coitio Parmenſi; oſtendit, mandata à ſe habere Orangium atque Egmondanum: Fœderati certos quos vellent homines Dufflam (municipium eſt iuxta Mechliniam) mitterent; venturos eò Orangium atque Egmondanum, expoſituros ea ſua mandata, quæ probaturam ſocietatem arbitraretur. Perpauca itaque eo conuentu Trudano proponuntur; quòd inutilem eam futuram diſceptationem multi profiterentur, quam, nouis mandatis non intellectis, eſſent ſuſcepturi; Legatoſq; qui Dufflam proficiſcerentur numero ad 12. hoſce nominant: Naſſouium Ludouicum, de Fiennes, Reuelium, Rumeum, Riſoirium, Noyellium, Tillium, Louuerualium, Villerium, Famarſium, Haeſtium, Eſcaubequium. Veniunt itaque Dufflam Antuerpiâ Orangius, Bruxellâ Egmondanus, ſancto Trudone Fœderatorum Legati. Multa ibi vltrò citroque ſunt dicta, ſed quæ ferè iam dicta priùs. Tandem rogare ſe Fœderati dicunt, imperaret Parmenſis tribus his, Orangio, Egmondano, & Hornano, vti ſecum quibus de rebus oporteret, deliberarent; omnem in ſe belli publicæque quietis curam ipſi ſuſciperent; de ſumma imperij tamen nihil Parmenſi detraherent: ingentem populi multitudinem conuentu ſancto-Trudano Societati oſtendiſſe, ab armis quidem ſe libenter diſceſſuram, ſed ſi patrocinari ſibi palàm Nobilitatem Parmenſis permitteret, quoad Regis conſenſu Comitia Ordinum de Religione haberentur: quæ ſua, vti dicebant, æquiſſima poſtulata ſi Parmenſis recuſaret, facturos ſeſe neceſſariò, vti aliunde quæſito ſubſidio ſibi conſulerent. Hîc de reſponſi indignitate queritur Parmenſis; agente tamen Egmondano eò res deducta eſt, ſi Fœderatis de periculo ob exhibitum libellum & alia impendenti ritè caueretur, omnem operam tantiſper homines in officio continendi in ſe reciperent. Verùm quòd ea quæ poſtularetur cautio maiorem quam haberet Parmenſis, imperij auctoritatem flagitaret, re deliberata, tota iſtius cautionis conſtituendæ ratio in 13. Kal. Septembris, hoc eſt in 20. Auguſti, à Parmenſi eſt reiecta. Intereà in Flandria poſt diutinas conciones

Monet Gubernatrix Fœderatos præſtita ſibi & Regi fidei.

Cõueniunt Fœderati ad S. Trudonis, reclamante licet Parmenſi.

Nihilominùs Legati Parmenſis cum Legatis Fœderatorum Dufflæ cõmunicant.

Petũt Fœderati Orangio & duobus ſociis omnia committi.

Reiicitur plenior deliberatio in 20. Auguſti.

per

1566 per obſcuros primùm pagos ditionis Caſletanæ templa violantur: inde in vicinum Balliolum furor tranſit, ineunte menſe Auguſto celebre ibi Monaſterium colluuies hominum inuadit, imaginibus ſtatuiſque inſultant, huic enſem in latus infigunt, huic ſecuri caput ſecant, omnia euertunt, occupant; pecuniam ſupellectilemque auferunt, cibum potumq; quem abſumere non poſſent, profundunt. Hinc ducibus Iuliano & Iacobo Miniſtris Stigerium veniunt: concionantur ibi ſub dio, hic Flandricè, ille Gallicè; vixdum inchoata concione ſocij in vicinas eccleſias irrumpunt, ſimilem ſtragem in Sanctorum ſtatuas, quas illi idola clamabant, edunt; eodemque modo in Abbatia Meſſinenſi, ditioneq; Laleuana debacchantur. Hinc Lyſam tranſgreſſi per agrum Inſulenſem Seclinium vſque excurrunt. Non ferunt eam iniuriam Seclinienſes, Goudecuriani, Wouriniani, ceterique eius oræ ruſtici; nullo imperante capiunt arma quæ fors obtuliſſet, vno agmine diuerſis è locis Seclinium omnes properant, obuios iconoclaſtas in paludes concitant, atque iſthic vel flumine præcipites mergunt, vel ferro enecant; pauci abiectis armis domum reuerſi ſunt. Sub idem tempus erat Ipris Egmondanus, comitatus Domino Raſſengenij, Maldegenio, Mouſcronio, Hollebecquio, Dixmudano, aliis item Flandriæ Nobilibus nonnullis. Multa Egmondanus de vrbe in officio retinenda deliberat. Idibus Auguſti id eſt 13. eiuſdem, populo in forum accerſito, leges ex Magiſtratus ſententia nonnullas promulgat. Rogatus, num, ſi vim hæreticos templis facere contingeret, vi armata coërcere eos oporteret, contractis ſcapulis, de vi inferenda mandaſſe ſibi rem nullam Parmenſem ait. Digreſſo itaque Egmondano, primi magnarum vrbium Iprenſes hanc illam quam Balliolani turpiſſimam iconoclaſmi in ſe iniuriam recipiunt: ſequuntur exemplum Gandauenſes, & per Occiduam Flandriæ regionem vrbes atq; pagi plerique, ita rem eam excuſante Egmondano, quòd neceſſariò proficiſci ſe Bruxellam ad eum quem dicebamus 13. Kalend. Septembris debuerit. Atque hæc in Flandria. Antuerpia, vt oſtendimus, iam inde à menſe Maio vterum geſtarat: hinc menſe Iulio inſignibus ſex agrariis concionibus intumuerat: acceſſerant Lutheranorum & Caluiniſtarum in vno vtero concertationes: neceſſariò itaque prodire Flandriæ exemplo infauſtum partum oportebat. Solemnes annuæ feſto Aſſumptionis B. Mariæ Virginis vrbicæ ſupplicationes de more peragebantur; imago B. Mariæ Virginis ſolemni pompa per vrbem circumlata; inde pro more medio templo collocatur. Multis itaque verborum contumeliis Ierichuntinum hunc triumphum Arcæ noui Teſtamenti (ſimilis enim deſcribitur Arcæ veteris ad Iericho Ioſue 6.) multi proſcindunt, Deiparam (prô ſcelus) Mariolam fabri, à Ioſepho fabro ſalutant: accendunt animos

Interea in Flandria Occidentali quædam templa violantur.

Idē tentātes Seclinij iuxta Inſulas, armis repelluntur.

Imprudens Egmondani Ipris reſponſum; inde ibi imagines fracta.

Antuerpia iam inde à Maio vterum infelicem geſſerat.

mos Miniſtri; fugienda non animo modò ſed & corpore idola clamant; eradicari, extirpari tantam ſummi Dei contumeliam oportere vociferã- tur. Quinto itaque die pòſt (Orangio biduo antè Bruxellam, ad illum quem dicebamus 13. Kalend. Septembris, vrbe digreſſo) illo ipſo 13. Kalẽd. id eſt die Auguſti vigeſimo, poſt Preces veſpertinas, nebulones nonnulli ſacram ædem primariam D. Virgini ſacram ingreſſi, inſanis clamoribus vocibuſque toto templo concertant, imaginem B. Mariæ compellant; ſi, *Viuant Geuſij*, clamet, parcituros ſe illi affirmant, ædituis inſultant, cum Catholicis rixantur. Excitus ad eum rumorem Magiſtratus, initiò apparitores, pòſt è ſuo Collegio certos in templum nullo fructu ablegat. Sub veſperam itaque hora ſexta, occluſis templi foribus, præeunte quodam Centurione qui tutandarum concionum munus tenebat, ſublata voce ad numeros Geneuenſes Pſalmum auſpicatur, eo euentu, vt velut carmine motis mentibus, in imaginem Deiparæ ceteráſque furibundi inſilirent, Chriſtum denique vnà cùm Cruce funibus detractum in fruſta comminuerent, latrones tamen (ſuos equidem tutelares) intactos relinquerent, ſacroſanctum Sacramentum horrendis contumeliis afficerent, præſtantiſſimorum pictorum monumenta confringerent, religioſa iure etiam Gentium mortuorum ſepulchra violarent, ſupellectilem ſacram omnem auferrent. Atque ea ratione pauci nebulones, nemine repugnante, in tam populoſa vrbe, totos tres dies bacchantur, totius vrbis templa diripiunt, monaſteria, ſacella, cibos, quos abſumere nõ poſſunt, profundunt, ceruiſiam reliquam fœdant, libros bibliothecarum nullo diſcrimine conſcindunt, pecuniam, veſtem, ſupellectilemque omnem ſibi rapiunt. Conciones eodem quo Orangius diſceſſerat die in vrbem migrarãt; iam vaſtatis hunc in modum templis, mox primarium B. Mariæ Hermannus Stuycker Zuollanus, Caluiniſtarum Miniſter turbulentiſſimus inuadit, D. Georgij ædem Lutherani occupant. Lubet adiungere verba Metrij Caluiniſtæ, quò certiùs etiam iſta poſteris conſtent. Marcgrauius (inquit) poſtquam plebem difficilè expelli aut ſedari poſſe videt, omnes ianuas, vna excepta, claudit, & diſcedit: hinc popellus audentior factus, cùm iam veſperi hora ſexta eſſet audita, alter alterum inſtigat, ſimulachrum Mariæ deturbant, ſacellum effringunt, exclamant, *Viue les Geus*, *Viuant Geuſij*. Hoc incœpto, mox tam valido furore vlteriùs progreſſum, graſſatum, pluribuſque manibus laboratum, vt ante noctis medium omnia ſacella effracta, altaria deiecta, ſtatuæ, ſimulachra & imagines deturbatæ fractæque, clauſtra omnia reſerata fuerint in hoc ampliſſimo Mariæ templo, altaribus plus minus ſeptuaginta decorato, & pretioſis picturis, regalíq; luxu tam ſplendido, vt ſimile vix inueniri queat. Hæc omnia ſimul atque hîc peracta, ingentes adoleſcen-

1566

Clamant Miniſtri, idola non animo modò, ſed etiã corpore fugienda.

Hinc ergò nebulones pauci in templum Antuerpianum inuolant.

Fœdè tẽpla omnia nocte profanant, deinde & toto ſequẽti triduo.

Primariũ templum Caluiniſtæ, S. Georgij Lutherani ſibi ſumunt.

De iiſdem diſtinctiùs, ex alio Scriptore.

1566 tum caterue, viris nõnullis nebulonibus ſimul & meretricibus permixtis, circumcurrunt, idem aliis etiam locis perpetraturi. Franciſcanorum, Clariſſarum, D. Iacobi, Andreæ, Georgij, Michaëlis, Petri Potſi, Burgi, Fakenarum ſororum, Albarum, Nigrarum & Tertianarum, Nonnarum; Bogardorum, Dominicanorum, & vt ſemel ac ſimul dicam, totius Antuerpianæ vrbis templa ſacellaque omnia inſano feſtinóque tumultu vaſtant; ita vt ante clarum orientis ſolis iubar, præcipua quæque diruta deturbatáque fuerint. Et nonnullis interiectis: Poſtridie manè, ſtatim atque portæ patebant, iconomachorum quidam extra vrbem currunt, primò ad D. Bernardi Monaſterium, ſeſquimilliario ab vrbe, deinde circumcirca in pagis Antuerpiæ vicinis incredibili audacia & ſtrenuitate omnia in templis confringunt ac demoliuntur. Intereà alij toto hoc die & duobus ſequentibus in ipſa vrbe, templa & Monaſteria iterùm percurrunt, & quidquid reliquum vel integrum inueniunt, confringunt, nemine contrà aut dicente aut faciente. Sic ille. Certè nemo ſeſe contra eos toto triduo ſeriò mouebat. Cauſa ferebatur, quòd aperta machinatione Nobilium Fœderatorum, (qui vt paſſim vbique ſuos, ſic & Antuerpiæ Penſionarium Weſenbekium alioſque habebant,) tum & tacito fauore Orangij & ſociorum Procerum iſta fieri ſatis conſtaret; atque ita non temerè ciuibus contra ciues ad arma ruendum eſſe plures ratiocinabantur. Diximus paulò antè, ad 13. Kalend. Septembres Conuentum Bruxellam à Parmenſi Proceribus Belgicis eſſe indictũ, quo de Fœderatorum querimoniis cognoſceretur. Erat is ille ipſus vigeſimus dies Auguſti, quo Antuerpiæ tumultuari eſt cœptum. Erant igitur eo die Bruxellæ Proceres præcipui omnes, præter Arſchotanum, qui ægrotulus Montibus Hannoniæ erat, Arenbergium & Megemum, qui Geuſiorum ſeſe hoſtes profitentes, diſcedere quibus præeſſent Prouinciis inconſultum iudicabant. Veniunt item ſuprà nominati Fœderati Nobiles duodecim duce Ludouico Naſſouio, qui populari ſcommate duodecim Apoſtoli dicebantur. Duodecimo itaque Kalend. Septembris, (cùm proximè præcedenti nocte Antuerpiæ cœptum eſſet tumultuari,) ab hora ſeptima matutina in horam vſque duodecimam frequenti Senatu de re tota Parmenſis deliberat. Geuſij maiora in ſingulas horas grauioraque proponunt: tandem & de violato ea nocte primario Antuerpienſium templo, quodque omnia ibi adhuc tumultibus continuis feruerent, certus venit nuntius, imò nuntij plures, vnus poſt alium. Nec lætiora adferuntur toto biduo ſequenti. Intereà Fœderati ferociter de milite à ſe conſcripto, de ſocietatibus ſuſceptis multa ſatis palàm comminantur; circa Bruxellam quoque per agros ita turbulenti quidam armati diſcurrunt, vti vrbi ipſique Palatio timeretur, rumorque eſſet, Viluordiam abductæ

Vna nocte omnia templa Antuerpiæ Geuſij vaſtant.

Hinc poſtridie ad diui Bernardi, pagoſq; vicinos excurrunt.

Cauſa prætenſa, cur in tam populoſa ciuitate nemo eis reſtiterit.

Adſunt Fœderati Bruxellæ vt erat cõdictum.

Gubernatrix Parmenſis in ſummis verſatur angustiis.

Par-

Parmenſi Geuſios cuſtodes appoſituros. Itaque cùm tertium iam diem 1566
ſe fruſtrà laborare Parmenſis animaduerteret, conſternata, conſilium
ſola ſibi capit, ſupellectilem componit, Montes in Hannoniam cogitat;
nono Kalend. Septembris, id eſt die 24. Auguſti, ipſo D. Bartholo-
mæi, ſummo manè Orangium, Viglium atque Aſſomuillium accerſit;
proficiſci ſe velle oſtendit. At verò non placet profectio Senatoribus: fu- *Vix perſuadetur, vt Bruxellæ maneat.*
gæ ſimilem profectionem inſtitui, iis lubricis temporibus, non oporte-
re, docent: ſi diſcederet, auctoritatem Senatui nullam ſuperfuturam; ſi
Senatus ſequeretur, grauiſſima rem eam incommoda allaturam affir-
mant: non eſſe quòd metueret; iurare ſe Orangium ceteroſque, antè ſi-
bi vitam eſſe homines erepturos, quàm inferri vllam vel leuiſſimam
Parmenſi contumeliam paterentur. Quin ſupplex vrbis Magiſtratus, ne
ſe deſerat, orat atque obteſtatur; vrbem ita in officio futuram oſtendit,
vt cui velit, militari imperio parituram, ciuiumque delectus eius arbitrio
habendos profiteretur. Diſcedit itaque à ſententia Parmenſis, Comi- *Mansfeldium cum milite vrbi præficit.*
témque Manſfeldium vrbi præponit, de militibus rem conſtituit, to-
túmque eum diem ita cœptæ Geuſicarum rerum deliberationi impen-
dit, vt modò recuſans, modò diſcedens, modò precibus in Senatum re-
ducta ęgrè adduceretur, vti, extracto in horam primam poſt noctis me-
» dium conuentu, cum Fœderatis hiſce legibus paciſceretur: Initio, place- *Multa tãdem nocte paciſcitur cum Fœderatis.*
» re vt ceſſet Inquiſitio, de qua Fœderati quererentur. Deinde probat, vt
» pro iis legibus atque Edictis (de quorum item ſeueritate obiiciebant)
» nouæ Leges Edictaque ſcriberentur. Verùm num id ex Ordinum Gene-
» ralium ſententia, vel qua alia auctoritate ſit futurum, affirmare Parmen-
» ſem idcircò nondum poſſe, quòd ſententiam hac de re ſuam Rex non-
» dum perſcripſiſſet. Quod de ſecuritatis cautione poſtularetur, ea ſe man-
» data à Rege accepiſſe, quibus ampliſſima cauendi ſibi auctoritas eſſet at-
» tributa. Ex eorum itaque mandatorum auctoritate promittere ſe Fœde-
» ratis, nulli neque fœdus, neque libellum, neque quæ fœdus libellúmve
» in hunc eſſent diem conſecuta, culpæ damnóve in poſterum futura; ea
» tamen conditione, ſi in officio Fœderati ſunt futuri, fidem Regi ſunt præ- *Inter alia, Fœderati bona fide interim iniuriam Religionis propulſarent. Tum, quòd nuſquam de nouo fierent conciones, iam facta fierent ſine armis.*
» ſtaturi; quantam poterunt, tantam in coërcenda ſeditioſorum homi-
» num temeritate ſunt operam collocaturi. Itaque ſacrilegia, ceteramque
» Religionis Clericorumque contumeliam bona fide propulſabunt. Ar-
» ma deponere commotam plebem bona fide procurabunt. Conciones
» nouas, quibus locis nullæ haberentur, haberi in poſterum nullas ſunt
» paſſuri. Quibus contrà locis (vtar eadem vi & facie verborum) de facto
» conciones habentur, ibi arma, ſcandala, atque omnem omnino publi-
» cam contumeliam cauebunt. Peregrinos, atque omnes omnino hoſtes
» arcebunt. Poſtremò, qua apud nouæ Religionis ſtudioſos homines ſunt

1566 auctoritate,id conabuntur, vti Regi ex Ordinum Generalium ſententia "
de Religione deque Rep.decernenti, parituros ſeſe ij homines recipiant. "
Res iſtas ſi Fœderatorum Legati ſuo ſuorumque nomine iureiurando "
cauerent, ratam tunc eam Parmenſis cautionem futuram. Sic hora illa "
nocturna hæc deſcripta.Itaque die inſequẽti,octauo Kalend.Septembris
Stipulantur pro ſe & ſociis Fœderatorum Legati. (die nimirum Auguſti vigeſimo quinto) ſacramenta in eam ſententiam Fœderatorum Legati, apud ſtipulantes pro Parmenſi Orangium, Egmondanum, Hornanum, Hachicourtium & Chriſtophorum Aſſomvillium dicunt, vti facturos ſe ſuoſque Mandatores res eas reciperent, "
Fœderique & libello tamdiu renuntiarent, quamdiu ea eſſet promiſſa "
cautio valitura.Fuerat Parmenſis etiam in his concedendis vſque ad me- "
dium noctis perdifficilis,nempe, quòd ita interpretaturos rem homines affirmaret, vti publica auctoritate haberi conciones, ſi vis ſeditioque à conuentibus eſſet abfutura, iudicarent, contrà atque ſua eſſet ſententia, qua non rem eam definiret, ſed tantùm Fœderatis, quid præſtare iis in locis, quibus de facto conciones eo tempore habitæ fuerant, deberent, præſcriberet. Quod vt maximè ita exiſteret, multaque eſſent à Parmenſi contra hæreticorum conciones prouiſa prudenter, conſtituta fortiter; fuit ea nihilominùs tum vulgò fama, Parmenſem in conciones
Promulgat Parmenſis eam trãſactionem. conſenſiſſe. Rebus itaque hunc in modum procuratis, Edicto hanc ſuam cum Fœderatis tranſactionem 25. Auguſti Parmenſis promulgat; de officio homines commonefacit; adfuturum breui Regem oſtendit: ſeueris grauiſſimiſque item legibus ſacrilegis templorum direptoribus pœnas conſtituit, Magiſtratibus vrbibúſque in ſcelus conſentientibus priuilegiorum ademptionem comminatur, verſari cum telo niſi eos homines non permittit, quibus iure res ea liceret. Bruxella iis temporibus, vti oſtendimus, incerto metu variè trepidabat: & quamquam
Bruxellenſes ex trepidatione mox ſe colligunt. nouarum Religionum ſtudioſi præ Catholicorum multitudine pauci ea vrbe exiſterent, tamen factum fuerat, vti per paucos iſtos quies concordiaque laboraret. Decimo Kalend. Septembris, id eſt 23. Auguſti tria (vti vocant) vrbis Membra in ædes publicas, quæ ſunt ad forum, cum quinque Aurei velleris Equitibus, nonnullis Cancellariæ Brabanticę Senatoribus,frequente honeſtiſſimorum ciuium multitudine de vetere Catholica Religione retinenda, hæreticis coërcendis, præclaras fortiſſimaſque ſententias dixerant. Nihilominùs biduo pòſt, die 8. Kalen-
Clauſis portis non patiuntur homines ad nouas conciones egredi. darum, cùm circa Viluordiam ad primas nouæ foſſæ cataractas conciones futuræ dicerentur, neque portis occluſis egredi eo die ciues permitterentur,inuenti ſunt nonnulli, qui iniuria arceri ſeſe à concionibus cauſarentur, quas publica auctoritate Parmenſis confirmaſſet. Refert rem ad Parmenſem Magiſtratus: reſpondet Parmenſis, velle vti pactis Fœderati ce-

ti ceteríque fruerentur. Reſponſum in eam ſententiam hæretici accipiunt, vti probatas eo reſponſo conciones affirmarent. Denuò itaque coacto Magiſtratu, de re tanta deliberatur. Catholici, quòd futurum vererentur, vti hæreticorum inſolentiæ Magiſtratus cederet, ingenti hominum multitudine in Curiam conſcendunt; auctoritatis trium Membrorum vilipendium, Dei atque vrbis iniuriam, ſuam poſtremò contumeliam libellis ſermonibuſque oſtendunt. Repetitis itaque trium Membrorum Comitiis, tota vrbe atque agro Bruxellenſi conciones proſcribuntur, ciuibus omni peregrinæ Religionis vſu interdicitur. Probat Comitiorum ſententiam Parmenſis. Magiſtratum populumque collaudat, Mansfeldio vrbis militare imperium confirmat, delectis mille octingentis peditibus, è quibus trecenti Regiis, mille vrbis, quingenti Clericorum ſtipendiis militarent: Præfectos Philippum Lannoium Dominum Beauuorij, Balduinum Gaurium Dominum Inchij, & Hameddium Nobilem Hannonem conſtituit; equites item centum fratri Comitis Lignij Domino Eſtambrugij attribuit. Tum apertiùs animoſiuſq; cum Proceribus Parmenſis agit, dubiis hactenus atque incertis conſiliis pęnè periiſſe Remp. oſtendit, magni intereſſe declarat, antequam Rex aduenìat, vti bonorum vaſallorum ſubditorumque opera reſtitutam Religionem, publicarumque rerum quietem inueniat; palàm itaque atque ingenuè ad Regis ſeſe voluntatem componerent, Religionem procurarent, ſeditiones armis coërcerent, hortatur. Accipiunt conditionem nullis verborum ambagibus Arſchotanus, Arenbergius, Megemus, (nam & illi intereà venerant) Mansfeldius, Hachicourtius, Barlaimontius, aliiq; nonnulli, nulláque ſeſe exceptione in Regis poteſtate futuros oſtendunt. Contrà Orangius aliique eius ſequaces, de ſua in Religionem obſeruantia, in Regem ac Parmenſem obſequio multa prolocuti, cauſas complures commemorant, cur Regia moderatione, atq; Ordinum Generalium decreto non etiam armis tentari rem oporteret; multa quoque de bellorum ciuilium calamitatibus, & Galliarum exemplo, & vetere memoria recordantur. Noircarmius Audomari in Arteſia Prefectus, & abſente in Hiſpania Marchione, Hannoniæ Procurator, magnam iis temporibus penes Egmondanum auctoritatem tenebat, multumque eo Egmondanus vtebatur. Cùm itaque, quod dicebamus, à Parmenſi fuit propoſitum, tum eas in partes vt Egmondanus tranſiret, ſtudioſè eum Noircarmius eſt cohortatus. Reſpondent, qui tum fortè Egmondanum comitabantur: Quin tu hoc age Noircarmi, tu hoc, ſi libet, bellum ciuile auſpicare. Ibi tum Noircarmius: Omnino, ſi hoc eſt mihi vel Rex vel Parmenſis imperatura, næ ego in iſtos ſeditioſos homines pro Religionis atque Regis amplitudine libenter arma ſum ſumpturus. Non reprehendit

1566

Hinc tumultus, ſed qui mox compeſcitur.

Præſidiarij Bruxellæ 300. Regiis, mille vrbis, 500. Clericorũ ſtipendiis.

Animoſiùs itaque iam agit Parmenſis, adiuuãtibus Proceribus hic nominatis.

Orangius cõtrà ſuadere nititur non eſſe agẽdum armis, ſed fruſtrà.

Noircarmius animosè contrapertubatores, nec improbante Egmondano.

1566 Egmondanus; quin Noircarmium, quæ laudaret, ſequi conſilia bona ſua cum venia permittit. Hunc itaque in modum è ſummis rerum periculis in quietiorem ſeſe nauigationem Parmenſis coniecit, Bruxellam contra vim atque inſidias communiuit, Fœderatos mutuis diſſidiis diſtractos, ad ſe complures, à tumultuante plebe pleroſque abduxit; fœdus eneruauit, Proceres vel ad ſe traduxit, vel metu rerum futurarum incertos conſilij, multis Aulę officiis multaque ſpe à rerum nouarum apertis ſtudiis reuocauit. Inde vt viribus reſumptis ſic agere per ſe rem præclarè eſt aggreſſa: mox vigeſimo ſexto Auguſti, id eſt ſeptimo Kalend. Septembris, Egmondanum in Flandriam, Antuerpiam Orangium, Mechliniam Hoochſtratanum, Tornacum Hornanum, Valencenas Noircarmium tranſmittit. Quin Fœderati Geuſij, quòd operam ſeſe daturos rei reſtituendæ promiſiſſent, ita, nulla Parmenſis auctoritate, operas inter ſe partiuntur, vti in ſingulas commotas vrbes nonnullos quoque è collegis ſuis ablegarent. Etenim ad Antuerpienſe exemplar aliis quoque vrbibus & locis plurimis (vt poſteà commemorabimus) templa fuerunt violata; in pluribus etiam vno eodemque die D. Bartholomæo ſacro, velut ex condicto, Geuſij, Deo idololatriæ oſore curante, factum volebant: Catholici Deum non operari rem eiuſcemodi per raptores & prædones (quales iconomachos illos eſſe etiam ipſi Geuſij fateri cogebantur) replicabant. Sed iſta aliquantum ſuſpendamus. Neque enim in ſolis patriæ opprobriis verſari narrationem oportet, cùm maximarum virtutum fortitudiniſque cum primis illuſtria exempla iis quoque temporibus multa extiterint. Et quidem Prouinciæ, Lutzenburgum, Arteſia, Hannonia; vrbes, Inſulæ, Duacum, Orchinium, Namurcum, nullam huiuſcemodi in ſe contumeliam admiſerunt: Brabantia item magnam Ducatus portionem, quæ Louanio & Bruxella deſcribitur, magna cum laude immunem habuit. In Flandria, Brugæ, Cortracum, Grauelinga, Dunkerca, Aloſtum, Tenramonda, Gerardimontium, officium præſtiterunt: adeóque Caſenbrotius, vnus licet è Fœderatis, Egmondano à conſiliis, cùm iconomachos circa Gerardimontium nonnullos offendiſſet, collecta (vt re ſubita poterat) perexigua ruſticorum manu, cæſis duodecim, viginti vulneratis; è captiuis quinquaginta, vno & viginti ſuſpenſis, reliquis virgis cæſis; ingentem factioſis hominibus metum incuſſit. Mechlinia Religionis Catholicæ perquam ſtudioſos ciues pleroſq; habebat, verùm quòd vnum haberet atque alterum malè ſanum Penſionarium, Aduocatum item malæ fidei vnum & alterum, effugere eam tempeſtatem ita non potuit, quin pauci nebulones ſint inuenti, qui Carmelitis & Franciſcanis palàm vim facerẽt, eorum Monaſteriorum templa diriperent: inde vrbe digreſſi (plura ibi non auſi) in vicina vrbi Monaſteria

Mittit Parmenſis Egmondanum in Flandriã, Orangium Antuerpiam, alios aliò.

Quid pro violatione templorum Geuſij excuſarint, quid contrà Catholici reſponderint.

Quæ prouinciæ & vrbes fuerint ab iconoclaſmo liberæ?

Iconomachi nõnulli auſpiciis Egmondij cæſi, alij capti.

Mechliniæ minùs auſi iconomachi quàm alibi.

ria pro arbitrio graſſarentur. Neomagi ea laus hiſce temporibus fuit, vti Magiſtratui præclarè imperanti fortiter ciues parerent, concionatores vrbe profligarent, ſocietate S. Nicolai ibi celebri, ſuſpectos homines mouerent, Comitem Megemum in vrbem adducerent, conſiliaque Religioni obedientiæque Regiæ retinendis opportuna ſuſciperent. Comiti Culenburgano nouã Religionem meditanti, fortiſſimè honorati plures ciues reſtiterunt; eruditóque libello pericula ei, quæ pòſt acciderunt, tantò antè demonſtrarunt. Vltraiectum celebris eo tractu ciuitas, antequam è ſubito atque inopinato metu ſe collegiſſet, quatuor Eccleſiarum Baptiſmalium, duorum Monaſteriorum, Dominicanorum & Franciſcanorum, contumeliam ita eſt perpeſſa, vti loca cetera prudente Canonicorum ciuiumque fortitudine ab iniuria conſeruarentur. In Hollandia, magna iis temporibus fuit Dordraci, Harlemi, Goudę & Gorcomij gloria. Per Zelandiam Friſiamque, quamuis inter Lutheranos, Caluiniſtas atque Anabaptiſtas variè res iactaretur, Catholicorum tamen per ea loca multorum conſtantia atque virtus ſimul emicuit: quæ ſingula narrare nimis prolixum eſſet; commemorabimus tamen quæ ad hanc rem præcipua pertinent. Antuerpiæ die 20. Auguſti, vti diximus, templo primario, ac deinceps violatis reliquis, mox pleraque Caluiniani inuaſerant; vno S. Georgij excepto, quod Lutheranis ceſſerat. Verùm cùm res ſuas 22. & 23. Auguſti Bruxellæ nutare, 24. pænè concidere intelligerent; nouarum ibi Religionum Miniſtri ſcripto apud Magiſtratum de vi, de furtis, de ceteris criminibus per iconomachos, ipſis inſciis, vt dicebant, commiſſis, purgare ſe inſtituunt: futuros ſe in Magiſtratus poteſtate, templiſque deceſſuros oſtendunt, ſi ex omni templorum numero quantum ſufficeret ſibi tribueretur, ſi à contumeliis Catholici abſtinerent; & alia. Oblatus hic primus libellus die vigeſimo quinto Auguſti. Sed non reſpondit Magiſtratus; miſſo tantùm Iacobo Weſembekio Penſionario, ipſius artificio primùm reſtitutionem templorum B. Mariæ & D. Georgij, inde ſub veſperam aliorum item duorum B. Michaëlis & D. Iacobi à Miniſtris impetrant. Poſtridie die 26. Auguſti ſub veſperam venit Antuerpiam Bruxellâ Orangius, vti & ſuprà commemorauimus, vtpote eius vrbis Vicecomes, & nunc etiam extra ordinem à Parmenſi eò ablegatus. Primum itaque quod Orangio ſeſe offerebat, erat nouus Geu-
» ſiorum libellus. Querebantur grauiſſimorum ſeſe criminum reos ma-
» gna iniuria fieri: eſſe eum multorum ſermonem, vti concionibus conci-
» tatos à ſe homines ad idola ſubuertenda (ſic imagines Chriſti & San-
» ctorum vocabant) affirmarent: accuſari ſe præterea, quòd Magiſtratui
» auctoritatem minuerent, de Curia inuadenda, Magiſtratuq; mouendo
» deliberaſſent; illud poſtremò ad grauem ſuam contumeliam adferri, vti

1566

Quomodo Neomagi & Vltraiecti tunc res ſe habuerint.

Quomodo in Hollandia, Zelãdia, & Friſia.

Geuſij Antuerpiæ mitiùs agere incipiunt.

Oblato libello, de multis ſe purgare nituntur.

1566 in posterum nullum Romanæ Religionis ministerium passuri dicerentur; Deum sese hominesque testari, earum rerum ad se culpam nullam pertinere; Orangij Magistratusque id esse officium, vti ne innocentissimorum hominum famam ad certam præclarissimę vrbis contumeliam violari patiantur; paratos se repetitis quoque sacramentis Regali Maiestati Regis Hispaniarum, vt Duci Brabantię, (verba sunt libelli,) suæ Excellentiæ vti Vicecomiti, Magistratuique fide obstringere. Quas eidem res cùm offerrent, tum id committi nõ debere, vti templis cœmeteriisque, quæ iure ad ciues pertinent, boni ciues arcerentur. Respondent libello Orangius & Magistratus; Placere, vt in publica cœmeteria mortuos inferant; de templis, ceterisque de rebus cum nouæ Religionis Delegatis videretur. Inde pridie Kalend. Septembris, Orangij Magistratusq; imperio, Inquisitionem Edictorumque in hæreticos sanctiones Regem abrogasse, nouasque ex Ordinum Generalium sententia Leges esse conscripturum, populo solemniter denuntiatur. Pòst tertio Nonas Septembris Catholicos atque hæreticos æquè in suam tutelam atque fidem Orangius Magistratusque accipiunt; Leges quasdam de ciuibus in officio retinendis, Religionúmque libertate, promulgant. Ipsis Nonis Septembris denique, id est die eiusdem quinto, cum Caluinianis Delegatis in hanc sententiam constituunt: (erant hi Delegati Teutonum, Marcus Peres, Carolus Bombergius, Hermannus Vermerius, & Cornelius Bombergius; Walonum Franciscus Godin, Ioannes Carlier, Nicolaus de Viuier, & Nicolaus Sellin:) Primùm, veterem Catholicam Religionem nemo turbet. Omnibus omnino Catholicorum ecclesiis, omnibus veteri Religioni dicatis sacratisque locis nouarum Religionum homines excedant. Noua vrbe, quibus iam locis consuessent, agro Pauli Gemertij ad forum equinum, ad Wapperam agro Domini Likerkij, pratisque Xenodochij ad hortum Sodalium Sclopetariorum Religione sua vtuntor: per ea loca diebus Dominicis atque festis, die item Mercurij (si festus nullus dies ea hebdomada existit) concionari vna eadémque hora permittitor. Ad singularum concionum functionem habere nisi binos Ministros non liceat. Ministros vel qua Regis ditione, vel potentioris cuius vrbis ciues esse oporteat. Quoad Antuerpiæ sunt futuri, parituros se negotiis ciuilibus Orangio Magistratuique Ministri iuranto. Cum telo illicito ad conciones homines non veniant; teli tamen illiciti compellatione nec pugionem nec gladium contineri. Ministrorum, Seniorum, Diaconorúmque electionibus, ceteríque grauioribus Consistorij deliberationibus, vnus quem volet Orangius, è Magistratu est interfuturus. Si ordine iuris in templorum direptores Magistratus est animaduersurus, nemo prohibeat. Psalmos ceteráque extra ea loca quibus concio-

Offerunt de nouo quoq; Regi iuramentum.

Liberaliter iis Orangius & Magistratus respondent.

Orangius, Magistratusq; Antuerpiensis cum Geusiis transigunt.

Inter alia, Geusij omnibus templis discedant, aliis tantùm locis concionentur.

Eorum deliberationibus vnus semper è Magistratu interfit.

nes

„ nes habentur, nemo cantet. Nullo Religionis diſcrimine vniuerſi ciues 1566
„ in tutela atque fide Orangij Magiſtratúſque erunt, quamdiu pacatè rem
„ gerent. Præſidiarij milites (quos ad vrbis cuſtodiam è ciuibus Orangius
„ eſt lecturus) non alia conditione ſe militaturos iurabunt, quàm quę ſcri-
„ pto Delegatis exhibito continetur. Hæc pacta tamdiu ſunt valitura, *Valebunt pacta donec Regi ex Ordinũ ſententia aliud probatur.*
„ quoad Regi ex Ordinum Generalium ſentẽtia aliud probetur. Si leges ex
„ Ordinum Generalium ſentẽtia eas ferre Regem continget, quas pati vel
„ Religionis obſeruantia, vel conſcientiæ ratio minùs poſſet, diſcedendi,
„ bonáque auferendi libertas ſaltem erit. Atque hæc ſunt pacta Antuer-
pienſium. Gandauenſes paulò accuratiùs ita paciſcuntur, vt neque intra
vrbem, nec niſi concionandi facultatem Caluiniſtis tribuerẽt, cùm Ant-
uerpienſes omnem nouæ Religionis conuentum, Conſiſtoriumque, atq;
intra vrbem admitterent. De Vltraiectinis prolixè dicetur anno ſeptua- *Quid interea Vltraiecti, Valencenis & Tornaci.*
geſimo, occaſione litis ab Albano iis intentatæ. Valencenis & Tornaci,
vt dudum oſtendimus, iam tum ab annis aliquot nouarum Religio-
num ſtudiis plures ardebant. Inter cetera, hoc anno ſub Iulij menſis me-
dium ad Folaiſium ad ſiluam Brenſiam haud longè ab vrbe Tornaco
quidam Ambroſius Wille, centum quinquaginta equitibus ingentique
armatorum hominum multitudine comitatus, numero viri feminæque
(vt ferebatur) ad ſeptem millia, ab hora ſeptima matutina vſque horam
nonam acerbè concionatur: media concione litteras Magiſtratui defe-
rendas eas proiicit, quibus de verborum contumeliis, quas fideles ſui à
quodam milite atque fabro paterentur, multa quereretur, diceretque ni
Magiſtratus eos homines coërceret, Miniſtris comminari deſineret, ca- *Magna Geuſiorũ inſolentia Tornaci.*
ptiuos fideles dimitteret; futurum neceſſariò, vti fideles ab iis innocentiæ
ſuæ auxilium poſtularent, quos Magiſtratu maiores potentioreſq; patro-
nos fideles illi Miniſtriq; haberẽt. Deniq; menſe Auguſto, in pratis, in ip-
ſo vrbis Tornaci conſpectu, cõcionari audent. Hinc Magiſtratus de vrbis
cuſtodia deliberat, cum centurionibus ciuibuſq; de formula iuramẽti fi-
delitatis diu multumq; ſermonibus contendit; ita poſtremò rem conſti-
tuit, vti de concionibus per æſtatem ſaltem vrbe arcendis, ſeditionibuſq;
coërcendis, verbis ritè conceptis iuraretur. Quod vt maximè ita ciues fe- *Iurant ciues Tornacenſes ſeditiones ſe vindicaturos.*
ciſſent, magna nihilominùs cum cõtumelia euenit, vt vigeſimo ſecundo
die Auguſti in templo D. Petri tumultuari nonnulli inciperent: inde, eo
tumultu ſedato, ſecundo die poſteà, qui fuit Auguſti vigeſimus quartus,
ſummo manè acciti ex agris infimáque vrbis fęce obſcuri homines, ini-
tiò ceteris vrbis Eccleſiis, inde auguſtiſſimæ Dei Matris Cathedrali Ec-
cleſiæ ſacrilegam turpiſſimámque vim facerent. Neque adduci ad coër-
cendam eam hominum colluuiem ſtationarij eius diei milites ab vrbis
præſidio idcircò potuerunt, quòd contineri iuramento de ſeditionibus
vrbiſ-

1566 vrbiſque direptione, non etiam de templorum conſeruatione cauſarentur. Erant tum Tornaci tres Caluiniani Miniſtri, Ambroſius Wille, Carolus Mellius, & quidam Burgundus; inter quos Ambroſius, quo die templa fuerant direpta, per vrbis cauponas rationes eorum ſumptuum iniit & ſoluit, quos eo die Eccleſiarum direptores ibi feciſſent. Qua de re cùm à Penſionario Iacobo Clerico reprehenderetur, ſic in Curia Ambroſius reſpondit, vti reprehendi ſe à Penſionario non debere affirmaret; dicerétque veniſſe ad ſe ſub veſperam illas pauperes operas, quæ toto eo die laboraſſent, queſtáſque quòd cibum nondum ſumpſiſſent; pietate itaque adductum feciſſe ſe, vt cauponibus de ſingulorum cœna caueret, ſumptúſque quos feciſſent exolueret. Accidit tum id profanum Tornaci, vt dum iconomachi in templo defoſſas à Canonicis argenteas Sanctorum imagines perueſtigant, oſſa Adolphi Geldri ibidem ſepulti, (qui anno 1477. ante Tornacum à Gallis cæſus eſt) indignè tota ſpectante vrbe ſpargerent. Ceterùm diu cuniculis quæſitas dictas imagines, tandémque inuentas, cum multa alia ſupellectile templi, magni pretij, tres illi quos dicebamus Miniſtri in Curiam ad Magiſtratum ita demum delaturos ſeſe oſtendunt, ſi populo de ea ſupellectile caueretur, futurum vti ea ex arbitrio Orangij, Egmondani, Hornaníque vteretur. Reſpondet Magiſtratus, ſi permitteretur, vti ex ſententia Parmenſis ſupellectile vterentur, depoſitum eſſe ſeſe recepturos: de Proceribus rogare, num ita ſeſe loqui hi, quos dicerent, tres viri Principes imperaſſent? Reſpondent, non equidem id ſibi eos Proceres mandaſſe, verùm in eorum ſe ditione tuteláque exiſtere. Cùm itaque de inuento theſauro conuenire Magiſtratui cum Miniſtris non poſſet, per aliquot dies in templo theſaurum ciues cuſtodiunt: inde Miniſtris aſſentientibus, in Curiam, pòſt in arcem clàm defertur. Excurrunt intereà iconomachi Tornacenſes in agros, iungunt ſe Valencenates, ceteriſque quos vel prædæ vel ſceleris impietas tranſuerſos ageret, obuia quæque Monaſteria pagorúmque eccleſias inuadunt, proterunt, prædas abducunt. Varia quidem eo tempore Inſulis verſabat tuendæ Catholicæ Religioni conſilia Raſſengemius, Inſularum, Duaci & Orchinij Præfectus, iamque per pagos vigilias ſignaque conſtituerat, quibus armati ruſtici contra iconomachos euocarentur; nihilominùs Tornacenſes & Valencenates illi Abbatias S. Amandi, Vicognij, & Haſnonij extra Raſſengemij limites ſitas mox diripuerunt. Verùm cùm octauo Kalend. Septembris Marchianum item celebre Benedictinorum Monaſterium ſub veſperam ſpoliaſſent, Robertus Longouallius Dominus Zittardij, & Ferricus Guyonius Monaſterij Aquicinctenſis Bailliuus, ingenti ruſticorum manu ad Thilloum & Brilloum totam eam Marchiano redeuntem prædonum manum ad interne-

Nihilominùs impudentiſſimè violantur templa.

Violatur ſepulchrũ Adolphi Geldri.

Altercatio de pretioſa templi ſupellectile tandem inuenta.

Spoliant etiam Tornacenſes & Valencenenſes monaſteria omnia vicina.

Geuſij nonnulli poſt ſpoliatum Marchianũ cadũtur.

ternecionem contrucidarunt. Inde efferati animis ruſtici, cùm die inſequenti noua ſeſe hominum colluuies in eos agros effudiſſet, quæ Bouuigneum, ĩnde Monaſteria Aquicinctenſe & Flineum cogitare diceretur, multíque ex Hannonia ad Duacenates ruſticos alij ruſticani milites acceſſiſſent, noua clade totam eam ſacrilegam multitudinem concídunt, eo rerum ſucceſſu, vti immunis in poſterum à contumeliâ omnis is ager exiſteret, ruſticíque magnis animis, contemptis nonnullorum ſuorum cædibus, Religioni conſeruandæ accuratè ſtuderent. Venerant tertio à ſacrilegio die Tornacum Nobiles duo Fœderati, Eſquerdius & Vilerius, velut turbas compoſituri; ſed quòd à Parmenſi non venirent, etſi id ipſi ſimularent, operam eorum ſibi parum placere Magiſtratus oſtendit. Venit eò paulò pòſt & Hornanus à Parmenſi miſſus, ingentíque hominum applauſu, magnis vocibus ingredienti, tota vrbe, *Viuant Geuſij*, acclamatur. Pridie Kalend. Septembris, lecto Mandato, tribus ſe de rebus edoceri à Magiſtratu poſtulat: Initiò, quænam ſimultatum diſſidiorumque inter arcem atque vrbem cauſæ exiſterent: Hinc, quam curam atque operam Magiſtratus Centurionéſque auertendis templorum contumeliis præſtitiſſent: Poſtremò, quanam ratione ab armis ad vetus vitæ inſtitutum reuocare plebem oporteret. Reſpondet officiosè Magiſtratus, Hornanoq; pariturum ſe oſtendit. Contrà Moilbaiſius & Beauuoirius, qui arcem tenebant, Hornano neque re neque verbis, niſi in ſpeciem, non obſequuntur: Eſquerdium Vileriumque, Hornano inconſulto, vrbe iubent diſcedere. Non fert eam iniuriam Hornanus, multáque de imperij ſui contumelia apud Magiſtratum ceteroſq; vrbis ciues commemorat. Tornacenſes ante diem pactorum, quæ Parmenſem cum Fœderatis iniiſſe dicebamus, conciones intra vrbem nullas habuerãt. Oſtendit itaque Hornanus, Parmenſem imperare, vti conciones intra vrbem nullæ exiſterent. Rogatus ſententiam Magiſtratus, reſtitutis Catholicorum Eccleſiis, non eſſe cur imperari ampliùs eo tempore oporteret, multis rationibus oſtendit. Verùm quòd diſcedere à certo Parmenſis imperio non liceret, leges in eam ſententiam quieti reſtituendæ Hornanus proponit, quibus, Religione Catholica reſtituta, non niſi extra vrbem concionari nouæ Religionis binos Miniſtros permitteret. Legibus promulgatis, oſtendit Taffinus Miniſter, parœcias, quibus diſcedere reformatæ Religionis homines iuberentur, eò ad ſe ciues meliore iure pertinere, quò plures ea vrbe Reformatæ quàm Papiſticæ Religionis ciues exiſterent, itaque Magiſtratus iis noua ſuæ Religioni templa ædificanda curaret. Non fert eam contumeliam Iacobus Clericus Penſionarius; preſente Hornano, reſpondet: templa in nullius eſſe dominio, tamque eſſe illa Deo atque eius ſacroſancto cultui dicata loca, vti transferri ſine iniu-

1566

Vicini Duaco ruſtici etiam alios iconomachos concidunt.

Hornanus venit Tornacũ, miſſus eò à Parmenſi.

Declarat, Parmẽſem velle, vt intra vrbẽ conciones noua nulla ſint.

Itaq; ſuadet, eas extra vrbem ablegari.

ria

1566 ria ea in alium vſum non oporteret; neque id ſe dare Conſiſtorio, quòd ſuæ Religionis homines multò maximam optimamq; conficere ciuium multitudinem iactarent; quòd & Catholici perquam multi vrbe exiſterent; atque extra omnem controuerſiam, antiqua ſtirpe, honoratique vrbis plerique ciues Religionem Catholicam ſequerentur. Non arceri à ſe ciues Eccleſiis, ſibi eam culpam adſcribere eos debere, qui earum Eccleſiarum Religione deſerta nouas quæſiiſſent. Reſpondet Hornanus, iniuria rem eam Conſiſtoriales à Catholicis poſtulare, ciuium quas vellent ædes adirent, ſtipem à dare volentibus acciperent; interim id poſteà à ſe impetrari quoque permittit, vti conciones habere iiſdem legibus Tornacenſes poſſent quibus Brabantiæ atque Flandriæ vrbes. Quæ cùm in hanc ſententiam eſſent ab Hornano conſtituta, neque Parmenſis adduci eò poſſet, vti pacta niſi ea conditione laudaret, quatenus pactis cum Fœderatis ſuſceptis conuenirent: multa quoque ab Hornano vel frigidè, vel imperitè, vel magna in rebus agendis inconſtantia ita fieri dicerentur, vti maximorum criminum rei eius imperio è vinculis dimitterentur, templis hęretici non diſcederent; modò militares excubias ad forum concionibus tuendis deſtinaret, modò omnes intra vrbem conciones denegaret; fiebat vti & ab arcis Præfecto multas ſæpè iniurias Hornanus acciperet, & Parmenſis Bruxellam honeſtis in ſpeciem rationibus Hornanum vocaret. Hornano itaque re infecta ſub finem menſis Octobris Tornaco digreſſo, Torrius Concilij Priuati Secretarius quarto Kal. Nouembris Tornacum ingreditur, legéſque quieti reſtituendæ in eam ſententiam proponit, vti Religione reſtituta, conciones extra vrbem permitteret, de Miniſtris quoque & ceteris quæ in mandatis habebat, definiret. Moilbaiſius, Hornano profecto, ex arce in vrbem veniebat, Torrioque ſuffragabatur. Recuſant Torrij mandatum Conſiſtoriales, quòd ad Iudices Bailliuatus mandata non pertinerent; indignantur ſe nouæ Religionis compellatione deſignatos; reformatos ſe non nouos profiteri; & alia. Torrius eos finem litigandi non facturos animaduertens, retrò vnde venerat domum eſt reuerſus. Torrio profecto oſtendit Moilbaiſius, non eſſe cur tergiuerſari diutiùs homines oporteret; velle vti ingenuè reſponderent, templis excederent, vrbeque conciones educerent. Nouis itaque altercationibus in menſem Decembrem res extrahitur, multiſq; intra vrbem periculoſis motibus ſeditionibuſq; ita agitatur, vti nullis perlatis legibus componi, niſi milite à Noircarmio in vrbem per arcem adducto, nouarum Religionum Miniſtris eorumque precipuis aſſeclis tandem fine Decembris profligatis, non potuerit. Neque res erant quietiores toto hoc tempore apud Valencenates. Hi, vti oſtendimus, grauiſſimam Religioni dudum iniuriam fecerant: quin hoc tẽpore vrbe egreſſi, vicinis

Altercatio contra Miniſtrũ hæreticum, dicentem templa eſſe ciuium.

Parat Hornanus quædam concedere Tornacenſibus vltra pacta.

Itaque non diſcedentibus hæreticis è templis, Hornanus Bruxellam reuocatur.

Torres Tornacum miſſus æquè parum proficit.

Tandem hæretici ſe ſubducũt, milite per arcem in vrbem ingreſſo.

vicinis Monaſteriis atque pagis vaſtando prædandóque etiam maiorem contumeliam irrogarant. Veniunt itaq; poſt 8. Kal. Septembris Valencenas ex Fœderatis Nobilibus Lumbrius & Audrigenius, velut arbitri motuum ſedandorum futuri. Conſultus à Magiſtratu Noircarmius, qui cum imperio Valencenatibus præerat, mandatam Fœderatis iuriſdictionem negat: multa nihilominùs vterque proponit. Habebant Valencenates duos Miniſtros, Guidonem Braïum Montenſem, hominem cetera modeſtum, & quemdam ex Gallia Narbonenſi, vulgò Prouincia dicta, Grangium, perquam ſeditioſum: multis itaque controuerſiis vrbs diſſidebat. Noircarmius Magiſtratuſque à Conſiſtorialibus poſtulabant, templa reſtituerent, conciones intra vrbem nullas haberent, peregrinos Miniſtros dimitterent, ceteráq; à Fœderatis Parmenſi pacta præſtarent. Contrà Conſiſtoriales multa cauſantur: duo ſe reſtituturos eſſe templa oſtendunt, ſi tria ſibi intra vrbem concederentur: de Braïo, qui proſcriptus veteri iudicio extitiſſet, Grangioque peregrino homine, multa dicere, cur auferri à ſe eos verbi Dei præclaros Miniſtros non oporteret. Multis itaq; altercationibus Legationibúſque Magiſtratus ad Noircarmium ita September Octobérque effluxerant, vt neque templis excederent, & præter conciones, ſuam illam præclaram in templo B. Gaugerici cœnam diſcipulis Miniſtri exhiberent. Non fert eas moras Noircarmius. Itaque fide data, Magiſtratus Conſiſtoriique Legatos ad ſe Cameracum vocat. Veniunt à Magiſtratu Antonius Poiurius Dominus Roſelij, Nicolaus Viuienus, & Franciſcus Oultremannus; à Conſiſtorio Vincentius Reſtealdus. Oſtendit Vincentio conditiones Noircarmius, hortantúrque Magiſtratus Delegati eas acciperet. Reſpondet, non placere conditiones Conſiſtorio. Ibi tum Noircarmius: Reuertere-
„ tur Vincentius, nulla tergiuerſatione tres iſtas leges Conſiſtorium reci-
„ peret. Templis in vniuerſum omnibus excederent. Locis extra vrbem
„ deſignandis, quoad Ordinum Conuentus indiceretur, conciones habe-
„ rent. Conciones niſi vno per hebdomadam die non haberent: conatu-
„ rum ſe nihilominùs, vti alterum item diem Parmenſis adiiceret. Poſtremò, niſi Regis ſubditum Miniſtrum non haberent. Refert rem ad Conſiſtorium, inde Conſiſtorij varias in contrarium rationes ad Noircarmium Reſtealdus. Offenſus ea hominum importunitate Noircarmius, litteras à Parmenſi ad ſe in eam ſententiam conſcriptas oſtendit, quibus nulla mora templis diſcedere, extra vrbem concionari, Grangiumq; Miniſtrum dimittere Conſiſtorialibus imperaretur: multa quoque de grauiſſima Regis offenſa, vrbiſq; (ni pareat) calamitate commemorat: diem poſtremò, quo abſolutè reſponderent, tertium Kalend. Nouembris conſtituit; intra quem diem ſi Quercetum ad ſe vel non venirent, vel in pro-

1566

Tragœdia Valencenenſes.

Fruſtrà Noircarmius ibi Magiſtratúſque petunt templa reſtitui.

Veniũt Cameracum ad Noircarmium vtrimque Legati.

Varia prætexunt Cõſiſtoriales Valencenenſes.

1566 poſitas conditiones non conſentirent, pro hoſtibus habituros ſeſe Valen-
Tandẽ peremptoriè citati legibus cõceptis ſubſcribũt. cenates affirmat. Veniunt itaque ad diem præſtitutum Conſiſtorij Delegati, legibuſque à Noircarmio propoſitis ſubſcribunt. Inde diebus aliquot pòſt (quod litteris ſeſe facturum monuerat) venit ad portam Tornacenſem Noircarmius: de Conſiſtorij Delegatis (quos futuros iſthic ad loca concionibus deſtinanda arbitrabatur) diu rogitans; cùm nemo ſeſe offerret, vrbem circumiens, intra portam Montenſem diu ſubſiſtit. Cùm itaque, Magiſtratu illic præſente, Conſiſtorij Delegati nulli ad ſe venirent, offenſus hominum arrogantia petulantiaque, tercentum exauctoratis vrbis vigilibus, re infecta diſcedit. Contemnunt eam Noircarmij
Rurſum reſiliunt; & rident ſeu vilipendũt offenſam Noircarmij. offenſam Miniſtri, ceterique eius ſtudij homines, qui ducibus Michaële patre filioque, ditiſſimis eius vrbis mercatoribus, omnem Regis potentiam auctoritatemq; contemnebant. Totus itaq; menſis Nouember ita ducebatur, vti Noircarmius à vicinarum vrbium præſidiis, nouiſque à ſe lectis militibus, varia inferri Valencenatibus eorumque bonis damna locis omnibus pateretur. Valencenates contrà in Regios milites, ſi quos fors obtuliſſet, vi agebant; ſpeculatores longiſſimè ab vrbe per agros ſuburbiaque collocabant; ad quoſuis rumores vrbe armati egrediebantur; Monaſterium Carthuſianorum, vrbique vicinas aliquot ædes ad certum obſidij metum demoliebantur; vrbis vigilias, qua vellent ratione, pro arbitrio conſtituebant. Hinc ſub finem menſis Nouembris, tertio
Incipit caſtigare Valencenenſes Noircarmius. Kalend. Decembris, euocatis ad ſe Magiſtratus Conſiſtoriique Delegatis, oſtendit Noircarmius, velle Regem & Parmenſem, vti equitum turmas quatuor, peditum item ſigna quatuor in vrbem ciues admitterent; adderetque futurum, vti eo præſidio Conſiſtorialibus ceteriſque ex pacto viuentibus nulla neque vis neque iniuria fieret, obſidémque eius ſuæ
Extremùm rogat, velint recipere præſidiũ, an declarari hoſtes? fidei filium eſſet traditurus: ſtare eam Regi ſententiam, vti ſi refragari huic ſuo imperio Valencenates contingeret, perduelles eos atque hoſtes eſſet habiturus: domum itaque reuerterentur, ſequentique die Condatum ſibi reſponſum adferrent. Reuerſi Magiſtratus Delegati, coacto minore Concilio, nullo Religionis diſcrimine, honeſtiſſimis ditiſſimiſq; vrbis ciuibus rem proponunt; in horam decimam nocturnam extracta deliberatione, recepturum ſe quod proponeretur præſidium Magiſtratus Conciliúmque affirmant. Verùm quòd Conſiſtorij tum ſuprema
Reliquis recipere volẽtibus, Cõſiſtoriales obſiſtũt. exiſteret penes plebem auctoritas, ne inutilis ea Concilij ſententia exiſteret, militibúſque in vrbem venientibus portæ clauderentur, placet Miniſtros in Curiam aduocari. Ibi tum reſpondet Grangius, Malle, vti faucibus ſibi lingua hæreat, atque inſtar piſcis obmuteſcat, quàm vt hoc quod proponebatur, populo perſuadeat. Cùm itaque iam neque verbis neque conſilio obtineri à Valencenatibus res poſſet, & Famarſium Fœderatum

deratum Nobilem moniturum quoque reiecissent; id est secutum, vti à militibus Condati, ad S. Amandi, ceteríſq; circum vrbem locis dispositis, multis excursionibus malè Valencenates acciperẽtur; deniq; decimo sexto Kal. Ianuarij, id est die 17. Decembris, grauissimo Regio edicto proscriberentur, bonáque publicarentur. Sed ad superiora redeamus. Antuerpiam (quam vrbem eo tempore, Orangio in Hollandiam profecto, Hoochstratanus imperio tenebat) die decimooctauo Octobris noui tumultus excipiunt: pessimorum quorumdam hominum operas ad templa denuò violanda quidam conduxerat; vespereque ad operas eas præstandas in templum B. Mariæ ij homines conuenerant. Intelligit rem Hoochstratanus, ingressus templum tam bellos operarios comprehendit, noctúque è lecto abductum conductorem vnà cum operariis summo mane in foro suspendit. Tumultuantibus quoque dudum, vti ostendimus, Tornacensibus & Valencenatibus, Consistoria passim multa animo versabant, tandem militum delectus in Flandria habere incipiunt. Ducem sese Flandricæ militiæ profitebatur quidam Magister Cornelius, qui ex fabro ferario Minister euaserat: haud longè ab vrbe Insulana ad Marcam vrbi vicinum pagum vna se centuria ostendit; proterunt eam Insulani. Hinc ad pagum Kesenetij castra metatus Magister Cornelius, dum auxilia ad septem ibi dies exspectat, variis è locis multi ad eum veniunt. Ex iis quadringenti à Rassengemio in fugam coniecti, Watrelosium concedunt; templo isthic atque turri ad quatuor sese horas tuentur, inde subiecto igne turre concremata, auxilium iis sacratis locis iure non inueniunt, quorum religionem maiestatemque turpissimo antè sacrilegio contempserant. Habebant alios item circa Tornacum delectus certi qui Duces. Ij magno virtutis suæ testimonio duo Canonicorum Regularium Monasteria, virorum ad superam, mulierum ad inferam Scaldis ripam; Monasterium item Carthusianorum, Canonicorum Nobiliumque priuatas aliquot ædes succendunt: inde iunctis cum Cornelio copiis, insolenter turpitérque circum ea loca rem gerunt. Noircarmius, vti ostendimus, militem circum Valencenas habebat, pluresque ad eum indies milites veniebant. Vno itaque atque eodem die quarto Kalend. Ianuarij, id est 29. Decembris, duobus rusticorum millibus, tercentum præsidiariis Insularum peditibus, centumque equitibus comitatus Rassengemius, sed meliore longè milite Noircarmius, in hostem proficiscuntur. Neuter de altero exaudierat. Antè itaque quàm inuenire hostem Rassengemius posset, cæsum eum à Noircarmio haud longè à Lannoio intelligit, ea hostium clade, vti mille quingentis amissis, ceteris dilapsis, arcem Tornacensem vndecim signis comitatus triumphans Noircarmius ingrederetur, vrbiq;

1566

Valẽcenẽses publicè hostes Regis proclamãtur 17. Decẽbris.

Hoochstratanus Antuerpiæ quosdã tẽpla iterùm violare conantes suspendit.

Copiæ aliquãtæ Caluinistarũ cæduntur à Rassingemio.

Cæsi item alij à Noircarmio, non longè à Lannoio.

1566 Ioannem Croium Comitem Reuſij eum Præfectum relinqueret, qui ciuium armis in Curiam delatis, nullo ita momento omnes Miniſtrorum altercationes, plebiſq; contentiones, vti diximus, fugientibus Miniſtris, componeret; ipſe verò Noircarmius ad ſuos Valencenates domandos regreſſus, magnam Catholicis rei reſtituendæ, melioriſque in poſterum Reip. ſpem efficeret. Hoc iſto anno, menſe Auguſto, die S. Claræ ſacro, Segobiæ in Hiſpania naſcitur Regi Catholico Philippo filia Eliſabetha, deinceps Iſabella Clara Eugenia cognominata, Sereniſſima nunc Belgarum Princeps. Iam pridem, vti ſuprà commemorauimus, Franciſcus Alaua Hiſpanus, Regius in Galliis Legatus, Montigneo in Hiſpanias proficiſcenti iram Regis grauem Belgicis turbatoribus impendere verbis quibuſdam ſignificaſſe viſus erat: nunc ſub finem Decembris eiuſdem litteræ quædam ab ipſo ad Parmenſem ſcriptæ, interceptæque, ad Orangium delatæ dicebantur. Scripſerat equidem eodem tempore ad fratrem Hornanum ex Hiſpaniis Montigneus eas litteras, quibus fratrem ceteroſque de officio commonefaceret, multaq; de Regis graui offenſa commoraret. Exeunte itaque hoc anno, ſeu, vt alij tradunt, ſequenti inchoante, Teneramondam vrbem Flandriæ Orangius, Egmondanus, Hornanus, Hoochſtratanus, & Comes Ludouicus Naſſouius cõueniunt. Lectis iis Alauæ & Montignei litteris, multa Orangius in eam dicit ſententiam, vti neque vi de ſuſcepta ſemel Religione depellendos homines profiteretur, & contra imminentem Regis iram ſeriò cogitari debere affirmaret. Ludouicus fratri aſſentiebatur, multáque de Germanicis auxiliis in medium adferebat. Egmondanus ab Orangij amicitia nondum diſceſſerat; acciderat nihilominùs, vti, iis motibus paululùm ſedatis, qui vno veluti impetu menſe Auguſto irruerant, totum ſeſe ita deinde Egmondanus ad Nouatores coërcendos conuertiſſet, vti, impetratis à Clero Flandriæ octoginta florenorum millibus, Parmenſi auctore, mille quingentos, ac deinde ſumptu Regio alios quoq; octingentos milites conſcripſiſſet; eo fructu, vti cetera, præter Gandauum, Ipras atq; Aldernardum, Flandriæ loca à concionibus conuentibuſq; per ſpeciem dilatarum concionum abſtinerent. Planè itaque atque ingenuè, vti plures credunt, Regi non eſſe ſe repugnaturum Egmondanus profitetur. Hornanus ſuo more militariter multa iactabat; de Hoochſtratano obſcura fama eſt. Vnus Ludouicus liberrimè de auxiliis ceteriſque de rebus quæ viderentur, ita loquebatur, vti pecuniis vndecumque collectis in Germaniam proficiſceretur, auxilia inde in Belgium adducturus. Nulla itaque certa re conſtituta, reuertitur Bruxellam Egmondanus, Parmenſique Alauæ litteras oſtendit. Sub idem tempus Buſcumducis maximis grauiſſimiſque motibus æſtuabat, neque reſtituere vrbis quietem miſſi à Parmenſi Scheiffius

Noircarmius totus ad domandos Valencenenſes accingitur.

Iſabella Clara Eugenia naſcitur, nunc Sereniſſima Belgij Princeps.

Conuentus ad Teneramõdam de litteris Alauæ ad Parmenſem, & Montignei ad fratrẽ.

Putatur Egmondanus ibi ingenuè faſſus, ſe nullo modo velle Regi repugnare. Econtrà Hornanus & alij multa iactant.

fius Brabãtiæ Cancellarius, & Merodius Peterſemij Dominus, niſi quarto menſe poſtquam venerant, potuerunt. Multis altercationibus eò res videbatur deducta, vti pacta ſuſciperentur, quibus conciones intra vrbem tantùm vetarentur, Miniſtriſque certæ quæ leges præſcriberentur. Non placebant conditiones Conſiſtorialibus; neque Parmenſis hoc de iis ſentiebat, vti legibus eos parituros exiſtimaret, aliarum vrbium docta exemplis. Megemus legionem peditum in Geldria Cliuiaq; conſcripſerat. Parmenſi itaque imperante, ad portam Vuchtiam Buſciducenſibus ſeſe oſtendit: mandaſſe ſibi Parmenſem affirmat, vti militem in vrbem adduceret; Parmenſiſque eas litteras in vrbem tranſmittit, quibus perhumaniter de officio commonebantur, præſidiumque neceſſariis vrbi de cauſis imperabatur. Buſciducenſibus veteres ſimultates, ob vicini oppidi Megemi iuriſdictionem, nonnullæ cum Megemo intercedebant. Vt primùm itaque ad eam portam eſt conſpectus, tumultuari vehementiùs intra vrbem eſt cœptum. Antonius quidam Bombergius Agileus eam apud Conſiſtoriales auctoritatem tenebat, vt quæ illi conſilia verbis laudarent, ea ipſe re exequeretur, principémque ſe factioſis ea vrbe hominibus exhiberet. Ad Megemi itaq; aduentum commota vrbe, vnus Bombergius vrbis imperium accipit, Cancellario Merodióque manus iniicit; captos de perduellione, de ſuſceptis cum Megemo in vrbis perniciem occultis conſiliis accuſat, multis verborum contumeliis dolo malo perſuaſa pacta Cancellario Peterſemióque exprobrat. Magiſtratui eum metum concitat, vti quatuor vrbis Centuriones, quibus vniuerſæ vrbis ciues parebant, apud vnum Bombergium ſacramẽta dicere ſineret; Bombergius ea lege ſupremum militiæ imperium acciperet, vti Catholicos ceteroſque pari fide tuteláque contra Megemum defenſurus diceretur. Megemus itaque Buſcoducis digreſſus, Vltraiectum verſus proficiſcitur. Orangius ſiquidem Vltraiecto Bredenrodio tormenta bellica Vianam miſerat, Bredenrodius Vianam nouis munitionibus firmarat, multa exigui ſui oppiduli Vianæ priuilegia, ſummíque imperij poteſtatem oſtentabat: typographos in vrbem aduocabat, libros quos vellent (nequidquam reclamante Parmenſi) excudere permittebat: cuſtodes militéſque pro arbitrio oppidulo impoſuerat, infeſtos ſibi vetere odio Vltraiectinos priuilegiorum quorumdam prætextu multis ad Leccæ fluminis ripam incommodis diuexabat: ſculpta eius imago, Geuſico habitu, cum his verſibus proſtabat:

Sum Brederodus ego, Batauæ non infima ſtirpis
Gloria; virtutem non vnica pagina claudit.

deniq; multorum ſermonibus ad Hollandiæ Comitatum Friſiæq; vetus imperium iure gentilitio Bredenrodius breui peruenturus videbatur.

1566 *Magni tumultus apud Buſciducenſes menſibus quatuor.*

Megemus, iubẽte licet Parmenſi, fruſtrà præſidium Buſcũducis inferre conatur.

Bõbergius Cõſiſtorialis Legatis Gubernatricis manus iniicit.

Megemus Buſcoducis digreſſus, ab Vltraiectinis recipitur.

Multa oſtentat & iactat Bredenrodius.

1567 Intereà Megemus cum milite Vltraiectum ingreſſus, ſicut nullo momento mox ineunte Ianuario anni milleſimi quingenteſimi ſexageſimi ſeptimi Nouatorum contubernia diſturbauit, ita Bredenrodium quoq; metu Vianâ depulit; expugnatáque cataractarum munitione, in ſummas eum coniecit anguſtias. Quæ res vt maximè ita fierent, multumque iam diu Tornaci, Valencenis & alibi Nouatoribus de auctoritate imperioque deceſſiſſet, aliis nihilominùs nouis in vrbibus turbare rem Miniſtri aggrediuntur. Profectus Traiectum ad Moſam Miniſter Hermannus, turbator ille Antuerpienſium præcipuus, eas iſthic turbas mouit, vti ipſis Kalendis Ianuarij in templa Monaſteriáque crudeliſſimè furibundi Caluiniſtæ debaccharentur: ſequerentur exemplum Maſeica & Haſſeletum, quæ oppida ad Epiſcopum Leodienſem pertinent; Traiectum pro parte Ducis Brabantiæ, pro parte Leodienſis Epiſcopi eſt. Gerardus Groesbekius Epiſcopus gratia apud ſuos plurimùm valebat. Itaque non multò pòſt ita rem curare inſtituit, vti Traiectenſibus de officio nequidquam commonitis, Haſſeletum admotis caſtris, mœnibuſque deiectis, deditione; Maſeicam verò obſidionis metu in poteſtatem reciperet. Hermannus fuga elapſus ſupplicium euaſit. Bredenrodius iis temporibus Amſtelrodamo Antuerpiam venerat, militúmque (vti ferebatur) delectus clàm habebat, multis Fœderatis Nobilibus comitatus. Parmenſis itaque Bruxellæ maiore quàm conſueſſet præſidio ſe communit; denique vigilibus, Bredenrodium atque vnà Fœderatos numero viginti ſex vrbe vti arcerent, iubet. Sexto itaque Idus Februarij Parmenſi in eam ſententiam Fœderati ſcribunt, vt multa in ea deſiderarent; illa contrà 14. Kalend. Martij multa auctoritate, ex iis quæ Tornaci, quæ Valencenis, quæ alibi accidiſſe narrauimus, in eos retorquet, his verbis finiens: turpes atque indecoras eſſe eas comminationes quibus vterentur; prudentes futuros, ſi in poſterum iis parciùs vterentur: huic ſuo conſilio ſi parere recuſarent, & Regem & ſe contempti Imperij iuſtiſſimas ab iis eſſe pœnas ſumpturum. Interim Parmenſis de Buſcoducis multa animo verſabat, tum quòd militis recuſati crimen, Legatorumque contumelia ad grauem ſui contemptum pertinerent, tum quòd potentem eam vrbem in Cliuiæ confinio conſtitutam, Rauenſtainio vicinam, peropportunam Geuſiis, ſi pergerent, futuram animaduerteret: multis itaque litteris de officio Buſcoducenſes commonefacit. Reſpondet Bombergius, Orangij Hoochſtratanique imperio Legatos detineri. Negant rem vterque, ſcriptiſque ad Parmenſem litteris mentiri Bombergium aſſeuerant. Ibi tum Bombergius Bredenrodium auctorem enuntiat. Rogatus Bredenrodius de ſe negat, de nonnullis Fœdere ſibi iunctis, quorum auctoritate rem eam Bombergius feciſſet, audiſſe ſe affirmat. Re itaque deliberata,

Noua tragœdia violatorũ tẽplorũ Traiecti ad Moſam, Maſeicæ, & Haſſeleti.

Epiſcopus Leodienſis armis Maſeicam & Haſſeletũ ad officiũ cogit.

Bredenrodius & Fœderati ad Parmẽſem, & ipſa ad illos.

Quid Bõbergius reſponderit de detentis Legatis, notatu digna hiſtoria.

rata, antequam ea vrbe conſtituere Geuſios noui aliquid poſſe arbitrare- 1567
tur, menſe Martio Apparitorem (Oſtiarium armorum dicunt) vnà cum Feciali æneatore Buſcumducis Parmenſis tranſmittit. Ingreditur vrbem Oſtiarius, Fecialem extra vrbem relinquit; coactoque vrbis Magiſtratu, qui tribus iſthic Ordinibus deſcribitur, atque vnà quatuor vrbis Cęturionibus, nouarum item Religionum Delegatis & Antonio Bombergio, in eam ſententiam proloquitur, vti de Legatorum in vrbem meritis, Parmenſiſque quæ legaſſet auctoritate nonnulla præfatus, iniuria Legatos ob Megemi aduentum retineri affirmaret, quòd neque cum Megemo conſilia iniiſſent, & Megemus (quod litteris Parmenſis docuiſſet) ea de cauſa ad vrbem acceſſiſſet, vt non in vrbem irrumperet, ſed pacatum eum militem in vrbem adduceret, quò tuta in poſterum ciuitas quieſceret. Quòd diceret Bombergius, Orangij Hoochſtrataniąque auctoritate rem eam ſe feciſſe, proferre ecce ſeſe vtriuſque litteras, quibus rem eam negarent; facere idem Bredenrodium, qui litteris ad Orangium hoc item à ſe imperatum inficiaretur. Iure gentium ſacroſanctos eſſe Legatos; ſupremam eſſe in Brabantia Cancellarij dignitatem, honeſtiſſimum item ordinem inter Brabantiæ Barones Peterſemium tenere; Regi ipſi iniuriam facere, qui Legatos violarent. Velle itaque iubereque Parmenſem, vti intra horas quatuor & viginti Legatos miſſos facerent, miſſoſque ſine iniuria fide optima vrbe diſcedere, domumque reuerti paterentur: iis ſuis mandatis ſi parere recuſarent, hoſtes ſeſe Buſcoducenſes pronuntiaturum. Reſpondet Magiſtratus, parere ſeſe Parmenſis imperio, neque per ſe ſtare quò minùs Legati vrbe diſcedant. Centuriones, nouæque Religionis Delegati deliberaturos ſe affirmant. Reſpondet itaque die inſequenti pro Nouatoribus Bombergius Agileus, non pertinere ad ſe Oſtiarij mandata, neque Parmenſem, vti ſecum ea de re ageret, imperaſſe. Reſpondet Oſtiarius, imò litteris quas oſtendiſſet, nominatim caueri vt ſibi fidem Buſcoducenſes haberent, & ciuium generali compellatione quoque nouæ Religionis homines contineri, neque eos nouum in ea vrbe per ſe Ordinem poſſe facere. Subiungunt item Centuriones, ſe non niſi Magiſtratus auctoritate Bombergio parere, iuriſiurandi religione impediri, quò minùs reſpondere ſeorſim ſibi liceat. Bombergius, dum Magiſtratus deliberat, quibuſnam rationibus ſatisfieri Parmenſi poſſit, aſſumptis ſecum quinquaginta militibus, ad ſingulas vrbis portas per ſummum tumultum ciuibus claues portarum vi extorquet, domumque clauibus relatis, noua proditione tentari vrbem inſanis vocibus proclamat. Indignè eam contumeliam fert Magiſtratus, multis conuentibus, ſed fruſtrà, de clauibus recuperandis laborat. Captiui Legati, quibuſcum Oſtiarius deliberabat, venire ad vrbem

Mittit Parmenſis Buſcumducis Apparitorem & Fecialem.

Multis rationibus oſtendit Apparitor. iniuſtè detineri Legatos.

Itaque dimittant eos, iuſſu Parmenſis; alioquin hoſtes declarandi.

Parente Magiſtratu, arrogãter Bombergius cum ſuis obnititur.

Vi claues vrbis ſibi vendicat idem Bombergius.

1567 bellum denuntiaturum Fecialem nolebant. Accedit itaque Bombergium Oſtiarius, rogat diſcedendi poteſtatem ſibi faceret. Reſpondet; diſcederet, Dominæ ſuæ renuntiaret, antè ſe Legatos non eſſe dimiſſurum, quàm hoc ſibi Bredenrodius imperaret; Cancellario eos ſeſe cuſtodes eſſe adhibituros, quos fallere difficulter poſſet. Reuertitur itaque Bruxellam re infecta Oſtiarius; multíſque contumeliis Cancellarium, indulgentiùs Peterſemium Bombergius habet. Parmenſis de militibus non niſi ſuo imperio legendis aliquoties edixerat: contemnit rem eam Bredenrodius, Antuerpiæ per certos iſthic homines militem legit. Parmenſis Orangium ea de re monet. Clàm itaque, conniuente, quod exiſtimabatur, Orangio, Antuerpiâ Duces militeſq; nauigio diſcedunt; accedunt plures in itinere, quod in Hollandiam ad Bredenrodium ſuſcipere ſeſe profitebantur. Parmenſis, quod res erat, Zelandiam cogitare iſtam militiam arbitrabatur. Rebus itaque in Flandriæ littoribus ab Egmondano ita procuratis, vti, ſi in Walchriam venire Tholouſium nouæ militiæ Ducem contingeret, alio quoque itinere è Flandria militem in inſulam adduceret, inſulanos de periculo commonefacit. Repulſus itaque Tholouſius, retrò vnde venerat conſcenſo flumine, Antuerpiam contendit, inque aggeribus ad Ouſterwelium, foſſis vallóque communire caſtra conſtituit. Parmenſis (ſiue quòd Antuerpiæ metueret, ſiue quòd eas breuî copias habituri hoſtes dicerentur, quibus vincendis niſi iuſtus exercitus non ſufficeret) celerrimè curandam ſibi rem arbitratur. Noircarmio Valencenam obſidenti auferri miles non poterat. Beauuoirio itaque è Bruxellenſi preſidio quadringentos milites, duo ſigna Axeliâ ab Egmondano ſubmiſſa, aliis item è locis nonnulla Parmenſis attribuit. Qui profectus celerrimè, ſubitò, tertio Idus Martij, hora ſexta matutina, cum hoſte eo euentu confligit, vti Tholouſio cæſo, militibus vel intra ædes exuſtis, vel flumine ſubmerſis, vel pugnando interemptis, ingenti è numero, fuga ſalutem perpauci inuenirent, captiui in Beauuoirij poteſtatem tercentum peruenirent, quos iugulari ad vnum omnes idcircò imperauit, quòd erupturi Antuerpienſes hoſtibuſque ſubſidio venturi dicerentur. Antuerpienſes è mœnibus conflictum ſpectabant, magnáque animi indignatione cùm vicinas vrbi flammas, tum inſperatas miſerorum, quos dicerent, fidelium fratrumque ſuorum cædes intuebantur. Armis itaque correptis, nullo certo Duce, ad Pontem Merium numero ad 15. millia Nouatores conueniunt, ſexdecimque correptis maximis vrbis tormentis Pontis aditus communiunt. Orangius, quod oſtendimus, anni ſuperioris menſe Septembri ſigna aliquot modeſtorum ciuium conſcripſerat: vt primùm itaq; de Nouatoribus Caluiniſtis eſt exauditum, ſonaríque, vt in tumultu fit, tympana tota vrbe cœperũt, confeſtim forum Curiámque

Dimittit Apparitorẽ ad Parmenſem cũ ſuperbo reſponſo.

Milites à Bredẽrodio Antuerpiæ collecti Zelandiam cogitant.

Repulſi à Walchria verſus Antuerpiã redeunt, ad Ouſterweel.

Subito à Parmenſi collecto milite, cæduntur.

Tumultuantur ob hoc vehementer Antuerpiæ Caluiniſtæ.

que octo ſigna prę ſidiariorum militum occupant: Caluiniſtas, qui Ponte Merio conuenerant, ad forum accedere non permittunt. Indignè id ferre Caluiniſtæ; ad Pontem Couporbruggium altera quatuor Caluiniſtarum ſe millia conferunt, collatiſque cum iis, qui ad Merium conſtiterant, conſiliis, de foro Curiaque inuadenda deliberant. Orangius atque Hoochſtratanus magna animi moderatione, ſummoque ſtudio ac diligentia omnem in partem vigilabant. Accedit itaque Couporbruggianos Hoochſtratanus: multa ibi homines ſeditiosè; proditorem Hoochſtratanum compellant, armis minantur, ſclopeta in pectus protendunt. Blandè agere Hoochſtratanus, ita homines demulcere, vti Couporbruggio deductam vnà ſecum ad Merium omnem eam hominum multitudinem adduceret. Erat tum in Ponte Merio Orangius, atque vnà cum Stralio de re componenda grauiter laborabat. Reſpondent Caluiniſtæ, iniuria ſeſe foro atque Curia arceri, tam ſibi quàm militibus ea loca patere debere. Reddit Orangius, ſi in foro atque Curia inſolenter rem nullam acturos ſe promitterent, futurum, vt promiſcuè vnà cum militibus excubias iis locis habere permitterentur. Placet conditio. At vixdum probata conditione, claues ſibi tradi, vrbiſque ſibi portas confeſtim aperiri Caluiniſtæ idcircò poſtulant, quòd magnam lectiſſimorum ciuium manũ ad vlciſcendam fratrum cædem vrbe ſe emittere velle profiteruntur. Nec mora; è Ponte Merio ad portam concurritur; Orangióq; prę ſente, refracto minore oſtio, ſummo cum tumultu rem agere inſtituunt. Ibi tum Orangius; Egrederentur: ſexcentos eſſe in ſuburbiis inſtructos equites; ſi ſibi minùs crederent, futurum, vti ſuo ipſi periculo ſaperent; in vrbem ſe reuerti, neceſſariò deſeri eos à ſe deberi, qui iſto modo rem agerẽt. Quæ Orangij verba vt ſunt audita, ſimulque Orangium redire homines conſpexerunt, ira eatenus ſedata, retrò ad Pontem Merium reuertuntur: atque iſthic in horam ſeptimam veſpertinam eo euentu de foro litigant, vti è Merio nonnulla ſigna in forum, & è foro nonnulla in Merium ad inſtantes nocturnas excubias adducerentur; iunctiſque iſthic copiis, *Viuant Geuſij*, fauſtis ſalutationibus ſæpiùs atque diu toto foro Merioque clamaretur. Die inſequente pridie Idus Martij domum ab excubiis Caluiniſtæ non diſcedunt: armati per eccleſias Monaſteriaque diſcurrunt, Presbyteros atque Monachos ædibus profligant, magniſque vrbem atque diuitum tabernas motibus conturbant. Non fert eam peſſimorum hominum inſolentiam Orangius. Sub veſperam itaque re cum Magiſtratu, Decanis, mercatoribuſque deliberata, vi armata agere cum Caluiniſtis inſtituit. Idibus itaque eiuſdem menſis Martij, Oſtrelingis, Alemannis, Italis, Hiſpanis, Luſitanis, Anglis mercatoribus comitatus, ingenti cõtracta eorum hominum manu, qui Confeſſionem Auguſta-

1567

Placant eos vt cumque Orangius & Hoochſtratanus.

Mox nihilominùs erumpere volunt, ad vindicandos fratres cæſos.

Vix cohibentur ab Orangio; inde armati ad pontẽ Merium redeunt.

Nec poſtridie diſcedunt; interea per Monaſteria variè bacchãtur.

1567 Auguſtanam ſequi ſe profiterentur, multiſque bonorum ciuium coactis copiis, ea hominum multitudine, quæ triplo Caluiniſtis maior exiſteret, vnà cum Hoochſtratano rem aggreditur. Caluiniſtæ contrà tota vrbe excitis hominibus, multa quoque verbis moliebantur. Verùm quòd pares tantæ hominum multitudini non exiſterent, per ſuos illos Miniſtros, coſdem & Euangelij & belli principes, pacem iis conditionibus poſtulant, vti armis depoſitis, eas leges acciperent, quas pridie recuſarant. Erant autem earum legum iſta capita: Fidem Regi atque vrbi præſtarent. Militem peregrinum intra vrbem, niſi aſſentientibus omnibus in vniuerſum vrbis Collegiis, Orangius Magiſtratuſque non admitterent. Priuilegia vrbi iurata conſeruarentur. Pacta menſis Septembris anni elapſi rata exiſterent. Diuerſarum Religionum homines tranquillè rem haberent. Portarum claues Orangius teneret, iis pro arbitrio vteretur. Nocturnas diurnaſque excubias nullo Religionis diſcrimine accuratè ciues haberent. Obliuione (Græcè ἀμνησία) omnis rerum præteritarum memoria deleretur. Quibus eius diei excubiæ imperatæ non exiſterent, domum reuerterentur. Orangius, vrbiſque Collegia quadringentos equites legerent, naueſque in flumine bellicas haberent. Ciues Clericiq; pecunias in res eas conferrent. Tormenta bellica in vrbis mœnibus collocarentur. aliaq; in eam ſententiam præterea nonnulla. Atque hæc Antuerpiæ: iam ad Valencenates redeat narratio; in vnius enim illius vrbis fortuna omnis Geuſicarum rerum ratio conſiſtebat. Noircarmius, quod demonſtrauimus, milite itinera adituſque circum vrbem diu obſidebat, lentoque vrbem bello fatigabat. Et quidem ipſe ſupremum exercitus imperium tenebat, conſilio tamen Maximiliani Hennini Comitis Boſſuti, Goignei, Briartij, Criſſonerij, Iaſparis Roblij, Domini Billij Largillæque, permultum vtebatur. Fœderati Geuſij, quòd iſtis auctoribus bellum traheretur, ſeptem hos iſtos Dormientes ſcommate compellabant. Copias Noircarmius in exercitu has habebat: Equites cataphractos, Ducis Arſchoti cohortem CCL. equitum, Marchionis Bergenſis CC. Boſſuti CC. Comitis Rhodij CCL. Montignei CL. equites ſclopetarios, Terlonij C. Bommij C. Pedites; ſigna veteranorum deducta Querceto, Landrecheo, Aueſna, Marienburgo, Philippevilla, arce Cameracenſi ſex, ſignis ſingulis ad CL. capita: nouorum militum Ægidij Barlaimontij Domini Hiergij legionem ſignorum ſex; Caroli Mansfeldani legionem ſimiliter ſignorum ſex; altera item ſigna quinque Balduini Gaurij Domini Inchij, Berencourtij, nothi Bignicourtij, Preuſij, Rongij, & è legione Comitis Rhodij ſigna duo. Noircarmius nuntiis litteriſque de officio Valencenates ſæpiùs commonefecerat: non placebant conditiones Caluiniſtis, multáque de Tornaco commemorant,

Tertia demum die armatis in eos aliis vix leges admittũt.

Inter alia, peregrinus miles non admittatur, portarum claues Orangius teneat.

Valencenenſes ludunt in obſeſſores ſcõmate Septẽ Dormientium.

Copiarum deſcriptio ad Valencenas.

quòd

quòd in præſidiis ſeruitutem accepiſſent; pluráq; intra vrbem de Moyſis, Ioſue, Machabæorum fortitudine, magníſque retrò miraculis, concionibus Miniſter Grangius recitabat. Parmenſi itaq; auctore, Arſchotanus atque Egmondanus Beuuragium arcem vrbi Valencenæ vicinam proficiſcuntur, Valencenatúmque Legatis pridie Idus Martij ad ſe accerſitis, pericula oſtendunt; multa de Parmenſis ſuóque in vrbem ſtudio commemorant, certamque rei reſtituendæ rationem proponunt. Reſpondent Legati, terreri ſe Tornacenſium exemplo; poſtulare, vt Orangio Hornanóque præſentibus de re tanta videretur, conditionéſq; deſcriptæ ſibi exhiberentur. Placet quod de ſcripto poſtularent; de Orangio Hornanóque nil ſe habere in mandatis aſſerebant: de Tornacenſibus, tabulis teſtimoniiſque rumor refellitur. Et quidem conditiones in hanc erant ſententiam deſcriptæ: Si vrbe dedita militem acciperent, futurum, vt totos dies quindecim diſcedendi, bonáque auferendi cuiuis facultas tribueretur; ceteris, ſi in officio permanerent, Regiiſque Edictis parerent, ſine iniuria morari in vrbe permitteretur. Quæ de Religione Edictis iam eſſent à Rege conſtituta, ceteráque quæ in poſterum iis de rebus Regiorum tribunalium Ordinúmque iudicio Rex eſſet promulgaturus, perinde ad Valencenates atque ceteras Belgarum vrbes ditionéſque pertinerent. Præſidiarij milites moleſti ciuibus ob rerum præteritarum memoriam non eſſent futuri. Si quis grauiorum criminum ſe ſuſpicione volet expurgare, id ei iure liceret. Proponunt Valencenatibus reuerſi in vrbem Legati. Inde 17. Kalend. Aprilis numero decem pro obſeſſis in hanc ſententiam reſpondent: Magnas habere Valencenates gratias Arſchotano Egmondanoq; quibus curæ vrbis ſalus exiſteret: neque recuſaſſe ſeſe vmquam, neque in poſterum ea eſſe recuſaturos, quæ Parmenſem atque vniuerſos ſimul Status Senatores imperare ſibi contingeret: per quos ſi id à ſe poſtularetur, vt milite recepto, Religione ſua abſtinerent, & contrà quàm ſibi Proceres futurum promiſiſſent, obtineri res aliter non poſſet; flagitare, vti cuiuis poſtulanti, diſcedendi bonaque auferendi facultas tribueretur: neque antequam eſſent homines digreſſi, bona auexiſſent, vrbem miles ingrederetur, dieſque huic rei conficiendæ idoneus conſtitueretur. Crimen Maieſtatis, ceteraque quorum rei dicerentur, abolerentur. Milites nullis ciuium impenſis pecuniiſque modeſtè rem gererent. Indignè eam ſuperbam atque intempeſtiuam hominum reſponſionem ferunt viri Principes, multáque Egmondanus verborum acrimonia Legatos obiurgat, cùm, quòd durante colloquio inducias Valencenates violaſſent, tormentíſq; obambulantes Regios quoſdam milites occidiſſent; tum quòd ipſius Parmenſis de cæde Tholouſij certiſſimis litteris nequidquam mouerentur. Reſpondent Legati, plebem

1567 *Miniſtri Valencenates multa de magnis retrò miraculis.*

Agit blandè cum Valencenatum Legatis Arſchotanus & Egmondius.

Proponunt conditiones, quibus ſe dedant.

Vim habet, quod dicunt, Vniuerſos Senatores ſimul.

Reputatur ſuperbum Legatorũ reſponſum.

1567 bem imperium vrbis tenere, obtineri rem aliam non potuiſſe. Non accipiunt excuſationem Parmenſis Legati Noircarmiuſque; retróque, vnde venerant, reuerti eos in vrbem iubent. Ibi tum in genua prouoluti vrbis Legati multa obteſtantur, & in his Petrus Raſorius vrbis Præpoſitus cum primis abeſſe ſibi ab ea vrbe liceret, in quam reuerſo cædes ab inſana plebe immineret, deprecatur. Reſpondet Egmondanus, ſi manerent, futurum vti fidem publicam violatam Caluiniſtæ quererentur: in vrbem itaque reuerterentur; id ſi recuſarent, vinctos curribúſque impoſitos in vrbem eſſe ſe Legatos remiſſurum. Concordiæ itaque ſpe omni ſublata, cæſo Tholouſio, qui ſubſidio venturus vrbi dictus fuerat, ad vrbis expugnationem Noircarmius ſe totum conuertit; copiiſque Beuuragium Saluiumque adductis, magno ſtudio rem agere inſtituit. Valencenates rumorem de cæſo Tholouſio confictum arbitrabantur: magnis itaque animis ad vim ſuſtinendam ſe componunt. Grangius Miniſter & quidam alter ſuaſores exiſtebant, vti ſubſidia è Francia in vrbem adducerentur; ſed perſuaderi ea res ciuibus non poterat, tum quòd graue id crimen futurum profiterentur, tum quòd Francis vetere odio infenſi parum id conſilij probarent. Erant omnino ciuibus permixti veterani aliquot milites, Ducemque ſibi ciues ſtrenuum quem militem delegerant. Egreſſi itaque portâ Cardoniâ Regios milites inuadunt, pugnandóque eum metum illis iniiciunt, vti non vrbicorum, ſed optimorum fortiſſimorumque veteranorum militum copias vrbem ingreſſas multi arbitrarentur. Decimo tertio Kalend. Aprilis ſtationibus ita diſpoſitis, vti Carolus Mansfeldanus totum eum tractum tueretur, qui eſt à porta Cardonia vſque ad portam Cameracenſem, Hiergius à porta Anſima vſq; ad portam B. Mariæ, peditatus reliquus apud tormenta conſiſteret; ſub veſperâ occupato ſuburbio portæ Montenſis, foſſis aggeribuſq; perductis, ita tutò intra aggerem militem adducit, vti depelli nulla neque vi neque arte ab obſeſſis poſſet. Hinc vndecimo Kalend. eiuſdem menſis quatuor cannonibus (liceat rem barbaram barbarè efferre) & ſex dimidiatis cannonibus, deiectis propugnaculis; decimo Kalend. (quæ erat Dominica in Ramis palmarum) adductis aliis vndecim cannonibus, mœnibus portáque Montenſi concuſſis, eos rerum motus intra vrbem concitauit, vti ſub meridiem nulla exceptione vrbem ſeque Regi ciues dederent, militémque quem vellet Noircarmius ſub veſperam in vrbem adduceret. Mox nono Kalendas eiuſdem Aprilis verſus Cameracenſium ciuitatem Epiſcopo repugnantem copias nonnullas Noircarmius tranſmittit: fugiunt ad ſolum eum rumorem Caluiniſtæ, vrbéque deſerta, facilem Epiſcopo, qui milites in vicino nonnullos habebat, victoriam eo euentu efficiunt; vti Epiſcopi militibus in ciuitatem admiſſis,

Vnus Legatorum fruſtrà apud Regios manere deprecatur.

Noircarmius tandem omnino ad expugnandā vrbem ſe conuertit.

Erumpunt fortiter Valencenates in obſeſſores.

Deiectis mœnibus & porta, Noircarmius in vrbem admittitur.

Hinc mox quoq; reſtitutum Cameracenſium, fugientibus Caluiniſtis.

admiſſis, res iſthic paruo momento componeretur. Noircarmius, vr- 1567
be Valencena hunc in modum recuperata, vno atque altero die, dum ad Parmenſem rem refert, ita in vrbe quieſcit, vti ſeditionum principes, & in his vterque Miniſter, vnà cum Michaële filio clàm diffugerent. Pòſt nihilominùs à quodam ruſtico delati, qui ob gladij ſericeam vaginam, quam Michaël geſtabat, alicuius ſe momenti habere domi latitantem hominem fortè dixiſſet, comprehenſi à Prætore ſancti Amandi initiò Tornacum, inde vincti Valencenas Miniſtri Michaëlq; ſunt remiſſi. Coniectus inde ſimiliter in vincula pater Michaël, ingenſque ceterorum hominum multitudo, pœnæque de damnatis ſunt ſumptæ. Atque hæc eſt illa famoſæ tunc vrbis Valencenæ calamitas; cuius deditionem ea ſunt toto Belgio conſecuta, vt iam repertæ ceterarum vrbium claues dicerentur. Valencenis hac ratione recuperatis, cùm Traiectum ad Moſam, iconomachis nouis inde exturbandis, iuſſu Parmenſis Noircarmius properaret; Kalendis Aprilis Traiectenſium Legati, quòd eum cum exercitu & duodecim cannonibus propè adeſſe cernerẽt, futuros ſe in officio Principibúſq; ſuis parituros Parmenſi affirmant, nulláq; tergiuerſatione militem in vrbem admittunt. Intereà Orangius, quo erat ſolerte ingenio, ſi qua ratione rebus labantibus ſuccurri poſſit, circa Aprilis initium Hellegatæ cum Proceribus aliquot Belgicis multa conſultat. Vbi (vti ferebatur) cùm tam Nobilium multorum, quàm vulgi inconſtantiam exactiùs perſpexiſſet, temporis iniquitati cedendum ſtatuit. Itaque tertio Idus Aprilis Antuerpiâ Bredam proficiſcitur, negotia ſibi magni momenti priuata in Germania eſſe ſimulans: comitabantur eum Antuerpiâ Bredam permulti; atq; inde non multò pòſt in Germaniam eſt profectus, omnibus ſibi ſpecialibus addictis diſceſſum ſuadens. Sub idem tempus, Parmenſis iuſſu, Noircarmius vt metu victoris exercitus Antuerpiam terreret, Orangiíque è vicino conſilia turbaret, Turnhouti cum exercitu tamdiu ſubſiſtit, quoad Antuerpiam, rebus pacatioribus, Parmenſis ingrederetur; quod hac eſt ratione procuratum: Venerant ad Parmenſem à Magiſtratu Antuerpienſi certi qui Delegati;

Pœna de præcipuis Valencenatũ turbatoribus ſumpta.

Noircarmius Traiectũ properans, & ibi admittitur.

Orangius Antuerpiã Bredam, indeinGermaniam diſcedit.

„ cum iis itaque hiſce legibus rem conſtituit: Nouarum Religionum Mi-
„ niſtri intra certum diem (quod per Parmenſem tutò liceret) vrbe diſce-
„ derent. Conciones, ceteráque nouarum Religionum miniſteria tolle-
„ rentur. Catholicorum Eccleſiæ Religioque reſtituerentur. A nouorum
„ templorum ædificatione ceſſaretur; templáque, ſi Rex imperaret, deiice-
„ rentur. Regi ſe ciues iureiurando ſolemniter obſtringerent. Apoſtatæ,
„ exules, ceteríque malæ notæ homines vrbe pellerentur. Milites, qui Ma-
„ giſtratui militarent, quamdiu intra vrbem exiſterent, in præſentis formæ
„ ſententiam ſacramenta dicerent. Res eas ſi ciues preſtarẽt, nulli Religio-

Leges conſcriptæ quibus Parmenſis Antuerpiã veniret.

1567 né quam eſſent ſecuti, damno iniuriæve futuram. Qui tamen rei Maie- "
Inter alia error Religionis condonaretur, non tamen iconomachia. ſtatis, templorum violatorum, perduellioniſq; exiſterent, ad eos hãc abo- "
litionem non ſpectaturam. Qui legibus, quas ferre Regem de Religio- "
nis obſeruantia contingeret, parere recuſaret, huic diſcedendi facultatem "
futuram. Has ſe conditiones ea lege promittere, ſi Regi probarentur. Ac- "
cipiunt conditiones Antuerpienſes, nouiſque obſignatis templis, quarto Idus Aprilis, Magiſtratu imperante, Miniſtri Martiniani Caluiniſtæq; vrbe diſcedunt: inde exauctoratis vrbis militibus, qui magnam ea ſe ratione iniuriam pati querebantur, Petrum Erneſtum Comitem Mansfeldium cum ſex veteranorum ſignis, Caroli filij legione, Beauuoiriiq; nõnullis cohortibus vrbem ingreſſum, quarto Kalendas Maias Parmenſis ſeptingentis equitibus, trecentiſque ſclopetariis comitata ſubſequitur; iiſque conſiliis ita rem procurat, vti tota Flandria nouarum Religionum templis deiectis, incredibili celeritate nouarum Religionum publica miniſteria euaneſcerent, anteſignani plures diffugerent, nonnulli comprehenſi pœnas darent, Cominij noui templi trabibus in patibula commutatis, nouorum templorum auctores appenderentur. Buſciducis auctoritatem recuperare Magiſtratus diu nequiuerat; quin poſt illos, quos oſtendimus, vrbis maiores motus, Magiſtratui cum bonis aliquot ciuibus de Repub. deliberanti Caluiniſtæ apertam vim fecerant, effractiſq; Curiæ foribus, quinto Idus Aprilis ob propoſitam quam iuriſiurandi nouam formulam totum eum diem tumultuati fuerant. Verùm quæ res accidere in eiuſcemodi negotiis conſueuit, vti plebs nullo certo iudicio ſubitò commota, ſeditionum auctores ſimiliter facilè deſerat, id erat ſecutum, vti, animis ſedatis, quadringentos è toto ciuium numero fidos milites Magiſtratus adlegeret, Cancellarium Peterſemiumq; tertio Idus eiuſdem Aprilis domum remitteret; ſeditionum principes vrbe diffugerent; inde, accerſito à Parmenſe Megemo, qui copias cum Noircarmio coniungeret, Regióq; exercitu ad vrbem accedente, militem à Parmenſe præſidio acciperet, eámque in poſterum Religioni atque Regi vrbem reſtitueret; quę pòſt ſingulari virtute conſtantiáque ea optimorum ciuium exempla proferret, quibus illuſtriora difficulter poſſint. Bredenrodius dudum, cæſo Tholouſio, multis Geuſiis comitatus Amſterodami morabatur, militibúſque multis totis circum agris palantibus, multa inter immania pocula dira deſertoribus perfidiſque minabatur. Parmenſis Amſterodamum Torrium Secretarium tranſmiſerat, qui excedere Amſterodamo Bredenrodium iuberet: contempſerat Legatum Bredenrodius, multíſque verborum contumeliis non ſe dignum, vti aiebat, hominem reiecerat. Fœderati Nobiles eius aſſeclæ multò etiam grauiore iniuria ita rem egerant, vti ædibus, quibus morabatur, prodire eum nõ pateren-

Diſcedentibus Miniſtris, miles Antuerpiam ingreditur; mox etiam Parmenſis.

Durat adhuc tumultus Buſciducis.

Tandem & ibi miles Regius admiſſus, dimiſſis captiuis Legatis.

Torrius nomine Parmenſis iubet Bredenrodium Amſterodamo diſcedere.

terentur: chartas inſtrumentáque quæ publica priuataque habebat, diriperent; cædem poſtremò modò verbis modò armis minarentur. Magiſtratus, qui præclarus ſatis ea tunc vrbe exiſtebat, eam Torrij iniuriam deprecaturus Bredenrodium accedit. Reſpondet Bredenrodius, præſtare ſe alienam culpam non debere, ſuo imperio atque iuſſu res eas non committi. Clàm itaque cum Torrij hoſpite re deliberata, nocte vrbe Torrium Magiſtratus dimittit. Megemus Noircarmiuſque, Buſcoducis recuperato, per Geldriam in Hollandiam contendebant: quæ res vti Vianæ (eſt ea vrbs primaria ditionis Bredērodiæ) intellecta fuit, nihil ſiſi munitionibus nouis præſidiarij vrbe deſerta Amſterodamum ad Bredenrodium diffugiunt; vrbéque Ericus Dux Brunſvvicenſis, qui in vicino copias habebat, potitur. Bredenrodius ad vim ſuſtinendam nondū ſe ſatis compararat, neq; ea rerum inclinatione manendum ſibi Amſterodami exiſtimabat. Kalendis itaque Maij, naue conſcenſa, in Friſiam Orientalem, numquam domum rediturus, proficiſcitur; Fœderatóſque, vti ſubſequantur, monet. Megemus Arembergiúſque, qui ſe Noircarmio coniunxerant, iam illis imminebant. Omni itaque ſpe deiecti Fœderati, & eorumdem ſtudiorum alij complures, ex agris quorum Monaſteria diripuerant, (inprimis Egmondanum illud celeberrimum) quinto Nonas Maij, id eſt die eiuſdem tertio diffugiunt. Megemus fugientes inſequitur, centum in littore deprehenſos cædit: Fœderati, qui in vrbe exiſtebant, & Bredenrodium nondum erant ſecuti, nauem & ipſi multis cum ſociis conſcendunt. Ferunt ab ebriis iniuriam factam nauclero; ea commotum noctu in Arembergij poteſtatem nauem deduxiſſe. Vtcumque res ſit, Harlingam naue adducta in carcerem coniecti ſunt. Inter hos fuêre duo Domini Batemburgij fratres, duo etiam Nobiles Friſij, Galama & Beyma, aliíque nonnulli, quorum ſeptem Viluordiam vecti, alij aliis locis morte poſteà mulctati ſunt. Exonerato itaq; hunc in modum Amſterodamo, nullo momento cum Regiis Ducibus Amſterodamenſes, præſidio in vrbem admiſſo, rem componunt, eo rerum ſucceſſu, vti non ea modò vrbs, in qua momenti plurimùm exiſtebat, ſed tota quàm latè patet Hollandia Zelandiáque, totúmque adeò Belgium, Religione reſtituta, hæreticis vel profligatis vel dilapſis, officium ingenti alacritate præſtaret, & de obſeruantia obſequióque erga Parmenſem certaret. Sub idem tempus quoque Belgio diſceſſerunt Hoochſtratanus, Comes Bergenſis, Culenburgius, & è vulgo ingens hominum multitudo. Diu anxius fuerat Rex Catholicus, quamnam morbo ſuperiori adeò vehementi commodam adhiberet medicinam. Tandem ſub finem mēſis Martij anni præſentis, conuocato Procerum Hiſpaniæ generali ſanctioríque Concilio, ſtatuiſſe ſe dicit in Belgas rebelles ex eorum numero

1567

Acceptis contumeliis, vix Torrius euadit.

Nihilominùs appropinquantibus Regiis. Bredenrodius fugit.

Batemburgij fratres aliiq; Nobiles à nauta Arembergio traduntur.

Relinquūt quoq; tunc Belgium Hoochſtratanus & alij.

1567 vnum aut duos iuſta peditum equitumque Hiſpanorum, Germanorum ac Italorum cum manu mittere; cupere igitur, duos ſibi nominent. Reſpondent ſuæ Maieſtatis eſſe nominationem, libenter ſe tum ſententias dicturos. Nominat Rex è Toletanis Ferdinandum Aluareſium Albæ Ducem, ſexageſimum quintum ętatis annum ingreſſum; ac è Mendoziis Medinæ cęli Ducem, quinquageſimum agentem annum, quòd vterque apud Belgas ſub Carolo V. Cæſare militaſſet, ac proinde eorum conditiones ſatis perſpexiſſent. Sed quòd diuerſiſſimæ eſſent naturæ atque ingenij, diu variantibus ſententiis eſt diſceptatum vter eſſet præferendus. Qui Regi erat à confeſſionibus, vti accepimus, clementia ac benignitate reducendos continendóſque Belgas in officio ſuadebat, longáque oratione in Senatu perſuadere id nitebatur, inter cetera ſic prolocutus: Diuinæ « ſunt virtutes, Sereniſſime ac clementiſſime Rex, clementia, liberalitas ac « gratia. Deficiet dies, ſi hæc exemplis probare velim. Maieſtas tua oculos « tantùm coniiciat in parentem Carolum Cæſarem, qui vno pęnè eodem- « que tempore, cùm expertus eſſet rebellionem paternorum ſimul mater- « norumque Regnorum, Auſtriæ ſcilicet ac Hiſpaniæ, iis domitis, pauciſq; « auctoribus ducibúſque ſupplicio affectis, erga ceteros ſumma vſus eſt « clementia ac gratia. Itidem rebellionem maximam in Imperio ſenſit « Germanico: ſed deuictis perduellibus, captiſque duobus Ducibus pri- « mariis, pauciſſimis ſupplicio admotis, ceteris ignouit. An non eadem « clementia vſus eſt erga recalcitrantes Neapolitanos, Baleares, Ganden- « ſes, Geldros, Cliuios? Poſtremò & erga veteranos milites Hiſpanos, qui « ſub annum quinquageſimum huiuſce ſæculi, duce Conſaluo Piſarra ac « Franciſco Caruaiale, vniuerſam ditionem Peruanam, excluſo Cæſare, « ſuæ poteſtatis facere conabantur, multáque prælia ſecunda contra Cæ- « ſarianos fecerant. Sed tandem, non ſine Dei auxilio victi debellatique, « punitis Ducibus, ceteri in gratiam ſunt recepti. Secutus es, Sereniſſime « Rex, in hoc vſque tempus patris tui exempla, rebelles non ſemel huma- « niter habuiſti: rogo ſuadeóque idem Belgæ experiantur. Bellicoſi ſunt « Belgæ, bellicoſiſſimiſque vicinis ambiuntur: ſi ſemel opes, conſilia, vi- « réſque iunxerint, ingentem tragœdiam, diuturnúmque atque anceps ex- « citare poterunt bellum. Silente iam dicto Oratore, diu Rex ab eo ocu- « los non dimouens, omnibus ſuſpicionem iniecit, gratam fuiſſe eam orationem, ac proinde amplexurum Regem, niſi contrariis rationibus ab ea dimoueretur. Et quoniam magnæ Procerum parti, præcipuè Toletanis, placebat Belgas in ordinem cogi, Præfectum ſacræ Inquiſitionis, virum eloquentem, vehementem, cum Toletanis ſentientem inducunt, contrariam in partem aliquid adferat. Cùm itaque loquendi facultatem rogaſſet, Rexque annuiſſet, hac ratione inter cetera diſſeruit:

Quid interea de reſtituendo Belgio Rex in Hiſpania deliberarit.

Diſceptatur, num Albanus, an potiùs Medina ſit in Belgium mittendus.

Confeſſarius Regius clementia Belgas reducendos ſuadet.

Præſertim quòd Belgæ ſint bellicoſi, & alioqui diuturnum fore bellum.

» ruit: Quid noſtra ſanctiſſima Inquiſitio admiſſa aut reiecta effecerit, 1567
» Sereniſſime Rex, ſolius quoque patris veſtri Caroli Cæſaris res geſtæ *In contrarium differit Præfectus Inquiſitionis.*
» documento erunt. Fortiſſimè enim ille ſuperauit rebelles, ſed non do-
» muit omnes. Superauit & domuit, ſacræ Inquiſitionis auxilio hîc in
» Hiſpania, Italia, ac apud Baleares. Superauit, ſed non domuit, in Au-
» ſtria ac Germania, quòd Inquiſitionis opem ibi non adhiberet. Apud
» Belgas ſuperauit & domuit, quamdiu Inquiſitio locum habuit. Ea
» ante biennium à rebellibus exacta, ad vomitum rediere. Sentiant con-
» tra quem Regem, qualeque Imperium criſtas erexerint: intelligant ve-
» ritatem ſententiæ viri Ethnici Chriſtiano pectore dignam: Nocet bo- *Vrget illud; Nocet bonis, quiſquis pepercerit malis.*
» nis, quiſquis pepercerit malis. Arma armis opponantur, viri viris, ani-
» mi animis, citò experiemur qua parte ſtet Deus. Tacente Inquiſitio-
nis Præfecto, Rex non parum eius verbis commoueri, diuerſiſque agi-
tari cogitationibus videbatur. Tandem perquiſitis ſententiis, cùm ma-
iorem Procerum partem in poſterioris orationis ſententiam pedibus
ire conſpiceret, & ipſe illuc animum inclinauit. Sic Albano Belgij Præ- *Perquiſitis ſententiis, Albano Præfectura Belgica defertur.*
fectura defertur. Eam quomodo idem aggreſſus ſit, lubet verbis ip-
ſis, quoad fieri poterit, Mendoſæ Hiſpani, expeditionis huius ſocij, nar-
rare. Albanus (inquit) vt valedicat Regi, qui tunc Acanieuzæ erat, die
decimo quinto Aprilis anni ſexageſimi ſeptimi ſupra ſeſquimilleſimum,
Madridio diſcedit, manſitque cum Rege vſque diem eius menſis deci-
mum ſeptimum, quo profectus eſt, vti Carthagine Hiſpaniæ claſſem
conſcenderet. Præſtolabatur eum Ioannes Andreas Doria ſeu Auria
cum triginta ſeptem triremibus; in quas impoſitis ſeptemdecim Hiſpa-
norum peditum ſignis (erant ea recèns conſcripta, vti in Sicilia, Sardi-
nia, Longobardia, & Neapoli, vnde veterani ad expeditionem Belgicam
erant aſſumendi, tantiſper forent in præſidiis) Albanus die decimo Maij *Soluit Albanus cum copiis ex Hiſpania 10. Maij.*
cum claſſe Carthagine ſoluit, ſeptimoque pòſt die Genuam in Italiam
appulit: inde delectu indicto in Alpes Rhetias, loco à ſancto Ambroſio
cognominato, cenſuit veteranos pedites ad octo millia, ſeptingentos &
octoginta: equites cùm Hiſpanos tum Italos mille ducentos. Mouerunt
ſe copiæ decimo quinto Iunij, eo ſemper per Alpes ſeruato ordine, vti
quo loco prima acies hac nocte conſtitiſſet, ibi nocte inſequenti ſecunda
quieſceret, ſuccederetque eadem ratione tertia. Albanus ipſe primam du-
cebat aciem; eius filius Fernandus Toletanus, Magnus S. Ioannis Prior,
mediam; Chiappinus Vitellius Marchio Chetouæ, dux veteranus & ce-
lebris, poſtremam. Vbi in Burgundiam ventum eſt, iunctis quadringen- *Venit per Italiam, Burgundiam, & Lotharingiam, in Belgium.*
tis equitibus ibi conſcriptis, deinceps vniuerſus exercitus ſimul ſe moue-
bat, finitimis omnibus, Francis, Geneuenſibus, Suitſeris, pro finibus
ſuis diligenter in armis excubantibus. Duodecim dierum itinere Bur-

1567 gundiam emenſus eſt, duodecim aliis Lotharingiam. Circa Theonuillam Ducatus Lutzenburgici vrbem diſcit Albanus de mille ducẽtis equitibus Germanis, qui circa Bergeliam (vbi & diu poſteà hæſerunt) eius imperium expectabant, itemque de duodecim Germanorum peditum ſignis, duce Aluarico Lodronio, ſimiliter Regi ſacramento addictis. Cùm fines Lutzenburgicos attigiſſet, etſi iam intellexiſſet Parmenſis ex Regiis litteris, expeditionem illam Albano eſſe concreditam, miſit tamen ad eum ſalutandum illuc vſque obuios Barlaimontium & Noircarmium, ſimul quoque vti Procerum omnium totiuſque Belgij nomine de poteſtate à Rege commiſſa Albanus edocere vellet. Quam cùm iiſdem Proceribus Albanus exhibuiſſet de ſuprema belli auctoritate, (de reliqua poſteà) præmiſit Lodronium cum ſua duodecim ſignorum legione, cum imperio, Antuerpiæ vti in præſidio eſſet. Ita ſexdecim peditum ſigna & præſidiarij Galli, qui eam hactenus in officio continebant, exauctorati ſunt, omneſque ſimul copiæ nouæ Belgicæ, retentis tantùm ordinariis limitum præſidiariis. Nec multò pòſt Albanus cum vniuerſis copiis Theonuillâ Bruxellam verſus (per Lutzẽburgum, Thenas & Louanium) vbi Parmenſis erat, eadem qua priùs militiæ diſciplina & celeritate contendit, venitque illuc die 22. Auguſti, vndecimo Kalend. Septembris. Bruxellam ingreſſus, per vrbem diſponit decem ſignorum legionem Siculam, Gandauum mittit Neapolitanam legionem ſignorum nouemdecim, Angiam non longè à Bruxella decem ſigna legionis Sardinicæ, decem Lombardica Liram, equitatuſque maiorem partem Diſtemium. Et quia plures auebant ſcire, quanta Albano à Rege in Belgas eſſet data poteſtas, cùm Parmenſis adhuc Gubernatrix præſideret, præter Patentes Regias, quas Proceribus à Parmenſi nuper miſſis oſtenderat, alias prætereà tradidit Parmenſi, quibus ſignificabat Rex mittere ſe Albanum ſui Locum-tenentem Generalem in Belgio, velléque dictus Dux ad omnia aduigilaret, tractaretq; militaria omnia, relicta Parmenſi rerum earum cura, quæ gubernationem ſeu gubernaculum (ſic ſonant verba Gallica) veluti Reip. ordinem concernerent. Pergit Auctor Hiſpanus: Et quia oriri in hoc difficultas poſſit diſcernendi, quæ belli eſſent, quæ Reipublicæ ſeu gubernaculi, declarare ſuam Maieſtatem, ſuæ voluntatis mentiſque eſſe, quatenus ipſe Albanus huius rei Iudex ſit, pronuntiétq; quæ ad bellum, quæ ad rationem gubernaculi pertineant: habebatque cum Patentibus illis Locum-tenentis Generalis Regij amplam poteſtatem omnium negotiorum quæ Religionem concernerent, ab eáque dependerent, tam ad apprehendendas perſonas cuiuſcumque qualitatis, quàm ad eaſdem caſtigandas, vel in gratiam recipiendas, cum facultate priuandi officiis & bonis, vel gratiam faciendi, vti de patrimonio

Ad fines Lutzenburgicos obuios habet Barlaimontium & Noircarmium.

Præmittit Albanus Lodroniũ cum ſuis Antuerpiam.

Ingreditur Albanus Bruxellã 22. Auguſti.

Quid Albano commiſſum, quid Parmenſi relictum, ex Auctore Hiſpano.

nio Regio. Ad hoc epiſtolam Parmenſi Albanus tradit, propria Regis manu ſcriptam, qua declarabat Rex, iuſſiſſe ſe Albano certa negotia, quæ loco & tempore Parmenſi aperiret. Vbi cùm Parmenſis interrogaret, quænam ea eſſent negotia, reſpondit Albanus, non ſatis nunc ſe eorum recordari, poſteà vbi pleniùs occurriſſent, ſe ea Parmenſi declaraturum. Albanus, copiis quas adduxerat, ea ratione, quod oſtendimus, diſtributis, vti vna nocte, ſi opus foret, in vnum contrahi poſſent, differebat tamen adhuc, (quod conſtitutum habebat) Egmondanum & Hornanum apprehendere. Etenim etſi Egmondanum ſibi Thenas vſque gratulatum occurrentẽ, ſed mox Bruxellam reuerſum, ſimiliterq; Hornanum Louanij eum ſalutantem, atque inde domum ſuam Werteam abeuntem ſeorſim capere potuiſſet; diſtulit tamen, ne altero capto, alter forſan elaberetur: volebátque ſimul vt Conſiliarij eorum præcipui Caſenbrotius Backerſelij Dominus, & Eſtrada Hornani Secretarius, quò omnia manifeſtiora euaderent, eadem opera comprehendi poſſent. Itaque cùm Hornanus Bruxellam paulò pòſt veniſſet, diligentérque per exploratores de dictis Conſiliariis, vbi conſiſterent, Albanus eſſet edoctus, die nono menſis Septembris Comites Egmondanum & Hornanum ceteróſque Concilij Status Senatores à meridie ad ſe vocat: quibus Curiam ingreſſis, Sanchius Londognius Comeſque Lodronius ad comprehendendum Eſtradam celeriter proficiſcuntur, quem intra Mechliniam & Antuerpiam inuenerunt, eodémq; tempore Salazarius & Spuchius intra ipſam Bruxellenſium vrbem Caſenbrotio Backerſelij Domino manus iniiciunt, ducente tantiſper Albano conſiliorum tempus dum de his edoceretur. Tum dimittit Senatum. Porrò dederat negotium, vti Egmondanus & Hornanus à domeſticis ſuis Nobilibus diuerſis ianuis per diuerſas aulas honoris ſpecie educerentur: in vna erat Sanchius Dauila, qui Egmondanum; in altera Salines, qui Hornanum captiuos ſiſterent: quod ea ratione eſt confectum, vti ſine tumultu, neutro de alterius captiuitate edocto, vterque captiuus maneret. Mox Barlaimontius & Mansfeldius pater ab Albano ad Parmenſem miſſi ſunt huius rei nuntij, hóque negotium vnum eorum eſſe, quæ Rex ſuprà commemoratis litteris indicare voluiſſet; feciſſe autem ſe, ea inconſulta, ne plebs in eam fureret. Nocte proxima iubet Albanus Egmondano ſcribat Caſtellano ſuo Gandauenſi, ſymbolúmque certum mittat, quatenus caſtrum Regis iuſſu Alphonſo Vloæ tradat: quo illud ingrediente cum duabus Hiſpanorum cohortibus, præſidiarij veteres diſcedunt: & non multò pòſt eò ducti ſunt dicti duo Comites captiui, ſeruatíque donec de eis conſtitueretur. Ceterùm ad cognoſcendam eorum cauſam, rebellioníſque vniuerſæ negotia iudicanda, inſtituit Albanus Nouum Concilium Iuſtitiæ ſeu

1567

Littera credentiæ Albani ad Parmenſem.

Quare Albanus occurrentes ſibi cum aliis Egmondiũ & Hornanum non ſtatim comprehẽderit.

Vocantur iidẽ 9. Septembris; vnà cum aliis aliquid deliberaturi.

Aliis Conſiliariis digreſſis, Egmondanus & Hornanus captiui tenentur.

Ducuntur ad caſtrũ Gandenſe.

1567 Criminum, vltra Concilia conſueta, legens in illud hos, Barlaimontium, Noircarmium, Licentiatum Vergas Regentem Conſiliorum in Italia, Adrianum Nicolai Geldriæ Cancellarium, Iacobum Marterium Concilij Flandriæ Præſidem, Petrum Arſetum apud Arteſios ſummi Tribunalis Præfectum, Doctorem Ludouicum del Rio, nec non ex Conſiliariis Parlamenti Mechlinienſis Ioannem Blaſers, & Concilij Flandrici Iacobum Heſſels, ipſeque Dux erat Noui Concilij caput, eaque ratione idem breui rem eò perduxit, vti iam de profectione ſua in Belgium tamquam parum neceſſaria Rex cogitationem deponeret, maximè cùm eum quoque retardaret captiuitas Principis Caroli filij ſui, ſecutaq; eius mors, cum triſti ſimul funere Iſabellæ Francicæ dilectæ coniugis, ad hæc Maurorum in Regno Granadæ ſeditiones rebellioneſque. Hęc Mendoſa Hiſpanus, etſi poſteriora non niſi anno ſequenti acciderint, vti tunc dicemus. Alius ſic narrat: Albanus de rebus publicis præſidiiſque diſponendis prætextu, omnes Status Conſiliarios in Concilium vocat quinto Idus Septembris. Erat autem Curia, palatium nempe Culenburgicum (quo ſe Albanus continebat, relicto Parmenſi palatio primario) interea dum Proceres conſultant, militibus ſeptum. Concilio dimiſſo, confeſtim Comitem Egmondanum abire meditantem, gladium armaque deponere, & in carcerem deduci Regio nomine imperat: quod quidem ægrè difficultérque patitur Egmondius: Comes etiam Hornanus alio cœnaculo exiens apprehenditur: vterque cuſtodiis Hiſpanicis traditur: capti quoque ſunt Dominus Backerſelæ & Secretarius Hornani, pluresque alij. Comes Carolus Mansfeldius militum Gallorum Antuerpiæ anteà præſidiariorum Tribunus in ipſa tunc Curia præſens, ocyùs, patre innuente, diſcedit cum aliquot aliis. Comes etiam Hoochſtratanus, Egmondani & ſenioris Mansfeldij (qui Hornanum eò illexerant) verbis inductus Bruxellam tendebat, verùm vulnere fortuito præpeditus non venit. Circa id quoque tempus Dominus Antonius Stralius Conſul Antuerpienſis cum aliis aliquot capitur, quorum bona omnia ſtatim ſunt deſcripta. Louanio item 4. Idus Septembris Albani iuſſu in Hiſpaniam abductus eſt Philippus Buranus Orangij filius, quatuordecim annos natus. Hinc rurſus tremor terrorque permultis, tam Nobilibus quàm plebeiis: quorum magna pars fugam ineunt, ita vt Ooſtlandia, Cliuia, Emda, Germania vniuerſa, Francia, Anglia Belgis exulibus abundaret. Statim poſt Albani ex Hiſpaniis diſceſſum vndecimo Kalendas Iunij Marchio Bergenſis, quem cum Montigneo dudum ad Regem à Parmenſi miſſum diximus, in Hiſpaniis obiit, mœrore tædióque confectus. Montigneus quoque ineunte menſe Octobri huius eiuſdem anni, quòd liberiùs in Albani ſeueritatem loqueretur, in caſtro Segobienſi adhibitis cuſtodibus

Inſtituitur ab Albano Nouum Cõcilium, dictũ Turbarum.

Eadem de capto Egmondio & aliis, diſtinctiùs ex alio Scriptore.

Filiusque Orangij Louanio in Hiſpaniam abducitur.

De morte Bergenſis & Montignei in Hiſpania.

ſtodibus ſeruatus eſt, ac demum anno ſeptuageſimo huius ſæculi item 1567
menſe Octobri ex hac vita diſceſſit, non ſine ſuſpicione violentæ mortis. Interea Albanus ad vrbem Antuerpienſem vico Kilio ad Scaldim, Meridiem verſus, arcem metatur; nec mora, ſexto Kalendas Nouembris fundamentis iactis, vrbem ex oppoſito arcis peruiam apertamque, mœnibus dirutis, foſſiſque repletis, reddit, operique bis mille operariis adhibitis, breui fortiſſimum maximumque lateribus coctis aliiſque lapidum generibus caſtrum conſtruit, quinq; propugnaculis aptiſſimè munitum, hiſce nominibus, *El Duque*, *Fernando*, *Toledo*, *Alua*, & quinto *Paciotto*, à machinario operiſque Præfecto Paciotto Sabaudo ſic cognominato. Ad caſtrum conſtruendum ciuitatem quadraginta florenorum millia conferre oportuit, centeſimi & decimi nummi ratione pro facultatibus capitatim colligenda; quæ quidem tunc non omnino illibenter ob eam cauſam ſoluta ſunt, quòd hac ratione vrbem præſidiariis militibus liberam fore, ciuibus perſuaderetur, quamuis id tardiùs ſit conſecutum. Arci aliquouſque perfectæ mox Hiſpani ac Germani aliquot præſidiarij impoſiti ſunt, quibus ciues lectos & quæ eò pertinent ſuppeditare multo tempore cogebantur. Tormenta bellica oppidi eò illata. Arci primò Gabrielem Cerbellionem, poſteà Sancium Dauilam ex milite gregario virtute bellica ad ſummas dignitates prouectum Albanus præfecit. Poſteà decimoquarto Kalendas Ianuarij Boiſij publici Regiique Actoris ſeu Procuratoris poſtulatione Principem Orãgium, Comitem Ludouicum Naſſouium eius fratrem, Comitem Hoochſtratanum, Bergenſem, Culenburgium, Dominum Bredenrodium, pluréſque alios in Ius vocari, & coràm adeſſe intra ter quatuordecim dies Albanus iubet. Horum nõnulli, inter quos præcipui Orangius & Hoochſtratanus, Apologiis ſcriptis, præloque excuſis cauſam ſuam tutantur; allegantque ſe neque legitimè, neq; coram Iudice competente citatos; debuiſſe enim, vtpote Aurei velleris torquatos Proceres, à ſodalibus fratribuſque torquati Ordinis Equitibus iudicari: hæc pluraque alia Priuilegia citant; & ſe iudicio coram Imperatore, aut aliis Principibus iudicibus non præoccupatis, libenter adfuturos offerunt, vti latiùs in Apologiis, typographorum operâ editis videre licet. Mox poſt aduentum Albani Gubernatrix Parmenſis à Rege veniam è Belgio domum in Italiam ſe conferendi petierat, & non difficulter impetrarat; honorariis nihilominùs Regalibuſq; muneribus, magna ſcilicet pecuniæ ſumma, & annuis aliquot redditibus decorata. Ea in Italiam ad maritum profectura, ſcripto 5. Idus Decembris concepto Ordinibus Belgicis, Belgiſq; probis vniuerſis in hunc
„ modum valedicit: Declarat ſe Belgij gubernacula Gandaui anno mille-
„ ſimo quingenteſimo quinquageſimo nono, præſente Concilio Statuum,

Albanus mox fine Octobris caſtrum Antuerpiæ extrui curat.

Confert ad eã rem ciuitas quadraginta millia florenorum.

Citantur ad certum diem Orãgius, & alij qui fugerant.

Reſpondẽt Orangius & Hoochſtratanus editis Apologiis.

Ordi-

1567 Ordinúmque Generalium conſeſſu accepiſſe ;optare, eadem tali con- «
uentu (quod Gubernatores atque Gubernatrices hactenus feciſſent) de- «
ponere poſſet. Verùm cùm id ei pro voto contingere nequiret, quòd Rex «
Generalium Statuum conuentum,niſi ſe præſente,conuocare turbulen- «
tis hiſce temporibus nominatim prohibuerit, neceſſitate coactam nunc «
ſcripto id facere.Rogat itaque ſuam operam ac ſolicitudinem boni con- «
ſulant. Poſtremorum quidem duorum annorum perturbata duraque «
tempora queritur ; verùm ſe diuina ope, fideliumque plurium ſubdito- «
rum auxilio Prouincias & ciuitates ad debitam iterùm Regi obedien- «
tiam ſub finem Aprilis proximè elapſi reduxiſſe,ita vt à ſe vbique præſi- «
dia fuerint collocata. Reſtare tantùm vt in ſeditionis reos ordine Iuris «
animaduertatur,rerumque in futurum diſponendarum ratio,quæ Regi «
bona commodáque videbitur,conſtituatur: ſe ea de re ſuam ſententiam «
aperuiſſe,ac ſperare Regem omnia ſic diſpoſiturum,vti Prouincię in pri- «
ſtinum ſtatum breui reſtituantur;ídque vnum ſe toto animo expetere ac «
optare;iterùm rogans , acta omnia bonam in partem accipere velint , & «
ad Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, & Regis obedientiam obſeruantiám- «
que omnes adhortans. Diſcedit autem Bruxellâ tertio Kalendas Ianua- «
rij in Italiam ad maritum profectura, magno Belgarum Nobilium nu-
mero comitata, Albano quoque honoris cauſa ad aliquantum ſpatium
deducente.

Scriptum, quo Parmenſis diſceſſura, Belgis valedicit.

Cõcludit, Regi ſe ſuã ſententiam de Repub. ſcripſiſſe, ſperare bona.

In externis hæc præcipua. Sub id tempus quo Albanus in Belgium venit,Hugonotti in Francia videntes fortunam Geuſiis Belgicis aduerſa-
ri,ſibi metuebant, quòd Hiſpanorum rebus proſperè fluentibus, hoſtes
ſuos viris animiſque creſcere animaduertebant. Suis itaque rebus conſu-
lere & hoſtem anteuertere ſtatuunt, collectiſq; quingentis circiter equi-
tibus,Principis Condæi,Admiralij, Andeloti,Rochefocautij,aliorumq; nonnullorum auſpiciis,Meldas,vbi tunc Rex erat,proficiſcuntur. Dice-
bant id ſe facere , quò Regi libellum ſupplicem offerrent , viuaque voce
declararent de noua quæ indies moueretur præter pacis poſtremæ con-
ditiones in ſuos fideles perſecutione. Catholici factum interpretabantur
vti Regem Hugonotti in manibus habere, & Catholicos ab eo amicos
diſiungere ac ſeparare poſſint. Eò igitur Hugonottis tendentibus , Rex
Meldis Pariſios cum octingentis equitibus aulicis , Heluetiiſque pediti-
bus (qui ad defendendos fines, deſcendente ex Italia nuper Albano, ad
quatuor millia aucti erant) proficiſcens,ſummo manè fit obuiàm.Con-
dæus ſtatim cum ſuis viam intercludit , Regiſque compellandi copiam
petit. Rex renuit : ocyùs ad altercationes & dimicationes ventum. Vbi
dum Heluetij ſeſe Condæanis fortiter opponunt,Rex intereà tranſuerſa
via Lutetiam Pariſiorum pergit. Hac velitatione vtrimque aliquot cæſi.

Hugonotti Franci ſibi metuere videntur.

Quingenti equites libellum ſupplicem ſe Regi offerre velle prætendũt.

Cum Regiis cuſtodibus velitãtur, Rege interim Pariſios euadente.

Hinc

Hinc Rege grauiter commoto, ſecundi belli ciuilis in Galliis occaſio data, ita vt acre prælium deinde inter Lutetiam & Fanum ſancti Dionyſij quarto Idus Decembris ſit commiſſum, ibiq́ue Comeſtabilis Franciæ vulneratus, & paulò pòſt mortuus fuit: area pugnæ tamen, & cæſorum exuuiæ Regiis manſerunt. Hinc copias vtrimque maiores colligunt. Dux Albanus Regi auxilio mittit Comitem Arenbergium, Condæus Caſimirum ex Germania pridem vocatum expectat, ac tandem inter auxiliares habet. Verumtamen pax iterùm 5. Nonas Martij anni ſequentis facta eſt. 1567

Prælium inter Pariſios & S. Dionyſij: poſteà tamen iterùm pax.

Anni milleſimi quingenteſimi ſexageſimi octaui initio Albanus noui Concilij, de quo diximus, operâ (alij Turbidum ſeu turbarum, vulgus Sanguinarium appellabat) per omnes Belgij Prouincias ſuperioribus annis turbatas punire culpæ obnoxios magna ſeueritate incipit: nullo Nobilis plebeiíque diſcrimine, Bruxellam & aliò maximo numero citantur; ex vna eadémque ciuitate aliquando quinquaginta, triginta, viginti pariter vocantur; comparentium plurima pars apprehenſi, pauci impunes euadunt. Eorum qui vocati prę̨ſtò non aderant, bona Fiſco Regio addicta; multi etiam Miniſtrorum Geuſicorum receptatores fautoréſque, & templorum violatores ſubitò in vincula coniiciuntur, magnóq; numero partim gladio partim laqueo necantur. Quæ procedendi ratio maiorem indies metum hominibus incuſſit, eóque quoſdam perpulit, vt magno grege, vxoribus domibúſque relictis, ſe in Occidentalis Flandriæ ſiluas abdiderint, éque latebris noctu prodeuntes, Sacerdotes & Monachos quocumq; locorum deprehenſos, immaniter perſequerentur, facultatibus ſpoliarent, auribus naribúſq; truncarent. Hi Geuſij agreſtes ſeu ſilueſtres nuncupati, in tantum excreuere numerum, vt Albano in eos militum turmas mittere neceſſe fuerit. Sed cùm parum hoc modo proficeret, paucíque agreſtium deprehendi poſſent; paulò pòſt Edicto contra eos promulgato, mandat parœciis extra vrbes cõſtitutis, vti ſuos Parœcos ac Sacerdotes omni cura vigilantiáq; cuſtodiant, tueantur, incoluméſque conſeruent, alioquin damna eis illata reparaturi, atque Iudicum æſtimatione in integrum reſtituturi. Actum pridie Idus Ianuarij. Contra profugos quoque Edicto ſancitum eſt, Omnes illos, qui fugam meditarentur adornaréntve, deferendos accuſandóſque: eorum bona in teloniis, itineribus, Prouinciarum limitibus retinenda: eos autem qui reticeant, conniueantq́ue, profugorum crimine ſuſpectos habẽdos, iiſdémque pœnis mulctandos: decreta nauium curruumq́ue huiuſmodi bona vehentium confiſcatio. Interdictum inſuper, proſcriptos, exilio mulctatos, profugos quacumq; ratione hoſpitio recipere, eis pecunias deſtinare, epiſtolas ſcribere, aut ab eis ſcriptas miſſáſve accipere; 1568

Seuerè procedit Albanus in quoſcũque noxios.

Multi ergo in Flãdricas ſiluas ſe abdentes in Sacerdotes ſæuiũt.

Edicit Albanus ſub graui pœna, quiſq; ſuos Paſtores defendant.

alia-

1568 aliáque nonnulla hiſce ſimilia. Sub idem tempus Nobiles aliquot profugi conatum inceptúmque ſanè audax in Albanum aggrediuntur, tempore Quadrageſimali Religionis cauſa ad Monaſterium Gronẽdalenſe in nemore Sonio (ſeu Iunio) non longè à Bruxella ipſo ire volente, auctoribus præcipuè Domino Riſoirio, & eius fratre Domino Carloio ex familia Nothia, vulgò *Vander noot*. Carloius in hoc Monaſterio monaſtica veſte, Albani metu, latere dicebatur. Præfinito die ſexcentos & ampliùs equites circumcircà paratos habebant (quorum pars maxima in Dohaimi arce non procul inde ſe continebant) atque inſuper in locis vicinis quingentos pedites. Ex horum numero vnus Domino Liekio, cui quondam ſeruierat, rem declarat; Liekius mox Albano, itineri verſus Gronendalam iam accincto, aperit. Albanus vt credat, & domi ſe contineat, difficulter induci potuit. Index miles Præfectum ſuum militarem, qui eques turmæ Egmondanæ fuerat, prodit: mox ille intercipitur, & veritatis extorquendæ cauſa miſerè cruciatur, neminem tamen accuſat: tandem dira morte afficitur. Talis huius ſtratagematis fuit exitus, nemine præter eum, cèteris fugâ elapſis, pœnas paſſo. Intereà Albanus intelligit, Principem Orangium, alioſq; exules Proceres & Nobiles à Principibus Proteſtantium in Germania auxilia impetraſſe; Regem quoque Galliæ 5. Nonas Martij cum Principe Condæo & Hugonottis pacem iniiſſe. Quare veritus Albanus, ne Caſimirus, qui Condæo militauerat, ſimul ſe Orangio iungeret, ocyùs Domini Barlaimontij operâ, bis mille Walonibus collectis, ſe munit: equeſtres præterea turmas Italicas, quæ Regi Galliæ militauerant, ſibi conſcribi iubet: quæ vbi cum Arenbergio eiúſque copiis aduenìſſent, eos ad limites tuendos mittit; ſuos autem Hiſpanos Traiectum inferius (vulgò Vltraiectum) Namurcum, & in Hannoniam plures ablegat. Id erat Orangij ſociorúmque conſilium, Albanum quatuor diuerſis in partibus vno eodémq; tempore oppugnare; & primò agrum Iuliacenſem occupare, vti inde Brabantiam & Geldriam inuadat. Huc itaque militibus vndique confluentibus colliguntur copiæ, ducibus Vilerſio, Warrouxio, Riſoirio, & Carloio eius fratre, nonnulliſque aliis, Hoochſtratano totius exercitus Imperatore futuro; eamdémque rationem colligendi militis conſtituerant locis aliis. Verùm quòd ob alia atque alia impedimenta non ſimul vno impetu, ſed diuerſis aliquanto temporibus hæc fuerint tentata, non ſatis pro voto iis hæc res cecidit. Etenim in Iuliacenſi agro duobus plus minùs millibus collectis, maxima tamen parte adhuc inermibus, quòd arma in ſingulos dies Coloniâ expectarentur, ſeptimo Kalendas Maij Comes Lodronius & Sanchius Auila ab Albano miſſi circa Dalemum & Erkelennium eos inuadunt, omnemque cœtum diſſipant, plurimis cæſis, Vilerſio-

Inceptum audax à quibuſdã in Albanũ tentatum.

Vnus conſciorũ prodit rem Liekio, ille Albano.

Interceptus Præfectorum vnus pœnas luit; ceteris fugâ dilapſis.

Orangio parante in Belgium irruptionẽ, Albanus fines munit.

Geuſij aliquot circa Dalhem cæduntur.

lerſioque & Huyo Ducibus captis. Eodem ferè tempore Cockeuillius Gallus, in Franciæ & Arteſiæ confiniis Belgarum & Gallorum pro Orangio copias colligebat, eorum inprimis exulum qui ex Gallia & Anglia pro patriæ libertate contra Albanum decertaturi magnis animis confluebant. Hi ſimulatque aliquantum creuiſſent, excurſiones contra Regios Albani milites in finibus excubantes ſtrenuè agebant. Monet huius rei Albanus Galliæ Regem: qui maius inde malum naſci poſſe metuens, ad Principem Condæum, cum quo iam pacem, vti oſtẽdimus, fecerat, mittit; ſcire cupit num Cockeuillius, qui Hugonotticæ factionis propugnator pridem Condæo militauerat, hæc ſuo iuſſu nutuque faceret. Negat Condæus, ſuáque nihil intereſſe, quid Cockeuillius agat, reſpondet. Proinde Rex Mareſchalco Coſſeo, vti Cockeuillium inuadat, præcipit. Coſſeus ſine mora militibus aliquot & præter hos Picardiæ præſidiariis armatus, Cockeuillium & cum eo ſexcentos pedites, ducentóſque plus minus equites in Fano Valerij ad Somonæ oſtium obſidet: admotis tormentis bellicis mœnia quatit labefactátque, ac non multò pòſt oppido potitur, Cockeuillius præcipuique quidam capite truncantur; Belgæ item omnes, qui clàm elabi non potuere, trucidati, Francis gregariis à Mareſchalco vitâ donatis. Ita & hoc inſtitutum infeliciter ceſſit Orangio; ſed id quod ſequitur, paulò feliciùs. Ipſis feriis Paſchalibus Orangij fratres, Comes Ludouicus & Adolphus Naſſouij, Coméſque Iudocus Schouwenbergius, pluréſque alij cum militibus in agro Groningano ſe oſtendentes, Weddam & Dammum ſubitò occupant, aliáque nonnulla loca paulatim inuadunt. Horum ſignis militaribus inſcriptum erat: RECVPERARE AVT MORI. Itaque mittit eò Albanus legionem Sardinicam Præfecto Brackemontio, & tria Hiſpanorum ſigna legionis Longobardicæ, quadringentos etiam equites Hiſpanos & Italos, prætereà Comitem Meganum cum magna ſuæ legionis parte; quinque inſuper ſigna Arenbergij eius regionis Gubernatoris, & mille circiter Germanos recèns conſcriptos. Ludouicus, vbi Regium exercitum aduentare, ipſumque Arenbergium cum Hiſpanis & Germanis propè adeſſe videt, ſtatim veteranos omnes & tyrones milites vnum in locum congregat, leuiaq; cum Regiis in mediam vſque noctem prælia ſerit; poſteà recedit, & Dammum verſus tendit, quòd Meganum & reliquos ſimul eſſe exiſtimaret. Poſtridie Ludouicum inſequitur Arenbergius, eum fugere ratus. Verùm Ludouicus vbi Hiſpanorum peditibus turmam equitum Comitis Martinengi ſolummodò adeſſe videt (nondumenim reliqui aduenerãt) intrepidè quadringentis cum equitibus eos inuadit, quaſi pontem quemdam intercipere volens, rurſúſque retrocedit: Hiſpani ocyùs ſequuntur vſque ad aggerem. Hîc Walones ſclopetarij

1568 *Collecti pro Orangio fines Arteſiæ incurſant.*

Et hi, agẽte Albano, iuſſu Regis proterruntur.

At meliori ſucceſſu quædam loca in Friſia Geuſij occupant.

Mittit cõtra eos Albanus ſuas copias.

Velitantur acriter Geuſij & Regij.

1568 tarij latebant; qui magna protinus clade Hiſpanos afficiunt, tribus Hiſpanorum Ducibus aliiſque multis cæſis. Arenbergius (qui manum non conſerere niſi Megano & ceteris præſentibus conſultum putabat) nimio Hiſpanorum feruore (qui quòd hoſtem elapſurum putarent, eum non fidelem Regis miniſtrum, ſed proditorem, vt fertur, criminabãtur) importunè inſtigatus ac quodammodò compulſus, cùm duo tantùm hoſtium vexilla eminentia, quæ tria ferè peditum millia in procinctu ſtantia continebant (quod quidem eum tunc fefellit) conſpiceret, eò adductus fuit, vt dictos quadringentos equites inuadere, & pontes aliquot occupare tentarit. Verùm vbi Hiſpanos vndique cædi videt, omníq; ſtudio ſuos erigere, & in ordinem redigere conatur, equus quo vehebatur ſclopeti ictu proſternitur; ipſe autem ab Antonio Sœtio, vt volunt, (qui fratrem ſuum Equitem Melitenſem cęſum coràm cernebat) interficitur, ſtrenuè vſque ad extremum halitum pugnans, vt mox dicetur. Ingens deinde omnium fit fuga, Legato etiam Arenbergij, magnáque exercitus parte cæſis; reliqui in Monaſterium Heiligerlæum confugiunt; quod eueſtigiò oppugnatum etiam expugnatur. Hîc Adolphus Naſſouius Ludouici frater glande tormentaria ictus cecidit. Commiſſum fuit hoc prælium inter Monaſterium Heiligerlæum & Winſchotum in Friſia, nono Kalend. Iunij. Mendoſa Hiſpanus ſic narrat: Plures exiſtimant, Arenbergium offenſum indignis clamoribus militum quorumdam Hiſpanorum, dicentium nolle eum cum hoſte confligere, ſed ſinere eum elabi, eamque ob cauſam permiſiſſe Hiſpanis iniquo loco hoſtem inuaderent. Sed credibile non eſt, tantum Ducem exercitus, qui toties militem in hoſtem duxerat, murmurationibus militum, in ſuos Duces iactari ferè ſemper conſuetis, offenſum fuiſſe, vti propterea aleam tanti conflictus periclitaretur, ſi ratio non idem permiſiſſet, maximè probè ei perſpecta & commoditate loci quem hoſtis inſederat, & incommodis circumſtantium locorum paluſtrium. Quare credendum eſt, ducta primùm tantùm diſpoſitaque ab eo in hoſtem bellica tormenta, quò magis eum ad pugnam laceſſeret, impedirétq; ne elaberetur. At verò econtrà Hiſpani, hoſtem tam propè in manibus eſſe cernentes, neq; ad dictas locorum circumſtantias ſeſe conuertentes, cupidine victoriæ excæcati (ſunt eius verba) inuadunt hoſtem, non præuidentes periculum in quo paludum circumſtantium ratione verſabantur: quibus intricati ducenti ſeu trecenti lancearij Hiſpani, immerſique ea ratione, vti nec loco cedere, nec armis ſe tueri poſſint, ſubitò ab hoſte ſunt cæſi. Et nonnullis interiectis: Sed nec loci ea ratio tam fuit cauſa cladis noſtrorum (inquit Auctor Hiſpanus) quàm neglectus ordo, & cõfuſio quâ in pugnam ruebant. Quod non aliunde accidiſſe dicendum eſt, quàm quòd hoſtium vires

Cæduntur præter ceteros, hinc Arenbergius, illinc Adolphus Naſſouius.

De hoc cõflictu verba Mendoſæ Hiſpani Scriptoris.

Fatetur, Hiſpanos cupidine victoriæ fuiſſe excæcatos.

vires non magni facerent, quos pridie ad paucorum ſclopetariorum con- 1568
greſſum fugiſſe viderant. Primaria itaque acie hoſtili in lancearios noſtros, paluſtribus locis impeditos, impreſſionẽ faciente, reliqua hoſtium acies ex colle deſcendens, noſtris, qui ſe mouebant, ſed nondum in acies erant digeſti, viam intercipere parat, atque impedire, ne ſuccurri his poſſit, qui, dum lancearij cum primaria acie rem gerunt, nimiùm fuerant progreſſi. Arenbergius cum Nobilibus domeſticis, aliiſque paucis, qui eum equites comitabantur, in equites hoſtiles, qui duce Adolpho Naſſouio Orangij & Ludouici fratre latera tuebantur, fortiter irruit, ſtrenuéq; decertans ſua manu Adolphum alioſque Nobiles duos quibus cinctus ille depugnabat, interficit. Et quamquam deinde, equo ſuo transfoſſo, Arenbergius in terram laberetur, reſtitutus tamen à noſtris in equum alterum, animosè æquè in hoſtem regreditur, donec & equus ille ſub eo mortuus concidit. Tunc ſe conſpiciens peditẽ, graui armatura, pugnandi laſſitudine, ſimulque podagra impeditus, cùm ſe pedibus non valere animaduerteret, oſtiolo prati vicini innititur, vbi circumfuſus ab hoſte, eo animi ardore, quo ſemper Deo Regique ſeruierat, tamdiu gladio laterali depugnat, donec vulneribus confectus occubuit. Germanorum peditum, qui Arenbergio militabant, pars maior poſitis armis ab hoſte vita donati ſunt; cæſi ſunt ex noſtris præter Arenbergium tres Capitanei Hiſpani, Oſorius, Sotto & Cabrieri; ſeptémq; Signiferi, & quadringenti & quinquaginta circiter milites, ex ſingulis turmis promptiores. Venerunt præterea in hoſtium poteſtatem ſex tormenta bellica maiora, cum omnibus impedimentis: quamquam dicere poſſimus, non fuiſſe magnum damnum comparatione confuſionis quæ initio prælij apud noſtros erat. Hæc Mendoſa Hiſpanus. Alij referunt, mille ducentos tum Hiſpanos tum Germanos circiter periiſſe; omnia etiam Arenbergij vaſa argentea, atque inſuper pecuniæ ſummam in ſtipendium militare miſſam Ludouico ceſſiſſe. Comes Adolphus Naſſouius, Weldæ ſepelitur; Comes autem Ioannes Lignius Comes Arenbergæ, Eques aurei Velleris, Gubernator Friſiæ & Tranſiſulaniæ, vir bello inprimis acer, in æde ſacra Monaſterij Heligerlæi humo conditus eſt. Ipſo tempore, quo Ludouicus victoriam proſequitur, Comes Meganus & Curtius Martinengus cum peditibus ac equitibus aliquot Groningam ingreſſi, ſe & ciuitatem ipſam ſecuros tutoſq; reddunt, non ſine Ludouici magno mœrore. Is quidem eam abſq; mora duobus locis obſidet: verùm quòd vrbs fortis & benè munita eſſet, ipſi autẽ tormenta maiora cum apparatu non ſatis ſuppeterent, & conſilia cum ſociis in ciuitate inita, tam valido præſidio intromiſſo, impedirentur, parum præſtare Ludouicus potuit. Interea Albanus de clade per nuntios celeres certior factus, Chappinum

En acies concurrentes.

De morte Adolphi ſuprà diuersè.

Arenbergius fortiſſimè pugnans occumbit.

Numerus cæſorum ſecundùm Mendoſã, tum ſecundùm alios.

Geuſij Meganũ Groningã obſidere parãt.

1568 Vitellium Cetonæ Marchionem, militum potenti inſtructum numero,
Noua copia Albani caſtra caſtris opponunt. legione etiam Ouerſteinij, & mille ſexcentis equitibus duce Erico Brunſwicio iunctis, confeſtim eò mittit. Vitellius ſua caſtra Ludouici caſtris vicina diſponit prope ipſam vrbem: hîc quidem velitationes ſingulis diebus fiunt; verùm Vitellius, quantumuis ab hoſte frequenter prouocatus ac laceſſitus, nullo modo ante Ducis Albani, quem præſtolabatur, aduentum, confligere acie voluit. Sub idem tempus (Ducis Albani, vti
Fruſtrà iubet Imp. Naſſouiũ ab armis diſcedere. creditur, poſtulatione) mandatur Ludouico Naſſouio ab Imperatore, obedientiæ Imperio debitæ vinculo, vti ab armis diſcedat, militéſq; dimittat. Ludouicus, ſe id, fratre Orangio & Fœderatis inſciis aut inconſultis, nequaquam facere poſſe, eos autem ſuæ Maieſtati æqua reſponſa daturos, reddit. Nihilominùs Imperiali hoc mandato multi deficiunt, ea maximè cauſa territi, quòd confiſcationis bonorum ſub Imperio ſitorum minæ ipſis intenderentur. Circa idem tempus Comes Bergenſis ſuæ arcis Sherenbergæ recuperandæ modum inuenit, militibus præſidiariis, quos Meganus hîc collocarat, expulſis. Qua de cauſa Albanus
Tendunt & alia copia Groningam verſus. eò Sanchium Londognum cum legione Longobardica mittit; qui Comitem rurſum expellit, firmoque præſidio arci impoſito, cum reliquis Groningam proficiſcitur. Albanus, vbi Ludouicum victoria ſuperiore potiri, & alia atque alia incœpta moliri videt, grauioráque indies ab Orangio ipſo exſpectat, impauidum intrepidumque ſe oſtendere volens, iudicio capitis contra Proceres Nobiléſque ab eo Decembri ſuperiori, vti diximus, citatos agit, & iuxta ſententiæ quinto Kalend. Iunij
Omnes citati, & nõ comparentes, pronũtiati rei læſæ Maieſtatis. latæ formam, omnes criminis læſæ Maieſtatis reos, bonáque eorum omnia confiſcata pronuntiat; ac eiuſdem ſententiæ vigore, eorum ſubditos omnes Regem ſolum Dominum agnoſcere iubet: atque hac ratione Petrus Quarebbius Berchemij Dominus, Bredanæ ciuitatis tunc Gubernator, Regis nomine Bredæ tunc inauguratus fuit. Omne quoque ædificium Curiæ Culenburganæ Bruxellæ funditus diruitur, ſoloque æquatur, area lapidibus ſilicibuſq; conſternitur, columna marmorea in medio erecta, quadratis epiſtyliis in hũc modum quatuor linguis inciſa: Regnante Philippo II. Cath. Hiſp. Rege in his ſuis inferioris
Curiæ Culenburganæ Bruxellæ exciſæ monumentum. Germaniæ regionibus, gubernante verò eius nomine Fernando Aluarez de Toledo Aluæ Duce, &c. Florentij de Pallant Comitis Culenburgij quondam domum ſolo æquari ſancitum eſt, ob execrandam memoriam repetitæ in ea cõiurationis aduerſus Religionem Eccl. Cath. Rom. Regiam Maieſtatem, & ipſas Regiones. Anno à Salut. CIↃ. D. LXVIII. quinto Kalendas Iunij. Statuit præterea Albanus, Nobiles alioſque captiuos omnes, ſine mora capite plectere, vti Hiſpanorum opera (quorum cuſtodiæ erant traditi) aliis locis vti poſſit. Nihil itaque cunctatus Albanus,

nus, ea quæ Pentecoſten præcedit hebdomada, ipſis Kalendis Iunij, Bruxellæ in foro equario, quod Sablum vulgò vocant, capite truncari iubet Dominos Gisbertum & Theodorum Batenburgios, Petrum Andelotum, Philippum Winglenum, Cocum virum nobilem Egmondani domeſticum, Ioannem Bloyſium Terlonium, Philippum Trieſtium Gandauenſem, Bartholomæum Valleum, Arthum Batſonem, Hermannum Galama & Suyrdium Beymanum Friſios, Iacobum Delpendam, Freminium Pelterium, Conſtantinum Brunſellum, Ioannem Reinoldum, Ludouicum Carlierium, Petrum & Philippum Waterloſios fratres, ac præterea quarto Nonas Iunij Ioannem Montigneum Villerſij Dominum, Dominum Duyum, & Quintinum Benedictum Enghenij Præfectum. Hi omnes capite plexi ſunt, crebro interim tympanorum reboante ſono. Viluordiæ etiam plurimi morte mulctati ſunt; inter hos Antonius Stralius pridem Antuerpiæ Conſul, Ioannes Caſenbrotius Backerſelæ Dominus, Egmondano à ſecretis, Penſionarius etiam quidam Mechlinienſis, pluréſque alij. Quin mox tertio Nonas eiuſdem menſis Iunij, duo Comites captiui Egmondanus & Hornanus, trium millium Hiſpanorum cuſtodia cincti, Gandauo Bruxellam curru aduehuntur, domuique Panariæ in foro pro carcere includuntur. Iam antea Egmondanus pridie Idus Februarij ad 88. articulos reſponderat, nihilominùs verbo & ſcripto proteſtatus, quòd ipſe aurei Velleris Eques ſub non competente Iudice reſpondere cogeretur; præterea eius amici & vxor, Comitis Palatini Principis Electoris ſoror, Imperatorem alióſque Principes ad intercedendum apud Regem & Albanum Ducem induxerant, vt abſolui, aut ſaltem Aduocatorum ope defendi legitimè poſſit: itaque Imperator certum quemdam virum Nobilem, vti afflictam eius vxorem bona ſpe conſolaretur, miſerat. Verùm Albanus poſtridie quàm Comites Bruxellam fuiſſent adducti, vna ante noctis medium hora, cùm iam nocturnæ quieti corpora mandaſſent, ſententiam reis mitti & „ prælegi curat, huiuſmodi ferè argumento: Don Ferdinandus Aluarez de „ Toledo Dux Albæ, &c. Viſa inſpectáque lite capitali inter Procurato- „ rem Generalem Regium Actorem, & Dominos reos, &c. viſis etiam „ quæſtionibus, ſcriptionibus, inſtrumentis eiuſdem Actoris ab eodem „ factis; ad hæc Dominorum reorum confeſſionibus, iuſtificationibus, „ ſcriptionibus & inſtrumenris in criminum obiectorum dilutionem ob- „ latis: ex quibus conſtat, eos crimen læſæ Maieſtatis & rebellionis incur- „ riſſe; quandoquidem fautores & ſectatores abominandi fœderis & con- „ ſpirationis Principis Orangij, & aliorum Belgij Nobilium, fuerint; Fœ- „ deratorúmque Nobilium cauſam ac patrocinium ſuſceperint; inſuper „ tradita eis gubernacula, maximè in conſeruanda & defendenda ſancta

1568

Batenburgij, aliiq; 18. Nobiles ab Albano capite plexi.

Item alij, variis in locis.

Egmondanus & Hornanus Gãdauo Bruxellam adueĉti.

Sententia Albani in Egmondiũ & Horniũ.

1568 fide Catholica malè adminiſtrarint, cum pluribus aliis impiis, ſeditioſis, ac ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & Regiæ Maieſtati rebellibus participarint: perſpectis, præterea reliquis quæ in eadem lite ac proceſſu continentur; ſua Excellentia cum Conſilio Curiáque quæ penes eamdem eſt, Procuratori ſuis concluſionibus approbatis, declarat Comites prædictos crimen læſæ Maieſtatis & rebellionis commiſiſſe: proinde vt tales capite truncandos; capita in eminentioribus locis publicis ſtatuenda, vt omnibus conſpicua ſint, donec ſua Excellentia aliter decernat: prohibétque ſanctione capitali ea inde tolli, vt hæc animaduerſio & caſtigatio aliis ſit exemplo. Tranſcribit præterea Fiſco Regio omnia eorum bona, mobilia & immobilia, iura, actiones, feuda, hereditates, cuiuſcumque generis ad eos ſpectantia, quocumque loco fuerint inuenta. Datum Bruxellæ pridie Nonas Iunij anno 1568. Subſig. Dux Albæ. Comes Egmondanus, vt fertur, audita hac ſententia, nulla commoti animi ſigna edens, Sanè, inquit, ſententia hæc dura eſt; exiſtimabam me non tam grauiter Regem offendiſſe, aut talem fuiſſe pœnam commeritum: quidquid enim feci, id omne ſincerè & ex animo in Regis commodum atq; obſequium à me factum reputaui. Sed ſi qua in re deliqui, vt mea morte omnia mea peccata atque errata expientur, Deum rogo; tum etiam, ne vxor chariſſima & liberi innocentes hac de cauſa, infamia & confiſcatione bonorum mulctentur: & quámquam meæ res præclarè geſtæ, officiáque in Regem veniam mereri videantur; tamen cùm Deo & Regi ita viſum ſit, libenter mortem ſubibo. Hæc autem ſimiliáque loquebatur, vt his ſaltem dictis Regem ad miſericordiam & clementiam erga vxorem & liberos inducere poſſet. Quin ſcripſit binas litteras, vnas ad Regem, alteras ad coniugem. Regi ſignificat, ſe iudicium, quod ſuæ Maieſtati pronuntiari placuit, audiuiſſe: & quamquam nullo tempore in animum induxerit, aliquid in Regiam Maieſtatem, aut contra Catholicam Religionem committere; mortem tamen, cùm ita Deo Opt. Max. placeat, æquo animo ferre atque obire paratum eſſe: ſi quid autem in his Belgicis turbis admiſerit aut permiſerit, quod ob neceſſitatem vitari non potuerit, id ſincero animo in Dei honorem & Regiæ Maieſtatis obſequium, vti res tempuſque poſtulare videbantur, à ſe factum eſſe. Proinde, ſi quid peccatum ſit, id ſua Maieſtas ei condonare, atque in meliorem partem interpretari, ac chariſſimam inprimis coniugem, innocentes liberos, & infelices miniſtros commendatos habere, clementerque tractare dignetur, ſuppliciter orat, ſeque ipſum Dei omnipotentis miſericordiæ humiliter commendat. Datum Bruxellæ Nonis Iunij anno 1568. Subſcriptum, Mori paratus Lamoralius Egmondanus. Hanc epiſtolam complicatam & obſignatam Epiſcopo Iprenſi, qui eum ad mor-

Pronuntiantur rei læſæ Maieſtatis.

Quid audita ſententia feratur Egmondanus reſpondiſſe.

Fortiter parat ſe ad mortem.

Litteræ Egmondij morituri ad Regem.

mortem fortiter ferendam animaturus aduenerat, tradidit; obnixiſſimè rogans, eam Regi dandam curet: quod Epiſcopus ſe facturum promittit, & poſteà fecit. Poſt hæc precibus fundendis, diuinoq; Numini placando Egmondanus vacabat. Comes quoq; Hornanus ad mortem ſe præparabat. Summo manè in ipſo foro Bruxellenſi ante dictam domum Panariam theatrum conſtruitur nigro panno velatum; pinnæ duæ ferreæ cuſpidibus præacutis eriguntur; duo puluinaria collocantur, & abaco ornato argentea Crux ſuperimponitur: forum autem viginti duabus Hiſpanorum militum turmis circumdatur munitúrque. Hora decima, duabus ante meridiem horis Egmondanus in theatrum à Iuliano Romero & Salina militum Præfectis, nec non Epiſcopo Iprenſi eidem à confeſſionibus, pullato lugubríq; habitu indutus, deducitur: Præfectus rerum capitalium, manu rubram geſtans virgam, ante theatrum equo inſidet, lictor ſub theatro ſtat. Egmondanus ſupra caligas & thoracem (cuius collare ipſemet eiuſdem diei manè abſciderat) veſte rubra damaſcena talari, atque inſuper nigro palliolo fimbriis aureis prætexto indutus, capútque galero nigro ſerico atrarum albarumque plumarum faſciculis inſigni tectus, manibus non reuinctis, ſtrophiolum tenens, aliquantùm in theatro deambulans, paucis prolocutus, O, ait, ſi in obſequio officioque Regis mei vitam profundere poſſim! ac deinde Iulianum Romerum interrogat, ſítne aliquis miſericordiæ locus. Romerus humeros contrahens, de nullo ſibi conſtare reſpondet. Hinc ergo Egmondanus pallium veſtemque talarem excutit, mox in genua ſupra puluinum procumbit, vnà quoque Epiſcopus, & ſimul Deum precantur: deinde Epiſcopus morituro Crucem oſculandam præbet: ſtatim Comes galero ſtrophioloque abiectis, genua iterùm flectit, morti ſe præparat, pileolo nocturno ſerico caput oculoſque velat, lethiferum ictum expectans: ocyùs aſcendit lictor gladium paratum tenens, & vno ictu caput amputat: corpus exanime, effuſuſque cruor panno atro obteguntur. Deinde Comes Hornanus in theatrum producitur, nigro indutus pallio, capite laneum Mediolanenſem pileum geſtans: peccata ſua Deo cõfitetur, meliora omnia circumſtantibus precatur, vtque cum eo ſimul orare Deum velint, rogat: offendiſſe tamen ſe Regem eo quo monebatur modo, etſi ſæpiùs poſtulatus, fateri recuſat. Tandem exuto pallio, caligis & xylina ſubucula tantummodò membra tectus, ſupra puluinum in genua procumbit: faciem ipſemet ſuam pileo velat, iunctiſque manibus ſe in manus Dei commendans, ceruicem carnificis gladio præbet. Poſt hæc in arrectis pinnis ſeu palis ferreis capita præfiguntur; conſpicuaque ſic manent duabus horis, non ſine maxima populi conſternatione ac miſeratione: quorum nonnulli ſtrophiola ſanguini occiſorum in perpetuam rei

1568

Recipit eas deſtinãdas Epiſcopus Iprenſis, eumq; ſolatur.

Forũ Bruxellenſe 22. Hiſpanorũ turmis ſeptũ.

Amputatur Egmõdano caput.

Itidem Comiti Hornano.

1568 memoriam ſeruando intingunt. Duabus pòſt horis corpora capitaque à defunctorum miniſtris capſulis imponuntur, ac ſepulchris in propria cuiuſque ditione conduntur. Egmondano, vtpote magis Catholicè mortuo, maiores ab Eccleſiaſticis cærimoniæ, quàm Hornano adhibitæ ſunt. Hoc modo Lamoralius, aliis Amurathes, Egmondanus, Princeps Gauræ, Comes Egmondæ, Gubernator Flandriæ & Arteſiæ, Eques aurei Velleris, Statuum Conſiliarius, &c. & Philippus Mommorencius, Comes Hornanus, Ammiralius, Regi à Cubiculis, Stipatorum Regiorum Præfectus, Velleris aurei Eques & Statuum Conſiliarius, &c. ambo generoſi celebréſque pridem heroës mortem oppetiere Nonis Iunij, die Veneris ante Pentecoſten, anno ſexageſimo octauo ſupra ſeſquimilleſimum: Egmondanus quidem circiter ætatis annum quadrageſimum ſextum agens: vir robuſtus, ſtrenuus, formoſus, magnanimus, aulica magnificentia ac amplitudine multos præcellens, vxore, tribus filiis ac octo filiabus ſuperſtitibus relictis; Hornanus autem ferè quinquagenarius, vir procerus & vegetus, nullam reliquit prolem, cuius vxor poſteà nupta eſt Comiti Meurſio. Sed audiamus de his etiam Mendoſam Hiſpanum. Eodem tempore, inquit, quo clades in Friſia & mors Arenbergij obtigerunt, concluſus fuit & obfirmatus proceſſus contra Comites Egmondanum & Hornanum inſtitutus. De quibus Albanus mandauit, vti iuſtitia fieret, contra opinionem multorum, etiam qui publica gerebant, arbitrantium ob mortem Arenbergij fuſumque exercitum, & quòd indies rebellium numerus creſceret, expectarenturque ex Germania noua auxilia, imò nouus per aliam viam exercitus, Albanum iis malis preſſum quaqua ratione Regis nomine cum rebellibus tranſacturum. Quare valdè hac ratione Albanus eos perculit, qui huius erant ſententiæ, & ad concordiam inclinabant. Etenim quò iuſtitia fieret, dicti Comites ex caſtro Gandauenſi, vbi detenti fuerant captiui, Bruxellam adducti ſunt, ibique foro publico capitibus truncati: quod fuit ſpectaculum valdè triſte, plenumque commiſeratione his qui aderant; ingerebatque multa cogitanda pluribus, cernentibus tantos & tales viros tam miſerabilem fortunæ aream decurrere, nanciſcique tam deſolatum exitum: præcipuè Ammiralem ſeu Amurathem Egmondium, qui tam illuſtria officia ſuæ Maieſtati præſtitiſſet, infinitis locis & reſpectibus, inter cetera etiam in prælio Grauelingano, quod tanti erat momenti, Regi ſingulari fortitudine victoriam parans; tametſi huius victoriæ felicitas, tamquam actus inprimis inſignis, occaſionem dediſſe videtur errati inſecuti, quòd immodica deinde ſuperbia fuerit inflatus. Sic ille. Initio Iulij ipſe Albanus Groningam verſus cum Hiſpanorum aliorumque militum 17. ſignis proficiſcitur, armorum tormentorumq; bellicorum magnam

Sepeliuntur in propria quiſq; ditione.

Vtriuſq; tituli, ætas, & corporis habitudo.

De iiſdem ex Mendoſa, Scriptore Hiſpano.

Albanus verſus Groningã proficiſcitur.

magnam copiam Mechliniâ (vbi ampliſſimum totius Belgij ſolet eſſe armamentarium) conuehens, & per oppidum Buſcoducenſe in ſua caſtra prope Groningam venit pridie Idus Iulij. Ludouicus Naſſouius (cum quo erãt Hoochſtratanus & Schouwenbergius Comites) de potentiſſimis Albani copiis edoctus, obſidionem Groningę ſoluit, fluuium Amaſim petit, & locum munitioni commodum deſtinat, vlterius auxilium à fratre Orangio expectans, aut ſaltem Hiſpano negotium faceſſere volens, vti intereà locus tempuſque Belgium ab alia parte inuadendi Orangio fratri daretur. Albanus mox, vt Ludouici diſceſſum cognouit, conſiliáque eius odoratus eſt, ſumma cum feſtinatione eum inſequitur, decimo quarto Kalend. Auguſti; & Erico Duce Brunſvvicenſi cum mille ſexcentis equitibus Groningæ relicto, ipſe ocyùs Weddam petit, eamque leuiter munit: inde Raidam (quæ Epiſcopi Monaſterienſis ditio eſt) venit: vbi pontem Amaſi fluuio impoſitum forti militum caterua munit. Ludouicus circa Lemingam ad Amaſim copiis collocatis, vbi neceſſaria quæuis facilè ſuppeditari poterant, ſe loco aptiſſimo munire ſatagit: verùm inuiti tergiuerſanteſque, vt volunt, milites, ſed inprimis Albanus acerrimè perſequens, conatus impediuere. Albanus etenim ſine mora Sanchium Dauilam cum triginta equitibus, quid hoſtis moliretur, primùm explorandi, deinde cum centum equitibus hoſtiles vires tentandi & leui prælio confligendi causâ mittit; continuò etiam Iulianum Romerum cum octingentis ſclopetariis ſubſequi iubet: & quia anguſtior via erat, Sancium Londognum cum mille etiam ſclopetariis, & duabus grauis armaturæ equitum turmis ſub Cæſare Gonzaga & Curtio Martinengo, mittit ſubſidio: hos ſecuti ſunt pedites Hiſpani reliqui ſub Alfonſo Vloa, & Gonſaluo Braccamonte; eos tamen ſuo iniuſſu quidquam magnum attentare vetat. Subſidio ſtatuit à tergo Germanorum militum ſigna ſex, poſt hos Gallorum ſigna quindecim ſub Georgio Lalainio Vilę Domino, fratre Comitis Hoochſtratani (qui Ludouici quidem partes tutabatur, ſed ante duos dies inde diſceſſerat) atque hunc ſequebantur lancearij equites ſexcenti. Primi quidem Hiſpanorum, mox Geuſiorum nonnullos, quos vias intercludere pontéſque diſturbare offenderãt, proſternunt: reliqui conſpecto Regiorum militum numero, properè loco cedunt, ſeq; ad ſuum exercitum cõferunt in duas acies diſtributum, probéque ad pugnam paratum, & tormentis machiniſque bellicis inſtructum: quem cùm Hiſpani primi adoriri ſoli non auderent, haſtatos aliquot ſibi ocyùs auxilio mitti petunt: recuſat id primùm Albanus, eoſq; fortunam tentare ac propriis viribus vti præcipit. Tandem tamen Gonzagæ & Martinengi duas grauis armaturæ turmas ſubſidio venire, atque à tergo adeſſe iubet; timebat enim ne diutiùs morando, aquarum vi, quibus

1568

Inſequitur Ludouicũ Naſſouiũ.

Naſſouius ad Amaſim munire ſe ſatagit.

Velitari iubet Albanus; nõdum plena acie decertari.

Stant Naſſouiani probè ad pugnam inſtructi.

1568 quibus & agri & viæ inundabantur, ſui opprimerentur: prætereà cælum
Albanus hoſtem iubet aggredi. pluuias minabatur, quibus tormentorum bellicorum vſus facilè prohiberi potuiſſet; iiſque de cauſis Fernando Toletano filio ſuo mandat, copias omnes feſtinanter vndique eò deducat, hoſteſque armata vi opprimat: quod quidem faciunt ſecunda poſt meridiem hora, cùm ante quatuor horas velitari incepiſſent: tandémque violento in tormẽtorum bellicorum aggeres munitionéſque atque in hoſtilem aciem impetu facto, victoriam adipiſcũtur. Erat Ludouicus exercitu ſeptem circiter millium cùm equitum tum peditum inſtructus, ſatiſque ei omnia, quibus reſiſtere poſſet, erant prouiſa: ſtatuerat autem vel inundatione Hiſpanos ſubmergere, vel magno ſaltem cum damno vti recederet, cogere; verùm citiùs quàm exiſtimarat, præoccupatur. Hiſpani vallis foſſiſque ſuperatis, obuios cædunt, diſſipant, paucis admodum repugnantibus: plurimi hîc ſunt ſubmerſi; pauciſſimi, quòd hinc Amaſis fluuius eſſet, illinc paludes, fuga ſeruantur: Comes tamen Schouwenbergius cum magna equitum parte euaſit. Ludouicus Naſſouius nauicula ſaluus Emdam vehitur: militaria ſigna, & bellica tormenta impedimentaque omnia in poteſtatem Albani venerunt, qui hac ratione cladem Arenbergij vltus eſt. Commiſſum fuit hoc prælium Iemingæ duodecimo Kalend. Auguſti, hoc eſt die vigeſimo primo Iulij. Ludouicus poſt acceptam cladem, iis qui effugerant collectis, ad fratrem Orangium in Germaniam proficiſcitur. Apparabat ille ingentem expeditionem, cuius rationes typis excuſas quinto Kalendas Auguſti promulgat titulo belli ad Dei honorem, Regis Hiſpaniæ nec non Cæſareæ Maieſtatis eiúſque filiorum, tamquam proximorum Regis heredum, vtilitatem ſuſcepti contra ſæuiſſimam furibundi Ducis Albani tyrannidem; & omnium vndique auxilia requirit. Principio itaque Septembris Orangius, Romerſdorffæ in Epiſcopatu Treuirenſi exercitu recenſito, Rhenum traiicit, & ad Fanum S. Viti ſuæ ditionis venit. Habebat Germanorum militum ſigna quadraginta quatuor, ſub Nicolao Harſtadio, Vito Schouero, Balthaſaro Wolff, &c. Walonum, Belgarum Teutonicorum & Gallorum præcipuè ſclopetariorum quatuor millia & ampliùs; equitum optimè inſtructorum ſeptẽ millia ſub Frederico Rollenhuſio Haſſiæ Mariſchalco, Theodoro Schonbergio, Iuſto Schouwenbergio, Comite Alberto Naſſouio, Comite Burchardo Barbio, Ottone Malsbergio, aliiſque. Aderant etiam, præter Ludouicum fratrem, Antonius Lalaignius Comes Hoochſtratanus, Batenburgius, Warouxius, Riſoirius, Hameſius, Boxtelius, Loneruallius, Maelbergius, Fleſſius, Oheynius, plureſque alij Belgij Nobiles. Trahebat minora tormenta caſtrenſia ſex, maiora quatuor. Plurimorum vexillis inſcriptum erat, PRO LEGE, GREGE, ET REGE; in aliis

Victoria potitur, protrito exercitu ſeptem circiter millium.

Capta & ſigna, & tormenta bellica.

Orangius nouum exercitũ circa Treuerim recenſet.

Numerus militum, & Ducum nomina.

pictus

pictus visebatur Pellicanus, cordis sui sanguine pullos pascens. A Duce Cliuiensi transitum commeatumq; pro exercitu Orangius petit, sed responsum non admodum gratum tulit: Duxenim Consiliariisque magis Hispanis fauere videbantur. Intereà Comes Ludouicus Arenbergam, cæsis præsidiariis Hispanis, occupat; Karpa quoque & Hornesona potitur. In Rheno præterea naues circiter octodecim Italicis mercibus onustas capit, à quibus redemptionis pretium ingens extorquet. His locis castra Geusiorum longo tempore fixa manserunt, ita vt, in Belgium inferius, an Lutzemburgum, an in Hannoniam irrumpere vellent, ignoraretur. Albanus post victoriam Friscam Amsterodamum ac deinde Vltraiectum venit, vbi exercitum recensèri præcepit. Præfecti Germanorum peditum erant Albericus Lodronius, Comes Otto Oberstеinius, & alij, numerabanturque Germanorum legiones quatuor & Hispanorum veteranorum tres, quæ simul vt minimum conficiebant peditum cùm Germanorum tum Hispanorum millia circiter nouem. Gallorum vexilla censebantur quadraginta, equitum Germanorum sub Duce Ericho Brunswicano tria millia; Hispanorum, Italorum, atque Burgundionum circiter duo millia, & totidem ferè turmarum ordinariarum Belgicarum. Ita quidam Scriptor. Mendosa in vnum contrahens, castra Regia paulò pòst circa Traiectum ad Mosam ab Albano posita, censet in vniuersum ad equites quinque millia quingentos tantùm, pedites verò ad sexdecim circiter millia. Totum Septembrem inter Rhenum Mosamq; Orangius castra habuerat; tandemq; Leodij, amicorum ope, trãsitum commeatumque, aliáq; necessaria sibi pollicebatur. Verùm quòd Albanus prior ea loca insedisset, depopulationemque agri Leodiensis minaretur, si ita Orangio fauere pergerent, res ab Episcopo Leodiensi Groesbekanæ familiæ eò deducta fuit, vti Orangio aduersantes ciues eius fautoribus superiores facti, sex militum suæ sententiæ vexilla oppidi defendendi causa conscriberent. Ita Orangius seriùs veniens, spe sua frustratus est. Vt tamen sollicitum dubiumque Albanum teneret, quò potissimùm locorum flectere, vel Mosam traiicere vellet, possétve; vltrò citroque, sursum deorsum, omnem exercitum irrequietus trahit, ne certum traiectus locum hostis præsentisceret. Albanus vadosis minusque profundis Mosæ locis omnibus murices ferraque aculeata spargi curat, hosti transitum quàm difficillimum reddere satagens. Orangius, cùm pontium construendorum nulla esset facultas, vadis Mosæ vbique diligenter exploratis, tandem Nonis Octobris non longè Stockhemio, celeriter flumini appropinquat. Primò equites aliquot vadum transire, iterque munire iubet; posteà equorum maximum numerum in ipso flumine denso continuoque agmine in alteram vsque ripam consistere impe-

1568

Dudum hæret, in quam partem Belgij irrumpat.

Censet & Albanus suas copias.

Frustrà sperat Orãgius fauorem Leodiensium.

Albanus quoque ad omnia vada Mosæ aduigilat.

Nihilominùs circa Stockhem Orangius Mosam transit.

1568 imperat: & hac quidem ratione aquæ curſus impetuſq́; ita repreſſus fuit, vt donec totus exercitus traieciſſet, infrà fluuius decreſceret. Secutus eſt hîc Orangius ſtratagema, Iulio Cæſari, aliiſque belli Ducibus aliquoties vſitatum. Multorum opinio erat, ſi mox in Regium exercitum impreſſionem feciſſet, fortè imparatum oppreſſurum fuiſſe: ſed ſuos madentes ſatis citò eò adducere non potuit, celeriter tamen in Hiſpanorum conſpectum prope Traiectum ſuperius venit. Albanus in monte non procul ab ipſa vrbe Traiectenſi ſe foſſis aggeribuſq́; munierat; & caſtris hîc cõmodè poſitis, vti commeatus ceteraque neceſſaria aliunde conuehi poſſint; in pagis vicinis ferreas molarum ſubſcudes, ne Orangius frumenta molendi commoditatem haberet, vbique auferri præceperat. Hinc ergo Albanus hoſtiles copias velitationibus tantùm fatigare, non verò acie confligere ſtatuit, certò ſibi perſuadens, inſtante hieme, Orangij exercitum alimoniæ, pabuli, pecuniæque defectu diu ibi ſubſiſtere non poſſe. Sic variè variis velitatum eſt locis. Orangius magnam Brabantiæ partem Thenas vſq; penetrat, & prælium cum Albano variis tentat modis. Eo tempore ingens Gallorum Picardorum numerus (imminente in Gallia bello) Chaunij & Ienliſij erat collectus, cohortes ſcilicet equitum circiter duodecim, & ſclopetariorum millia duo ſub Ienliſio ſeniori, & Domino Moruilleirſio; iamque Baronis Rantij, Mouij, Autricourtij, Eſternaij, Sequieri, aliorúmque Nobilium auxilio freti, Poyetio peditum Duce, in Gallicam Brabantiam penetrarant. Orangius, vti his Gallorum copiis ſuum exercitum Ioudoignæ coniungeret, caſtra non longè à Thenis mouet. Albanus vbi riuulum hîc Geuſios traiicere debere percipit, Fredericum filium cum quatuor Hiſpanorum & Gallorum millibus, equitumque cohortibus aliquot, ſexque tormentis campeſtribus, eò deſtinat, vti hoſtilem exercitum, ſimulatque maior pars traieciſſet, peſſumdarent. Orangius id quidem metuens, à tergo ſclopetariorum duo millia cum equitibus aliquot reliquerat: in hos Fredericus tormenta dirigit, & vndique omnes qui feſtinatò traiicere non poterant, inuadit, diſſipat, cædit: inter alios Lonneruallius captus, pòſt Albani iuſſu Bruxellæ capite truncatus eſt. Orangius Iudoignæ Gallorum copiis coniunctus, parum tamen profecit, quòd Albanum ad prælium iuſtum trahere non poſſet, & commeatus ita vndique intercluderetur, vt rerum neceſſariarum maxima egeſtate laborare inciperet exercitus. Deficiebant pecuniæ, ſimúlque fallebant ſperata auxilia: multis ſiquidem ciuitatibus per ſuos tumultus ciendos deſtinarat; ſed fruſtrà, locis omnibus ab Albano firmis præſidiis munitis. Proinde in Franciam proficiſci conſultiſſimum Orangio viſum eſt, vti Principi Condæo & Hugonottis, qui iam tertio ciuili bello intricari cœperant, opem ferret. Ita hęc Scriptor Batauus. Sed multò

Albanus velitando Orangium detinet, & fatigat.

Orangius Thenas vſque penetrat.

Francis ſe iuncturus circa Geldoniã cladem accipit.

Deficiente pecunia & ſpebus, Orangius Franciam cogitat.

multò diſtinctiùs eadem Chronologus Leodienſis in hunc modum: 1568
Die ſexto Octobris tubicen cum litteris ab Orangio Leodium venit, tranſitum ſine maleficio petit. Reſponſum, rem magni momenti peti, & quæ non ad Senatum ſolùm (cui litteræ eius erant inſcriptæ, neglecto Antiſtite) ſed & ad patriæ Ordines pertineret; quapropter rogare, vt interim dum Comitia Ordinum patriæ indicantur, reſponſum expectet. *De eadem expeditione pleniùs ex Scriptore Leodienſi.*

Sub idem tempus miſſus eſt & alius tubicen Traiectum, per quem quoque illac ſibi viam in Brabantiam concedi petebat. Iſte à Senatu, nullo accepto reſponſo, ad Albanum miſſus, arbori non procul ab oppido ſuſpenſus eſt; aſſerente Albano, ſubditorum rebellium Legatis nullam immunitatem deberi. Hiſce litteris & animos Leodienſium & Traiectenſium Orangius tentabat, & Albano ſimul fucum faciebat. Cùm enim necdum tabellarius Leodienſis ad eum rediiſſet, ille miſſis ſecretò, qui itinera & Moſæ vada tentarent, opportuno inter Stockhemium & Maſeikam vado reperto, nocte lucida, Moſam, extenſo per illum tranſuerſum fune, viam monſtrante, cum ſuo exercitu traiecit; móxque arcem Stockhemiam hoſpitij ergô (vti aiebat) ſibi concedi poſtulat. Verùm Falcumburgus Præfectus excuſat ſe id non audere, niſi conſulto priùs & aſſentiente ſuo Principe: nec quamuis pluries in eumdem modum rogatus, etiam ſubiectis minis, reſponſi aliud dedit, potiùs paratum ſe cum præſidiariis vitam & ſanguinem profundere. Antiſtes de his certior factus, mox & alios præſidiarios Leodio, Æmiliano duce, Stockhemium per Moſæ defluum ſubmittit. Is cùm Comiti Berlaimontio Albani caſtra ſequenti hoſtem Moſam tranſiſſe ſignificaſſet, & Comes id Albano renuntiaſſet, fertur incredulus interrogaſſe, putarétne Orangij aciem auium phalangem, quæ Moſam tranſuolaſſet? Eodem quoque tempore ac eadem de cauſa Dominus de Floyon Prætor Leodienſis Haſſeletum cum duobus militum ſignis mittitur. Albanus, re penitus cognita, mox Ægidium Hiergium Berlemontani filium cum aliquot copiis, nocte intempeſta, cæloque maximè pluuioſo, Thenas mittit; ne forſan hoſtis eò præueniens, annonam, quæ ibi maxima copia aſſeruabatur, præriperet. Dedit interim Orangius biduum copiis ſuis refocillandis, deinde facit iter verſus Tungros. Ac primùm quidem milites eius modeſtè ſe habere, mox ingenium prodere, ſacra profanare, quemuis etiam indiſcriminatim opprimere. In pago Villarij, vno à Tungris miliari, calcata pedibus ſacra Synaxis, ſacro infirmorum Oleo inuncti calcei, Imagines deturbatæ, fœdata Altaria: pleriſq; aliis locis ablati ſacri calices, ſacræ veſtes in profanos vſus commutatæ. Alibi Sacerdotes miſeris modis afflicti; in quoſdam etiam præciſis naribus & auribus, excoriato vertice, exſectiſque ventribus mutilos, velut in ſcopum bombardis ia- *Tranſit Orangius Moſam, extenſo per illum funem.* *Fruſtrà ad arcem Stockhemiam admittipetit.* *Mittit Epiſcopus Leodienſis milites Haſſeletũ, Albanus Thenas.* *Loca ſacra & Sacerdotes indignè ab Orangianis tractantur.*

1568 culatum eſt. Tungri vtrimque militibus cincti, hinc Albanicis, inde Orangicis, inter ſpem metumque fluctuantes, ſeu errore perculſi, ſeu blanditiis ineſcati, ſeu immodico (quod fama ferebat) Orangij ſtudio obcæcati, inconſulto Prçſule Domino ſuo, portis reſeratis, Orangicorum primores aliquot intromittunt; inter quos erant Comes Ludouicus Orangij frater, Comes Hoochſtratanus, Comes Lumæius, Louiruallius, Vallius, Bethonius, & alij. Albanus rem indigniſſimè ferens, cùm in eo oppido haud exiguam farris copiam & impedimenta bellica repoſita haberet, ipſique Hiſpanum vt admitterent, nulla ratione adduci potuiſſent; vrget vti Orangicos Duces captiuos detineant, aut apertis portis ſuos intromittant; nî fecerint, excidij pœnas minatur; iiſque paulò cunctantibus, mox portas Vulcano tradit, & oppidum depopulandum militi proponit. Hoc triſti accepto nuntio, Præſul Dominum Winandum de Wijngard Decanum Leodienſem, & virum Nobilem Bolandum œconomum ſuum ad Albanum mittit, qui referrent, ſe inſcio & inuito, quæ Tungri feciſſent, patrata; ciuium quorumdam culpam, bonorum nomine (quorum maiorem melioremque conſtabat eſſe numerum) deprecarentur, auxilium quantum poſſint promitterent, veſaniámq; paucorum per opportunitatem Antiſtitem vlturum profiterentur. Sedata & pacata vtcumque indignabundi Ducis cholera, ſubmittitur Guilielmus Pictauius Præpoſitus Leodienſis, vir & genere nobilis, & pius ſimul & eruditiſſimus, qui oppidum Albano eiuſque militibus aperiri iubet, hoſtibus inde diffugientibus. Sub id tempus Orangius Looncaſtri, exiguo Leodiorum oppido, metatis caſtris, Dominico die ſuis ſtipatus, concioni noui præconis Euangelici, quem ſecum ducebat, intereſt; cuius finis fuit iconomachia, quæ ſtatim ſubſecuta eſt: nec hoc ſatis; domum Dei in equorum ſtabulum vertit, ſacris profanatis deprædatiſque. Neque interea deſinebat Orangius Trudonenſes miſſis Fecialibus ad deditionem ſollicitare: ex ſuis enim didicerat in oppido plurimos eſſe, qui eius partes vel ſolo Religionis nouæ & affectatæ ſtudio fouerent. Hoochſtratanus iſthuc inter alios miſſus, multis verborum lenociniis perſuadere nititur, vt quod iam pridem animo deſtinarant, intrepidè peragerent, portas ſibi & aliquot Nobilibus adaperirent, adeſſe Principem Orangium amicum & protectorem: dumque pars oppidi ſanior cum eo colloquitur, & eius conatus illudere tentat, ecce per nefarios quoſdam panduntur portæ; moxque Hoochſtratanus cum ſuis partim Nobilibus partim gregariis oppido potitur: claues ad Orangium in caſtra deferri iubet, præſidium imponit, arctiſſima cuſtodia portas munit, omnia denique ſuo arbitrio diſponit. Oppido hac ratione in Orangij poteſtatem redacto, Sacerdotum inprimis & Monachorum ordo in graui periculo verſabatur. Igitur

Tungrenſes admiſſis Ducibus aliquot Orangianis, ab Albano obſidẽtur.

Iuſſu Epiſcopi, Tungrenſes militi Albani portas aperiunt.

Orangius Trudonopolim dedi ſibi poſtulat.

Operâquorumdam oppido potitur.

ple-

plerique omnes vitæ consulentes habitum commutant, alij fœno, alij granorum aceruis se abscondunt, alij secretiora ædium loca inquirunt, nonnulli humiles domos cursim petunt. Cœnobium ibi Benedictinorum longè amplissimum, aureâ argenteáque supellectili, vino, frumento, aliísque rebus amplissimè instructum diripitur. Abbas, vt vesanum militis furorem & hostiles sannas euitaret, se in locum secretiorem abdiderat, verùm aliquamdiu & loci squallorem & fœtorem perpessus, seu diligenti quærentium indagine, seu quorumdam improborum, qui domus secreta explorata habebant, indiciis demonstratus, capitur, & abducitur, donec tandem viginti prætereà dalerorum millibus libertatem redimeret. Fuerunt & alij nonnulli deprehensi graui ære mulctati: ciues opulentiores, auro, argento, supellectili quoque spoliati; rusticorum bona illuc antè pro securitate aduecta, euecta; præda conflata, multorum iudicio octies centenis aureorum millibus æstimata. Extracta insuper tormenta bellica, bombardæ, puluísque tormentarius, magno proborum ciuium mœrore, qui ne mutire quidem audebant. Confugerat eò paulò antè Abbatissa de Herkenrode; sed inde lepido stratagemate, mutata veste & habitu, onerario curru vecta se subduxit. Leewenses Trudonensibus cõtermini, hostis potentiam timentes, aut fortè in Orangianos non malè affecti, primùm sollicitati, vt viginti florenorum millia mutua darent, cœperunt suam tenuitatem causari, tandem duo millia polliceri. Ceterùm paulò pòst militem admittunt, & ad exercitum aliquot pulueris tormentarij vasa vehunt. Quæ res Albanum vehementer offendit, & nonnullis oppidi primariis infeliciter cessit: qui cùm ad Albanum fortè culpam deprecaturi, vel factum excusaturi veniissent, mortis sententiam acceperunt; quæ tamen quorumdam precibus sic temperari visa est, vt missa inter eos sorte, vnius tantùm, in quem lethalis sors caderet, laqueo gula frangeretur. Sub medium Octobris miserat Condæus ex Galliis in Orangij subsidium quinque peditum Gasconum millia, equitum duo. Hi Ianlio & Rentio ductoribus, ad Monasterium S. Huberti in Ardenna rectà contendunt, illud cum vico & xenodochio depopulantur, in magnificũ illud D. Huberti Fanum ignes immittunt; Cœnobium etiam vt vetustissimum, sic & celeberrimum vnius diei spatio flammis edacibus absumendum tradunt: secesserat Cœnobiarcha suæ suorumq; vitæ consulens in arcem vicinam Mirwart. Gascones huc illuc cursitantes, & commodum iter in Brabantiam quærentes, tandem in pagum de Hastier, sesquilapide à Dionantiis dissitum, veniunt, eumque priùs occuparunt, quàm cuiquam illorum aduentus innotuisset. Facto igitur mox in Cœnobium impetu, Religiosum quemdam templum fortè verrentem sclopeto perimunt, portas violento impetu perfringunt, Monasterium

1568

Abbatia expilata. Abbas adhuc viginti millia dalerorum soluere cogitur.

Vniuersa præda Trudonensis quanti æstimata.

Seuera Albani in Leewvēses sententia.

Orangij auxiliares Cœnobium S. Huberti spoliatum incendunt.

Similiter Monasterium de Hastier; caso etiam ibi Religioso.

1568 ſterium templumque depopulatum igne abſumunt: hinc citato gradu ad Orangium contendunt. Hîc die Octobris vigeſimo, cùm ex veterano milite Domino de Vaireſſo didiciſſet Albanus, hoſtilem peditatum pro meliori parte ab equitatu diſſitum apud Montinacum in pago de Pelleine agere, difficultérque à ſociis ſuppetias habere poſſe, magna celeritate, occaſione vtens, eum adoritur, cædit, profligat: ceciderunt pluſquam duo millia; extinctis pleriſque, partim in vicino flumine ſuffocatis, partim in villa vicina ambuſtis, aut gladio cæſis. Inter victos ſtrenuè dimicans Philippus de Marbes, Loueruallij & Fornemontij Dominus, grauiter vulneratus, captiuus Viluordiam nó rediturus abducitur. Sed & eo prælio ferebatur ſclopeto ſauciatus Comes Hoochſtratanus, qui accepto vulnere numquam poſteà conualuit. Clades hæc inopinata Orangium malè habuit: pergit tamen in incepto, & in Gallo-Brabantiam Geldoniam progreditur; quod vt Albanus inaudiuit, ne quid periculi eſſet in mora, ſedibus mutatis, caſtra ad Parcenſe Monaſterium Louanio proximum figit. Orangius Geldoniam oppidulum, templúmque depopulandum relinquit, deturbatis ſimul fractiſque pro more ſuorum imaginibus, altaribuſq; euerſis. Paulò pòſt Heyleshemenſe Cœnobium non procul Thenis, opibus valens, & vetuſtate commendandum, ſpoliatum quoque & fœdatum eſt. Pridie Simonis & Iudæ leuiter in tranſitu oppugnantur Thenæ, ſed quas animosè propugnat Hiergius cum ſuis copiis. Hinc, vt parum pro voto Orangio negotium primarium ſuccedit, hæret dubius, quidnam potiſſimùm tentet; etenim nec redire qua irruperat via, ob Moſæ inundationem licebat. Intereà Lumæius Orangio militans Cœnobium Virginum Vallis noſtræ Dominæ, vno ab Hoyo lapide, deprædatur: inde Flonenſe Monaſterium ad Moſæ ripam ingreſſus ſpoliat, nauem mercatoriam iſthic de more tranſeuntem perluſtrat, repertum in ea Monachum extrahit, caudæ equi ſui alligatum per montes valleſque ad ipſa vſque ſuburbia Hoyenſia raptat. Demum poſtridie Kalend. Nouembres Orangiaci ſe ad portas ipſas Leodienſium inſinuant, domos in S. Walburgis ſuburbio diripiunt, incendunt: mox ſiſtit ſe ab Orangio Fecialis (Heraldum vocant) tranſitum darent, ſin minùs, vim experirẽtur. Reſponſum, nec poſſe, nec ex re ciuitatis eſſe, hoc rerum ſtatu tranſitum concedere; ſi vim fecerit, Præſules & ciues ſibi non defuturos. Sub idem tempus Orangius ſcribit Abbati S. Laurentij, & aliis nonnullis Eccleſiaſticis Prælatis, centum millia ſcutorum ſibi numerari petens; futurum alioquin, vt eorum Monaſteria & villas igne abſumat. Quibus minimè reſponſum fuit. Erat tunc temporis Orangius caſtra metatus cum lectiori equitatu in pagis de Loncin & de Bierſet, vno circiter à Leodio milliari; miſitque Orangius Leodium, pro tranſitu ſecundò;

Caduntur ab Albano pluſquam duo millia.

Orangiani ſpoliata Geldonia & Heyleſhemo, Thenas fruſtrà tentant.

Lumæius Monachũ caudæ ſui equi alligat.

Orangius tranſitum à Leodienſibus ſemel & iterùm petit.

dò; sed idem, quod suprà, tulit responsum. Quare ipso S. Huberti, qui 1568
Nouembris dies tertius est, mittit tertiò; atq; interim eius copiæ gregatim ædem S. Ægidij in monte publico petunt; inde ad S. Margaretæ & alia loca vicina deflectunt, magna licet itineris molestia, locis naturâ præruptis, & iactis transuersum arboribus ferè inaccessis: vnde coniici facilè poterat, preces eius armatas esse. Nihilominùs pari constantia Laconicè responsum, non pati præsentem rerum statum nec transitum permittere, nec prolixè cum eo communicare. Hanc tertiam passus repulsam, litteras scribit irarum plenas, sibi suum excidium imputent. Leodienses tubicini eiusmodi minaces litteras ferenti, laqueum, si vlteriùs redeat, vel quiuis alius, minantur. Occupant igitur Orangici suburbia, fossas deducunt, aggeres extruunt, tormenta apparant, scalas aduehunt, tormenta explodunt, clamores ingentes vtrimque excitantur. Præsul interea vigilantissimus, perfidiæ quorumdam ciuium suorum non ignarus, quò signa coniurationis hinc inde muta consisterent, seueriſſimè edicit, ne quis sua se statione dimoueat, nec horę campanæve noctu diuq; sonitum edant. Mox in equitatum per montes ad ciuitatis muros aduentantem tormenta explodi, & peditum iam consistentium tentoria diuersoriaque creberrimis bombardarum ictibus concuti dissiciique mandat. Atque hæc quidem, Nouembris die quarto, cum incredibili animositate nocte dieque ciues prosequuntur. Orangius nihil se proficere, Albanumque imminere sibi cernens, Monasteriis & aliis domibus vicinis ignes iniicit, sicque discedit. Trium famosorum tunc Monasteriorum conflagratio hoc carmine numerali continetur:

Petit & tertiò; simulq; copias propiùs vrbi admouet.

Tubicini minantur laqueum, si redeat.

Orangiani Leodium oppugnare parantes fortiter excipiuntur.

AEgIdIVs, LaVrens, VaLLIs BenedICta LabaſCVnt
Igne; ſtVpet faCInVs qVartVs qVIntVſqVe NoVeMbrIs.

Inde Hannoniam Orangius petit, quo in itinere similiter Bonneffiense Cœnobium, & Bellouacum oppidulum, Bonæ quoque spei Monasterium igne in fauillas vertit. In hoc Cœnobio Monachum quemdam pudendis in camino à sacrilegis istis suspensum fuisse traditur. Ad extremum Franciam ingressi, vbi aliquot diebus isthic moram traxissent, & frustrà se Condęi copiis iungere conati essent, per Mediomatricum fines longè latéque prædabundi sese effundunt. His diebus Comes Hoochstratanus & Euerardus Vellensis extremum vitæ diem clauserunt, Orangij castra secuti, fidem nihilominùs Catholicam sub mortem religiosè professi. Sequebatur Orangium à tergo Albanus, qui vbi eum à Belgio excluſit, Cameraci se per aliquot dies, quid hostis ageret, exploraturus, continet; vbi intellexit, Condæum & Ammiralium non procul à Pictauis in fugam actos, cæsas etiam copias pedestres, sed & subsidia ad Condæum properantia ad quatuor armatorum millia ab Omalio esse dissipata.

Insistente Albano, multis Monasteriis incensis, in Franciam abeunt.

Albanus Cameraci vsq; Orangium insecutus, Bruxellam redit.

1568 pata. Demum menſe Decembri, diſpoſitis vbique præſidiis, Bruxellam rediit, die eius menſis vigeſimo. Sic Chronologus Leodienſis. Prior ille his verbis narrationem ſuam finit: Orangius cum fratribus præcipuiſque Ducibus exercitus vlteriùs in Franciam tendere, ſéq; Condęanis copiis coniungere ſtatuerant, verùm orto diſſidio, militum vulgus longiùs proficiſci recuſat, in Albanum, non in alium, operam ſe addixiſſe affirmant, in Germanicum ſolum reduci, ſtipendiáque ſolui expoſcunt. Hîc neque monita neque preces (quòd prompta pecunia non adeſſet) profuere. Quare Orangius per Campaniam & Lotharingiam exercitum in Germaniam non procul Argentorato educere cogitur. Hîc milites, ſtipendio tenuiter numerato, diſperſim diſcedunt: ipſe enim Orangius, tormentis impedimentiſque omnibus Argentorati venditis, ſtipendia, vt potuit, ſoluit. Orangius, Ludouicus & Henricus fratres cum mille & ampliùs ſtipendiariis equitibus ſe militiæ Ducis Bipontini, qui exercitum pro Principe Condæo & Hugonottis tunc inſtruebat, ſocios iungunt, pariterque Franciam petunt. Hoc anno Carolus Philippi Regis Hiſpaniarum ex Maria Luſitana prima coniuge filius, tertium & vigeſimum ætatis ſuæ annum ingreſſus, cùm aliquandiu in cuſtodia fuiſſet, (quod anno præcedenti tempeſtiuiùs Mendoſa Hiſpanus narrauit) menſe Iulio è vita ſublatus eſt. Opmerus hoc carmen numerale ex Ouidio adaptat, D. littera pro quingenteſimo aſſumpta:

Orangius, Argentorati militi vt poteſt ſatisfacit.

Carolus filius Regis Hiſpaniarum obit; mox & vxor Regis.

FILIVs ante DIeM patrIos InqVIrIt In annos.

Ac die ſeptimo Octobris obiit quoque Iſabella Francica eiuſdem Philippi Regis coniunx tertia. Albanus, qui parto ſuo damno hoſtes vbiq; victos profligarat, patriáque eiecerat, decimotertio Kalendas Ianuarij Bruxellam cum filiis venit, ſtatim milites in præſidia mittit; ſeque iam maiore cum tranquillitate gubernaturum, Belgiúmque ad perfectam obedientiam reducturum ſperans, nouorum Epiſcoporum rebus in omnem partem proſpicit; tum quos adhuc turbarum participes comperit, pœnis vrgere pergit. Hinc rurſus populi ingens fuga; omnis generis artificia opificiaque Belgio hactenus peculiaria, ad alias nationes tranſlata. Flandri ſanè inprimis in proximam Angliam ex portu Francico Caletenſi vicino tanta multitudine commigrarunt, vt vrbes aliquot ruinoſas & habitatoribus pęnè vacuas, Norwicham, Sandwicham, Colchelſtrã, Maydſtonum, Hamptonum, aliáſque nonnullas prorſus inſtaurarint, libero ſuæ Religionis linguâ Teutonicâ & Gallicâ exercitio ab Eliſabetha Regina iis conceſſo. Hi artes varia textura conficiendi pannos lineos & laneos, veſtes leuidenſas, ſericas, ſubſericas, hetromallas, & quidquid operis lana netur texitúrque in ſubtiliorem vſum aut queſtum, in Angliam ex patrio ſolo attulere. Sic & Hollandi & Zelandi piſcatoriam,

Albanus pergit caſtigare turbarum participes.

Hinc omnis generis artifices in vicinas Prouincias cõmigrant.

&

& Brabanti profugi ſuas artes varias Germaniæ ſuperioris locis multis intulerunt. Sed ecce, dum hæc fiunt, eodem menſe Decembri Albano non parum negotij Angliæ Regina faceſſit. Cùm enim Albano pecuniæ ex Hiſpaniis frequenter mari mitterentur, accidit id temporis, vt magna quædam nauis Cantabrica, & quatuor minores, aſſabres vulgò dictæ, ducentis aureorum piſtoletorum millibus onuſtæ, prædatoribus nautiſque militaribus Principis Condæi eas hoſtiliter perſequentibus, ad Angliæ portus extimos tandem adactæ impulſæque fuerint. Poſtulat Hiſpaniæ Regis Legatus Gueraus Deſpeſus litteras tuti itineris ab Angliæ Regina, vt ſine periculo terra aut mari armatis copiis Antuerpiam perducantur: idque concedit Regina. Verùm intereà dum Gueraus amplius certiuſque ab Albano reſponſum exſpectat, nuntiatur Reginæ hanc pecuniam non ad Hiſpaniæ Regem, ſed ad Genuenſes Italos mercatores attinere, & Albanum eam in ſuos vſus, neceſſitate cogente, conuertere ſtatuiſſe, mercatores autem malle eam à Regina in Anglia tutam ſeruari: proinde fiduciaria cautione Regina theſaurum ad terram deferri, & à Gallorum violentia, qui ſe eam inuaſuros minabantur, conſeruari imperat. Quod vbi Gueraus Deſpeſus Albano nuntiaſſet, mox ille Antuerpiæ in Anglos mercatores manus iniici, eóſque in Anglorum domo à militum cohorte ſeruari 24. Decembris imperat; ad hæc eorum naues & bona vbique conſcribit. Quæ vbi in Angliam nuntiata ſunt, Angli viciſſim Reginæ permiſſu, ſecuritatis indemnitatiſque cauſa mercatores Belgas eorumque bona retinent ac ſequeſtrant. 1568

Vis auri Albano deſtinata in Angliã appellit.

Regina perſuaſa aurum eſſe mercatorũ, ſeruandum id curat.

Angli ergo detenti Antuerpiæ, & viciſſim Belgæ in Anglia.

Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono, pridie Kal. Aprilis Albanus publico Edicto commercia cum Anglis prohibet; tenuitq; hæc altercatio vſq; Septembrem anni ſeptuageſimi quarti, magno mercatorum damno; atque intereà cum Anglis neque omnino bellum erat, neque pax, ſed quid medium, vltrò citróque nunc ex Anglia in Hiſpaniam, nunc ex Hiſpania in Angliam huius controuerſiæ cauſa commeantibus Legatis. Decimo tertio Kal. Maias conuocatos Bruxellam Ordines hac ferè oratione Albanus compellat: neſcium neminem, multa cohortibus ordinariis & reliquo militi ſtipendia deberi; locorum communitiones, militarem annonam, & tormenta bellica magnam pecuniæ vim exigere; plurimum eſſe quod mercatoribus deberetur, nihil in caſum præſtò eſſe; perpendiſſe diligenter, quibus ſubſidiis vſa hactenus Reſpublica eſſet: ſed nihil iuſtius aut conuenientius deprehendiſſe, quàm vt res mobiles quotieſcumque venderentur, decimam Regi penderent; immobilia vendita vel dominum mutantia, vigeſimam; & vtraque indiſtinctè ſemel quamprimùm centeſimam exhiberent; ſe datu-
rum operam, vt quàm moderatiſſimè omnia conſtituerentur. Prætex- 1569

Proponit Albanus de decima, vigeſima & centeſima dãdis.

1569 tus reiiciendi veterem Collectarum rationem hic erat: Flandria pridem, gliſcentibus bellis Francicis, tertiam partem poſtulatæ permiſſæq; ſummæ pendere tenebatur, Brabantia quartam, Hollandia quartam eius quam Flandria ſola dabat, Arteſia verò & Hannonia ſingulæ ſolùm ſextam, & vicinæ aliquot Prouinciæ ſimili quadam gratioſa proportione, quòd hæ Prouinciæ Francis vicinæ eorumque continuis prædationibus expoſitæ non ampliùs tunc præſtare poſſe cenſerentur. Hanc inæqualitatem, pace iam firma cum Franco conſtituta, Flandri & Brabanti corrigi volebant; recuſabant Arteſij & Hannonij. Huic ergo incommodo inprimis Albanus remedium in ſpeciem allaturus videbatur, decima, vigeſima, & centeſima, vt dictum eſt, omnibus æqualiter imperata. At nihilominùs moleſta paſſim omnibus Albani petitio viſa eſt, his diuitias ſuas, illis tenuitatem hac via omnibus manifeſtam fore clamitantibus. Tamen centeſimam à pleriſque metus expreſſit; quam mox Gelri Friſiique redemerunt. In decima & vigeſima cur minùs acquieſcerent, cauſas ſingularum Prouinciarum Ordines libello comprehẽſas repræſentarunt; ac communis ferè omnium querela fuit, commercia euerti potiſſimum Reip. Belgicæ neruum; hacque ratione mercatores exteros certò aliò commigraturos; neque fore qui opificum operas tanto cum onere redimeret: ad vigeſimam quoque quod pertineret, eam pergrauem eſſe; quippe vſu ſæpè futurum, vt ob eumdem agrum domúmve intra annum ſexies plus minùs vigeſima ſolueretur. Sed harum rationum nullam Albanus admittens, decimam & vigeſimam vrgere non deſtitit, benignè ſe arbitraturum interim pollicitus, vbi difficultates ſe fortè obieciſſent; ſed inpræſens velle Regem, vti poſtulata concedant: ſi recuſent, aut cunctentur, aliud ſe tentaturum: nihil eſſe, cur ita graue exiſtimarent; in Hiſpania vſitatum, vbi & vna ſua Alba circiter quinquaginta aureorum millia quotannis ei hac ratione penderet. Hîc, vt creditum eſt, Prouincialium cauſam prudenti moderatione Viglius excipit, conſiderandum interim diuerſum regionum ſtatum inferens. Hiſpaniam latè diffuſam agricultura & ſoli feracitate æſtimari: in limite nullos vicinos; montibus tantùm & mari terminari. Belgium contrà anguſtum eſſe, pannificioque ac commerciis cenſeri: deinde pluribus populis circumfundi; ad quos ea commercia, ſi tributis onerentur, certò commigratura. Id prudenter valdè Philippum Burgundum Belgicæ felicitatis auctorem præuidiſſe, eoque diligenter cauiſſe, (quantumuis in continuis bellis continuis ſubſidiis opus haberet) vt portoria tamen ac tributa leuia eſſent, viliſque annona; mercatoribus etiam peregrinis hac de cauſa priuilegia multa indulſiſſe; nunc ſi contrà fiat, arceri peregrinos, ac commercia planè interuerti. Sed parum profuit oratio;

Pratextus petitionis in ſpeciem decoris.

Conceſſa centeſima; alia duo, allatis rationibus, negantur.

Inſtat Albanus, & minatur.

Modeſtè Viglius occurrit Albano.

tio; hoc tantùm Ordines ampliùs deliberaturi in ſuas quiſque Prouin- 1569
cias redire iubentur. Interim Hannonios, Arteſios ac Namurcenſes, vti exemplum ipſi propenſi in Regiam voluntatem animi ceteris darent, blanditiis & promiſſis impellere Albanus clàm tentauit; aliis præſidiorum metum iniecit. Idcircò territi nonnulli, vt iram eius, & imminentem tot militum inſolentiam euaderent, quibus animus per ſtipendia debita erat ferox, & occaſio prædæ querebatur, ea lege tributum promittunt, ſi ceteræ quoque Prouinciæ exhibeant: orant præterea, vt expenſis querelæ momentis, clementer ſtatuat, quod publicè vtile ſit futurum. Hollandiæ Nobilitas, & vrbs primaria Dordracum iam conſenſerat, ad quam mox reliquæ ciuitates acceſſerunt; tantùm Amſtelrodamum recuſabat initio, & cauſas ſeorſim allegabat, ſubſcripturum nihilominùs, ſi ab aliis acquieſceretur. Sed ſumma difficultas apud Vltraiectinos fuit. Hi inter cetera Albano reſpondent; pridem Regem Philippum, florentiſſima adhuc Prouincia, cùm centeſimam rebus immobilibus, mercibus quinquageſimam indixiſſet, intellecta territorij anguſtia, & tributi ordinarij grauitate, tantùm viginti octo florenorum millia iis imperaſſe; ac ſperare tam laudabile indulgentiæ exemplum hoc quoque tempore iis profuturum; quia tamẽ Albanus Religionem auitam maximis impenſis conſeruaſſet, vt ingens beneficium agnoſcerent, nunc pẽnè ſupra vires ſeptuaginta duo florenorum millia in ſexennium ſe offerre. Inde augent ad centum millia. Sed cùm nihil pacati reſponſi acciperent, tandem dixerunt, ſe ſupra illa nil poſſe. Seorſim etiam quinque Collegiorum ibidem Canonici repræſentabant, ſua bona ſine Summi Pontificis conſenſu ſub laicorum commercio neutiquam comprehendi, itaque eius ſententiam priùs audiendam: alioqui in Bulla Cœnæ Domini tam eos qui tributa permittunt, quàm qui exigunt, vſu ſacrorum prohiberi. Ad hæc proximo cum Carolo V. Imperatore tractatu, quando ius in illum rerum temporalium tranſlatum eſt, à tributis grauioribus expreſſo pacto immunes ſe habitos. Hîc Albanus allegationem contra ſe Bullæ Apoſtolicæ inprimis indignè ferre. Quare vt Vltraiectinos cogeret, vtpote quòd eorum exemplo etiam alij recuſarent, die 21. Auguſti legionem illuc Longobardicam mittit, in quâ 10. Hiſpanorum ſigna; qui quantas inſolentias ibi commiſerint, anno ſequenti commemorabimus. Intereà Albanus grauem omnibus decimam & vigeſimam videns, vt inuiſa nomina mutaret, differre propoſitum velle oſtendit, ſi earum vice, vniuerſim in annos ſingulos ſex ſequentes, vicies centena millia florenorum Prouinciæ promitterent, initio facto à die 10. Kal. Septembris, quo decima ac vigeſima conceſſæ dicebantur; atque huic rei deliberandæ menſem dedit. Initio æquior quibuſdam poſtulatio viſa fuit, ſed expedien-

Quædam trouinciæ annuunt; ſed ſi & aliæ dent.

Obnituntur Albano totis viribus Vltraiectenſes.

Canonici Vltraiectenſes allegant contra Albanum Bullam Cœnæ Domini.

Igitur illos militibus caſtigãdos tradit.

Petitur decima, aut quotannis vicies centena millia, per annos ſex.

1569 pediendi tamen ratio difficilis. Alij opinabantur temerè plenum conſenſum dici, quamdiu Vltraiectini detrectarent, cùm non aliter promiſiſſent, quàm ſi omnes pariter acquieſcerent. Erant etiam qui leuiorem ipſam decimam & vigeſimam exiſtimarent, propter tot profugorum abſentiam, ſilenſque iam Anglicanum commercium. Aut ſi ſumma petita concedenda foret, æquiùs quàm hactenus partiundum onus Flandri & Brabanti rationibus quibus ſuprà clamabant; contrà Arteſij, Hannonij, Inſulani, Duaceni, Orchienſes ac Namurcenſes contendebant, à veteri partitionis ratione non eſſe recedendum. His diſſidiis difficilior rerum ſtatus reddebatur. Nihilominùs die nona Septembris Edictum promulgatur de colligenda centeſima; itemque alterum die 22. Octobris pro deſcribendis ſingulis domibus. Dum hæc fiunt, Orangius noua ad propoſitum ſuum tenendum conſilia agitans, omnia rerum momenta expendit, prioris impreſſionis fortunam correcturus; & vt certior eſſet ſucceſſus, cunctandum aliquantiſper ratus, interim Brederodium Lancelotum, Egmondum, Menningum, Enteſium, Embiſium, Ruchaiuerium, alioſque naues bellicas parare iubet, claſſemque vniuerſam Olhanus duceret; qui dum mare paſſim infeſtat, tempeſtate in Fleuum actus, aduenientes è Dania ac Suecia priùs 60. naues, mox alias 40. aggreſſus expugnauit, mercibuſque direptis terrore ingenti commercia concuſſit. Albanus intereà grauiter Vltraiectinis ſuccenſens, vt quorum pertinaciam Prouinciis aliis prauo exemplo eſſe dicebat, cùm inſolenti valdè Hiſpanorum militum præſidio, de quo diximus, aſſenſum extorquere fruſtrà ſperaſſet, in 29. Decembris ad cauſam dicendam coram Senatu Turbarum adeſſe iubet. Id, etſi difficillimis ob hiberna incommoda itineribus, cùm aliquoties feciſſent, cauſæ ſuæ benè confiſi, nihilominùs poſteà rurſum, eorũ precibus, qui gratia in Aula & auctoritate valebant, iratum Albanum mitigare conati ſunt, inſuper ad cẽtum illa millia quæ obtulerant, alia quinquaginta millia adiicientes. Sed ille neque ſic placatus, ſine exceptione parere iuſſos, etiam anteactorum veniam ſupplices poſtulare voluit, ac ſuæ gratiæ arbitrium expectare; aliter non ius remiſſurum, aut præſidia deducturum. Quod vbi intellectum, patientiæ obſtinati Vltraiectini iure porrò experiri, nec integra conſcientia infamiam tantam in ſe ſuoſque admittere ſtatuerunt. Atque hæc Vltraiectini; de quibus reliqua anno ſequenti. In ceteris Prouinciis id Albanus effecerat, vt è vicies centenis millibus in biennium proximum tribuendis, ſingulæ partem ratam præſtarent: paucis aliquot permiſſa eſt redemptio, quæ pridem ſub Philippi Regis dominatum venerant; ac Gelria quidem quingenta quinquaginta millia; Friſij, centum viginti octo; Tranſiſulani & Tubantes nonaginta quatuor; Groningenſes

Promulgatur Edictũ, de deſcribendis ſingulis domibus.

Orangiani inſtructis nauibus prædas agunt.

Vltraiectinis ab Albano dies dicitur.

Quædam Prouinciæ ratam vigeſies centum milliũ ſoluunt.

ſes ſexaginta millia in certos annos diſtincta penderent; Linganis decem millia dalerorum imperata. Hoc anno ſexageſimo nono, menſe Martio Albanus, cùm Bipontinum ſimulque Orangium Condæo & aliis prætenſæ Religionis reformatæ auxilio in Franciam veniſſe intellexiſſet, Regi Galliæ ſubſidio miſit Comitem Petrum Erneſtum Mansfeldium cum viginti quinque tum Hiſpanorum tum Germanorum peditum cohortibus, & duobus equitum millibus. Rex per fratrem in prælio Condæum opprimit, interficítque: Condæi filius nihilominùs & Nauarrus bellum gerere pergunt. Denique cùm Hugonottæ ſeu prætenſi Reformati fruſtrà Pictauium, Ducis Bipontini exercitu obſediſſent, prælium 5. Nonas Octobres commiſſum eſt prope Montcontourum: cæſi hîc Hugonottæ Germani pedites plerique; equitum partem Ludouicus Naſſouius & alij nonnulli cladi eripuerunt. E Regiis cecidit Marchio Badenſis, Mansfeldius in brachio vulnus accepit; Lanoius capitur, ſed pro Philippo Strotzio dimittitur. Princeps Orangius paucis ante prælium commiſſum diebus per mediam Galliam in Germaniam duobus ſociis tantùm comitatus ſecretò profectus erat. Menſe Maio Papa Pius Quintus Duci Albano tamquam ſtrenuo Eccleſiæ Romanæ Catholicæ Defenſori ac Propugnatori per Legatum dono Bruxellam miſit gladium deauratum, & galerum valdè pretioſum ſolemni ritu conſecratum. Hinc Hiſpani, & aulica omnis familia Bruxellæ, decurſionibus ludicris, aliiſq; pompis militaribus magnificè triumpharunt. Celebris hic annus item eſt debellatione Maurorum Granatenſium in Hiſpania, qui Regem Philippum duobus ferè annis occupatum vexatumque tenuerant. Reliquiæ erant Saracenorum in montanis Granatæ relictæ; molientes iugum excutere, & imperium, à quo patres eorum ante annos octoginta per Ferdinandum Regem pulſi erant, recuperare; ſed à Commendatore Maiore Caſtiliæ & Domino Ioanne Auſtriaco hoc anno prorſus domiti ſunt.

1569

Auxiliis ſimul Albani, Hugonotta in Francia cæduntur.

Inſignia Defenſoria Eccleſiæ Albano à Papa miſſa.

Reliquiæ Saracenorum in Hiſpania domitæ.

Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo Albanus ad ſtabiliendas res totus fertur. Primùm ad Religionem animum aduertens, libris vetitis abſtinere iubet, editque eorum Indicem, typis Plantinianis hoc anno vulgatum. Diploma quidem eidem Indici præfixum ſignatur die 15. Februarij anni ſexageſimi noni, ſed id intelligendum eſt, more tunc in Curia recepto, anno illo non ante Paſcha exeunte; durauitque hęc confuſio vſque annum ſeptuageſimum quintum, quando à Requeſenſio, Edicto publico demum omnes iuſſi ſunt à Kalendis Ianuariis, & non aliter annum auſpicari: quod obiter moneo, ne quis miretur eadem aliquando ab vno Auctore præſenti anno, ab altero, præcedenti adſcribi. Synodus quoque Prouincialis Mechliniæ à die 11. menſis Iunij,

1570

Editur iuſſu Albani Index Librorum prohibitorum.

Celebratur quoq; Synodus Mechlinienſis.

1570 nij, vſque ad 14. Iulij celebrata fuit, cuius hoc eſt primum Decretum: Ordinat & præcipit hæc Synodus Prouincialis Mechlinienſis in Spiritu « ſancto legitimè congregata, vt omnes & ſinguli qui ad hanc Synodum « conuenerunt, ſimpliciter, & ſine vlla proteſtatione ea omnia & ſingula, « quæ à ſancta Synodo Tridentina definita & ſtatuta ſunt, palàm reci- « piant. Et nonnullis interiectis: Voluit & præcepit eadem Synodus om- « nibus & ſingulis prouinciæ Mechlinienſis Epiſcopis, vt in Eccleſiis ſua- « rum reſpectiuè ciuitatum & diœceſium, etiam exemptis, Statuta & iura- « menta diligenter viſitent, examinent; & ſi in vllo decretis Concilij Tri- « dentini repugnent, mutent & reforment, & Tridentinis Decretis accom- « modent. Iniungit etiam earumdem Eccleſiarum vniuerſis Prælatis, Prę- « poſitis, Decanis & Capitulis, vt Epiſcopo viſitanti, & Statuta vel iura- « menta, vt præmittitur, corrigenti & reformanti pareant, ſub pœnis arbi- « trio ipſorum imponendis. Verba ſunt Synodi. Signarunt eam 14. Iulij « Mechliniæ hoc anno Martinus Rythouius Epiſcopus Iprenſis Præſes Synodi pro Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Domino Antonio Perreno- to Archiepiſcopo Mechlinienſi abſente, Franciſcus Sonnius Epiſcopus Antuerpienſis, Wilhelmus Damaſi Lindanus Epiſcopus Ruręmondanus, Cornelius Ianſenius Epiſcopus Gandauenſis, Remigius Driutius Epiſcopus Brugenſis, Laurentius Metſius Epiſcopus Buſcoducenſis, & Maximilianus Morillon Vicarius generalis Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Domini Cardinalis Granuellani Archiepiſcopi Mechlinienſis. Quod ad ſtatum politicum attinet, hoc anno ineunte, menſe Februario Albanus Ioannem Gronelſum, Spellam vulgò dictum, latrunculorum & capita- lium rerum Prætorem, hominem valdè crudelem, quòd in tanta eorum qui ſuperioribus annis rei capitis agebantur multitudine, plures impro- bos auaritiæ cauſa dimiſiſſet, & quod peius erat, innoxios quoſdam Iu- dicibus eorum loco obtuliſſet, cum duobus miniſtris ſuis, criminum huiuſmodi conſciis & affinibus, ſuſpendio publicè Bruxellæ meritiſſimè necari curauit. Dordraci quoque monetæ Præfectum, aliumque adul- terandæ adminiſtrum in carcerem coniicit. Et Præfecto quidem pœna capitalis inflicta eſt, alteri autem ob imprudentiam ætatis multorum in- teruentu gratia facta. Vtque porrò fraudem prohiberet Albanus, Idibus Martiis Edicto cauit, ne cuiuſcumque argenteæ monetæ vſus ſit, niſi quæ Philippi Regis ſigno ſit cuſa. Die decima quarta menſis Iulij in Vltraiectinos, de quibus anno ſuperiore narrare cœpimus, tamquam læ- ſæ Maieſtatis reos ab Albano profertur ſententia, nempe quòd templo- rum violatores iconomachos anno 1566. nec impediuiſſent; quin etiam certa pacta conuenta cum eis feciſſent. Quæ ſors eorum fuerit, dicam verbis Veuſelij tum ad D. Petri Vltraiecti Decani, & poſteà Senatoris Mechli-

Nomina eorum qui Synodo ſubſcripſe- runt.

Prætor Spell im- pius cum ſuis inno- xij ſangui- nis dat pœ- nas.

Vltraie- ctini, de quibus ſu- prà, rei læ- ſæ Maie- ſtatis pro- nuntian- tur.

Mechlinienſis,& Præpoſiti Traiecti ad Moſam, qui Appellationem ab ea Albani ſententia in Hiſpaniis coram Rege proſecutus eſt, & ſecundo tandem anno reuocari ſententiam obtinuit. Sunt hæc eius in oratione ad Regem inter cetera: Sereniſſime clementiſſimeque Rex. Furtim mihi, clàm, ac quaſi aliud agenti iter fuit ingrediendum. Iras enim Albani verentes Vltraiectini malè mihi timebant. Reliqui eos, Rex piiſſime, eo in ſtatu quo ſolent reperiri, qui mortis accepta ſententia, omni momento carnificis expectant manum; eorum vxores, liberos ac familias, quo ſolent vi captæ ciuitates. Aliud allegare non poſſumus nec debemus, quàm diſtortam à recto æquoque Ducis Albani voluntatem quam vt ad perpendiculi rationem regiam viam ingredi iubeas atq; cogas, clementiſſime Rex, Ordines Vltraiectini mecum procumbētes meo ore orant obſecrantque. Aperire Maieſtati ſuæ, ſi iuſſerit, ſum paratus non ſolùm Vltraiectinorum præſentes miſerias, indigniſſimaſque calamitates, ſed fideliter etiam, atque ex ordine, quidquid apud eos in hunc vſq; annum euenerit, exponere. Poſteaquam Rex capitis ac manus motione annuiſſet, cùm his tum aliis verbis cauſam ſuam proſequitur: In vrbis, inquit, pomœrio homines ſeditioſiſſimi, adductis proclamatoribus, per vim ſectam Caluinianam ac Lutheranam publicis concionibus profiteri cœperant. Parabat ſe Magiſtratus ac Regij, vt vim vi pellerent. Sed acceptis à Duce Margareta tranſactionis tabulis, quam illa cum coniurata Nobilitate menſe Auguſto anno 1566. inierat, publicare eam Magiſtratus iuſſus, admittere & hæreticos eſt coactus. Etenim vi eius Edicti vigeſimo quarto Auguſti ſignati, in vrbem admittere ſunt iuſſi, quicumque anteà ob ſeditionem, hęreſim, nouarumque rerum ſtudium fuerant pulſi. Vnde aucto numero fortiores animoſioreſque, per vim occupant diuæ Gertrudis Parochiale templum, omnibuſque ornamentis, ſupellectile, altaribus, picturis ac ſtatuis ſpoliatum, ſuarum ſordium faciunt receptaculum. Sequenti Dominico die idem audent aliis tribus Parochialibus templis, Franciſcanorum ac Dominicanorum ſacris ædibus ac habitationibus. His è triginta quinque templis in vrbe violatis profanatiſque attonitus ſtupefactuſque Magiſtratus Regiique, dudum à Cæſare auguſtæ mem. Carolo, ſublatis Tribubus, omnibuſq; conuentibus interdictis, exarmati, cùm nihil aliud poſſent, à Gubernatoribus à Maieſtate veſtra conſtitutis, Margareta nimirum Auſtriaca, ac Guilielmo Orangij Principe, conſilium auxiliumq; petunt. Dux Margareta ſincerè conſulebat, ac auxilium parabat; Orangius, detinens penes ſe per ſpeciem explicandi conſilij Legatos noſtros, clàm ſeditioſos ac hæreticos animabat, expectans donec vicini Bredenrodius & alij ſecum facientes, ac clàm militem cogentes, arma expediiſſent. Territi Vltraiecti-

1570

Verba Veſelij pro eis ad Regem.

Orat diſtortam voluntatem Albani à Rege cohiberi.

Narrat diſtinctè omnia quæ poſſent in crimen vocari.

Excuſat, quòd ciues dudum eſſent à Cæſare exarmati.

Ad hoc, quòd ab Orangio tunc Gubernatore fruſtrà auxilium petiiſſent.

1570 ni nouis hiſce indies ſe detegentibus conſpirationibus, arcis Vltraiecti-
næ Præfectum adeunt, quæruntque, pro Rege, an pro coniuratis eam
ſeruet? Reſpondet ſatis contemptim: Vrbi, hi quibus eſſet iuſſum, pro-
ſpicerent; ſe arcem ſibi commiſſam defenſurum. Magiſtratus reſpon-
ſo territus, cùm inſuper conſpiceret ſeditioſorum Præfectos fautoreſque
indies ad arcem commeare, cum Præfecto epulari, conſiliaque confer-
re, de eius ac Orangij erga Regem fide planè deſperare cœpit; ac cùm
nil eſſet, quo vim repellere, vrbiſque veterem ſtatum defendere poſſet,
conſilio ac prudentia ſe munire conſtituit, cetera à Duce Margareta ex-
ſpectare. Dum hiſce de rebus illam per litteras ac Legatos certiorem fa-
ciunt (quod adeò clàm fieri non poterat, quin ſeditioſi reſciſcerent) con-
uenientes circiter auroram ferè octingenti armati hæretici, partim extra-
nei partim plebeij, minacibus oculis ac vocibus petunt, profanata (illi di-
cunt perpurgata) à ſe templa, ſuis exercitiis concedantur; Mendicantium
Monachorum Ordines vrbe pellantur; reliqua omnia templa, ſublatis
Catholicis exercitiis ac ritibus, occludãtur, niſi templa omnia ſuo modo
purgare mallent. Atque hæc minacibus vultibus, arma concutientes.
Quid agat inermis Magiſtratus? Placuit, eorum petitionem nec reii-
ciendam nec admittendam. Itaque offerunt, modò vt plebs poſitis ar-
mis domum abeat, eáque conditione, ſi ſpatio decem dierum Dux Mar-
gareta pacta conuenta rata habeat, obtinerent in templis à ſe, vt dicebãt,
purgatis, quæ vellent; interim reliqua templa adhuc Catholicis exerci-
tiis relinquerentur, conſtituta pœna capitis, ſi quis alter alteri impedi-
mento aut detrimento eſſet. In has conditiones Scultetus, Conſules ac
Scabini Ordinum Prouinciæ Vltraiectinæ ſe cum Iacobo Coſynio ac
Dyrico Cythers conueniſſe promulgant; & libelli formam Duci Mar-
garetæ tranſmittunt, ſatis certi numquam eam aſſenſuram, ſed ſufficere
cenſebant tantillum decem dierum tempus lucrari. Poſt dies paucos
Magiſtratus à ciuibus iuſiurandum fidelitatis renouari petit, pauciſque
exceptis, omnes ſe armant; vigilias in portis, in vallis ac viis prætoriis di-
ligenter ponunt, exteros ignotoſque proſcribunt. Sacri homines ſe cum
ciuibus armantes, iuſtis cuſtodiis templa maiora inſident, ac è ditione
Iuliacenſi varia armorum genera empta ad vrbem deferri curant. Cùm
decimus à tranſactione ageretur dies, Ducis Margaretæ Vltraiectum ad-
feruntur litteræ, quibus conditiones ſibi non placere, ac proinde tranſ-
actionem reſcindere perſcribebat. Magiſtratus, vocato Senatu Regio,
Optimatibus, ſimul & ſeditioſorum qui ſubſcripſerãt ductoribus, lectis
Ducis Margaretæ litteris, ilicò ſono maioris campanæ conuocato popu-
lo, reſciſſam à Gubernatrice cum hæreticis initam concordiam, lectis
eius litteris promulgant; hinc templum D. Iacobi, pulſis per baiulos hæ-
reti-

Dum ad Parmẽſem mittunt, 800. armati Senatum ob ſident.

Inermis Magiſtratus trãſigit cum obſeſſoribus ſi probet Parmenſis.

Mittitur libellus ad Parmenſẽ.

Allato reſponſo, tẽplum diui Iacobi recuperatũ; mox & alia.

„ hæreticis, Catholicis reſtituunt, conciones hæreticorum prohibent, Mo- 1570
„ nachis templa ædeſque reddunt, ſtatuas picturaſque reſtituunt, aut no-
„ uas reponunt. Ac tandem de iniqua Albani ſententia; Nemo (inquit)
„ noſtrûm ſententiam ferri audiuit, neque primarium exemplar videre *Tranſit Veuſelius ad ſententiã Albani, eiuſq; executionem.*
„ potuit, nec ad eam audiendam excipiendamque vllus noſtrûm eſt cita-
„ tus: ſed tantùm tradito condemnationis exemplo, mox ad executionem
„ eſt progreſſum; Priuilegiorum vrbis ſcrinia ad arcem perlata; factus in-
„ gens apparatus diſiiciendis vrbis mœniis, paratiq; ciuibus teterrimi car-
„ ceres. Interim ſæuit miles: oppreſſis nulla iuſtitia: hæretici clàm in ſinu
„ gaudentes illudunt, cauſæque ſuæ iniquitatem æquiſſimam hac ratione
„ incautis faciunt. Hæc & plura Veuſelius in Oratione illa coram Rege
habita. Eodem hoc anno 1570. die 16. menſis Iulij publicatur Antuer-
piæ Edictum titulo Veniæ ſeu Gratiæ Generalis ratione turbarum. *Indultum in Belgio promulgatum.*
Signatum erat Madridiæ die 16. Nouembris anni præcedentis. Sunt ibi
„ hæc inter cetera: Quandoquidem multi illecebris, ſimplicitate, curio-
„ ſitate, & iuuenili temeritate inducti grauiter deliquiſſent, Rex Catholi-
„ cus Philippus, Pij V. Pontificis Maximi ſummo clementia iis pronam
„ gratiam matris Eccleſiæ patere intelligẽs, & ipſe ſummo erga ſuos amo-
„ re permotus, delictorum omnium gratiam Ducis Albani conſilio fa-
„ cere decernit, ſubditos potiùs amore & clementia quàm rigore & incle-
„ mentia regere exoptans, nullamque occaſionem patrium ſolum relin-
„ quendi eis dare volens; his tamen moderationibus & præſcriptionibus:
„ Nempe, quicumq; turbis & ſeditionibus præteritis, quocumque modo
„ in Placita, Decreta, Edicta peccarũt, iis quidem pœnitentibus peccatum
„ condonabitur, ea lege atque conditione, vt intra duos menſes poſt huius
„ remiſſionis publicationem, ſinceram obedientiam, profeſſionem, palin-
„ odiam & omnium hæreſium abiurationem exhibeant; ſeque ſalutа-
„ rem pœnitentiam, qualis à deputatis Pontificia auctoritate ſtatuetur,
„ humiliter acceptaturos atque adimpleturos promittant. Ab hac tamen *Excludũtur tamen coryphæi hæreticorum.*
„ gratia excluſi cenſentur omnes Concionatores & Conſiſtoriales nouæ
„ doctrinæ, & quicumq; eos introduci curarunt, aut ſcienter hoſpitio rece-
„ perunt; inſuper omnes demolitores Monaſteriorum, templorum, aut
„ rerum ſacrarum. Hinc etiam excluſi omnes nominatim proſcripti, om-
„ nes rebellionis auctores; præterea qui cum rebellibus ſocia arma poſtre-
„ mò ſumpſerunt, aut iiſdem commeatu, pecunia, viua voce, aut ſcripto,
„ aut quomodocumque auxiliati fuerunt. Inſuper excluduntur omnes
„ Magiſtratus, Senatores, Conſiliarij, publicis officiis Præfecti, Penſiona- *Tum etiã omnes miniſtri publici tumultuum participes.*
„ rij, Secretarij, Aduocati, Procuratores, Apparitores, Lictores, & quicum-
„ que publici miniſtri, qui quoquo modo participes fuerunt præcedentium
„ turbarum. Datum Madridiæ 16. Nouembris anno 1569. & publicatum

1570 die 16. Iulij huius anni 1570. Interea menſe Auguſto Anna Auſtriaca,
Anna Auſtriaca ſponſa Regis per Belgiũ in Hiſpaniam proficiſcitur.
Maximiliani Imp. filia, Philippi Regis matrimonio deſtinata, in Belgium venit: proficiſcentem fratrum minimi Albertus ac Venceſlaus,& ſelecta Nobilitas comitabatur. Cùm Nouiomagum Regina ſponſa appuliſſet,ſolemni ritu in Albani manum tradebatur. Illic Geldriæ, Hollandiæ,Vltraiecti, Friſiæ, Tranſiſelaniæ, Groningæ Legatos obuios habet; qui matrimonium nouæ nuptæ gratulati, egregia quoque munera
Vbiq; gratulationes & munera honoraria.
obtulerunt. Inde,Albano deducente, Antuerpiam 29. Auguſti ingreſſa eſt; vbi regio planè apparatu excepta,à ceteris quoque Belgij ſui Prouinciis vltra Moſam & Scaldim poſitis,vota itidem ac munera accepit.Hinc in Zelandiam profecta, claſſem Vliſſingæ 7.Kalend.Octobris conſcendit,ducente Maximiliano Boſſuuio maris Præfecto. In Hiſpaniam eunti comites ab Albano dati Ferdinandus Toletanus filius, Rodericus Toletanus,& Chriſtophorus Mondragonius, cum legione ſua eam ob cauſam Dauentriâ euocatus. Angliæ Regina per ſui Regni marinos tractus nauigantem cum octo regalibus nauibus Caroli Hawardi gubernatione deduci curat: ita feliciter in Hiſpaniam appulit. Hoc anno feſto die
Maxima inundatio Antuerpiæ, aliiſq; in locis.
omnium Sanctorum Kalend.Nouembribus tanto pelagus ferbuit æſtu, vt veſperi circa horam nonam Antuerpiæ, aggeribus ruptis, nouam vrbem aliáque loca aquæ inuaderent, & cellaria locáque decliuiora intra & extra vrbem latè implerent. Hinc pecora & homines multi miſerè ſubmerſi. Summo damno tota paſſim ciuitas horribili hac inundatione affecta. Detrimentum in mercibus marina aqua corruptis æſtimatum centenis florenorum millibus & amplius; in ſtructuris Reip. Antuerpianæ,vtpote cataractis,actis,crepidinibus, vrbis muris, publiciſque ædificiis,centenis quoque vt minimùm millibus. Zelandi quoque caſu hoc acerbo miſerè concuſſi vbique locorum, maximè autem Romerſwalæ; & Safftinga prorſus ſubmerſa eſt, ita vt neceſſe fuerit vndique naues ocyùs eò mittere,ad miſeros homines, qui adhuc in cacuminibus aggerum & arborum ſedebant,eripiendos atque alendos. Auctor bonæ
De eadem clade diſtinctiùs ex alio Scriptore.
fidei his verbis miſeriam huius exundationis deſcribit: Vix æſtimari,inquit,clades poſſit: & periere in ſola Friſia hominum ferè viginti millia; nec immunis Flandria in oppoſita Belgij parte fuit. Greuelinga, Dunkerca,Neoportus,Oſtenda, pagiſque plures experti; concuſſæ vehementer ipſæ Brugæ; euerſa cataracta Gandenſis, quæ Saſſa vocatur; & Gandauum quoque vſque ad Cæſaris portam aqua excurrit. Minus periculi Brabantia habuit,ſi Antuerpiam excipias, & pagos aliquot Scaldi vicinos. In Zelandia præter reliquam pecorum & aggerum cladem, homi-
Damna ſingulis Zelandiæ & Hollandiæ locis illata.
num tria millia abſumpta. Grauiſſimè verò Hollandia quoque laboraſuit. Dordraci ac Roterodami, aliiſq; in vrbibus ad tertium pedem aqua

plateas

plateas ſupergreſſa eſt; ad Papendrechtum, & in inſula Crimpenſi, ſeptē 1570
locis diſiectus agger, incredibile quantum hominum pecorumque abripuerit. Pagos mari adiacentes eadem procella inuaſit, ac potiſſimùm Sceuelingam, vbi euerſæ ædes centum viginti octo, naues in littore ſtabulantes, ſtatione eiectæ per vicos ſeu Oceano vectæ ferebantur, & ingreſſa templum aqua in ipſo ſacrario grauem è ferro ciſtam ſubuertit. Immane damnum Amſtelodamum etiam accepit, & qui Mudam ducit agger tredecies perforatus. Partem cladis quoque Hollandia Borealis ſenſit, & inſulæ adiacentes. Zypæ è centum quatuor ædibus vix quidquam ſuperfuit. Luctuoſus certè Belgio caſus, & qui præter ceteram iacturam plus centum millia hominum creditur abſumpſiſſe. Hiſpani iuſtæ Sanctorum iræ, his ſuis Feriis ſe vindicantium, rem imputabant, vtpote quorum imagines & templa Belgæ violaſſent; id nulli dubium, iraſi ob peccata Dei indicium fuiſſe. Hæc Auctor ille. Multum ea res Principis Orangij conſilia perturbauit; quippe de Enchuſa & aliis aliquot maritimis locis capiendis cogitarat; iamque in Amaſi flumine naues copiæque paratæ erant; & in Anglia item Lumbreſius claſſem inſtruebat: ſed quia tempeſtas plures naues valdè afflixerat, & egreſſæ ripas aquæ incertum nautis alueum fecerant, dilatum neceſſariò propoſitum eſt, mox alia quoque impedimenta obiecta.

Abſumpta aquis toto Belgio plus centū millia hominum.

Turbata etiam per hoc quadā conſilia Orangij.

Anni præcedentis fine, & ſeptuageſimi primi initio, facinus ſanè au- 1571
dax edidit Hermannus Ruyterus Buſciducenſis. Is pridem mercator boarius, ſolis tribus comitatus, Loueſtenium, ditionis Cliuenſis ſeu Raueſtaniæ arcem, prope Gorcomium in inſula Bommelenſi ſitam, ad Moſæ & Wahalis confluentes, ſub veſperam circa Chriſti Natalem habitu Franciſcano ingreſſus ceperat; ac Præfecto cæſo, aliquandiu tenebat, dum ſperatum à Comite Bergenſi, cui ſoror Orangij nupſerat, auxilium adeſſet: quod gelu impeditum fuit. Nihilominùs cum viginti quatuor, quos vndique corraſerat, commilitonibus locum muniuit. Ad rei nuntium miſſus Silua-Ducis ex Roderici Toletani legione Laurentius Perea cum ſclopetariis cētum quinquaginta, & haſtatis decem. Is vbi ad arcem aduenit, deditione poſtulata, cùm negaret Ruyterus, adductis tormentis vim tentabat. Ruyterus ſuorum virtutem egregia oratione accenderat; certumque omnibus extrema pati, & honeſtam, vt reputabant, in armis mortem potiùs, quàm infamem lictoris manum experiri. Primo aduentu, quandoquidem nullæ pro muro excubiæ agerentur, petitis è loco vicino ſcalis, duplice foſſa, quæ interiacet, clanculùm ſuperata, præſidiarios intra arcem Hiſpani compulerant; inde impetu facto, cominùs vtrimque pugnatum eſt, cùm interim ex altera parte per ſcalas appoſitas in arcem alij irrupere, obuium quemque obtruncantes. Ruyterus

Ruyterus quidam Louenſteinum capit & munit.

Oppugnatur ab Hiſpanis ex Siluaducis aduolantibus.

1571 se in cõclaue receperat, sparso in aditu puluere tormentario, ac rhomphęa ingenti vtraque manu versatili diu multumque pugnans irruentes sustinebat, vt viri fortitudinem ipse hostis miraretur. Ad extremum, edita ingenti strage, vulneribus obrutus, iniecto in puluerem igne, ambustis simul oppugnatoribus, occubuit. Mortui caput Buscumducis allatum supra patibulum adfixum fuit; è sociis 17. capti, Antuerpiam abducuntur; moxque ex iis 15. suspensi, duo in rota sunt excarnificati. Sub idem tempus Albanus, explorato quid Sonoius, Haestrechtius, Wesenbecius, & alij in Cliuiam profugi pro Auriaco quotidie molirentur, apud Ducem Cliuensem eiusque Senatum per litteras queritur, homines noxios, & turbarum contra Regem incitatores in sua ditione foueri. Megensis quoque Gelriæ Gubernator Senatui nuntiat, captiuos aliquot per tormenta fassos, Sonoium ac Drunium Herenbergæ & Vlstæ (an Vlpæ?) expugnationem adiutasse, Sonoium etiam pecunias bello contra Regem gerendo colligere: quamobrem rogare, vti pœnâ crimen compescerent; aut si negligant, se quod facto opus curaturum. Hac de causa veritus Dux Cliuensis, ne fortè Albanus Embricæ, vbi agebat Sonoius, inuadendæ consilium caperet, Stephanum Stenium vrbis Prætorem capere Sonoium ac Drunium iubet. Sed is noctu, postridie Idus Februarij quinq; satellitibus comitatus rem aggressus, neutrum in ædibus comprehendit. Sonoius enim à Maria Malsenia vxore monitus, vt periculum vitaret, vrbe aliquantisper emansit, grauiter interim apud Cancellarium, Guilielmum Leium aulæ Præfectum, & Ioannem Laurimannum conquestus, se indigenam, & Equestri dignitate virum, nulla Principis sui offensa, præter ius fasque temerè opprimi. Intercedebat etiam Hermannus Nuenarius, & litteras cùm ad Senatum vniuersum, tum ad Cancellarium & nonnullos Senatorum seorsim scribebat; quibus effectum, ne quid ad tempus in Sonoium tentaretur. Augebantur subinde naues bellicæ Auriaci, & infesto mari ingentem sæpè prædam abducebant. Ita Monikendamum astu capiunt, & expilant mense Martio; itemque Monasterium in Texela spoliatum, absumunt flammis. Eam ob causam metuens Albanus, ne aliquem in littore locum firmum occuparent, cohortes aliquot fine Martij Leidam & Alcmariam ire iubet, moxq; alias postridie Nonas Maij euocatas Delphis imponit; & quia nauibus bellum inceptabatur, ipse suas quoque opponit. Hoc anno pridie Nonas Octobres Christiani insignem illam victoriam de Turcis reportarunt, quæ ita se habuit: Cùm Nicosiam Cypri vrbem anno superiori mense Nouembri Turcæ occupassent, & reliquę Cypro, dudum Venetorum ditionis insulæ, toti incubarent, Pius V. Pontifex Romanus, Philippus Hispaniarum Rex, Veneti, & Italię Principes sacrum fœdus (vulgò sanctam

Pugnans occumbit; socij capti & suspẽsi.

Orangicos Albanus Cliuiâ exturbare nititur.

Fouet eos Nuenarius.

Geusij Monickendamum & Texelanũ Monasterium spoliant.

Ligam

Ligam vocabant)contra Turcam ineunt,copiaſque nauium,triremium, & militum ſimul iungunt. Pontifex Marco Antonio Columnæ triremes inſignes duodecim,Rex Hiſpaniæ Ioanni Auſtriaco fratri notho triremes vnam & octoginta & naues magnas viginti, Veneti Sebaſtiano Venerio triremes centum octo,&quinqueremes ſex cum magnis duabus nauibus tradunt; reliqui Principes pro ſua quiſque facultate conferunt. Fuere itaque cum triremibus Melitenſium ſimul omnes Chriſtianorum triremes ducentæ & octo,naues magnæ viginti quinque, Liburnicæ ſeu celoces quadraginta; iis impoſiti milites Itali duodecim millia, Hiſpani octo millia,Germani tria millia,præterea tria millia voluntarij variarum nationum,inter quos plurimi Belgæ tam Nobiles quàm alij,qui tumultus Belgicos vitabant; inſuper nautarum,ſeruorum & mancipiorum ſufficiens numerus. Archithalaſſus potentiſſimæ huius claſſis electus fuit Ioannes Auſtriacus; cuius ætatem adhuc minorem gubernabat Ludouicus Requeſenſius Commendator Maior, qui pòſt Belgarum Gubernator factus in Belgio obiit. Nauales hæ copiæ ſimul omnes congregantur prope Corcyram 3. Nonas Octobres, eodem tempore quo Turcica claſſis trecentarum triremium nauiumque, Naupacti, vulgò Lepanti, conſidebat: iamque Turcæ iuſſi animatique, Chriſtianos oppugnatum veniebant pridie Nonas Octobris. Chriſtiani animis dextriſque hoſtem econtrà inuadere parati, Cephaleniam inſulam petunt; cùm claſſes vtrimque improuisò altera in alterius aſpectum veniunt prope Echinades,vbi Cuzelaria inſula. Chriſtiani, inſula citò relicta,ſpatioſum mare petere accelerant; partiunturque ſe in claſſes quatuor: dextræ præſidebat Andreas Doria nauibus viridi vexillo inſignitis; ſiniſtræ flauorum vexillorum Auguſtinus Barbarigus Venetus; mediæ Ioannes Auſtriacus cæruleis vexillis inſignis; in poſtrema acie Marchio S. Crucis vexillis albis notabilis erat. Mox animati,& à militiæ Præfectis probè inſtructi milites,& præcipuè à Ioanne Auſtriaco,qui celoce nunc ad hos nunc ad illos vectus,tandemque ad Triremem Prætoriam reuerſus,cùm Turcicas claſſes vix bombardæ ictu abeſſe proſpicit,ſtatim tormento ingenti diſploſo claſſicum cani imperat,vexilláque bellica erigi, quorum vnum Chriſti crucifixi effigiem, alterum Virginis Mariæ, tertium Fœderatorum inſignia continebat. Auſtriaci Prætoriæ naui aderat, à dextris ſuprema Pontificis triremis,à ſiniſtris Venetorum,poſteà Genuenſium, in qua Princeps Parmenſis; deinde Sabaudorum, in qua Princeps Vrbinas. Extrema claudebant,ad dextram quidem Triremis primaria Melitenſis,ad ſiniſtram Lomelina, in qua Paulus Iordanus Vrſinus. Maximas autem has Triremes ſequebantur aliæ ſubſidiariæ. Ventus primò Chriſtianis, pòſt verò, mari tranquillo, Turcis contrarius fuit. Circa

1571

Copiæ ſacri Fœderis contrà Turcam initi.

Claſſis Præfectus Ioannes Auſtriacus, aſſiſtente Requeſenſio.

Prodeunt Chriſtiani in conſpectum Turcicæ claſſis.

Nomina præcipuorum Chriſtianæ militiæ Ducum.

1571 meridiem incœptum prælium à parte ſiniſtra: hîc ſtrenuè decertante Ochiali Turcarum ductore, Chriſtiano abiurato, Turcarum facilè bellicoſiſſimo habito, tres Venetæ triremes inuaduntur, capiuntúrque; & Auguſtinus Barbarigus bombardæ ictu lethale vulnus in oculo accipit, atque inde moritur. In medio, vbi Auſtriacus, Columna & Venerius, tormenta ænea ſimul omnia ter, quater, quinquies exonerata, ingenti ſtrage Turcas plurimos ſternunt. Altitudine nimia triremium, tormenta Turcica, vltra Chriſtianorum claſſes vt plurimùm volitantibus globis, malè diſpoſita fuere, maximo Chriſtianæ militiæ bono. Poſt hæc Prætoriæ naues, quarum vtraque (exceptis ſeruis) quingentis & ampliùs militibus munitæ erant, congrediuntur. Turcę in Auſtriaci triremem ad ipſum vſque nauis malum irrumpunt, verùm ocyùs expelluntur: hinc Ali Baſſa Turcarum Archithalaſſus, triremi capta, interficitur; confeſtim & aliæ, ipſa etiam poſtrema acies, debellatæ ſuperantur. Solus Ochiali (quem diximus in ſiniſtro cornu pugnam iniiſſe) cum triginta circiter triremibus euadit. Tres & amplius horas hîc atrociſſimo prælio vſque ad veſperam certatum. Poſtridie recenſito exercitu, compertum eſt interim quinque circiter Chriſtianorum millia fortiter pugnando occubuiſſe, in quibus Ductores & Nobiles Veneti octodecim, aliarum nationum ſeptem: ſed Turcarum triremes captæ ſunt centum quinquaginta & vna, ſubmerſæ quadraginta; Turcæ occiſi circiter viginti & vnum millia, capta quinque millia, Chriſtianorum mancipiorum liberata quatuordecim millia. Inter Turcas captos duo filij quoque Ali Baſſæ fuerunt. Hęc quidem victoria docuit, Turcam vinci poſſe, ſi Chriſtiani, depoſitis internis odiis, ſeriò vires iungerent: certè mirum in modum profuit; eâ etenim non obtentâ, crudeliſſimo bello Chriſtianam Remp. Turca vexaſſet. Sed ad Albanum redeo. Is dudum Belgium à ſe domitum credens, moliebatur trophęum æternũ ſibi ſtatuere. Illud hoc anno perfectum ſtetit in arce Antuerpienſi; ſtatua nimirum, ex tormẽtis æneis hoſti in Friſia ademptis conflata, ipſum Albanum forma ac ſtatura planè referens, nudo capite, ſed cetero corpore armis induto. Sub pedibus calcabatur homo gemino capite, manibus quatuor; in quarum prima fax accenſa, in ſecunda malleus fractus, in tertia claua nodoſa, in quarta ſecuris: è collo eius appenſa bulga, è qua ſerpentes prorepebant; ſubter larua conſpiciebatur, ad cuius aures mendicorum duæ ſcutellulę. Legebantur hæc inſcripta: IVNGELINGI OPVS EX AERE CAPTIVO. & inferiùs paulò, in lamina topho innixa: FERDINANDO ALVAREZ A TOLEDO ALBAE DVC. PHILIPPI II. HISP. APVD BELGAS PRAEFEC. QVOD EXSTINCTA SEDITIONE, REBELLIB. PVLSIS, RELIGIONE PROCVRATA, IVSTITIA CVLTA PACEM FIRMARIT, REGIS OPTI-

Primo cõgreſſu tres Venetorum triremes captæ.

Vincunt tandem Chriſtiani.

Numerus cæſorum vtrimque.

Narratio de Albani ſtatuâ in arce Antuerpienſi.

Calcatur ab eo monſtrum duorum capitum & quatuor manuum.

MI

MI MINISTRO FIDELISS. POSITVM. Vniuerſi operis altitudo pedes XV. tenebat. Ab vna parte ara erat inſcripta: DEO PATRVM NOSTRORVM: atque in baſi, PIETAS. Vtrimque tamquam belli ſpolia variæ armorum ſpecies cingebant. Ab altera parte opilio ſpectabatur, ad paſcua gregem educens, quem lupi ac leones fugerent; item bubones veſpertilionéſque auolant, aurora ſurgente, maláque ſuo fulgore diſcutiente, cum inſcriptione Græca, ΑΛΕΞΙΚΑΚΟΣ ΗΩΣ, id eſt, Aurora fugans mala. Huius ſtatuæ ingens inuidia apud multos fuit, etiam Hiſpanos quoſdam, qui Regi ipſi potiùs debitam dicebant, cuius armis & ſtipendio omnia geſta: & coniecturæ de ea variæ pro ingenio cuiuſque aut adfectu; ac effigiem bicipitem ſubiectam alij Egmondanum Hornanumque nuper interfectos interpretabantur, alij Guilielmum Orangium ac Ludouicum Naſſouium fratres Belgio exactos. Erant qui Ordines Belgij putabant: certè Nobilitatem & plebem, quos velut imminuta libertate conculcaret. Dux Arſchotanus vir liberæ in aula vocis, cum Albano eam aliquando ſpectans, ac rogatus quid videretur, per riſum illuſiſſe dicitur; eorum vultus quos calcaret ita toruos, ſanè, ſi reſurgerent, vindictam minari. Ante biennium, pro imperata decimi & vigeſimi nummi exactione, vicies centena millia in annos duos Albanus obtinuerat: id tempus cùm nunc ferè elapſum eſſet, conſilia priora reuocare ad animum ſtatuit. Igitur idem Edictum, ſed in ſpeciem moderatius, denuò proponit: ſed eædem erant Prouinciarum querelæ, & per Legatos deprecari ſingulæ, ne propoſitum exequeretur; quod ſi faceret, ſe metuere, breui Rempublicam nullam habiturum; potiùs aliud tributum imperaret minùs publicè pernicioſum. Exceptione etiam vtebantur nonnulli, non aliter ſe indictioni acquieuiſſe, quàm ſi communis conſenſus foret: nunc quando Vltraiectini recuſarent, & cauſam ſuam in Hiſpania proſequerentur, nec ſe teneri. Vltraiecto præſidiarij Hiſpani aliquamdiu abfuerant, Geuſiorum aquaticorum incurſibus prohibendis per diuerſas ciuitates Hollandiæ diſtributi; nunc (etſi æquè infeſto littore Hollandico) Harlemo, Delphis, Leidâ & Brilâ eos euocatos Vltraiectum redire Albanus iubet. Erant vniuerſum ſigna octo, ſex priora è legione Ferdinãdi Toletani, ſeptimum Conſalui Braccamontij, octauum Roderici Toletani. Hæc per litteras ad diem 5. Kalend. Nouembris ſcriptas recipere in vrbem, & ciues profugos, vt eſſent militi hoſpitia, (nam magna pars propter priorem militum inſolentiam vrbem reliquerat) reuocare præcipit. Itaque redit antiquum præſidium 14. Kalend. Decembris. Binis litteris deprecati Vltraiectini, queſti erant, & ęrarij publici & ciuium ſuorum egeſtatem, & dudum exhauſtos, nequaquam ampliùs poſſe ſuppeditare neceſſaria; ad hæc durum videri, quatuor pridem vrbium

1571

Multa & alia ibi myſteria.

Varia de iis ſententiis.

Iterùm vrget Albanus ſuam decimam & vigeſimam.

Vltraiectenſes ſibi refragantes militi grauat.

1571 bium præſidia, quarum aliquæ magnitudine pares, etiam opibus ſuperarent, vni ſuæ imponi. Sed ſurdo hæc dicebantur; ipſíque præſidiarij æquè ac priùs inſolenter Vltraiectinos affligebant, & nec Magiſtratui parcebant. Ioannis Tatij Amerongij Conſulis filius in ipſa excubiarum ſtatione grauiter ab iis vulneratus; ipſe Conſul Amerongius domi ſuæ pęnè occiſus, cùm vbique periculum videret, apud ceterum Magiſtratum cauſam teſtatus, vt ſaluti conſuleret, vrbe exiuit.

Inſolentia aliquot inſignes ibi ab Hiſpanis patrata.

1572 Interim ſedulò vbique Albanus ſuam decimam & vigeſimam vrgebat. Promulgatæ moderationes in ſpeciem ſplendidæ, ſignatæ 24. & 26. Februarij, anno, vt tunc ſtilus Curiæ erat, ſeptuageſimo primo, ad Paſcha ſcilicet demum exeunte, hoc eſt, ſeptuageſimo ſecundo ineunte, vt nunc vulgò loquimur. Sed difficile erat rem exequi. Nempe hęc inter cetera erát Edicti verba: Itaq; ordinamus & ſtatuimus, vt Collectores mox « ſe operi accingant, muniti ſinguli miniſtro publico loci, vel alio ad hoc « deputato, Scabino, Feudali ſeu Notario; qui mandent ſub pœna ſexa- « ginta vel triginta librarum 40. groſſorum Flandricorum, quatenus & « ſub iuramento & exhibitione ſuorum librorum manualium mercato- « res in ſingulis tabernis ſeu officinis declarent, ad quam ſummam aſcen- « dat decima mercium, vel operarum ab iis à die publicationis Edicti ven- « ditarum. Et ſi quidem ſoluant, benè habet; ſin minùs, notent Collecto- « res ſingulorum reſpõſa, & eos in craſtinum peremptoriè coram Legiſla- « toribus citent. Ita Edictum. Quod cùm nulla ciuitas prima exequi au- « deret, certò metuens popularem tumultum & cædes; tandem Albanus Bruxellæ, vbi præſens erat, rem tentandam cenſet. Sed commoti Bruxellenſes tabernas & officinas ſuas omnes claudunt, neque quidquam ſe venale habere, nec decimam proinde debere, affirmant; piſtores panem, cereuiſiarij cereuiſiam coquere recuſabant: hinc mox turbæ ingentes oriuntur; populuſque quodammodò furit; queſtibus & clamoribus omnia plena, dum non eſſet vbi neceſſaria pretio comparari poſſint. Proinde Albanus violentiùs agere, & præcipuos ciues, Bruxellæ hac ratione ſuis conatibus obſiſtentes, in ædium ianuis, nocte, niſi merces vendant diſtrahantque, ſuſpendere ſtatuit. Iam iuſſus lictor cum laqueis 17. & ſcalis decempedalibus præſtò eſſe; iam in armis miles erat, ac Fredericus Toletanus Viglium arcani Conſilij Præſidem acceſſerat, pronuntiatam in reos mortis ſententiam ei relaturus; cùm ecce de Brila à Geuſiis capta nuntius adfertur: cuius amiſſio cùm maximi momenti ab omnibus cordatis, & ab ipſo inprimis Viglio haberetur, conſilium cruentum hac ratione tunc fuit impeditum. Eſt Brila portus ad oſtium Moſæ fluminis admodum opportunus; is Albano ipſis Kal. Aprilis hac via fuit ereptus: Dudum, vt diximus, exules profugíque nautæ, & maritimi quidam ex

Verba Edicti pro colligendo decimo denario.

Bruxellẽſes animo sè decimã recuſant.

Duriùs in eos molitur Albanus.

Interea nuntiatur capta à Geuſiis Brila Hollandiæ.

Belgio

Belgio mari ſe commiſerant. Hi ductoribus quibuſdam Nobilibus patria pulſis, viam ſui damni recuperandi quærere videbantur; acceſſit paulatim ingens numerus; itaque tandem hoſtes ſuos in Vlia, Texela, Emſa, & alibi multis direptionibus incurſionibúſque diuexabant; ſeque potiſſimùm in Angliæ finibus, portubus, maritimis montibus Doueræ & locis vicinis continebant. Proinde Albanus Angliæ Reginam ſollicitare non deſiit, vt hæc prohiberi imperet: iniquum enim eſſe, & contra fœderis inter Angliam & Belgium initi conditiones, vt Regi rebelles, tot etiam excurſionibus perpetratis, palàm & apertè reciperentur. Regina quamquam non per omnia cum Albano cõueniret, tamen Martio menſe omnes ſui Regni ditiones portúſque egredi imperat; ſubditos etiam commeatum eis vendere prohibet. Hac neceſſitate Geuſij diſcedere, & rem arduam, cui anteà impares ſe ſemper reputarant, tentare coacti ſunt. 1572

Erant aquaticorum Geuſiorum coryphæi Comes Guilielmus à Marca Lumæi Dominus, Guilielmus Bloſius Trelonius, Swetenius, Lancelotus Brederodius, Egmondanus quidam, Bartholomæus Enteſius; item Flandri Cabelliaus, Riuius, Grauius, & Iacobus Martini Flandriæ Præſidis filius; inſuper Ruychauerus, Brantius, Roybollius, Ioannes & Lochus Abelij, Hennebertus, & alij. Hi quadraginta nauibus partim magnis, partim paruis, præcipuè celocibus benè inſtructis Angliam relinquunt, & Doureâ Hollandiam petunt, Texelam verſus, illinc Albani Liburnicas 14. aut 15. profligaturi. Interim nauem inſignem Antuerpienſem ex Hiſpania mercibus pretioſis onuſtam, & alteram Biſcainam in itinere intercipiunt. Plures Hollandiam Borealem & Enchuſam deſtinabant, aut vbicumque exſcendere commodum; ſed vento aduerſo in Moſam acti, vbi is iunctis Rheni aquis Oceano incidit, in ipſo oſtio Kal. Aprilis contra Brilam claſſem applicant. Mirati primo adſpectu oppidani, mercatores eſſe credebant cõtrario vento illuc compulſos; nulla cogitatio erat bellum aduehi. Ex Maſelantſluſa, qui pagus Brilę oppoſitus flumine interluitur, Ioannes Petrus Coppeſtocus in vrbem aduerſam mercatores aliquot ducens, conſpecta nauium multitudine, id quod erat ratus, ſociis deſertis, rectà in claſſem nauigium vertit. Vbi de Treſlongo ſciſcitatus, & in adſpectum eius adductus, aduentum gratulatur: is Lumæio hominem ſiſtit, commendátque ſeu rebus ſuis perquam vtilem. Itaque ad Brilanos mittitur; annulumq; Treſlongus addit, ſatis notum à patre Caſparo, qui Præturam oppidi & inſulæ pridẽ geſſerat. Aduenienti porta patet, & ad Curiam contendentem circumfuſus populus comitatur, cupidus ſcire quid nuntiaret. Inter eundum variè habent, pro ingenio quiſque ſuo: pars benignè alloquuntur, pars conuitia homini dicunt. In Curiam & ad Magiſtratum cùm veniſſet, à Lumæio & Treſlongo nuntiat,

Modus capti portus Brilenſis.

Nempe prohibiti littoribus Anglicanis, alioquin eis erat migrandum.

Oblato cõmodo homine, nuntiant Brilam, ſe veniſſe vt à decimo denario liberent.

1572 tiat, binos extra vrbem ad colloquium deſtinarent, id innoxium ipſis fore; nam ideò veniſſe, vt grauiter oppreſſos à decimo denario pendendo liberarent: ſimul vt fides verbis eſſet, notum omnibus annulum oſtendit; ac rogantibus copiarum modum, inconſulta libertate in immenſum extollens, eſſe plus minus quinque millia dicit. Ea re conſternatis cunctis, vix inuenti, qui in colloquium prodire auderent; iuerunt tamen. Hos Lumæius in Orangij manus, vt Hollandiæ Gubernatoris pro Rege, vrbem ſéque dedere iubet; tum deliberando duarum horarum tempus concedit, atque ita illæſos, vti promiſſum erat, remittit. Tantus autem omnes metus inuaſerat, vt properè conuaſatis rebus per portam Auſtralem tumultuaria fuga multi erumperent. Interim è nauibus exſcendebat miles, & vrbem accedebat, quoſque in muris oppidanos conſpiceret, interrogabat, vtrùm portas aperire, an vim exſpectare mallent. Cunctabuntur reſpondet Magiſtratus: quippe cùm ciuium potiores dilaberentur, & reliqui nonnulli recipere veluti liberatores aduenas vellent, gliſcentibus quoque ſtudiis ipſe Magiſtratus dilabebatur; adeò vt vix vniuerſim octoginta remanerent. Elapſo deliberandi tempore, cùm adhuc tardarent, veritus Lumæius ne ſe communirent, nihil morandum arbitratus, copias bifariàm diuidit; ac Treſlongus ad portam Auſtralem partem ducit, ibique Ioannem Duuenuordium ærarij Quæſtorem è fuga ſiſtit: Borealem Roybollius exurit, & effringit, ac per hanc Lumæius ingreditur. Qui vrbem occupauerant ducenti quinquaginta erant, ceteri claſſem ſeruabant: ciuibus non ita duri, ſacros homines crudeliter habent. Poſtridie in templis comminutæ & direptæ imagines Sanctorum, reliquaque ornamenta: prædam omnem in naues imponunt velut diſceſſuri. Et viſus Lumæius nihil aliud conſilij habuiſſe, quàm vt vrbe inſulaque direptis iterùm abiret; nam Hiſpani militis impetum mox adfuturi, tantillis copiis ſuſtineri à ſe non poſſe exiſtimabat. Sed Treſlongo, ac Centurionum nonnullis, qui nouerant bello inchoando locum opportunum, alia mens fuit. Igitur ſuadent, dandas ad Orangium litteras, & ſuppetias poſtulandas; tum de oppido defendendo fœdus ineunt, & tormenta bellica è nauibus inferunt. Nullum loco præſidium erat. Duo anteà Hiſpanorum ſigna fuerant, quæ Nouembri ſuperiori, vti commemorauimus, cum aliis aliquot euocata Albanus Vltraiecto impoſuerat, vt vrbem contra exactionem decimi denarij magno animo nitentem, tantò magis fatigaret. Hic ergo nuntius captæ Brilæ Bruxellanis ſaluti fuit. Etenim Albanus, etſi oppiduli vnius iactura haud valdè moueri ſe ſimularet, gnarus tamen exigua quamuis principia, ſi neglexeris, incrementum & robur ſæpè magnum mora accipere, tum maximè de opportunitate loci à Viglio & aliis inſtructus, Comitem Boſſuuium, qui

Dicensille, eſſe circiter quinque millia hominum, omnibus metum iniicit.

Ciuibus pluribus fugâ elabentibus Geuſij ad vrbem accedunt.

Vim duobus locis parant, vrbeq; potiuntur.

Dubij primùm, mox cõmunien-dum locum ſtatuunt.

Quare in loco tanti momenti tunc non fuerit præſidium.

qui tunc præſidium Vltraiecti habebat, cum cohortibus Hiſpanicis de- 1572
cem, quibus Ferdinandus Toletanus præerat, belli initia profligare iubet. Decem vniuerſim cohortes erant. Eæ cùm Maſenlantſluſam ac Schiedamum peruenisſent, ſexta Aprilis, eadem Feria ſexta ſancta ante Paſcha, flumen tranſgreſſæ, nauibuſque in Berniſſa relictis, in inſulam Vornenſem, vbi Brila ſita, nullo reſiſtente exſcendunt. Lumeiani numero longè inferiores cùm aditum in inſulam prohibere non poſſent, vrbem tueri ſtatuerunt: quod vt facilius ipſis eſſet, ad portam Auſtralem igne iniecto ſuburbium exuſſerunt. Hiſpani rectà Brilam petiere: ſed oppido appropinquantes, diſpoſitus per arbuſta ſuburbana miles ſclopetis excepit; ac ciuium vnus in aquam inſiliens, noui agri cataracta effracta, tantum aquarum intromiſit, vt planitie deſerta, in aggerem editiorem recipere ſeſe Hiſpani cogerentur: cumque nihilo ſegniùs ad portam Auſtralem oppido incumberent, exploſis intus crebris tormentis fortiter repulſi tandem diſceſſerunt. Etenim dum hęc gerebantur, Treſlongus & Roybollius clanculùm egreſſi, naues Berniſſæ relictas, quibus in inſulam Hiſpani tranſmiſerant, partim incenderant, partim perforatas ſubmerſerant, alias in flumen propulerant. Quod vbi Hiſpani reſciuere, cùm immensùm aquæ creſcerent, veriti, ſi manerent, ne per eas pereundum ipſis foret, in præcipitem ſe fugam dedere: ac pars nauibus adhuc reliquis in vlteriorem Beierlandiam euaſere, pars amotas atque in aquis fluctuantes nando aſſecuti ſunt, alios gurges lutúm ve hauſere. Ac ſtragem ſanè magnam nullo pænè negotio Lumæiani edidiſſent, niſi propter ciuium & profugorum ex agris hominum incertam adhuc fidem, egredi oppido inconſultum putaſſent. Hac victoria, vti aſſolet, animi illis & copiæ creuere. Itaque poſtridie Paſchatis, habito inſulanorum cenſu, fidem inter ſe obſtringunt, atq; Orangio tamquam Regio per Hollandiam Gubernatori ſacramentum dicunt, in eius fide atque obſequio oppidum inſulamque ſtrenuè propugnaturi. Hiſpani interim, poſtquam hac ratione Brilam & inſulam circumiectam deſeruiſſent, feſtinato itinere confecti, dein ab aquis, per quas euaſerant, madidi, lutoque obruti Dordracum venere; ſed negato in vrbem introitu, Comes Boſſuuius veritus, ſi è tractu illo diſcederet, ne vrbes vicinæ, Albani & Hiſpanorum odio, itidem deditionem facerent, Roterodamum contendit. Vbi vix cum Nobilibus paucis intromiſſus, petiit à Magiſtratu, vt militibus ſuis tantùm tranſitum permitterent, aliò enim ducere velle. At oppidani, dolum metuentes, præter vrbem tranſire poſſe reſpondebant. Tandem, vbi deliberatum fuit, id permittitur, vt manipulatim tranſmittantur. Itaque ingreſſo primo manipulo, cùm occludi porta deberet, reliqui omnes impetu facto, irrupere. Erant ad portam exiguæ excubiæ, nec reſiſtere ſatis validæ.

Adeſt Boſſuuius cũ Hiſpanis Brilam recuperaturus.

Agro vndique ſtagnãte, fruſtrà Hiſpani expugnationem tentant.

Diſcedunt fugientiũ inſtar.

Inſulani perſuadentur à Geuſiuiurare Principi Orangio.

Hiſpani Dordraco excluſi, Roterodamum verſus contendunt.

1572 In his faber ferrarius quidam, vir manu promptus: qui cùm præ ceteris repugnaret, Boſſuuianus vnus eum ſtricto pugione confodit. Id quaſi audendi ſignum eſſet, Nobiles qui circà erant, ac milites alij, in excubitores verſi portam inuadunt, ac partem cędunt, partem extra vrbem propellunt. Factum hoc item poſtridie Paſchatis, die 9. Aprilis. Deinde in obuios quoſq; graſſati, ciues plures interficiunt, ſexum infirmiorem pro libidine habent, nefaria ſanè licentia, quamdiu vrbem tenuerunt; quod fuit vſque 13. Auguſti. Hoc facinore Comes Boſſuuius hactenus populo gratus, omnium odia irritauit. Roterodamo ſic potiti, paucis pòſt diebus Delfshauiam, paulò antè à Lumęianis captam, noctu inuadũt, cæſis præſidiariis, locoque capto præſidium imponunt. Intereà Albanus de Vliſſinga, maioris etiam momenti Belgij portu retinendo, ſollicitus fuerat. Itaque euocatas è Brabantia octo Hiſpanorum cohortes ſub Oſorio Angelo eò deſtinat. Iam fundamenta arcis ibi iacta erant, eaque re magis etiam in ſe ciuium animos concitauerat: ſed ille querelas parui pendens, maiore præſidio rem geſturus, cùm tantùm pauci illic prędiarij Galli-Belgæ eſſent, metatorem miſit; qui cùm quinto Aprilis Hiſpanis mox venturis hoſpitia parare vellet, indignati ciues, palàm etiam nõnulli dicebãt, ſeruitutem longè peſſimam ſibi parari, nec vlli vrbi magis arcem aut militem quàm ipſis grauem fore. Aduenerat paucis antè diebus Ioannes Cuyckius Herptenus de Brila capta clàm nuntium adferens; qui ſe paſſim ciuibus immiſcens, ſi qui rebus nouis ſtudere videbantur, eorum audaciam callidè accendebat, hortabatúrque, palàm edicerent, non ſe Hiſpanum militem recepturos; præſtò eſſe vindicem Orangium cum magnis copiis qui ab Albani tyrannide Belgium liberaret: nec ingrata multis oratio, qui periculo, quod ab arce & Hiſpanis immineret, exaggerato, viri conatum adiuuabant; adeò vt tandem ipſo illo quinto Aprilis, Feria ſexta ante Paſcha, Galli-Belgæ præſidiarij expellerentur: cumq; in portum eo ipſo die Hiſpani adnauigarent, orto tumultu, idem Cuyckius omnes hortabatur, nunc virtutis ſuæ meminiſſent; quòd ſi Hiſpanos admitterent, de vita & bonis omnium actum ſcirent; eieciſſe iam ſe præſidiarios, ac læſam hoc crimine maieſtatem Regis; Egmondanum Hornanumque tantos viros ob oculos ponerent, nec temerè ſibi ſpem vllam veniæ facerent. Inter hęc quidam è turba potu largiore audacior, ſi quis duos cereuiſiæ cantharos præmium daret, in aduentantes machinam aliquam è muris vrbis exploſurum ſe pollicitus, liberaliter à Cuyckio donatus, rem perfecit; idque ita Hiſpanos perturbauit, vt abruptis retinaculis vela dantes, Middelburgum protinus naues dirigerent. Antonius Burgundus Dominus Capellæ, prouinciæ Gubernator, vbi rem geſtam intellexiſſet, Middelburgo illuc profectus, qua erat auctoritate,

Portam vi inuadunt, multis ciuibus cæſis.

Recuperãt Hiſpani Delfshauiam, cæſis præſidiariis.

Intereà de Vliſſinga ſeruanda Albanus conſtituerat, ſed ſerò.

Expellunt Vliſſingani paucos præſidiarios Gallos.

Homo ebrius machinã maiorem in aduentantes Hiſpanos explodit.

tate, comprimere initia turbarum ſtatuit. Itaque conuocato ad Curiam populo, vir non indiſertus blanda oratione demulcere conabatur. Nihil ita præter ſpem ipſi accidiſſe, quàm hunc motum; cuius culpam pœnitentia eluere poſſent: quamobrem ad obſequium redirent, facili adhuc apud benignum Regem venia; promittere etiam id ſe effecturum, vt delictum Albanus diſſimulet. Et pænè ſuadis verbis nonnullorum animos perpulerat, ſed immixtus turbæ Cuyckius ad aſtantes, Egregium, inquit, Oratorem, qui ſimplicitatem veſtram libenter falleret. Ita irritati, cùm interturbarent, impetrato iterùm ſilentio, proſequi orationem cœpit: Conſiderarent Regis potentiam; cui ſi animos obſtinarent, reſiſtere tamen nullo modo poſſent: vires ſuas expenderent, nulla belli inſtrumenta, nullum militem aut ſtipendia in promptu eſſe: ac ſi eſſent, incertam tamẽ belli aleam vrbes ſæpè potentiſſimas quin & prouincias euertiſſe. Plura conantem, iram vultu oſtentantes ciues, & verbis etiam interminati illicò vrbe faceſſere iubent. Inde eiectis ſimul his qui nouam arcem moliebantur, initia inuiſi operis (quod quartum iam pedem ſupra terram exſtabat) protinus diruunt. Mox in vrbem Paciottus venit, ratus Hiſpanos, qui præmiſſi ab Albano, ab oppidanis receptos eſſe. Simul in terram egreſſus eſſet, nauem qua vehebatur inuadunt, ac ſupellectilem diripiunt: id inopinatum hominem perculit; nam de rebus iam narratis nihil famâ acceperat. inquirenti de Hiſpanis nemo reſpondet, ſed hominem detinent: dederat ei in mandatis Albanus, vt præſidio atque arci præeſſet. Eo rerum ſtatu Cuyckium ad ſe Magiſtratus vocat, & quis modus aſſerendæ libertatis ſit, conſilium rogat. Is auxilium à Lumæio petere iis auctor eſt, ipſeq; ad Lumæium miſſus, cùm Dordracum applicuiſſet, eueſtigiò per fidum quemdam tabellarium primò Weſaliam, inde Dillemburgum deferenda ad Auriacum tam læta rerum principia curat: tum Brilam pergens à Vliſſinganis litteras Lumæio tradit. Qui initio difficilior cauſabatur, exiguas ſibi copias eſſe; nouitium militem, qui indies affluëret, parum adhuc armis inſtructum. Sed cùm Cuyckius reſponderet, viros daret, ipſos arma curaturos; ſubmiſſurum auxilia promiſit. Nec multò pòſt Treſlongum mittit, qui tribus nauibus ducentos aliquot ſubuehebat, homines templorum ſpolia indutos, & quibus caſulæ pro loricis, aut ſimilis ſacrorum ornatus: quippe illa temporis illius fortuna erat (verba ſunt viri non infimi inter Fœderatos) vt homines magna pars profani, impetu magis quàm conſilio, Religionis libertatiſque reſtaurationem per ſacrilegia ac rapinas conarentur. Cùm ad vrbem acceſſiſſent, datis armis, habitóq; delectu, in præſidium Vliſſingæ recipiuntur; ac ſtatim Treſlongus Paciottum in furcam agit, & ſupplicij ſocios duos Hiſpanos addit. Ægrè mortem Paciottus acci-

1572

Fruſtrà Dominus Capellæ pacare nititur Vliſſingenſes.

Initia ibi nouæ arcis, ciues certatim diruunt.

Paciottus Hiſpanus ignarus actorum Vliſſingæ intrat.

Treſlongus Brilâ Vliſſingâ cum ducentis venit.

Paciottus Hiſpanus architectus in furcam agitur.

1572 piens, vitæ pretium ingens offerebat; ſed Treſlongus morte fratris aſperior, quem Albanus anno 1568. capitis ſupplicio affecerat, vt iniuriam vlciſceretur, nullum gratiæ locum reliquit: & maximè ſe Albanum lædere exiſtimabat, ſi ſummum munitionum artificem, egregium belli miniſtrum, etiam ſanguine Albano, vt ferebatur, iunctum, è medio eriperet. Iam alea iacta erat Lumęio & ſociis quiduis audendi pro libertate. Itaque gnari, non impune facinus Albanum habiturum, cuncta hoſti excipiendo neceſſaria parant, ocyuſque in Germaniam ad Orangium, in Galliam ad Ludouicum Naſſouium, rerum quæ quotidie gerebantur nuntium vnum poſt alium mittunt, & auxilia poſcunt, atque interim feſtinatis operis in omnem partem, quantum poſſunt, ſe muniunt: nec multò pòſt Hieronymus Tſerartſius, è familia Orangij, eiuſque ſtabuli Præfectus, à Naſſouio è Gallia cum aliquot Gallorum copiis, Walachrię inſulæ, in qua Vliſſinga, præfuturus ſubmittitur, & ab Anglia miles aderat ab exulibus ibi Belgis. Per quæ adeò illis animus creuit, vt bellum exſpectare iſtis viribus nõ contenti, plus auderent, ac vicinos, qui Albani partes ſequerentur, infeſtare haud vererentur. Ceperant Brilani quoſdam piſcatores Veranos: his per litteras libertatem ſine pretio Cuyckius obtinuerat, ac prætereà commeatum Lumæius dederat, liberè exercendæ piſcaturæ. Quod beneficium ceteris etiam piſcatoribus mox indultum, adeò omnium animos flexit, vt exuto Albani obſequio, in Orangij fidem paſſim recipi optarent. Quod vbi Tſerartſio & Cuyckio compertum, ambo Veram, inſulæ Walachranæ armamẽtarium, cum militibus ſexaginta 2. Maij abeunt; ac, relicto ad portam comitatu, oppidum ingreſſi, à Magiſtratu petunt, vti ſe Orangio dederent, & præſidium aliquod admitterent. Magiſtratu negante, cùm Tſerartſius diſceſſiſſet, Cuyckius in hoſpitio remanens, & conuocatis, quibus pridem libertatem impetrauerat, eadem veſpera id effecit, vt horum opera piſcatores alij perſuaſi oppidum promitterent. Nec res differtur. Poſtero die, adducta ad terrorem cohorte, ipſi quoque piſcatores armati, nequidquam reſiſtente Magiſtratu, deditionem faciunt; rebuſque ex tempore ordinatis, cùm præſidium non ſufficeret, petitum eſt ex Anglia ſupplementum virorum centum viginti quinque, quos Belgarum illic exulantium ſtipendio Cuyckius legit. Fama rei Albanum perculit, etſi vir animi ingentis, metum diſſimularet; nec ſciebat quid primum aggrederetur. Amſtelrodami & Enchuſæ per Boshuſium naues aliquot bello inſtruebat, vt Moſæ oſtio occupato, & Lumæium coërceret, & nutantem Enchuſam aſſereret. Sed de ea iterùm mox. Intereà die 24. Maij Montes, primaria Hannoniæ vrbs, à Ludouico Naſſouio fratre Orangij hoc ſtratagemate intercipitur. Collectis ſubitò in Francia auxiliis, cum equitibus leuis armaturæ

Adſunt Vliſſingæ auxilia ex Gallia & Anglia.

Captis dimiſſiſq; piſcatoribus Veranis, Geuſij eos ſibi cõciliant.

Fruſtrà obnitente Magiſtratu, etiam Vera cedit Geuſiis.

Modus intercepta ciuitatis Montenſis in Hannonia.

quin-

quingentis, ſclopetariis mille, clàm ſub veſperam ad vrbem venit, copiiſque in ſilua vicina occultatis, duodecim aliquot ſelectos milites caſum tentaturos præmittit: qui diſſimulato habitu, ceu vinarij mercatores diuerſorium ingreſſi, inter cœnam hoſpitem rogant; quæ portæ aperiendæ ſit hora; eſſe ipſis vini plurimum, iam ob ſolis æſtum noctu aduehendum: qui ignarus doli, quartam dicit; attamen ſi maturiùs vellent, aliquid cuſtodi promitterent, qui tempus non grauatè præuerteret. Ita ſummo manè hunc accedentes, cùm ad promiſſum pretium portam maturiùs aperuiſſet, hominem obtruncant, claues eripiunt. Inde vrbem eueſtigiò cum equitibus quinquaginta Naſſouius inuadens, eos per vicos diſponit, ac, ſicubi oſtia aut feneſtras aperiri conſpicerent, illuc ſclopos explodere iubet, & vociferari interim, ne timerent, aut hoſtile quidquam tentarent; adeſſe libertatis auctores, & Orangium in propinquo, qui decimæ tributum grauiſſimaſque Albani exactiones auerteret. Id aliquot horis tam incondito clamore actum, vt vel milleni in armis eſſe viderentur. Vrbe eatenus capta, dum ſic domus obſidentur, neque reliquæ copiæ procederent, ocyùs ſe Naſſouius proripit, cogniturus cur morarentur. Itaque per ſiluam oberrantes equites quingentos, qui ſingulos à tergo pedites vehebant, in vrbem ducit: inde Curia occupata portas claudit, ac per vallum excubias ſtatuit: tum Magiſtratum conuocatum blandè affatur; non hoſtem ſed amicum veniſſe; proinde illæſam vrbem habituros: aduentare Orangium fratrem, cuius nomine rem tam magnam inceptaſſet, nihil aliud animo agitare, quàm vt florentiſſimum pridem Belgium contra vim Albani adiuuaret. Ea oratione plures ſunt deliniti. Deinde incertæ fidei ciuibus arma adimit; alios conſueta artificia aut commercia exercere per tubicinem iubet; ſuos proteruè agere vetat. Inuenta ibi arma multa, & cetera belli inſtrumenta, ærarium ingens, gaza plurima, plurimum ſacræ ſupellectilis, & ex auro argentóve imagines Sanctorum, quas vicinæ Abbatiæ & Monaſteria, fama captæ per Lumæium Brilæ territa, ceu in loco maximè tuto aſſeruandas depoſuerant. Triduo pòſt ſclopetarij bis mille acceſſere, feſtinantem Naſſouium ſubſecuti; mox Iunio menſe ſub Mongomerio equites mille ducenti, pedites mille trecenti. Eodem tempore capta à Lanouio & Famarſio Valenciana, vulgò Valencenæ: ſed cùm præſidium, quod in arce erat, repugnaret, eíque ſuppetias ferret Ioannes Mendoſa leuis armaturæ Præfectus cum duabus equitum & totidem peditum turmis, Famarſius, digreſſo pro auxiliis Montes Lanouio, cùm oppidanorum ſtudia deficerent, irruentibus præſidiariis, deſerere vrbem, & vi erumpere coactus fuit. Toto hoc menſe Maio Enchuſiani ciues in Boreali Hollandia inter ſe tumultuati erant, quidam Alba-

1572

Ludouicus Naſſouius ſpecie mercatoris Montes cum ſolis primũ 50. inuadit.

Pauci callidè agũt, ne quis ciuium feneſtras aperiat.

Ingreſſi mox plures, blandè nihilominùs agunt.

Eodem tempore intercepta & Valencena, ſed mox deſeri coacta.

Deficit & Enchuſia ab Albano, diu fluctuans.

1572 Albano, alij Orangio ſtudentes. Tandem initio Iunij, fruſtrà obluctante Magiſtratu, Præfecti aliquot partium Orangij in vrbem admiſſi ſunt, deinde ipſius Orangij iuſſu tradita Sonoio Præfectura; qui Bremâ Embdam profectus, feſtinatis diu noctúque itineribus Enchuſiam ingreſſus eſt, magno per viam prope Medemlacum diſcrimine, ne à Gallis Albano militantibus interciperetur; nam & portus ab Albani nauibus obſidebatur. Hic ſtatim rebus ordinandis animum appellit, & oppido quadrifariàm diſtributo, excubias diſponit; tum ad Orangium nuntium mittit, & ſuppetias poſcit, quibus reliquum Borealis Hollandiæ tractum, facili adhuc per initia ſucceſſu, in tanta animorum aut conſternatione aut fauore, ad partes traduceret. Itaque 11. Iunij, etſi ſucceſſu perdifficili, armatis contra ſe oppidanis, Hornam quoque Sonoius capit: ac mox reliquas illic vrbes, Alcmariam, Edamum, Monachodamum, Purmerendam. Tum Præfecturas ordinare inſtituit; & Medemlacum Cabeliauio, Hornam Hoſwegio, Alcmariam Moſtardo, Edamum Grauio decernit: ipſe à Lazaro Mullero Tribuno adiutus, qui cum inſtructa legione aduenerat, quotidie cum hoſte manum conſerebat; quippe Boſhuſius cum claſſe vrbem infeſtabat, quamuis paruo ſucceſſu, cùm etiam tres cohortes in Orangij partes tranſirent. Dum hæc fiunt, Dux Medinacæli Albano à Rege ſucceſſor datus, cum bis mille Hiſpanis in Belgium aduentabat. Id vbi Fliſſinganis cognitum, Balduinus Eobaldus, Ioannes Morus, aliíque circa Flandriæ oram 10. Iunij eum inuadunt. Necdum Medina-cęli intellexerat tantam Auriaco claſſem eſſe, eoque negligentior hoſti ſe obnoxium fecerat. Ducebat naues quinquaginta quatuor; ex iis viginti ſex magnæ Belgicæ mercatoriæ in Hiſpaniis armatæ, reliquæ minores erant, quas Aſſabres Cantabri dicunt. Has magno impetu Fliſſingani adorti, ſuperant fugántque, & ex viginti ſex maioribus vix quinque ſaluæ euaſerunt. Ipſe Dux cum minoribus nauibus copiiſque elapſus, Sluſam appulit; alij Rammekenum, & inde Middelburgum euaſerunt; victoribus ingens præda obtigit. Medina-cæli Slusâ Brugas ſe contulit, inde Bruxellas ad Albanum, infauſto per principia augurio, minùs iam auidus deſtinatæ Prouincię, quam videbat audiebátque omni parte turbatam; quare & munus apud Regem deprecatus mox fuit. Nihilominùs naues Cantabricas viginti bello parat, & Machliniâ tormenta ænea viginti quatuor, currúſque aliquot cum pilis ac puluere nitrato mittit: quæ vniuerſa Fliſſingani in Flandria intercepta in ſuum armamentarium tranſtulerunt. Inde aliis ſubmiſſis, inſtructæ naues, ferente vento Slusâ Rammekenum deuehuntur, tribus tamen minoribus in itinere interceptis: quin, illic cùm eſſent, arcis præſidio vt putabatur ſatis tutæ, Theobaldus Worſtius, Fliſſinganus, vir promptæ audaciæ, vi aggreſſus,

Mox Horna quoque à Geuſiis capta vicinæq; ciuitates.

Dux Medina-cæli, ignarus horũ cum milite appellit.

Accipit à Zelandis aliquantã cladem.

Clades ſecunda ad Rammekenum.

greſſus, nequidquam adiuuantibus arcis præſidiariis, omnes capit, incendítque: milites plures trucidati, reliqui nantes euaſere. Sub idem tempus, die 19. eiuſdem menſis Iunij Adrianus Switenus Audewatram, oppidulum Hollandiæ Auſtralis, natura loci ſatis firmum, cum exigua manu ad partes Orangij traducit; diéſque paucos ibi commoratus, cùm nouas ſibi copias paraſſet, relicto illic exiguo præſidio, cum ſexaginta plus minùs militibus deinde Goudam petiit, ac 21. eiuſdem Iunij per fautores, porta aperta vrbem ingreſſus, forum occupauit. Oppidani excubias in Curia agebant; ex quibus cùm vim tentandam quidam putans explodere in illos ſclopum vellet, inhibentibus pluribus, non multò pòſt citra vllum ſanguinem facta eſt deditio. Switenus ductor in prima ſuorum acie verſabatur, eumque ſequebantur Vtenengius Vltraiectinus, & Tzerclaſius Hagienſis. Ducto circum Curiam agmine, cùm initio circiter ſexageni eſſent, accedẽtibus ciuibus adeò ſtatim auctus eſt numerus, vt mox ferè ſexcenti numerarentur. Conuocato Magiſtratu, in Philippi Regis Hiſpaniarum & Orangij Gubernatoris Hollandiæ verba ſinguli iurant; & Præfectus arcis, cùm vim pararent, ipſeque interceptum intelligeret qui ab Vltraiectinis opem peteret, non multò pòſt ſe dedidit. Inde per ædes ſingulorum inueſtigatum, quantum quiſque annonæ haberet; cumque vix in octiduum inueniretur, miſſi ilicò mercatores, qui neceſſaria à Dordracenis pretio obtinerent. Et illi, etſi nondum partes Orangij ſequerentur, vicinæ vrbi non grauatè ſubuenerunt. Cúmque Hiſpani, qui Roterodami præſidium agebant, Iſelæ oſtium obſtruxiſſent, appoſitis liburnicis ſuis, Crimpenum vſque frumenti plurimum nauigio deuexetunt: ex quo loco Goudani curribus impoſitum porrò in vrbem adduxerunt. Interim neceſſaria omnia Switenus curabat, & præſidium ordinabat: tum ductis Leidam copiis, cùm non ita pridem, miſſo à Sonoio, Guilielmo Grauio Gandauenſi, hominem extraneum recipere Magiſtratus noluiſſet, opera Pauli Buſij Syndici aliorumque quorumdam ciuium ipſe admiſſus, Ioannem Eilofium Groningenſem cum cohorte vrbi imponit. Dordraceni, iamdudum affectus in Orangium proni, ne impetu præcipitata conſilia infeliciter caderent, palàm eius partes amplecti hactenus diſtulerant: ſed hoc rerum ſtatu non ampliùs differendum rati, aduocato Bartholomæo Enteſio, qui in propinquo ſub Lumeij auſpiciis cum bellicis aliquot nauibus agebat, 24. Iunij, ipſo Natiuitatis Baptiſtæ Albanum hoſtem renuntiant; ſtatimque iis ab Orangio Boxtelius, cui etiam Comitatus Buranus poſteà commendatus fuit, Præfectus datur. Paulò pòſt Harlemum quoque ad partes venit, Berkenrodij, Coltermanni & Kieſij operâ. Illi enim cùm mandata Orangij oſtendiſſent, obnitebatur initio Magiſtratus, & deliberationem

1572

Capta à Geuſiis Audewatra, mox quoque Gouda.

Iurant Goudani Regi, & Principi Orangio.

Prætendent ſibi de cõmeatu, fruſtrà obnitentibus Hiſpanis.

Accipiunt & Leidani præſidium Orangij.

Mox Dordraceni; deinde quoque Harlemẽſes.

1572 petebat: qua negata, cùm ciuium ſtudia animaduerterent, hiſce legibus vrbem dedunt, Vt ſacramentum Philippo Regi olim & Orangio Gubernatori datum ne mutarent. Magiſtratu, ſaltem ad Orangij aduentum, nemo amoueretur. Albanus verò hoſtis publicus haberetur. Cunctis vita ac facultates ſaluæ eſſent. Clero aut Monaſteriis nulla vis fieret; miléſque nullus extra Ruchauerij cohortem, niſi arbitrio Magiſtratus, vrbi imponeretur. Hos Gorcomienſes ſecuti ſunt die 26. eiuſdem iam ſæpè dicti menſis Iunij, Marino quodam, arte eorum qui Orangio ſtudebant, in vrbem cum paucis recepto; qui deinde biduò pòſt arcem cum iis qui eò confugerant, Eccleſiaſticis, & aliis, vi ad deditionem compulit, incolumitate omnibus promiſſa, ſed nequaquam ſeruata, vti prolixè docet eruditiſſimus & integerrimus Guilielmus Eſtius Gorcomianus, ab oculatis & auritis teſtibus omnia depromens, in libro de immani crudelitate in viginti & vnum Martyres, maiori parte Gorcomienſes, eo tempore à 27. Iunij vſq; 6. Iulij in eadem arce Gorcomienſi exercita, ac deinceps à 7. Iulij vſque noctis medium poſt octauum eiuſdem, Brilæ conſummata, quando intempeſta nocte ſine vlla iudicij forma, iubente Lumæio, dicti Martyres, viginti & vnus (quibus in arce Gorcomiana cum ceteris fuerat iurata vita ſalua) extra oppidum Brilenſe in horreo, vbi pridem Ruggenſe Regularium Monaſterium fuerat, crudeliter ex trabibus duabus ſuſpenſi ſunt: quo in libro, parte prima, cap. 20. hæc ille inter cetera de iis quæ Nicolaus Picus Guardianus Minoritarum in arce illa Gorcomiana pertulit: Funem, inquit, quo pro ſui Inſtituti ratione cinctus erat, in collum eius milites pro ludo iniiciunt, eum ſupra oſtium nunc attrahunt, nunc dimittunt, dum perueſtigant vbi funem innectant; tandem crebro illo ad ſuperiorem oſtij partem attritu funis rumpitur. Iacebat ergo vir ſanctus humi prouolutus, nullo vitæ indicio. Accedunt milites, admotis candelis ardentibus, ſpectantibus captiuis reliquis, amburunt ei frontem, verticem, os, genas, aures, mentum, naſum. Quin etiam (ô immanitatem!) flammam naribus inſertam in cerebrum ſubmittunt. Neque id ſatis. Os illi vi diducunt aperiuntque, & ardente candela immiſſa, linguam & palatum omne adurunt. Et cùm nullum eſſet vitæ indicium (tamen ſuperuixit) abierunt, dicentes, Monachus eſt, quis requiret? Et de crudelitate in omnes generatim, Brilæ, cùm ſuſpenderentur, lib. 2. cap. 25. Ceterùm, inquit, neglectè admodum à lictoribus extrema ſupplicij peracta fuere, parum ſollicitis, vt qui pendebant, benè ſtrangulati citò morerentur. Nam alius ore funem velut frenum mordebat; alius extremo mento ſuppoſitum, alius gutturi quidem admotum, ſed non ſatis adſtrictum habebat; quo factum eſt vt quidam in clarum vſque diem adhuc ſpirarent. Nec ea re contenti, veſtibus vſque ad nudum

Geuſij, Gorcomio intercepto, deinde arce potiuntur.

Sæuiunt contra fidē datam in Eccleſiaſticos.

Viginti & vnus, ſine vlla forma iudicij, noctu iuxta Brilam ſuſpenſi.

Crudelitas in eos cùm adhuc Gorcomij eſſēt.

Tumultuariè ſuſpenſi, nonnulli adhuc vſque manè ſpirant.

„ dum detractis, auriculas, nares, pudendas etiam corporis partes (heu bar- 1572
„ bariem!) amputare aggressi sunt. Quòd in omnium ferè corporibus fa-
„ ctum est, alio clamante: De sacrificulo illo auriculam habere me opor- *Plusquam barbaries in Martyres Gorcomienses.*
„ tet; itemque alio: Et me de illo Monacho nasum; rursumque alio partes
„ obscœnas obscœniori vocabulo appellante: & ne quid ad extremam in-
„ solentiam reliquum facerent, accepta de Sanctorum corporibus mem-
„ bra galeris suis affixerunt; quibus perpulchrè, vt ipsis videbatur, ornati,
„ triumphali pompa in vrbem sub quartam matutinam regressi sunt. Hęc
ille. Sub idem tempus in Zelandia quoq; die 25. eiusdem Iunij Ziriczæa *Sub idem tempus & Ziriczea Gensius cedit.*
Orangio tradita est. Quin dum hæc in Hollandia & Zelandia fiunt, Co-
mes Bergensis, qui sororem Orangij habebat coniugem, sumptis armis
in proxima sibi Gelria Comitatum Zutphaniensem inuadit: & cùm
multa sine prędidio oppida essent, aliquot cepit; inter hæc Zutphaniam *Item Zutphania & vicina loca.*
ipsam, Dotecomium, & Dusburgum. In Velauia quoque eius Legatus
Glisenbergius Harderwicum 9. Iulij occupauit, moxque etiam Hatte-
mum, Elburgum, & Oldensaliam. Horum exemplum deinde Swolla,
Hasseltum, & Steenwica sequuntur, etiam Gelmuda ac Vollenhouia.
Inde in Frisiam quoque Occidentalem bellum prolatum est. Adiunxe-
rant se Fœderatis Nobiles eius Prouinciæ, Martina, Botnia, Hottinga,
Galama, & alij, quibus cognita loca regionis, & occulta ciuium multo-
rum studia. Eorum itaque operâ ad Australe fretum Stauera, Enchu- *Stauera capta, mox iterùm erepta.*
sam aduersam spectans, occupatur; sed arcem è legione Billij Galli-Bel-
gæ tenuerunt. Hanc obsidentes Fœderati tormenta admouere, Snecâ,
Bolswerdiâ & Franekerâ aduecta, & auxilia à Sonoio missa erant. Sed è
diuerso submissæ à Billio quinque cohortes Gallorum & nouem Ger-
manorum, aduentu inexspectato adeò obsessores terruerunt, vt metu
longè maiores copias aduentasse existimantes, turpi fuga arcem simul
vrbemque desererent. Circa id tempus cum cohortibus octo Germa-
norum in Frisiam Iustus Schouwenburgicus venit ab Orangio Præses
Prouinciæ destinatus; qui posito Franekeræ domicilio, Curiam iuri di-
cendo ibi nouam constituit, ad quam Sneca, Bolswerdia, aliaque loca, *Nihilominùs in vicinis locis figunt Gensij domicilium.*
quæ ibi Fœderatorum partes erant amplexa, pertinerent. Variè vtrimq;
velitatum est, & pagi aliquot, & inprimis Monasteria prædæ obnoxia
fuerunt, armis deinde & flammis deleta. Albano autem vndique nuntij
minùs grati adferebantur; quibus etsi meritò angeretur, egregiè tamen
dolorem animi dissimulat: sed inprimis ei curæ erant Montes, vrbs pri-
maria Hannoniæ, à Ludouico Nassouio, vti diximus, 24. Maij astu occu-
pata. Itaque Iunio desinente, & Iulio incipiente, Fredericum filium ob- *Albanus Montes Hannoniæ obsidere parat.*
sidioni vrbis inchoandæ cum quatuor millibus peditum & quadringē-
tis equitibus præmittit; ipse simulatque res alias ordinasset, cum maiori-

bus

1572 bus etiam copiis ſecuturus. Fredericus eò profectus, proximum vrbi Monaſterium Bethlehemum die tertio Iulij occupat, atq; aduerſus vim communit. Naſſouius nihil territus, vrbem ſeque hoſti excipiendo parat. Premebat Albanum ærarij anguſtia: nam & plurimum Hiſpanis debebat, quorum iam militia vti cogebatur, & copiis inſuper nouis opus erat, neque decimæ aut vigeſimæ ſpes ſupereſſe videbatur. Quamobrem, quod temporis ratio poſceret, inuidioſum tributum differre ſtatuit; vtque animos alienatos demulceret, remittere decimam ac vigeſimam ſe velle dixit, dummodò alias pecuniæ colligendæ rationes oſtenderent. Sed de hoc iterùm poſteà. Non lõgè autem poſt captum Goricomium (quod factum diximus 28. Iunij) arx Loueſteinia in inſula Bommeliana, ac Lieſveltum è regione oppidi Schoonhouij, Lumæianis deditionem fecerant: qua rerum conuerſione commotus Boſſuuius, ad portum Vltraiectinum, quem vernacula vocant lingua *de Vaert*, cohortem peditum è ſua mittit legione, qui egregiè locum muniere; Loſecotium verò Præfectum cohortis Belgicorum peditum Schoonhouium mittit. At plebs, inuito Magiſtratu ei portas claudens, cauſa fuit, vt Vltraiectum reuerteretur. Qua de cauſa Boſſuuius omne frumentum à Schoonhouianis Amſtelerodami coëmptum detineri, nec tamen vendi iuſſit. Quibus Orangiani vicinarum ciuitatum intellectis, Dordraco, Gorichemo, Gouda, Oudewatera, aliiſque locis copias in vnum coëgere, non dubitantes quin operâ tumultuantis plebis à Schoonhouianis admitterentur. Verùm loco gratulandi eis aduentum, maiora minoráque omnia in eos exonerant tormenta. Quare incenſis ſuburbiis, abactiſque armentis, ad ſua ſinguli rediere. Magiſtratus Schoonhouianus hac occaſione, operâ Catholicorum ciuium adiutus effecit, vt renouato Regi ſacramento, Vltraiectum Legati mitterentur ad petendum præſidium. Mittit iterùm Boſſuuius Loſecotium, addens frumentum à ſe detentum: redeunt quoque, re cognita, Orangiani, vt Loſecotium cædant, frumentumque eripiant. At is celeritate vſus, occidente ſole oppidum intrauit, relicto in nauibus frumento ad portum Vltraiectinum præſidio centum ſclopetariorum dicti portus præſidiariorum. Quin certior factus Loſecotius hoſtes in itinere eſſe, vt naues frumentarias intercipiant, eis obuiàm proficiſcitur. Habebat ſua cohors trecentos veteranos; conſcripſerat Magiſtratus Schoonhouius è plebe ducentos: qui ſimul profecti, in hoſtem mille ducentos pedites habentem incidunt. Parant vtrimque animos ac arma, concurruntque. Audiunt, qui frumento ibant præſidio, ſclopetorum reboatum: iubent naues paululùm conſiſtere; hoſtéſque à tergo, commonito Loſecotio, adorti, atq; is à fronte vrgens, mox omnes in fugã egere. Cecidere ſupra quadringentos; abducti Schoonhouium ſexaginta

Schoonhouiũ inclinat ad Geuſios.

Seruat eã Regi Boſſuuius.

Regijiuxta Schoonhouium 400. Geuſios cxdũt, 60. abducunt.

ginta captiui, poſtridie à frumenti præſidiariis Vltraiectum perducti. 1572
Deinde Boſſuuius cohortem peditum Wicæ Durſtatti, ac tantumdem
Culenburgi in præſidio mittit, profectúſque ipſe Amersfortium nullis *Amorſfortij & Nardani præſidium Regium recuſant.*
rationibus obtinere potuit, vt præſidium admitterent. Nardam profectus, idem eſt expertus. At Weſopiani ac Mudani, vbi munita eſt arx, in
oppidis ac arce præſidia recepere: ceteri ea de cauſa recuſabant, quòd vicini Harderwicani ac Elburgij, Comitis Tsherenbergij præſidium 9. Iulij, vti ſuprà diximus, admiſiſſent. His peractis, Boſſuuius ac Waldæus
Hiſpanicæ legionis Præfectus, quinq; cohortiũ copiis ſtipati, Oudewa- *Oudewaterā fruſtrà à Regiis tentatur.*
teram, ſpe eius recuperandæ, proficiſcuntur. Sed vicini Goudani, excitis
omnibus Hollandiæ præſidiis in auxilium feſtinant: quorum multitudinem non expectandam Waldæus cenſens, tertio quàm venerat die,
motis cum Boſſuuio caſtris, Vltraiectum reuertitur, cùm intereà Amorſfortiani quoque ac Nardani præſidium Orangianum accepiſſent. Dum *Obſidentur intereà à filio Albani Montes Hannoniæ.*
hæc in Hollandia fiunt, Fredericus Toletanus Albani filius, vti diximus, Montes Hannoniæ obſidebat. Habebat Montibus Ludouicus
Orangij frater in præſidio bis mille pedites, maxima pro parte Francos,
ac ſexcentos equites è Francis exulibuſque Belgis lectos, qui ſæpè erumpentes, multa fortia æquali ferè damno edebant facinora. Sed diutiùs
durante obſidione, panem & puluerem bellicum parca manu accipiebant; omnia tamen perferebant ſpe auxilij, quod breui adfuturum ſciebant. Ienliſius Francus, ſocius Ludouici in capienda vrbe Montenſi,
eius conſilio Pariſios profectus, per Ammiralium Regem de capta vrbe certiorem fecerat, exceptuſq; honorificè (vt poſteà Franci interpretati ſunt, ne quid Ammiralius ſiniſtri, quòd paulò pòſt iuſſu Regis eſſet
trucidandus, ſuſpicaretur) mox conniuente Rege, iuuantéque enixiſſimè *Veniunt Geuſiis ſuppetiæ Montibus Hannoniæ ex Francia.*
Ammiralio, peditem equitemque apud Picardos cogere cœpit. Cumque
circiter quinque millia peditum ac mille quadringentos equites recenſuiſſe eum Ammiralius ſciret, addit ordinaria è turma ſua triginta Nobiles equites, duce Bauiuuio Legato ſuo, ſeriò iubẽs, ne rectà vrbem Montenſem petat; ſed Orangio exercitum circa Duisburgum colligenti ſe
iungat, primæque eius aciei ſuis cum copiis præſit (ita enim ſecretò inter Orangium ac Ammiralium conuenerat) iunctiſq; hac ratione viribus,
non ſolùm vrbem Montenſem obſidione liberent, ſed de Belgij poſſeſſione cum Albano ac Hiſpanis decertent. At Ienliſius, ſpreto Ammiralij conſilio, animi ferocitate Montenſes ſe liberaturum, ac Hiſpanos ante
Orangij aduentum profligaturum non dubitabat. Relicto igitur Moſa,
haud procul Landreſio ſeptimo Iulij caſtra ponit. Quo Ludouicus intellecto, ſcribit, vt ad Moſam fratri Orangio occurrat, iunctiſque viribus
ad vrbem obſidione liberandam properent; periculum alioqui eſſe, ne

tantil-

1572 tantillis cum copiis à Regiis ſuperetur: deinde, etiam ſi incolumi exercitu Montes veniat, nil aliud commodi allaturum, commeatus quàm vt citiùs abſumatur. Reſcribit Ienliſius, non ſe timere Regios, Montenſibus quoque oneri non futurum, ſed ſalutatis commilitonibus, ſtatim Orangio obuiàm iturum. Duces copiarum Ienliſij erant, Baro Rentij, Iumellius, Berenguaruillius, Ianiſſaccus, Rijngrauius. Motis Landreſio caſtris, verſus vrbem tam ſecurè ac petulanter proficiſcuntur, ac ſi contra feminas exercitum ducerent. Propinqui Boſſuuiæ arci, horæ vnius cum dimidia Montibus itinere, centum pręmittit Ienliſius equites exploratum. Hos ſequebatur Rentius ſua cum legione, tum leuis armaturæ equites: hos Iumellius cum ſuis: Ienliſius, Rijngrauius, ac Ianiſſaccus poſtremam ducebant aciem, exiſtimantes hanc Hiſpanos primùm adorituros. Sed falſi opinione, ſtatim eos in fronte contra primam aciem ſunt experti. Etenim præmiſſi exploratum equites centum Ienliſij, in quadringentos Noircarmij quatuor ordinariarum turmarum equites incidentes, multitudine territi fugam capiunt, ac in Rentij ſocij legionem inuecti, eius aciem aperiunt, quos ſequentes Belgæ equites planè concidunt ac diſſipant. Nec mora, ducenti Hiſpani pedites moſquetarij reliquos etiamnum ordines ſeruantes, ita ſalutauere, vt fugientem Rentij legionem ac equites, & ipſi non multò pòſt ſequerentur. Cecidere circiter mille quingenti, ac inter hos Rentius ac Rijngrauius, multiſque Sub-præfecti. Captus Ienliſius cum ſexaginta Nobilibus Bruxellam, ac inde ad arcem Antuerpianam miſſus, paulò pòſt Albani iuſſu, petente Francorum Rege, vt ferebatur, fuit interfectus. Ianiſſaccus ad arcem Tornacenſem perductus, pro Nobili Hiſpano captiuo fuit dimiſſus, ſimiliter & plures Nobiles captiui. Capti ſunt è vulgo militum ſupra ſexcenti, variiſque locis aquis merſi, aut ad arbores ſtrangulati; pars verò maxima ab armatis ruſticis, ęris campani ſono vbique ad arma conuocatis, vtpote quos magna cum inſolētia venientes expilarant, eſt interfecta, ita vt pauci in Franciam redierint: octo tantùm ad Abbatiam Eſpinlæam iuxta vrbem Montenſem ſitam, ac poſtridie centum ſclopetarij in ipſam vrbem infelicis pugnæ nuntij peruenerunt; inter quos itinerum gnari fuere Dolhainius, Formaiſius, Eſquardus, ac Noiellus exules Belgæ. Hæc decimo ſeptimo Iulij contigere. Sub idem tempus Orangiani arcem Buranam munitiſſimam occuparunt hac via: Rogat Magiſtratus oppidi Præfectum Lindanum ad ædem publicam venire dignetur, communicaturus de rebus magni momenti. Facit; & ecce detinetur, perſuadeturque ſcriptis litteris paucos preſidiarios ad ſe recipiendæ pecuniæ cauſa euocare. Quo facto, iuxta portam latentes triginta Orangiani intrant, claueſque ceteris extorquent. Mittitur Gorinchemo Buram Præfectus Sprutlouius cum cohorte,

Magno faſtu Franci contra Hiſpanos procedunt.

Concurrūt Franci cum Hiſpanis.

Cadunt Franci præcipuo prælio circiter mille quingenti.

Pereunt & alij variis caſibus.

Centum tantùm & octo vrbem Montēſem ingrediuntur.

Interea in Geldria Geuſij Buram occupant.

cohorte, ac paulò pòſt Vogelſangius, ab Orangio impetrata Præfectura. 1572
Bommelij hucuſque conſtantes Regi manſerat, magno Orangianorum dolore. Igitur qui oppido dudum exularant, cum ciuibus intus Orangio addictis talem excogitant dolum. Inſtante menſe Auguſto maturæ meſſes falcem expectabant. Moris erat ſacris Virginibus, aliiſque qui vaccas alebant, aperta manè porta, eas ad paſtum deducere, veſperi paulò ante Solis occaſum in oppidum reducere. Hac obſeruata conſuetudine, Orangiani extra ac intra oppidum agentes, obſcura nocte triginta armatos in propinquis oppido ſegetibus vltimo Iulij abſcondunt. Aperiuntur, oriente vix Sole, portæ, vaccæ ad prata deducuntur; ſtant iuxta portam triginta ciues cauſæ fautores armati, ac ſi peregrè eſſent profecturi, vnúſq; exonerato minori ſclopeto, vt ſimulabat inuitè, manum ſe quaſſaſſe conquerebatur. Erat hæc teſſera armatis in ſegetibus deliteſcentibus; qui ſurgentes portam inuadunt. Alter Conſulum præſens cum fidis ciuibus eos excludere conatur. Sed eo à ciuibus proditoribus intrò retruſo, verberibuſque onerato, oppidum ſui iuris faciunt; miſſoque ſtatim Gorinchemum celeri equite, auxilia petunt. Mittitur Iacobus d'Are Tornacenſis, cum ſexaginta Wallonibus ac totidem Belgo-Germanis; ac paulò pòſt Orangius Præfectum conſtituit Theodoricum ab Haeſten eius ditionis Nobilem, qui conſcripta quadringentorum virorum cohorte vicinos, Tilanos, Buſcoducenſes, ac Langeſtratianos moleſtiſſimè deprædabatur. Venerat ante aliquot dies Dordracum Philippus Marnixius, Fani D. Aldegondis Dominus, Orangij Legatus; exhibitoq; eius Diplomate, Conuentum Ordinum eorum locorum quæ ab Albano de-
„ fecerant, ibi celebrat. Summa eorum quæ acta fuere, hæc ferè: Regi Hi-
„ ſpaniæ auctoritas ſarta tecta maneto. Albanus Hiſpaniique hoſtes de-
„ clarentur. Libertas Religionis eſto. Certam pecuniæ ſummam ad ge-
„ rendum bellum conſtituto tempore Ordines repræſentanto. Alter ſine
„ alterius ſcitu ac conſenſu cum Hiſpanis non tractato. Ciuitas Montenſis intereà nihil fracta ſuperiori clade, fortiter obſidionem ſuſtinere pergebat. Quam domiturus Albanus, cùm veteres nouaſque copias vndiq; contraheret, antequam eò proficiſceretur, 13. Auguſti ſcribit Roterodamum Sanchio Londonnio, cum legione Lombardica ſua ſtatim in caſtra veniat. Itaque Hiſpani cùm in vnum coëgiſſent omnia, quæ in agro Roterodamẽſi reperiri potuere plauſtra, iis ſua imponentes, eorumq; qui ad ſe ex Fœderatis vrbibus Orangianorum ſtudia deteſtati confugerant, impedimenta, diſcedentes ſimul abſtrahi iuſſerunt quatuor maxima ciuitatis bellica tormenta cum omni apparatu, relictiſque ad lęuam Delfiis, Hagam-Comitis perueniunt, eáque nocte ibi dormiunt. Perueniunt & eodem die huc præſidiarij portus Delfij ac Maeſlantſluſij, Præfecto

Item ciuitatem Bömelenſem, certis ciuibus eam prodentibus.

Bommelẽſes fœdè Tilanos alioſq; vicinos populantur.

Adhuc in ſpeciem defert Princeps Orãgius Regi.

Hiſpani tandem relicto Roterodamo, verſus Montes Hannoniæ proficiſcũtur.

1572 Gerardo Sichemio. Hagâ diſcedentes, ſimul maxima Concilij Hollandici pars, Nobiles aliquot ac ciues Fœderum nouorum oſores comitantur, profectiqúe Scauelingam, ſecundùm incuruum Oceani littus hoc ordine incedunt. Prima acies, quam ducebat Rodericus Sapata, quinque habebat peditum ſigna, totidem poſtrema: in medio ibant Belgæ milites Sichemiani cum impedimentis, plauſtris, omniqúe imbelli turba: hac ratione maris littus legentes, nemine obſtante Harlemum vſque peruenere. Eodem tempore, quo Hiſpani Roterodamo excederent, Waldæus Hiſpanorum Præfectus Vltraiecto cum quinque ſignis peditum legionis Boſſuuij exiit, ſparſa fama ſpem dari reuocãdi Harlemenſes ad obſequium. Qui vt ſe moueant, dum fruſtrà Waldæus expectat, adeſt Londonnius à Roterodamo cum ſuis, qui exoneratis in muros Harlemicos Roterodamiis tormentis, vnis in caſtris conueniunt. Hæc enim erat vera aduentus Waldæi cauſa, non ſpes recipiendi Harlemi, quod fama ferebat. Vicini Harlemenſium intereà intellecto Hiſpanorum aduentu, ignariqúe quò tenderent, octo peditum ſigna duce Lazaro Muldero Germano cogunt, ac aduerſus Hiſpanos profecti per ſclopetarios pugnam contra Waldæanos primùm committunt; qui tandem cedere coacti, à venientibus Hiſpanis adiuti pugnam reſtituunt, ac mox Lazarianos in fugam agunt. Cæſi plùs minùs ſexcenti, iis exceptis, qui in amne Tiort merſi periere. Capti multi Culenburgi, partim in Rheno ſunt ſuffocati, partim ad arbores ſtrangulati. Harlemenſes, qui quatuor cum ſignis exierant, vicinos tam inſignem accepiſſe cladem videntes, inſequente eos Sichemio, in vrbem actutum ſunt reuerſi. Hinc motis Londonnius ac Waldæus caſtris, collecta è cæſis præda, ac quinque reportatis ſignis, iter verſus Vltraiectum inſtituunt; qua in vrbe, nemine inſequente, exiguo tempore ſe recrearunt, ac quatuor Roterodamenſium tormenta reliquerunt. Manſit & hîc Sichemius ſua cum cohorte, & Senatores Hollandici, & alij, qui Haga-Comitis, Roterodamo, aliiſque locis Hiſpanos fuerant ſecuti. Paulò priùs quàm hæc fiebant, nempe die tertio Auguſti, Albanus indictis Bruxellis Comitiis pecuniã ab Ordinibus poſcebat: narrat ex Hiſpania miſiſſe Regem quater centum aureorum millia, nec præter iſta expectari quidquam poſſe; quæ ſumma ſi cum militiæ ſuæ oneribus comparetur, nullo modo ſufficiat; ordinandum ſtipẽdium quindecim millibus equitum, peditum Germanorum duodecim legionibus, & cohortibus Hiſpanorum & Belgarum ducentis & quinquaginta; ſe ita inſtructum intra bimeſtre Belgio toto hoſtem profligaturum. Nec multa mora; cum Medina-cælio profectus, Montes petit, ipſe vrbis expugnationem acceleraturus; & ad conuellenda mœnia, tormenta maiora 24. minora adhuc 8. ſecum trahit. Bruxellenſes ciuitatis curam

Maximæ ſimul Cõcilij Hollãdici pars cum Hiſpanis Hagâ diſcedit.

Conſligunt circa Harlemũ Geuſij cum Hiſpanis.

Cadunt Geuſij ſexcenti, præter ſubmerſos & ſuſpenſos.

Poſcit Albanus pecuniam ab Ordinibus pro exercitu.

Proficiſcitur cum Medina-cali verſus Montes Hannoniæ.

Arſcho-

Arſchotano mãdat. Ante vrbem Montenſem Cœnobium Spineleuienſe erat, quod cùm ducentis defenſoribus Poietus tenebat. Id tentatum acri pugna, egreſſæque ex vrbe cohortes à Franciſco Salazario fortiter repulſæ; egregiè tamen defenſus à Poieto locus capi non potuit. Itaq; rurſum mox adorti Rodericus Sapata & Alfonſus à Soto, maiora tormenta admouent; editáque ruina, cùm impetum facturi eſſent, præſidiarij qui intus erant, non vltra vires periclitari à Ludouico Naſſouio iuſſi, in vrbem ſe recipiunt. Loco capto Molemius imponitur cum Belgarum quatuor ſignis è Cheuerauxij legione. Eodem die Eſpernio duce tredecim peditum ſigna venêre, ac poſtridie Albanus ipſe cum Medina-cęlio; moxque Salentinus Iſemburgicus Archiepiſcopus Colonienſis cum equitibus mille quingentis, Ioannes Roda cum trecentis; & ab Archiepiſcopo Treuirenſi ſexcenti adfuere. Vt primùm Albanus aduenit, Valencenis Aueſniſque tormenta aduehi, & Cheuerauxium Rutiumque cum ſuis legionibus vicum Menium inſidere iubet; ipſe verò caſtra vndique communiri curat, vt tam aduerſus auxiliatorum quàm obſeſſorum vim tuta eſſent. Dum vallum vrgetur, leuiter pugnatum eſt, vulneratique inter ceteros Alfonſus Mexia, Coruerius & Valdeſius: nocte proxima 24. tormenta admota. Per idem tempus Orangius tranſmiſſo prope Dusburgum Rheno, cum ſeptem equitum millibus, & octodecim millibus peditum Moſam petebat, poſitis ad Hellenradium prope Ruremondam caſtris. Vbi petito commeatu, cùm oppidani recuſarent, incenſis portis quarto Auguſti vrbem expugnat; in qua, crudeli militum ſæuitia plurimi trucidati. Inter illos Oeconomus & Prior Carthuſianorum, cum Presbyteris aliis duobus ætate venerandis. Paulus Waelwicenus, qui Epiſcopo ſacrorum miniſter, in Cœnobio crudeliter occiſus; adeóq; in ipſo templo, nulla loci ſacri reuerentia, Diaconus quidam confoſſus, & ante ſacrarium Reinerus Lintrius. Ibi dum paucos dies ſubſiſtit, venere ad eum Hollandiæ fœderatæ Ordines ducenta florenorum millia adferentes, & de aliis item trecentis millibus cauere. Cumque nuntiatum eſſet, in ea Prouincia indecorè militem graſſari, maximè in monaſticum & Sacerdotalem ordinem, Edicto publico ad diem 8. Kal. Septembris vim repreſſiſſe viſus eſt, non repreſſit. Inde aperto in Brabantiam aditu Louanium verſus copias ducit, portáque Heurienſi incenſa, die prima Septembris, poſtquam ciues & litterarum candidati aliquandiu ſe ſtrenuè defendiſſent, obuij ab vrbe Legati veniunt, & oblatis triginta duobus florenorum millibus, & commeatu, vim redemerunt. Biduo antè, hoc eſt trigeſima Auguſti, Mechlinia in poteſtatem Orangianorum venerat, hac ratione: Dum Albanus recuperandis Montibus Hannoniæ vndique exercitum cogit, liberatis Mechlinianis Hiſpanico

1572

Potiuntur Hiſpani munitione Spinelouienſi.

Albanus diligenter vndique caſtra munit.

Orangius Ruremondæ ſæuit in Clerum.

Eiuſdem vim redimunt Louanienſes.

1572 præſidio, à quo continuis quatuordecim menſibus peſſimè fuerant habiti, verens ipſe, ne, ſe profecto, Orangiani circumiacentes vrbes oppidaque fautorum auxilio variis occuparent artibus, nouis ea præſidiis munire decreuerat. Quod cùm emanaſſet, tumultuari vbique plebes, ac inprimis Mechliniæ, memoria iniuriarum ac opprobriorum ab Hiſpanis acceptorum; palàm clamitantes ſe mori quàm præſidiarios recipere velle. Regius in vrbe Senatus ac Magiſtratus ſedandæ plebis nullam aliam inueniens rationem, obtenta ab Albano poteſtate, tres è ciuibus conſcribit cohortes, qui vigiliis ac cuſtodiæ vrbis cum ordinariis tribubus præeſſent, delectiq́ue ſunt Præfecti Lancelotus Gottignius, Ioannes Scofius ciues, viri Nobiles, ac Ambroſius Nuffelius externus. Singulæ cohortes trecentos habebant ciues. Cumq́ue hac ratione ab Orangianorum dolis artibuſq́ue ſe tutos exiſtimarent, res planè in contrarium ceſſit. Arnoldus enim Dorpius Gelder, Mechliniæ Procurator hereditatis defuncti Beueræ Marchionis, cuius adminiſtratione opes non mediocres acquiſierat, cùm per dies plures Nuffelium Præfectum aſſiduis conuiuiis, donis, ingentibuſq́ue promiſſis, & per eum non paucos ex eius cohorte ſibi deuinxiſſet, dicta die trigeſima Auguſti Dorpius cõſcenſo curru domeſtico, extra vrbem tempore pomeridiano, vt ſæpè conſueuerat, animi recreandi cauſa ſe vehi iubet. Sciebat enim quo loco Philippum vander Aa & Ioannem Robbens ciues exules eſſet reperturus; quibus in currum receptis, intelligit exiguo interuallo ſubſequi ab Orangio miſſum cum nongentis equitibus ac quatuor peditum ſignis Bernardum Merodium Rummæ Dominum. Circa Solis occaſum dictos duos exules cum famulis in currum receptos domum vehit, recipitq́ue; ac intelligens deinde noctu, vti cum Nuffelio conuenerat, maximi fori aditus à fidis ſibi militibus inſeſſos, cum hoſpitibus aliquotq́ue militibus ad ædem properat publicam, ac per Nuffelium portarum vrbis clauibus vi extortis, ad portam Neckers-pouliam ſe confert, eaq́ue reſerata, antequam quid ageretur vllus ciuium præter conſcios ſciret, Rummæum cum equitibus peditibuſq́ue Orangianis ante Solis ortum intromittunt: qui occupatis foris, maioribuſq́ue viis, vallum milite complent, ædem Prætoriam ſui iuris faciunt, neminemq́ue timere iubentes, vt milites ex itinere defatigatos recipiant, modeſtéque victuros reficiant, à ciuibus, quid rerum ageretur adhuc ignaris, petunt: veniſſe ſe vt Mechlinianos ab Hiſpanorum tyrannide liberatos defendant. Tum Rummæus, Dorpius, Vander Aa, Robbens, Nuffelius, aliquotq́ue alij Magiſtratum ſanctiuſq́ue Concilium ad ædem Prętoriam conuocant, venire recuſantes cogunt, in Orangij verba vt iurent imperant; ſin minùs, verendum, ne quid in eos durius ſtatuant. Magiſtratus videns vrbem, corpora, bonaq́ue omnium in

Qua ratione tunc Mechlinia ab Orangianis occupata.

Dorpius quidam Cauſidicus primarius proditionis auctor.

Extorquẽtur noctu claues, & miles admittitur.

Iurare Orangio recuſantes in carcerem tradũtur.

Rum-

Rummæi eſſe poteſtate, imperata faciunt. Reperti Mechliniæ Antiſtes Atrebatenſis ac Namurcenſis, Baufortij ac Tilloij Domini cum Sculteto Bouuekerio iuramentum recuſantes, in cuſtodiam miſſi, poſteà ſe auro liberauere. Inde in Flandria Teneramunda, mox ſeptima Septembris Aldenarda quoque, aſtu occupantur. Aldenardæ grauiter ſæuitum eſt. Prætor Iudocus Corte-villius, capta vrbe, in arcem fugerat; qua expugnata, hominem multis vulneribus confectum per feneſtram in flumen ſubiectum crudeliter præcipitant. Tum quæſiti ad cædem Sacerdotes, & paſſim viri nulla iniuria obnoxij, (verba ſunt non infimi aliàs inter Fœderatos) auitæ Religionis odio indignè interfecti. Ioannes Pameliæ Curio, qui periculo euitando huc confugerat, & eodem ex ordine quindecim alij manibus pedibuſq; colligatis in flumen proiecti ſubmerſique: nec templis parcitum eſt aut Cœnobiis; etiam in ſepulchra ſæuitum, nec quieſcere mortuis permiſſum. Intereà Orangius hoc præcipuè agitabat, vt diſſipato Albani exercitu Naſſouium fratrem liberaret: nihilominùs in itinere Dieſtam quoq; & Tielmontium capit; & Niuellę, quia ſpe ſuppetiarum tranſitum negauerat, pecuniam & annonam imperat. Cheuerauxius ducum Albani vnus cum legione ſua & ſclopetariis Hiſpanis ſeptingentis Menium pagũ procedere iuſſus erat, vt illic aditum Orangianis intercluderet: ſed cùm Peronam veniſſe hoſtem Albanus accepiſſet, (qui vicus duorum milliariorum interuallo Montibus abeſt) & vereretur, ne inde traiecto Hana fluuio, per Genapum in vrbem auxilia intromitterentur, Cheuerauxium reuocat, contractiſque propiùs copiis, magis obſidioni incumbens, vallum ad marginem foſſæ perducit, & vndique caſtra munit, certus prælio abſtinere, ſolaque mora hoſtem debellare. Poſitis in colle ſex tormentis ad portam Bertemontiam vrbem ſubiectam grauiter verberat, reliqua binis locis diſtribuit, quæ & portam Bertemontiam & exterius propugnaculum infeſtarent, eaque biduum totum exploſa proximas turres variè lacerarunt; dein in ripa collocatis octo tormentis, muros dextra lęuaque verſum deiicit: contrà vrbani editam interdiu ruinam noctu rurſum communiebant. Inter hæc, ne quem aditum auxiliares haberent, validis ſtationibus Albanus vallum firmat, ac præterea collibus geminis, in via quæ Genapum ducit, militem imponit: in altero etiam colle munitionem ad inſtar ſtellæ quatuor radiis ex conſilio Bartholomæi Campocaſſij Medina-cælius excitat, in qua poſita ſigna duo Germanorum, & machinæ totidem; datumque ad hoc Romero negotium, ſi vſus foret, vt cum duobus itidem Hiſpanorum ſignis, & cohorte Salazarij, præſtò ad ſuppetias eſſet: in ſubiectis vallibus equitatum collocat, iuſſo Cheuerauxio foſſam Menio circumducere: Poluillerio Licquioque vt ſtationem tuerentur imperat: Eſpernio cum

1572

Capta à Geuſiis Teneramonda, mox & Aldenarda.

Sæuitum Aldenardæ maximè in viros ſacros.

Capta quoque Dieſta, & Thena.

Aduẽtante Orangio, Albanus nihilominùs obſidionem Montẽſem vrget.

In omnem partem paratus, aſſultum Orangij expectat.

1572 cohortibus Eberſteinij, tormenta cuſtodienda aſſignat: tum diſpoſitis ita agminibus, Hiſpanos pedites ſelectos ſexcentos, qui laborantibus opẽ ferrent, ante ea procurrere iubet. Orangius Peronâ progreſſus die octaua Septembris cum toto exercitu ſub meridiem in conſpectum vrbis Montenſis venit: ſed res tormentis è longinquo tantùm geſta. Die ſequenti iterùm progreſſi prælium tentant. Albanus porrò, qui Genapi muniturum caſtra Orangium crediderat, occupando loco Fredericum filium ſuum cum Hiſpanis ſexcentis miſerat; quod Orangio inſperatum. Cumq; grauiter inde turbaretur, nec ſatis tuta copiis ſuis ſtatio eſſet, peditem Gallicum, qui potiſſimum exercitus robur erat, in duo agmina diſtributum præcedere iubet, & Genapum iter capit; quò tunc etiam Sanchius Auila ab Albano miſſus venerat. Ibi oborta acris pugna. Prodibant è vico Hiſpani, duceſque erant Franciſcus & Marcus Toletani, Rodericus Sapata, Ioannes Ayala; hos cum cohortibus aliis Texeda ſequebatur, & cum eo Iulianus Romerus, ac Ferdinandus Toletanus: ſubmiſſi deinde Petrus Taxis & Salazarius cum equitibus cataphractis ſexaginta, ac alâ Ioannis Croij Ruſij. Initio Auila Gallos propulſabat; mox victoria alternante, incumbente cum equitatu Henrico Naſſouio, victi Hiſpani, amiſſo ſigno alæ Taxianæ: inde reſtaurato prælio adeò anceps fortuna fuit, vt & ipſe Albanus, quiq́ue aderat Medina-cælius, velitationi ſuccurrerent. Tandem datum receptui ſignum; & Orangius, cui infeſta valdè munitio, rurſum Genapum ire pergit, ſi fortè Albanum ad certamen protrahere poſſet. Sed is auxilia arcere contentus, incertam belli aleam iácere non ſibi conſultum putabat. Quamobrem Orangius fruſtrà eſſe hunc conatum animaduertens, eodem die caſtra mouens Fermeriam abiit, tribus inde milliaribus diſſitam; ibiq́ue poſtridie commoratus, (quia Fanum Floriani Poluillerius tenebat) inde in vrbem auxilia mitti poſſe ſperabat. Verùm eò ſtatim Albanus Bernardinum Mendoſam miſit cum tribus equitum alis, & cohorte vna ſclopetariorum; quos mox ſecuti ſunt Marcus Toletanus, & Rodericus Sapata cum ſclopetariis aliis ſexcentis, & alis Hiſpanorum quinque. Orangius iam à Floriani Fano ſeſquimilliare abierat; cumq́ue occupare Ariminium vellet, vbi Mendoſam conſpexit, quoſdam præmiſit velitaturos, dum tentoria ponerentur; & paulò pòſt Albanus adfuit cum Medina-cælio, Philippo Noircarmio & Iuliano Romero. Tum, Mendoſa admonente, opportunum inſidiis locum, de inuadendo per noctem hoſte cõſilium capit, negotium filio Frederico mandans: qui mille Hiſpanos, vt ſe dignoſcerent, interulas albas armis ſuperinducere iuſſos, eò ducit: Cheuerauxius cum ſignis 7. Licquius cum peditibus 200. in itinere vicum occuparent, quò ſe ſui reciperent, ſi conſilia hoſti explorata eſſent: ipſe vt cum Noircarmio

Adeſt Orangius cũ exercitu in cõſpectu vrbis Mõtenſis.

Acriter Regij & Geuſij velitantur.

Orangius, motis caſtris, pedẽ refert.

Nihilominùs tẽtat, ſi in vrbẽ auxilia mittere poſſit.

Nocturna velitatio, interulis albis à Regiis ſuperinductis.

carmio locum acceſſit, hortatur milites, meminiſſent priſcæ virtutis, nec occaſionem tam egregiam deſtituerent. Tum non longo interuallo collocato Frederico Toletano & Garçia Suareſio cum 150. ſclopetariis, Iulianum Romerum, Marcum Toletanum, Ioannem Salazarium, Antonium Mexicam & Rodericum Sapatam cum 400. in hoſtium tentoria impetum facere iubet. A Frederico Toletano & Suareſio ad quingentos circiter paſſus cum aliis 150. Chriſtophorus Quipada & Gaſparus Vrea conſtituti; paulò propiùs Franciſcus Toletanus & Martinus Eraſtus cum 200. ante hos Rodericus Pereſius cum haſtatis quinquaginta. Romerus, aliíque impetum primum facere iuſſi, hoſtem adorti ſtationarios trucidant: inde exorto tumultu, antequam armati adeſſe ad ſigna poſſent, intra horam circiter ſexcenti occiduntur: iniectus quoque tentoriis ignis; & inde datum receptui ſignum. Antonius Mexica cum 60. longiùs progreſſus quàm vt ſe recipere poſſet, ab equitatu circumfuſus obruitur. Exiſtimauerat Fredericus Toletanus non temerè Orangianos egreſſuros, ratos omnem Hiſpanorum equitatum adeſſe, eoque conſilio à Bernardino Mendoſa plures tibicines ſimul canere iuſſi erant; verùm vbi per incendium excitatum colluxiſſet, deprehenſo aſtu, audentiùs in recedentes irruerunt. Inde cùm noctem reliquam in armis egiſſent, Orangius ſuos Mechliniam verſus, & poſteà ad Rhenum reducit; vbi exauctorata maiori copiarum parte, quòd ſtipendia cuncta præſtare non poſſet, in magno vitæ diſcrimine fuit, & velut latuit aliquamdiu, ac ſi Weſtphaliam petiiſſet, vſque dum ſub medium Octobris Campos venit, indeque Enchuſam tranſmiſit. Deſerens vrbem Montenſem Orangius, monuerat Naſſouium fratrem, quando vrbi tam arctè obſeſſæ auxilia nulla inferri poſſent, vti rebus ſuis conſuleret, maximè quòd Ammiralium Franciæ, præcipuum patronum, inter nuptialia feſta Nauarræi cum ſorore Regis Pariſiis ipſo D. Bartholomæi cum præcipuis Hugonottarum trucidatum certò nunc conſtaret. Ludouicus Naſſouius his intellectis, animi æger, in corporis quoque incidit morbum. Vehementi enim ac continua febri correptus, de ſuſcepti negotij felici ſucceſſu, ac vita ferè deſperabat. Sed vti erat animo excelſo, exigua conſolatione rumque meliori ſpe refocillatus eſt, cùm illi Albanus honeſtas, ſi vrbe exceſſiſſet, offerret conditiones operâ Baronis de Licques. Habebat ille inter Francorum Præfectos ſibi ſanguine iunctos: cum quibus poſtquam ille, Albani conſenſu factis dimidiatę horæ induciis, verba feciſſet, rogaſſétque num diutiùs carcere Montenſi includi vellent, maximè quòd & Orangius fugeret, & Ammiralius eſſet interfectus; credere honeſtam poſſe inueniri viam carcere hoc ſe liberandi; effecit, vt permittente haud grauatè Naſſouio, publica fide accepta, ad caſtra venirent Nouius,

1572

Caduntur Orangiani circiter ſexcenti.

Orangius ſuos per Mechliniã ad Rhenũ reductos exauctorat.

Ludouicus Naſſouius fratris diſceſſu, tum Ammiralij cade ager animo & corpore.

Agit cum Albano de deditione vrbis Mõtenſis.

1572 Senarpontius, & Saucurtius Francorum Præfecti; qui decimonono
Leges deditionis Montẽsis. Septembris his conditionibus tranſegere: Prefecti ac Nobiles Franci vno « ſinguli cum equo, armis ac impedimentis omnibus, exeunto. Milites « quoque Franci cum armis, incenſo funiculo, ac impedimentis quæ hu- « meris ferre poterunt, explicatis ſignis, ſonantibus tubis, dicto tantùm ſa- « cramento promittentes contra Regem Philippum arma ſe numquam « laturos, niſi ei bellum cum Francorum Rege fuerit. Omnibus his condi- « tionibus Comes quoque Ludouicus Naſſouius vtitor. Ciues, quique « in vrbe manere velint, ab omni damno ac iniuria immunes ſunto: qui « exire cum preſidio maluerint, relictis rebus omnibus, liberum eſto. Bel- « gæ milites gregarij non niſi gladio pugioneq; armati, cum his ſolis qui- « bus induuntur, exeunto. Seruandis conditionibus traditi ſunt Fran- « cis Baro à Vertaing, Potelles, Aubignies, ac Betencurtius: qui in eorum
Ludouicus Naſſouius Ruremondam, Frãci ad ſuos fines tutò deducti. mãſere poteſtate, donec Ludouicus Naſſouius cum ſuis Ruremondam, Franci ad pagum l'Arbre de Guiſe peruenissent. Vt verò dictis quatuor Baronibus caueretur, manſere Montibus in poteſtate Noircarmij, vſque ad reditum Baronum Belgicorum, Nouius, Courtius, Carmontius, ac Moaſius, quatuor Nobiles Præfecti Franci, poſteà vtrimque ingenuè dimiſſi. Egreſſi ſunt vrbe Ludouicus ac Franci, cùm obſidionem tuliſſent ſupra quatuor menſes, vigeſimo primo Septembris ante prandium, cùm de deditione conueniſſent decimo nono. Ingreſſus eſt vrbem Albanus eodem die cum Medina-cælio paulò poſt prandium; inde Vaulxium Noircarmij Dominum præſidio relinquit cum 4. Belgarum ſignis: ceteræ eius copiæ Rutio ſe coniungere iuſſæ; qui cum iis Aldenardam
Albanus totus fertur ad puniendos Mechlinienſes. Flandriæ vrbem obſideret, & præmiſſus Teneramondam Mondragonius. Cùm Bruxellas redux Albanus paullùm modò diuertiſſet, totus in Mechlinianos ferebatur, exemplo ceteris futuros. Interim Orangiani Mechliniæ ita ſe gerebant, ac ſi victoris Albani exercitum planè contempſiſſent, aliterque ſe obſidionem tolerare quàm Montenſes feciſſent,
Geuſij Mechliniæ ſuburbiis communitis, tamen mox fugiunt. velle demonſtrarent. Vallum enim augebant, foſſas purgabant, maiora tormenta in muris diſpoſita conſpiciebantur. Suburbia ad omnes portas ampliſſima demoliebantur, ac inter hæc Monaſterium Blienbergum, Thabor, ac Bethaniam, piis virginibus ponè vrbis mœnia olim ædificata; incendêre & Beginarum ſeptum, quod ad portam Catharinianam tantæ erat capacitatis, vt nonnullis certaret cum oppidulis, muroque includeretur lateritio: omnia hæc Rumæi iuſſu incenſa, ac redacta in rudera. Verùm appropinquante Albano fine menſis Septembris, ſub auroram vrbem Rumæus ſic deformatam cum præſidio deſerit, ſequẽte Vander Aa, Dorpio, Nuffelo, Robbeno, ac ciuibus omnibus, qui malè ſibi erant conſcij. Inſequuntur eos Albani equites leuis armaturæ; ſed

quòd

quòd multum præceſſiſſent, paucos pedibus ægros, aut aduerſa valetudine affectos aſſecuti interfecere. Plus tamen damni equites Hiſpanos Rumæanis inferre potuiſſe ferebatur, ſi eos longiùs fuiſſent proſecuti, & non ad prædã Mechlinianam inhiaſſent. Intereà Mechliniani benè ſibi conſcij, quòd non ſponte, ſed paucorum proditione Orangium inuiti recepiſſent, ſacrum Ordinem, appropinquanti cum exercitu Albano ad deprecandum non ſua culpa factum, ſed eamdem ſuam, quæ Montenſium, eſſe cauſam, obuiàm mittunt. Pars ſacris induta veſtibus, cum cruce affixi Chriſti imagine, vexillo, ac Sanctorum imaginibus vrbe exit; pars eadem ratione in vallo conſiſtens, clamore, gemitibus, palmarumq́; iunctione gratiam de longè implorabat. Erant Albani caſtra in pago Muſen, dimidio tantùm milliari Mechliniâ ſito. Proficiſcitur Iulianus Romerus cum legione exploratum animos Mechlinianorum, obuiuſq́; parti ſacrorum hominum eos in pagum Muſen ad Albanum mittit. Intereà miles gregarius, clauſam reperiens Hanſwicanam portam, faſcium molem, quam figulus in totum parauerat annum, ingentem iuxta portam reperiens, in proximam foſſam aqua redundantem, nemine impediente nec prohibente, coniicit, deſuperque aſſeres in fabri lignarij domo prope eamdem vrbis portam habitantis repertos imponit; tranſeunteſq́; primùm duo, tum ſex, tandem decem, cùm neminem è vallo telum contrà emittere viderent, tandem integra legio idem facit, adiuti plerique extenſis manibus ab iis qui in vallum euaſerant. Itaque in vrbem tranſcendentes portam effringunt, Hiſpanoſque omnes intromittunt, fruſtrà ſacratis hominibus cum lacrymis ac precibus vim deprecantibus. Tribus continuis diebus ac noctibus in vtrumque ſexum, omnemque conditionem, nullo non libidinis ac ſæuitiæ genere eſt graſſatum: ſacra profanaque in prædam verſa, cumque obuia, ſeris effractis, eſſent direpta, homines vt abdita defoſſaque detegerent per immania tormenta coëgere. Ita Heuterus in ſuis ſchedis. Mendoſa Hiſpanus hunc in modum factum extenuare nititur: Ipſa, inquit, nocte præſidium ab Orangio vrbi impoſitum, fugit; ita vt manè in mœnibus ſe offerrent ciues, vbi noſtri, nullo reſiſtente, in vrbem conſcendebant, eamque tamquam rebellem vertebant in prædam. Quod factum fuit inuitis Præfectis, ſed continere non potuerunt milites, quòd ciues (etſi nonnulli fuiſſent innocentes) ſponte aduocaſſent Orangium, eiq́; vrbem tradidiſſent; tum quòd multa ſtipendia militibus debebantur, eoque eſſent inopiæ redacti, vt cuiuſcumque Principis aut Generalis imperium contempſiſſent, ſi eis præda fuiſſet interdicta ſicut aliquoties fuerat, cùm nondum ad eam egeſtatem, in qua nunc erant, veniſſent; id quod aliquando cogit milites facere contra ius, negligere honorem, & ſuperioribus ſe rebelles exhibere. Sic

ille.

1572.

Hiſpani eos inſequuntur, in prædam tamen Mechlinienſem magis intenti.

Mechlinienſes ſupplices mittunt Albano homines ſacros, ſacris indutos.

Hiſpani, nemine reſiſtente, mœnia tranſcendunt.

Sæuitum immanè in primis toto triduo.

Qua ratione Mendoſa Hiſpanus hoc factum extenuare conetur.

1572 ille. Pergit Heuterus: Primus direptionis dies ceſſit Hiſpanis, ſecundus Wallonibus, tertius Germanis. Quarto die, educto milite (excepto præſidio) cùm omnes finem miſeriarum aduenisſe putarent, in prædam Præfectis conceditur ciuium vita; quam, qui ſeruare cupiebant, pro fortunarum conditione, cariſſimè redimere cogebantur. Itum eſt Antuerpiam ac Bruxellam; apud fœneratores & alios, agri, ædes, campi, ſiluæ, ac viuaria, cùm nil aliud reſtaret, vili pretio vendita, aut magno obærata: quod complures lautæ fortunæ homines, Nobiles ignobileſque, ſacros profanoſque ad paupertatem redegit, aut inſigniter fortunas concuſſit debilitauitque. Tum iura ciuitatis abolita, priuilegia immunitatéſque ademptæ, Magiſtratus loco motus, Collegiis, tribubus, opificiis poteſtas conueniendi ablata. Denique cuiuſcumque quis ordinis aut dignitatis fuiſſet (Senatu Regio excepto, qui tamen militarem auaritiam violentiamque non euaſit) ſacramento quod dixerat liberatus, fit priuatus. Quatuor peregrini, è diuerſis Belgarum Prouinciis euocati, populo ius dicere iuſſi. Tres domus tantùm in tanta vrbe manſere intactæ; Comitis Hoochſtratij; Dominæ ab Immerſel, quòd Creſſionerus gener eius Albano militaret; ac pars aulę Regiæ quam inhabitabat Ioannes à Brancion Iuliano Romero dudum notus. Quin poſt tres à direpta vrbe redemptáq; ciuium vita menſes, Fredericus Toletanus Albani filius, miſſis Mechliniam ſcribis, annotari iuſſit, quidquid eſſet in vrbe frumenti, leguminis, lignorum, ac commeatus, intacta à milite relicta; quæ ter miſeri ciues redimere præſenti pecunia cogebantur, aut ſi hæc deerat, pati vt ante oculos ædibus exportarentur, & aliis venderentur, ſuam eſſe dicens ex præda hanc partem. Diripi cœpit Mechlinia ſecundo Octobris, durauítque ſeruitus vſque annum ſequentem. Tum Concilio Turbarum ac Albano de ſcripto expoſita eſt quæ ſuprà proditionis hiſtoria, ac exhibita à Guilielmo Merodio Roienbergæ Domino Mechliniæ nato, Ærarij Belgici (dum hæc commentarer, ait Heuterus) Conſiliario. Vnde Albanus ſerò intellecta innocentis populi calamitate, omnia eis vetera iura, iudicia, Priuilegia, immunitateſque, Rege maximè volente, reddidit, ſolo Rhythmicorum collegio, qui Rhetores vocari volunt, ſublato. Sub idem tempus Teneramonda octo millibus florenorum ſe Albano conciliauit. Aldenarda Rutium Præfectum accepit, cùm Orangiani qui in præſidio fuerant, Oſtendam, inde in vicinam Zelandiam aut oppoſitam Angliam plures euaſiſſent. Embiſius naui in vadum impacta, cùm in eo eſſet vt caperetur, in mare deſiliens ſuffocatus eſt. Blommartus, Grauius, Riuius, alij, meliore, vt exiſtimabant, via Zelandiam petentes, noctu in hoſpitio oppreſſi, cùm ſe in vincula dedere nollent, igne iniecto periere; plures quoque paſſim ſtrangulati aut gladio percuſſi ſunt. Quæ-

Tandem & vitam, ciues, licet omnibus exuti, redimere coguntur.

Quin & poſt tres menſes nouæ adhuc prædandi ratio.

Demum nõ niſi euoluto anno, Mechlinienſes ſeruitute liberati.

Orangiani, relicta Aldenarda, in Zelandiam fugientes multi pereunt.

dum

dum in Flandria & Brabantia fiunt, fine dicti menſis Septembris, Lumæius nihilominùs ab Hollandis diu rogatus, ad expugnãdam Schoonhouiam ſe parat. Coactis igitur viginti quatuor peditum ſignis ac equitibus paucis, Hollandis tormenta miniſtrantibus, ad oppidum caſtra communit, conſtitutis ad Septemtrionalem oppidi plagam tormentis. Etenim ad Meridionalem, vbi Lecca pars Rheni mœnia lambit, Dordraceni cum armatis nauibus, ne quid inferretur, ſtrenuè curabãt. Commeatum tota Hollandia mittebat. Cùm octo continuis diebus ac noctibus mœnia vallumque ingenti facto hiatu verberaſſent, ſonantibus tympanis ter oppidum expugnare conati, toties fuere reiecti, cadentibus ſupra trecentis Lumæianis, & ex oppidanis paucis, multiſque vtrimque vulneratis. Boſſuuius, omnibus quas habere poterat in vnum collectis copiis Vltraiecto Schoonhouiam proficiſcitur, obſeſſis ſubuenturus. Sed quòd ab vtraque parte hoſtes aggerem Leccæ obiectum interſcidiſſent, munitionéſque adieciſſent, bis ad oppidum perrumpere conatus, deſideratis circiter quadraginta viris fortibus, nil vltra tentandum cenſuit: non ſolùm enim è munitionibus Lumęiani ipſos maioribus tormentis impetebant, ſed etiam è nauibus Dordraceni. Vltraiectum cum copiis reuerſus, Loſecotio Schoonhouianorum Præfecto mandat, quàm maximè honeſtis conditionibus tranſigat. Conuentum eſt, vt qui in oppido manere vellent, liberè ſine iniuria poſſent; qui cum præſidio exire mallent, ablatis rebus omnibus item licitum eſſet: Loſecotius cum præſidio, erecto ſigno, ardentibus funiculis cum armis ac impedimentis Boſſuuium ſequeretur. Exeunte Loſecotio intrat Lumæius, repertoſq; duos Monachos ſtatim iubet ſtrangulari. Dudum à medio Auguſti Orangiani Tergouſam Zelandiæ ciuitatem obſidebant vſque 15. Octobris. Tum variarum rerum inopia in oppido maximè laborari cœptum. Quare nuntio ad Albanum miſſo, qui direpta Mechlinia, adhuc in Brabantia erat, auxilium aut poteſtatem dedendi oppidi, quòd niſi paucis diebus fames ferri poſſet, petunt. Erant in oppido Hiſpanorum cohortes duæ, totidemque Wallonum. Fuerant menſe Septembri Antuerpiâ miſſæ naues decem, octingentis peditibus, commeatu ac puluere bellico oneratæ. Sed eis obuiàm profecti Worſtius Fliſſinganus ac Marinus Brantius cum claſſe, Antuerpiam, re infecta, redire coëgerant. Itaque Albanus his intellectis, Chriſtophoro Mondragonio duci veterano dat negotium, paratis rebus neceſſariis, Tergouſiis in auxilium proficiſcatur. Cogit naues Bergis ad Zomam, deque rebus neceſſariis prouiſis, imponit Gallo-Belgas octingentos, Germanos trecentos, ac Hiſpanos ducentos, portuque ſoluens, proras ita dirigi iubet, ac ſi in altum prouehi, & cum Orangianorum claſſe confligere vellet. Olim iuncta continenti inſula

1572

Geuſij, ductore Lumæio, Schoonhouiam obſident.

Frustrà Schoonhouianis succurrere conatur Boſſuuius.

Lumæius deditione Schoonhouiã potitus, nihilominus mox ſauit in duos Monachos.

Claſſis Regia ſuccurrere Tergouſa conata, re infecta redit.

Goeſa-

1572 Goesana, cùm inundatione direpta esset, vadum reliquit. Id cùm esset exploratum, etsi itinere duorum milliariorum, & trium amnium profundis alueis perdifficile, ingredi tamen Mondragonius decrescente æstu statuit, fideli vsus ductore eius loci incola Theodorico Blommartio. Relicto igitur ad naues iusto præsidio, cum ceteris sacculum singulis puluere tormentario plenum collo gestantibus versus oppidum pergunt. Præcedit Blommartius, sequitur Mondragonius, tum ceteri, semper ad genua, subinde ad vmbilicum vsque horis ampliùs quatuor ambulantes: nouem desiderati, quos deuios interiecti amnes hauserant. Media nocte hostium castris quatuor virorum millia habentibus propinqui, arma expediunt (sacculis cum puluere ad oppidum per lixas missis, erant enim oppidani præmoniti) atque Orangianos nil minùs expectantes variis locis semisopitos inuadunt, ac antequam qui essent, vndéque venirent scire possent, occisis circiter septingentis, ceteros in præcipitem fugã agunt; perieréq; non minori numero aquis suffocati, ad naues enatare conantes. Capti circiter ducenti, ac inter hos duo Wallonum ac vnus Anglorum Præfectus. Incidit hæc Geusiorum clades in 21. Octobris. Quin & Seratius, Entis ac Brantius, cum iis qui ad classem perfugerant, Armudam delati, eam (quod nondum ad eos stratagematis huius nuntius perferri potuisset) subito nocturnóque aduentu opprimere conati, cum damno reiiciuntur, geminaque clade consternati se separantes, Seratius ad Orangium, Entis ad Lumæium, Brantius ad portum Delfium præsidio suo commissum inglorij reuertuntur. Mondragonius Tergousij cum Germanis ac Hispanis mansit, veteri præsidio Antuerpiam dimisso, donec ab Albano cum sua Wallonum legione paulò pòst, vt dicemus, Middelburgum Zelandiæ mitteretur; obsidebant enim Hollandi ac Zelandi etiam illud oppidum terra marique arctè. Albanus intereà motis ex Brabantia castris, Geldriam versus contendit, præcedentibus eum filio Frederico Toletano, Medina-cœlio, eiusque filio ac præcipuis Consiliariis: ipse Neomagi Geldriæ metropoli paucorum equitum præsidio subsistit. Sub idem tempus Orangius, etsi in Hollandiam maximè festinaret, variè tamen impeditus minùs voto iter promouet. Itaq; Sonoio Præfecto decimo sexto Octobris scripserat breuî se affore, & per Campos Enchusam venturum; & paulò pòst cum famulitio & exiguo equitatu Campos venit: vnde eum Enchusiani cum triremibus accersitum magna animorum lætitia acceperunt: inde lustratis proximis oppidis, Harlemum abiit, ac inde Delfos. At verò Albanus cùm vsque finem Octobris, vt qui defecerant, sponte redirent, frustrà Neomagi expectasset, celebrato omnium Sanctorum Festo, itineri se accingit, & paulò pòst ad castra quæ Zutphaniam premebant, peruenit. Vbi cùm omnia tentas-

Tandem Mondragonius stratagema insigne molitur.

Horis quatuor per aquas refluas cum suis incedens, Goesanis succurrit.

Geusij frustrà Armudã tentant.

Albanus versus Geldriam cum exercitu tendit, cùm interim ipse Orangius venit in Hollandiam.

Obsidet Albanus Zutphaniam.

set,

ſet, nec ſe tradere vellent, duodecimo Nouembris maiora tormenta portam Iſalanam, iunctumque illi murum deiecere: quo præſidiarij viſo, ſignum deditionis exponunt. Ab altera quoque vrbis parte Hirgiæ Baro Geldriæ Gubernator, in locum non ita dudum defuncti Comitis Megani ſuffectus, ruinam mediocrem ſimiliter fecerat, per quam Hiſpani, cuſtodibus verſus Iſel-portam temerè dilabentibus, nemine impediente, ingreſſi obuios ſternunt, vrbemque captam conclamant. Erant Zutphaniæ quinque cohortes, duæ Germanorum, duæ Wallonum, vna Belgarum, præerátque omnibus Iſelſteinius: qui cum Hiergio de conditionibus in ponte qui eſt trans Iſalam agens, videns Hiſpanos ab altera parte ingreſſos nemini parcere, ſecretâ portulâ cum paucis euadens, præſidium Hiſpanis obtruncandum, ciuéſque vt Mechliniæ ſpoliandos reliquit. Captiui in Iſala, qui Zutphaniæ mœnia alluit, merſi aut ſtrangulati, tam ciues quàm præſidiarij ſupra quadringenti periere. Publicata Zutphanię expugnatione, ſtatim Orangiani equites trecẽti, pedites quadringenti Amorsfortium deſeruere, quemadmodum & ciues plures eorum cauſæ fauentes: proficiſcuntur præſidiarij pars Nardam, pars in Hollandiam. Accidit tunc quiddam ſanè triſte. Sinui Meridionali congelato commiſerant ſe homines vtriuſque ſexus circiter trecenti; & ecce qui ex his Enchuſam petiere, ſalui per glaciem peruenere, qui verò Alcmariam tendebant, in lacu oppidi Purmerendæ, glacie rumpente, numero ampliùs centum miſerè periere, tanto eiulatu ac clamore excitato, vt vicina oppida ad arma concurrerent, exiſtimantes Albanum cum exercitu adeſſe. Boſſuuius, qui Traiecti ad Rhenum agebat, accepto de fuga præſidij Orangiani ex Amorsfortio nuntio, poſt Solis occaſum eò cum Gerardi Sichemij cohorte (tribus enim tantùm milliaribus Vltraiecto abeſt) proficiſcens, circa horam ſecundam nocturnam peruenit. Aperta ciues porta eum cum cohorte admittunt, omneſque ad genua prouoluti, vitæ fortunarumque conſeruationem precantur. Pollicetur apud Albanum ſe impetraturum, militem interim domi reciperent ac alerent, curaturum vt modeſtè agant: ſtatimque templa purgata, vetúſque Catholicus ritus reſtitutus. Hos mox ſecuti ſunt Swollani, Vollenhouij, Hattemij, Elburgi, Campij, Haſſeltij, Harderwicani, Grollij; (Lochemenſes & Dusburgenſes etiam ante Zutphaniam ceſſerant) ita vt vniuerſa Geldria, ac ditio Tranſiſulana iam iterùm Regiam agnoſceret auctoritatem, Catholicamq; reciperet Religionem. Friſij qui deſciuerant, ſe proximos eſſe conſiderantes quos Albanus inuadere poſſet, copias in vnum cogunt, euocatiſque Stauera, Galeda ac Macca præſidiis, caſtra iuxta Staueram leuiter muniunt. Iaſpar Robolus Billij Baro, Groningæ Regius Præfectus, per fidum exploratorem certo die teſseram eorum

1572

Vna parte Hiergio de deditione agente, alia parte Hiſpani irrumpentes, paſſim omnes trucidant.

Triſtis caſus, plus centum hominibus, rupta glacie, abſorptis.

Amorſfortij, Cãpenſes & vicini iterùm ſe Regi dedunt.

Regij Geuſiorum caſtris ad Staueram cladem inferunt.

1572 edoctus, paulò post Solis occasum cum legione Gallo-Belgarum Staueram proficiscitur, positis in prima acie Frisiis Regi militantibus: qui à castrensium excubitoribus tesseram requisiti, cùm ad rem respondissent; &, Quò tenditis fratres, aiunt. Reddunt; Ad castra nostra. Respondent Grati adueniſtis, pergite feliciter. Castra ingressi, mutatis signis militaribus, strepituque tympanis ac clamore ingenti excitato, fratres inuadunt, sternuntque: qui tempus capiendorum armorum non habentes, desertis castris, vndique fugam arripiunt. Comes Scouuenburgij ab Orangio Frisiæ Præfectus, tale fortè quid veritus, ante duos dies castris excesserat, auxilia se adducturum maiora pollicitus. Snekij, Præfectum Bronchorstium captum, vt gratiam obtinerent, Billio tradunt. Habuerant Frisij in castris circiter sex virorum millia: ex his bis mille cęsi, octingenti capti, plures sauciati. Prælium hoc causa fuit, vt vniuersa Frisia, pulsis Orangianis, Regi iterùm præstiterit sacramentum, templisque Catholicum reddiderit ritum. Dudum terra marique obsidebatur ab Orangianis Middelburgum Zelandiæ, magnaque rerum omnium penuria laborabat. Quare Antuerpiæ armantur, rebusque necessariis onerantur viginti maiores onerariæ; quæ cum Medina-cælio pridem venientes tirones Hispanos Armudæ exposuerant, ac inde Antuerpiam perduxerant. Hæ iusto instructæ præsidio, partim Hispanos, partim Wallones vehebant, Tergousiaque post se relicta, tutò Middelburgum peruenere. Verùm expositio commeatu, puluere, ac mutato præsidio, cùm eadem redire via ab hoste iam infesta nequirent, rectà Vlissingam petunt, vt aperto se credentes Oceano, littori Flandrico exponerentur. Sed etiam ad Vlissingam eos armatæ aliæ Orangianorum naues expectabant. E viginti nauibus sex erant quæ Hispanos vehebant, quatuordecim reliquæ Germanos ac Wallones, qui nauium Magistris credentes, parati ad pugnam iuxta portum Vlissinganum altum petentes, vel inuitis Orangianis euasere, tormentorum globis etsi pluribus, sed sine detrimento, è Vlissinga petiti. Sex, quæ Hispanos vehebant, idem iter petebant, sed coacti ab Hispanis, ab oppido longiùs recedentes, (tormenta enim oppidanorum vitare cupiebant) in vada, vti prædixerant naucleri, incidentes immobiles manent. Aduolant è tota Zelandia Orangianorum naues, ac Hispanos acriter oppugnant. Defendunt se illi strenuè, donec numero oppressi sunt, naueque; omnes capiuntur, Hispanis ferè omnibus pugnando cadentibus. Pauci captiui cum naucleris ac sociis naualibus, manibus ac pedibus ligatis in mare deiecti. Magnæ onerariæ, ingentibus tormentis armatæ Orangianam classem auxere. Instante mensis Nouembris fine Fredericus Toletanus Albani filius Zutphaniâ Amorsfortium mouet, intratque oppidum, Bossuuio gratiam procurante. Orangius motus hac rerum conuersione,

Cæsi Geusij bis mille, capti octingenti; hinc tota Frisia ad Regẽ redit.

Middelburgum Zelandiæ dudum à Geusiis obsessum.

Regij Middelburgo succurrũt, sed in reditu cladẽ accipiunt.

Sex Hispanorum naues à Geusiis capiuntur, Hispanis ferè omnibus pugnãdo cadentibus.

ſione (ſperarat enim hac hieme Geldros ac Tranſiſulanos tantum Albano negotij facturos, vt intactam cogeretur relinquere Hollandiam) animo tamen non deficiendum ſciens, quod vi nequibat, dolo tentare, ac Amſtelodamum opulētiſſimam totius Belgij poſt Antuerpiam mercatorum vrbem ſui iuris facere ſtatuit. Id autem hac ratione ſe obtenturum ſperabat. Habebant Amſtelodamenſes trecentos ſclopetarios in ſuburbiis diligentes cuſtodias agentes, ne excurſores ciuitatum Orangio fœderatarum agrum ſuum infeſtarent. Conuenerant Orangiani cum Amſtelodamiis ſibi fauentibus, vt his oppreſſis, fugientium veſtigiis inſiſterent, illi portam qua eſſent admittendi occuparent, eiuſque militem admitterent. Mittit Orangius Bartolum Entis cum mille quingentis ſclopetariis: qui etſi ſumma vterentur diligentia ac celeritate, latere tamen vigilem in altiſſima ſuburbij domo nocte dieque ſedentem non potuit. Præfecto enim de multitudine aduenientium admonito, vt cohors ex ſuburbiis ad vrbem deduceretur, cauſa fuit. Et quidem tanta fuit Entis celeritas, ac incumbentium ſclopetariorum eius ardor, vti cohortem in porta aſsequerentur; & quoniam primi Orangianorum ordines Regia ferrent ſigna, cum vrbanis militibus fuere admiſſi. Sed cùm diutiùs in porta inter ſe conſultarent, vnus integram legionem adeſse è ſummitate portæ videns, Claudite, clamat, portam, aut proditi ſumus. Quare qui cataractæ præerat, eam ſtatim dimittit, introcluſis viginti Orangianis: qui capti examinatique, proditionis ordinem aperuere: emiſſi maiorum tormentorum globi in Entis legionem, eum aliquot deſideratis redire coëgerunt: qui intus erant Orangiani, cum ciuibus proditionis conſciis ſtrangulati ſunt. Sed vt Amſtelodamum Orangiani, ita Schoonhouiam Regij irrito ſucceſsu tentauere. Miſerant aliquot ciues Schoonhouij, ac ſi Catholici eſsent, clàm nuntium ad Vianæ Præfectum, veniret cum præſidio, quod erat duarum cohortium ad oppidum, ſe manè portam, cùm eſset aperienda, occupaturos, eumque intromiſsuros. Credit, exiſtimans ſe à Catholicis vocari, & vt fortior eſset, ſi fortè dolus lateret, perſuadet Præfecto portus Vltraiectini, vulgò *de Vaert*, qui cohortem quadringentorum virorum habebat, vt comitetur. Proficiſcuntur conſtituto die. Erant Schoonhouiæ in præſidio duæ Orangianorum cohortes ſexcentorum virorum: euocant Goudâ ſex alias, ſperantes octo facilè tres oppreſsuras. Flumen Lecca adeò gelu erat concretum, vt non ſolùm homines & equos, ſed etiam rhedas glaciales hominibus aut mercibus plenas admitteret. Vianenſes ſecundùm Leccæ ripam iter faciebant, dolum verentes, calceiſque ferreos aculeos, vt firmo greſſu fluminis glaciem calcare poſſent, alligarant. Cùm Schoonhouiæ propinqui eſſent, ſurgunt præproperè Goudani, erumpunt Schoonhouij, vibrantur in eos

1572

Orangius aſtu Amſtelodamū occupare nititur.

Orangiani millequingenti Amſtelodamo inſidiantur.

Non ſuccedit conatus.

Eadem ratione Regij tentant Schoonhouiam.

Et hic conatus fruſtrà.

1572 maiorum tormentorum globi, ſed nullo damno; quòd Vianenſes in tempore dolo percepto, cum tanta multitudine non ineundum prælium cenſentes, retrocedentes ſe ſtrenuè defenderent; ſicque pugnando iterùm ad flumen delati, Vianam repetunt. Orangiani, quòd ferreos aculeos pro calceis non attuliſſent, per glaciem euntes inſequi, ſed firmo impetu inuadere non poterant. Quare inſtante nocte, iis relictis, Schoonhouiam reuertuntur. Periere perpauci: capti quindecim Vianenſes à glaciali Schoonhouiorum rheda intercepti. Durarat gelu ſummum hebdomadas quinque, cùm 7. Decembris Wallones Regij mille ducenti ferreis aculeis ſimiliter muniti, Bergis ad Zomam exeunt, pulſiſque Orangianorum præſidiis, occupant Zeuenbergam, Clondertum, Finartum, Ruihhiltum, modicas inſulas Hollandiam inter ac Zelandiam conſpicuas, repertáſque in his Orangianorum naues incendunt. Inter hæc Fredericus Toletanus cum Regio exercitu circa Amorsfortium adhuc caſtra habebat, expectans, reliquæ vt ciuitates quoque ſe traderent. Eſt in propinquo Nardenum iuxta freti Auſtralis littus, infirmum tunc oppidum. Quod cùm mittere tardaret, 29. Nouembris equites cętum Regis nomine deditionem fieri iubent, & Boſſuuij militem admitti: ſed reſponſum ab oppidanis, hactenus à ſe Regi ſuo ſeruatum oppidum, & ſeruandum etiam deinceps: alij additum volunt; tamen ſe verbo Dei valedicere non poſſe, nec Papiſtas admittere. Vtvt eſt, aderat ſimul in mœnibus homo infimæ ſortis, qui tormentum illic poſitum in eos exploſit; nullius tamen, vt fertur, iuſſu. Nihilominùs poſtquam equites iſti digreſſi ſunt, ilicò loci Magiſtratus quoſdam emiſit, qui puluerem tormentarium emerent; item alios ad Sonoium, qui cum claſſe in propinquo erat freto Auſtrali, vt auxilia implorarent: à Bartholomæo quoque Enteſio, qui haud longè cum copiis aberat, cohortes adhuc aliquot ſubmitti petunt, & Orangio Lumæióque rerum ſuarum neceſſitatem indicari; & (ſiquidem longæ obſidioni impares eſſent) maturari auxilia debere; commodè verò liberari ſe poſſe, ſi Mudam Sonoius, Enteſius Weſopum occuparet. Miſſus quoque ad Mullerum nuntius, qui Schellincwoudam tunc tenebat. Sed promiſſa vbique auxilia, nuſquam prompta. Ideò, deiectis animis, vbi aduentare cum omnibus copiis Hiſpanos intelligerent, quorum vim ſuſtinere non poſſent, ad Toletanum mittere viſum qui vrbem ederent, & gratiam præteritorum peterent. Id negotium Conſuli & Senatori datum: qui Amorsfortium profecti, vbi tum Toletanus adhuc erat, colloquio prohibiti, Buſſemum proximum Nardeno pagum ire iuſſi ſunt, illic reſponſum accepturi. Sed Conſul, dum redit, apparatu viſo territus, periculo inſtanti clàm ſe ſubduxit. Id vbi Senator aduertit, valdè indoluit; verumtamen vir animi in patriam ſinceri,

Feliciùs Regij pellunt Geuſios Zeuenbergâ lociſq; vicinis.

Regij dedi ſibi petunt Nardam.

Petunt Nardenſes à Geuſiis auxilia, nec tamen impetrant.

Itaque deprecatores ad Regios aduentantes mittit.

ceri, triſtis rei nuntius perrexit, & Buſſemum, vt iuſſus erat, Toletanum ſecutus, cùm interroganti Boſſuuio, an milites oppido exceſſiſſent, affirmaret; alios poſtridie Oratores adducere iubetur, atque ita dimittitur. Igitur ipſis Kalend. Decembris venere in caſtra Lambertus Hortenſius, Rector ſcholæ, vir doctrinæ fama clarus, aliiqúe è Senatu & populo. Qui cùm Toletanum alloqui vellent, ad Romerum reiiciuntur, tamquam cui is omnem poteſtatem dediſſet. Cum illo igitur paciſcuntur, oppidum ſe Toletano tradituros, ea lege, vt ciuibus vita facultateſq; ſaluæ eſſent; tantùm denuò fidem iuramento obſtringerent: ſolíque ex Hiſpanis 100. quantum ſemel ſumere poſſent, oppido efferrent; vltrà nulla præda eſſet. Hęc ter, porrecta Hortenſio dextra, rata fore pollicitus Romerus, cum eo, aliquot 20. Hiſpanis comitatus, oppidum ingreditur: eueſtigiò ad tympani ſonum ciues iuſiurãdum daturi in templo Hoſpitalis conuocantur, & conuenerunt pænè omnes; cùm homines ex ſe alios metientes, fide à Romero data ſecuri, nihil ſibi mali metuerent; pauci quidam, quod euenit metuentes, inter templi laquearia locíſque abditis ſe occultauerant. Interim Hiſpani alij, nullo reſiſtente, conſtricta glacie foſſa, tranſcenſo vallo frequentes intrauerant; & ecce, dum miſeri ciues conueniunt, futuræ lanienæ ignari, vxores eorum militibus aduenis conuiuia curabant. Aliquamdiu ante templum cum Hiſpano Sacerdos quidam inambulabat; qui mox ad ciues conuerſus, moriendum illis edixit: illicoque apertis foribus irruentes milites inermes homines pecudum inſtar miſerrimè trucidant. Dein igne iniecto, reliquias comburunt; & vicatim diſcurrentes, quoſcumque reperiunt mactant, totumque oppidum tantumnon in ſanguinem & cineres vertunt: ægrè Hortenſium Boſſuuius ſeruauit; qui tamen filium Auguſtinum Organiſtam crudeliſſimè obtruncari ante oculos vidit: & qui inter templi laquearia ſe abſconderant, illinc quoque ad cædem ſunt protracti. Poſtquam viri cædi defuerunt, iram & libidinem in feminas vertunt; quarum plures vario cruciatu enecant: puellæ 12. aut 13. annorum conſtupratæ: & in mortuos quoque ſæuitum, nudáque occiſorum cadauera per viginti dies inſepulta iacuere: inſuper omnia miſerorum bona direpta. Verſa vice circa idem tempus per Orangianos item res longè indigniſſima accidit. Verbis dicam viri non infimi alioqui apud Orangianos: Cornelius Muſius Cœnobio D. Agathæ apud Delphenſes Præpoſitus vir optimus innocentiſſimuſque, & litterarum laude egregius, annos ſeptuaginta duos natus, dum Hagam proficiſcitur, à militibus Lumęianis interceptus, Leidam abducitur in Cornelij Venij ædes, quas Guilielmus Oldevlietius tabellio publicus inhabitabat: eoque duo à Lumæio miſſi, cum ipſius Concionatore, quæſitore & carnifice, torquendo viro locũ poſcunt; cum-

1572

Paciſcuntur cum Romero, tamquam is mandatum haberet.

Pacificè ingreſſo Romero, ciues in templum conuocantur.

Interea Hiſpani ingrediuntur per foſſam glacie conſtrictã.

Ciues omnes trucidantur; immania & alia cõmiſſa.

Sæuitia quoque magna tũc per Orangianos patrata.

1572 que ſe Oldevlietij vxor opponeret, & huic rei publicum vrbis carcerem eſſe dictitaret, homines ebrij, incitante vino proteruiam, per vim facinori locum capiunt, & tormentis plurimis pænè enectum, nulla Iuris obſeruantia, cauſáque indicta, ad horam quintam veſpertinam introductum, ante nonam properè ſtrangulant. Inde furca ſtatim deducunt in Lochorſtianas ædes: tum pudendis amputatis ventrem diſſecant, &, vt corpore erat obeſo, abdomen eripiunt, ne ad ſæuitiam quidquam deeſſet. Vulgò ſparſum, veneno Orangium tollere voluiſſe: quod crimen tamen inter tormenta exquiſitiſſima conſtanter ipſe pernegauit, neque bonus quiſquam credidit. Hæc ille. Eadem qui diſtinctiùs velit petat ab Eſtio, qui Muſij triumphum in decimã Decembris incidiſſe ſcribit. Dudum obſidebant Amſtelodamum aquâ in ſinu Meridionali viginti Orangianorum naues, egregiè armatæ, impedientes ne quid mari importaretur. Hæ intellecta Nardenſium clade, Toletaníque cum exercitu Amſtelodamum aduentu, ne congelatæ circa portum in eius venirent poteſtatem, extrema diligentia diu noctúque laborantes glaciem bipennibus rumpunt, ſicque tandem in altum euadunt. Interea Toletanus die tertio Decembris cum exercitu Amſtelodamum venerat: ſed requiem ſibi & ſuis aliquam dare voluit, nihil diſſimulans ſe deinde in Harlemios exercitum ducturum. Quare quidam ab Amſtelodamenſibus miſſi cum litteris ſunt, qui pro vicinia & vetere ſua amicitia officij eos admonerent, redirent ad obſequium Regis, ſpem veniæ ſibi non difficilem videri, modò ſponte redeant. Vbi cùm Magiſtratus animo angeretur, res ampliſſimo Senatu illo ipſo tertio Decembris acta; & conſilia varia erant, prout ſtudia. Pars auxilia ab Orangio aduocanda, pars petendam ab Albano veniam cenſebant, quando gratiæ ſpem haberent: neque enim Orangio vires eſſe quas potentiæ Hiſpanicæ opponeret. Et peruicit hæc ſententia; placuitque vt ad Toletanum ablegarentur, qui deliberando quatuor quinquéve dies peterent; interim rerum ſuarũ ſtatum Orangio exponendum curarent. Legati ergo Chriſtophorus Scagius vir primariæ nobilitatis, Theodorus Friſius Conſularis, & Adrianus Aſſendelfius vrbis Syndicus, clàm Amſtelodamum profecti ſunt. Quod vbi Ripperdæ Præfecto innotuit, eo ipſo adhuc die in hortum ſagittariorum ciues conuocat; quibus adfuere Lancelotus Bredenrodius, Adrianus Ianſenius Prætor vrbis, Gerardus Stuuerius, aliíque ciuium ductores. Tum, manu imperato ſilentio omnes compellat; veniſſe Amſtelodamum Fredericum Toletanum, obſidionemq; agitare, ac litteras ad Magiſtratum dediſſe; quibus, ſi illicò ſe dederent, veniæ ſpem ſupereſſe nuntiaret; Magiſtratum quoque Theodorum Friſium alioſque clàm ablegaſſe, qui veniam ſupplices impetrarent. Quæ quidem venia qualis futura eſſet, facilè

Nẽpe Cornelius Muſius ſine vlla via Iuris, barbaris modis necatur.

Crimen in eum ſparſum, ſed à nullo bono creditum.

Fredericus Albani filius Amſtelodamũ venit, in Harlemios ducturus.

Mittunt Harlemẽſes clàm qui eum placent.

Econtrà Orangianus ibi Præfectus ciues contra Fredericum Toletanum concitat.

cilè ſanè conſiderarent, ſi Mechliniam ſibi proponerẽt, aut Zutphaniam, vel vicinum denique Nardenum adhuc fumans. Hortari igitur, ne ſe decipi paterentur; ad hæc memores ſacramenti eſſent quod Orangio pridem dixerant; ad ſe quidem quod attineret, pro ipſis, publicáque libertate guttam ſanguinis vltimam impendere paratum eſſe. Cùm finiſſet, plerique alta voce acclamare; extrema omnia pati malle, quàm perfidi hoſtis incertæ clementiæ ſe permittere. Ita animis eorum qui Orangio ſtudebant excitatis, eidem per litteras præſentem rerum ſtatum indicant: mox à Mullero petita auxilia; qui quarto Decembris è ſua legione cohortes quatuor in vrbem mittit, cum ſex reliquis Leidam profectus. Quod vbi Amſtelodamenſibus cognitum, deſerta hac occaſione ab Orangianis caſtella & Sanredamum quoque recuperant. Mox apertum Harlemi maius templum, deturbatæq; Diuorum Imagines; Religioque dicta Reformata publicè exerceri cœpta. Die ſequenti, qui erat quintus Decembris, Chriſtophorus Scagius, Adrianúſq; Aſſendelfius, è Legatione rediere. Theodorus Friſius, ſiue reſponſum à Collegis expectaturus, ſiue futurorum metu, apud Toletanum manſit. Ac reduces quidem cõprehenſos Ripperdę iuſſu, Guilielmus Bardeſius aliíq; Leidam primùm, inde Delfos ad Orangium abducunt. Et Leidæ Scagius negligentiore cuſtodia habitus facilè euadere potuiſſet; ſed vir animi innoxius, vt qui negotium à Senatu demandatum non ſe detrectare debuiſſe exiſtimabat, effugere noluit. At verò aliter Orangio viſum; qui clanculùm id, & velut præter iuſiurandum factum vehementiùs indignabatur: & non multò pòſt Aſſendelfius vigeſimoquarto Decembris gladio percuſſus; ſpiculoque impactum caput, per horas duas populo ſpectare datum: Scagius, vti ferebatur, per tormenta expreſſam animam in carcere reddidit. Interim octauo Decembris Sparewoudam exercitus Toletani venit, obſidioni Harlemenſi ſe accingens. Iter non erat aliud Amſtelodamo Harlemum, quàm per terream molem ſeu aggerem inter Harlemium lacum ac flumen Sparam poſitum: quem iuxta vicum Sparendamum ita Orangiani ab vtroque latere decuſſauerant, vt in ſummitate ægrè vnum admitteret virum, adiecerantque vtriuſque lateris fundo ad ſummum vſque pertingentia duo propugnacula, maioribus tormentis probè inſtructa, ſingula quatuor peditum ſigna habentia; ipſumque aggerem interſciderant foſſa adeò lata, ac ſi iuſtum fuiſſet oppidum, quam ab vna parte lacus ingentes, ab altera flumen Spara abundè aqua replebant: munitio pęnè inexpugnabilis, niſi aquæ gelu fuiſſent conſtrictæ. Ad has munitiones explorandas Rodericus Sapata ſua cum Hiſpanorum trecẽtorum virorum cohorte mittitur. Sparendamum veniens, alteram munitionum audaciſſimè inuadit, cui præerant Gerardus

1572

Perſuaſiciues auxilia ab Orangio accipiunt.

Templa violant, Legatoſq; reduces in vincula coniiciunt.

Eoſdem Legatos Orangius mortis reos pronunciat.

Regij Harlemũ verſus mouẽt.

1572 Vanderlanius ac Martinus Sprusius; pugnaturque acerrimè, Orangianorum tormentis Hiſpanorum alios ſternentibus, alios ſauciantibus, inter quos poſteriores fuit Præfectus Sapata, cui dexteram ad cubitum vſque campeſtris tormenti globus abripuit. Qui cùm omnia eſſet expertus, probeque munitionum ſitum, præſidiariorumque animoſitatem cognouiſſet, maiori opus eſſe vi videns, receptui canit, ac Toletano quæ viderat ac ſenſerat, exponit. Is ſtatim motis caſtris Sparendamum cum quatuor maioribus venit tormentis, conſultat de oppugnatione. Dum hærent, Iulianus Romerus nactus aliquot Regi ac Religioni Catholicæ addictos eius loci rúſticos, ab his cum ſua legione inter Orientem ac Meridiem per congelatos lacus decimo Decembris deducitur; vnde mox aggerem conſcendens Orangianos à tergo inuadit. Exigua hîc pugna; deinde fuga effuſa: non enim iſtinc Hiſpanos expectabant; fugiunt autem per alteram lacuum partem inter Occidentem & Septemtrionem verſus Velſen ac Beuerwicum; trecenti in munitione cæſi, & quidam in itinere, reliqui Harlemum euaſere. Relictis Sparendami duobus Wallonum ſignis, rectà cum exercitu Harlemum Toletanus proficiſcitur, in vrbis conſpectum duodecimo Decembris veniens; feſtinabatque in ſicco figere caſtra, quòd mutatus ventus pluuię aliquid, etſi non durarit, adferret. Præmiſerat Toletanus Iacobum Caruaialum, qui occupato leproſorum hoſpitio, cum quatuor peditum ſignis, paucíſque equitibus vrbem circumcurſans ſitum contemplabatur, reuerténíque ad hoſpitium, cum erumpentibus Harlemo præſidiariis aliquamdiu dimicare cogitur: vbi cùm aliquot ab vtraque parte cecidiſſent, illi in vrbem, Caruaialus ad hoſpitium reuertitur; Harlemiis deinde maioribus tormentis eos, qui in leproſorum templi turrim conſcenderant, impetentibus, ac nonnullos ſauciantibus. Sub idem tempus miſſus Amſtelodamo à Conſule Friſio nuntius cum litteris ad Catholicos ciues, & Magiſtratum biduo antè à Marnixio Aldegondio Orangij Legato loco motum, intercipitur, & Harlemi ſtrangulatur. Venerant interea quatuordecim maiora tormenta Amſtelodamo Sparendamum; ibiq; operâ trecentorum naualium ſociorum, rupta glacie, nauibus impoſita Harlemum verſus vehuntur. Productis Regij munitionibus, ad foſſarum vſque labra conſtituere tormenta; ſed non niſi decimooctauo Decembris & ſequentibus duobus diebus rem agere vibrando incipiunt. Harlemum loco campeſtri eſt ſitum, ad amnem Sparam, qui vrbem intrans in eius lacus ſe exonerat: montes non agnoſcit, vt nec vniuerſa Hollandia Zelandiáque, ſed arenoſos tantùm colles in littore maris, vim eius retundentes. Ad eam partem, vbi porta quæ à Cruce nomen habet, caſtra Hiſpani habebant; Germani contra portam lignariam, ac ſiluam illi adiacentem; Wallones

ad

Ad Sparendamum in itinere cladem accipiunt.

Demum expugnant eamdem munitionẽ.

Caſtra ad Harlemũ figuntur.

Nuntius ab Amſtelodamo veniens ab Harlemiis ſtrangulatur.

Situs tum ciuitatis, tum caſtrorum Regiorum.

ad Occidentem, quà ad arenoſos colles maréque iter erat, ſedebant. Interim Harlemiis libera tutáque ea pars vrbis manſit, quæ lacus reſpicit: qui duriſſimè congelati cùm eſſent, nec ab Hiſpanis inſederentur, effecerunt, vt totâ Hollandiâ Orangianâ illac neceſſaria ſuppeditante, Harlemiani vix obſidionis malum eatenus ſentirent. Sed Orangiani hac commoditate non contenti, etiam terra vim potentiámque oſtendere volebant. Coactis igitur mox poſt captùm Sparendamum ad Leidam circiter triginta peditum ſignis, ac quatuor equitum turmis, ductore Lumæio, Leidâ Hillegontium, indéque Mannewegium mouent, poſtremò haud procul Harlemo ad locum nomine Weiligenbergam. Attrahebant ſex campeſtria tormenta. Admonitus de aduentu Toletanus, qui Cliuiam arcem occupabat, ſtatim exploratum mittit Boſſuuium, Noircarmium, ac Iulianum Romerum cum ſeptuaginta moſquetariis, ac octoginta equitibus leuis armaturæ, ſubſequente legione Lombardica: qui propinqui Weiligenbergæ, Lumæio obuiàm fiunt. Diuidunt ſe moſquetarij in duas acies, idem faciunt equites, ac in viarum lateribus ſalicibus tecti cõſiſtentes, Lumæianos ita ſalutant moſquetarum globis, vt etiam, antequam legio ad manus veniret, transfixi tres quatuórve ſimul vnius moſqueti globo, magno numero caderent, plures vulnerarentur; omneſque in fugam verſi Lumięum inter primos celeris equi curſu pręeuntem ſequerentur, plureſque periiſsent, niſi effugium proximi dediſſent congelati lacus, quos equites Regij ingredi non audebant. Periere ſupra mille viri; ſigna militaria viginti quinq; relata; ex Hiſpanis plùs minùs duodecim cecidere, ac inter hos Præfectus Conneſpero, paulò plures vulnerati. Hinc collocatis, vti dicere cœpimus, decimooctauo Decembris cõtra Crucis portam tormentis, eam Regij biduo quatiunt. Sed ciues ac præſidiarij ob vrbis amplitudinem introrſum nouam extruxerant munitionem. Hiſpani eius rei ignari, ad oppugnationem iuſtam ruinam videntes, impetum ad hiatum faciunt; defendunt ſe acerrimè Harlemiani. Hiſpani, quòd nouis intu simpediti munitionibus nil efficere poſſent, ſeruatis ordinibus pedes referunt die vigeſimo Decembris. Nempe Bartholomæus Campocaſſius pontem artificioſum ſtruxerat, per quem in murum eniſi plures Hiſpani cum Steinbachio Orangiano depugnabant. Cæſi Hiſpani circiter centum, & inter hos Lucas Soinagus cum Signifero Andrea Brotio: vulnerati Romerus, Varga, Lama, Touilla, Benauides Galeacius; ex obſeſſis circiter viginti cecidere, & plures ſaucij. Sub idem tempus Septemtrionales Hollandi cum armatis venientes nauibus Amſtelrodamũ ac Mudam, Dymerſdikium perfodere conantur, quo agrũ Amſtelodamum, Wordanum, Leidanum, Delfium, Goudanum, Roterodamum ac Oudewaterum aquâ, oppidis nihil nocentes, imple-

1572

Triginta peditum ſigna, & quatuor equitum turmæ auxilio Harlemenſibus veniunt.

Cæſi ex eis ſupra mille; relata ſigna viginti quinque.

Hiſpani portã Crucis inuadẽtes, repelluntur.

Geuſij Dymerſdikiũ iuxta Amſtelodamũ perfodere moliuntur.

1572 implerent, ſicque Regiis negotium faceſſerent: Rhijndikium etiam in eorum poteſtate conſtitutum, opportuno tempore aperuiſſent, niſi Amſtelodamij, perſpecto eorum conſilio, peditum cohortem ac ciues aliquot mittentes, foſſores præſidiarioſque Dymerſdikium aperire conantes, inuaſiſſent, ſupraque centum cæſis, multò plures fauciaſſent, ceteris ad naues ac Noort-Hollandiam refugientibus. Poſt dies decem, eadem de cauſa reuerſi, eodem modo ac euentu repelluntur, Amſtelodamijque Dymerdamium, excitata munitione, impoſitáq; peditum cohorte, perpetuo præſidio munire ſũt coacti, quamuis nihilominùs & tertiò Noort-Hollandi eò redierint, vt ſuo dicemus loco. Militem etiam præſidiarium Vltraiectini & Amſtelodamij certis diebus mittere debebant, qui ad caſtra Harlemenſia commeatum pulueremque bellicum ferentibus præſidio eſſent. Excurrentes enim Oudewatrij ac Wordani, ſæpiùs mercatoribus cæſis, merces eripuerant. Expertus igitur Toletanus difficillimè vrbem vi poſſe capi, operibus tentare expugnationem aggreditur. Cogunturque foſſores magno numero; ac munitionem ab Harlemiis ante Crucis portam erectam, actis cuniculis euertere cum porta, propinquiſque muris ac vallo, conantur. Transferuntur & tormenta ad locum appellatum Craineſt, inter Crucis ac ſiluæ portam, muriq; & vallum in foſſam deijciuntur, ita vt Hiſpani ingreſſum priore feliciorem ſperarent. Sed ab exploratoribus edocti, nouas & hoc loco in vrbe erectas fortiores munitiones, ab oppugnatione deſtitere, omni ratione munitionem Cruiſportanam actis cuniculis euertere conati. Suſcitauere & terream molem è diuerſa materia compactam, muris, portis ac vallis Harlemiis eminentiorem, quam Hiſpani Equitem, Germani Catum vocant. In hac maiora collocant tormenta, neminémq; vallo nec muro conſiſtere ea parte permittunt. Receperant Harlemij poſt cladem Lumæianam diuerſis temporibus ſupra tria peditum veteranorum millia, è Francis, Anglis, Scotis, Germanis ac Belgis collecta, vrbemque intrarant per congelatos lacus, intulerantque rhedis glacialibus tantum quantum voluerant frumenti, pulueris bellici, aliarumq; rerum neceſſariarum. Hi ſæpiùs erumpebant, caſtriſq; Regiis damna non exigua inferebant; ſed numquam hoc menſe Decembri maius quàm die eius vltimo. Tum enim quadringenti præſidiarij, nocte vrbem egreſſi, ac ſupra ſuperiorem veſtem, vt ſe internoſcerent, lineum induſium ferentes, Hiſpanorum inuadunt caſtra, repagula deiiciunt, primam ſecundámque ſternunt vigiliam: quo rumore ceteri ad arma excitati, inſtructa acie obuiàm Harlemiis eunt, ac poſt exigui temporis pugnam, omnes in vrbem reiiciunt. Cecidere quadraginta ſeptem Hiſpani, ter totidem vulnerati. Harlemij, cæſis ſuis in vrbem delatis ac ſepultis, ſciri numerum noluere: manè rubeſcens ſanguine

Impediuntur ab Amſtelodamenſibus, caſis ſupra centum.

Toletanus cùm vi nõ proficeret, cuniculis Harlemẽſ tentat.

Harlemi ad tria veteranorum millia in præſidio.

Exhis erũpẽtes 400. cladem inferunt, & accipiunt.

ne glacies docuit non paucos cæſos vulneratoſque. Similia indies contingebant. Nec minora damna Regij è mœnibus accipiebant; inprimis multi vulnerati, inter quos fuit Iulianus Romerus, qui dextrum oculum, Noircarmius, qui in mento ſauciatus quatuor dentes perdidit, eodemq; plumbo & in mento vulneratus Goumij Baro, illiq́ue aſtans foſſor eſt interfectus. Inſtante etiam Decembris fine Creſſioneri Baro, oppidi Grauelingæ in Flandria, ac tormentorum tunc in caſtris Prefectus, circa terream molem collocandis in ea tormentis ſatagens, ex vrbe ſclopeti globo in frontem adacto, ac circa aurem exeunte ita vulneratur, vt poſt paucas expiraret horas: Nobili quoque illi aſtanti dextera tibia globo frangitur; vulneratur & Valentinus Pardieuius Mottæ Dominus Creſſioneri Legatus, eiuſque in Grauelingana Præfectura ſucceſſor. Occiditur etiam paulò pòſt ſclopeti globo Harlemo emiſſo Bartholomæus Parmenſis Albani Architectus, in erigendis munitionibus faciendíſque cuniculis induſtrius; & in vrbe ſub idem tempus maioris tormenti globo quoque cadit Petrus Ianſonius Harlemiorum Architectus. E vulgo verò militum, maximè Hiſpanorum ac Wallonum, nullus erat dies quin aliquot interirent. Tanta enim Harlemenſes cum diligentia in mœniorum circuitu nocte dieq́ue vigilabant, vt quicumque Regiis è caſtris ſupra munitiones caput extuliſſet, ſclopetorum ex vrbe magno numero emiſſorum pilis periret: cuius rei milites me præſente (verba ſunt Heuteri, vti & plura tum præcedentia tum ſequentia) non ſemel experimẽtum facientes, capitum tegumenta ſtipitibus variis locis imponentes, cùm vel paululùm ſupra munitiones extuliſſent, ſtatim globis transfixa videbant. Præſidiarij enim exiſtimantes militum eſſe capita, certatim in ea globos coniiciebant. Ad hæc nullo non die in Hiſpanorum, Wallonum aut Germanorum caſtra erumpentes, cladem inferebant, aut accipiebant; ingenſque ab vtraque parte militum numerus cadebat: coacti hac de cauſa vtrimque ſupplementa euocare, donec ceſſante gelu, glaciéque in aquam ſoluta, non ſine maximis difficultatibus, vti narrabimus, tandem poſt octo menſium obſidionem Regij lacuum quoque domini facti ſunt.

1572

Illuſtrium aliquot nomina ad Harlemũ vulneratorum, & caſorum.

Quiſquis vel modicùm caput extuliſſet, mox feriebatur.

Quotidianis eruptionibus multi vtrimq; cadunt.

Hoc anno ſeptuageſimò ſecundo, die decimo Octobris, noua ſtella exorta eſt ſub Caſſiopeæ aſteriſmo: quæ nec fixa, nec erratica, creſcere & decreſcere viſa eſt, totoſque centum triginta duos dies apparuit. Id phænomenon terruit omnes: euocatuſque ab Albano Nouiomagum Gemma Friſius, vir tunc Aſtronomiæ in Academia Louanienſi clariſſimus, à Chriſto nato nihil tale illuxiſſe dicebat: alij ei ſtellæ comparabant, quæ ex Oriente Magos Bethlehemum duxerat. Nec minùs mira in Hiſpania Hieronymus Nunius linguæ Hebrææ & Matheſeos Valentiæ Profeſſor,

Stella noua viſa multos terruit.

& in

& in Auſtria Fabricius Polus, Thaddæuſque Hageſius Viennæ, prodiderunt; quos, qui de his plura velit, adeat.

1573 Iam nouus ſe aperuerat annus ſeptuageſimus tertius, cùm menſis Ianuarij die quinto per lacus glacie adhuc induratos vrbem intrant quadraginta rhedæ glaciales præſidio trecentorum ſclopetariorum, omnis generis neceſſaria Harlemiis afferentes. Eodem tempore turbæ apud Orangianos à Lumæio & Bartholomæo Enteſio datæ, qui annonæ ab eo præfectus, Delfis conquerebatur, militibus ſtipendia non ſolui, nec annonam procurari; dein ad querelam conuitium addebat, ipſos Ordines Orangianæ partis proditores appellans. Cuius rei quia Enteſius inprimis cauſa fuiſſe cognoſceretur, ne quod grauius malum accideret, placuit Orangio, vt Lumæium Enteſiumque ad ſe vocaret, & modeſtiam vtrique imperaret; idque factum. Sed Enteſius maiore verborum licentia vſus, attineri in vrbe iuſſus eſt: quod Lumæius ad ſe reuocans, vi educere eum voluit. Benignè Orangius rem compoſitam maluiſſet; at Lumæius nil rationi conſentaneum admittebat. Ergo die ſimiliter quinto Ianuarij mandato publico armati ciues manum vtrique iniecere; moxque varia Ordinum accuſatione in ordinem redactus Lumæius, dignitate ac munere ſuo amouetur, & mandata eius omnia edicto publico reuocantur. Quin (vt ſimul de hoc homine furibundo narrationem abſoluam) menſe Maio, poſtquam è cuſtodia emiſſus, per milites aliquid iterùm machinari aduerſus Ordines exploratum eſſet; denuò comprehenſus in arcem Honingam Roterodamo vicinam compingitur: è qua elapſus Roterodamum ſeſe contulit, manſitque ibi varia molitus, licet fruſtrà, vſque ſub finem Iulij. Etenim Ordinibus iure agere neutiquam viſum; non quòd necdum nocentem ſatis arbitrarentur, ſed quòd tali rerum ſtatu meritas de eo pœnas ſumere non conſultum exiſtimarent. Culpæ variæ erant: inprimis contemptus Ordinum, & verborum magna ſuperbia. nam iactauerat eſſe militum tria millia, & liburnicas octoginta, quibus cogere in voluntatem ſuam Ordines poſſet: tum eoſdem, quia iniqua petentem reiecerant, proditores appellauerat; etiam crudeliſſimè prouinciales diuexauerat, & Sacerdotes homineſque alios innocentes nulla cauſæ cognitione morte mulctauerat; inter quos Cornelium Muſium & Iuſtum Tollium, vtrumque virtutis & fidei in patriam præclariſſimos; (ſic loquitur vir alioqui Orangianus) ad hæc nefaria militum flagitia nulla pœna coërcuerat. Ob hæc talia, etſi grauia quæque meritum, Ordines tamen diſcedere impunè permiſerunt, interceſſu maximè Orangij, qui viri familiæ parcendum diſceptabat. De eius morte hæc Scriptor Leodienſis: Auriaci interpoſitione ac interceſſione dimiſſus Lumæius Leodium venit, & in domum generi domuique

Turba non modica apud Orãgianos à Lumæio & Enteſio data.

Vterq; in vincula compingitur.

Varia Lumæij flagitia; & quare non punita.

De Lumæij morte, ex Scriptore Leodienſi.

Lumęiæ

Lumęiæ propriam, & ad D. Martini ſitam, ſe recepit, vbi morſiuncula proprij canis rabidi, vt fertur, mortem ei accelerauit; vt verè Iuuenalis ce- 1573
cinerit: *Ad generum Cereris ſine cæde & vulnere pauci*
Deſcendunt Reges & ſicca morte Tyranni.

Dum Lumæius Orangianorum res turbat, intentus in occaſionem Boſſuuius ad Delfenſem Conſulem ſcribit, gratum nũtium de Lumæio capto accidiſſe; quamobrem petere, vti in fide erga Regem perſeueraret; darétque operam, quo pacto Orangium comprehenſum ſub certa cuſtodia in caſtra ad Harlemum mitteret; præmium ipſi, adiuturiſque magnum fore, præter delictorum omnium gratiam. Litteras has captiuo militi curandas tradit, qui eas Batenburgico, qui Lumæio ſuffectus erat, defert; iſque apertas atque lectas rectà ilicò Delfos ad Orangium mittit. At ille confeſtim hominem vocat, litteriſque à Boſſuuio lectis, Atqui, inquit, non ego te talem, Conſul, putaram, qui hoſtem ante patriam poneres. Reſpondenti, non in ſua manu eſſe quid Boſſuuius, aut cui ſcriberet; ſibi quidem fidem in Remp. ſemper certam. Igitur, ait, id operam dato, vt Boſſuuium per inſidias capiamus. quod vbi negaret conſcientiam ſuam permittere, domi manere captiuum iubet. Interim cœptam Harlemi obſidionem Toletanus vrgebat; cui quo pacto ſuccurrere poſſet, ſimiliter ſeriò Orangius intendebat. Quare vt obſeſſoribus commeatum quoquo modo impedire poſſet, miſſas Saxenhemum (locus eſt medio inter Leidam ac Harlemum itinere) copias caſtra ibi ponere, & Sonoium ab altera parte Septemtrionali cum iuſta manu inſidere viam iubet: ne quid tamen temerè tentet, interdicit. Die octauo Ianuarij oppidani, vt annonæ ſubuenirent, leges frumentarias condunt, pretiumque pani & pondus ponunt, vetantes emi plus quàm quiſque opus haberet; qui migraret, ei mors ſupplicium eſſet. Nocte proxima valdè obſcura miſſi auxiliares bis mille, cùm denſæ nimiùm tenebræ eſſent, nec viam tenerent, aberrarunt; parſque ad arcem Cliuiam, vbi Toletanus erat, venêre, pars in propinqua ſabuleta deflexere: alij ad caſtra retrogreſſi, pauci admodum, igne in turri animaduerſo, auditóque campanæ ſonitu, in vrbem ægrè peruenere. Die decimo ſexto Ianuarij caput quoddam à corpore abſciſſum in vrbem Hiſpani inſolenter iaciunt, cum elogio, id Philippi Regij eſſe, qui cum bis mille auxiliaribus liberator aduenisſet. Hoc facinus alio longè immaniore mox obſeſſi vindicarunt; captiuis duodecim in furcam actis, ex iis vndecim capita, barba comáque ad mendicorum modum raſa (quandoquidem vulgò Geuſij, quaſi mendici vocarentur) in vas compacta è propugnaculo in Hiſpanorum caſtra deiiciunt, cum hac inſcriptione: Squidem ob decimam negatam bellum hoc Albanus gereret, iſtud illi vaſculum mitti, in quo decem capita haberet; & pro

Hac occaſione Boſſuuius de tradendo Orangio agit, ſed fruſtrà.

Harlemios hinc Toletanus premit, illinc Orangius ſubuenire ſatagit.

Exbis mille auxiliaribus pauci vrbem intrant.

Barbarus, hinc Regiorũ, inde Geuſiorum luſus.

1573 vſura, ne de mora quereretur, additum vndecimum. Tum de rebus ſuis litteras & obſeſſæ vrbis typum Orangio mittunt, ac poſtridie aduenere cum frumento rhedæ ſexaginta quinque, quas cum auxilio Schramus Brunſwicenſis ducebat. Sic ille, quem dudum ſequimur. Paulò diuerſùm Heuterus hoc modo: Sub idem tempus circa Leidam Orangiani octo peditum ſigna coëgerant; ſingulis ad collum militibus ſacculum puluere bellico plenum, quo Harlemij egebant, ferentibus. Proficiſcuntur ſecundùm lacus glacie adhuc concretos, ac dimidio ab vrbe milliari eos ingreſſi, vt à latere dextro ſiluæ Harlemianæ, medio inter Hiſpanorum ac Germanorum caſtra itinere, vrbem ingrederentur. Sed eo loco, quo ſe tutos in vrbem peruenturos exiſtimarant, duo Wallonum ſigna ac pauci equites ea nocte, Orangianis inſciis, excubabant. Hi ſummo manè eos conſpicati, putabant paucos ex vrbe, aut Zaſſio, ſeu Saxenhemo exiiſſe prædatores; craſſior enim è lacubus ac vicinis locis exiens in altum nebula, verum rei proſpectum vtriſque adimebat. Animati igitur Wallones, falſa licet opinione, pauci multos inuadunt. Orangiani detectos ſe, dimidiamque exercitus partem contra ſe venire exiſtimantes, non pugnam ſed fugam ineunt, eò vehementiùs, quòd ſe à lanceariis equitibus, non minùs quàm peditibus inuadi, ſterniq́ue viderent. Cecidere pro maiori parte ab equitibus cæſi ſupra quingenti, capti trecenti, è quibus ſtatim ducenti ad ſiluæ arbores nudi ſtrangulantur. Tanta fuit Orangianorum conſternatio, vt fugitiui, ignari quò irent, plerique in Regia caſtra, alij Amſtelodamum in hoſtium ſuorum manus ſe veniſſe cõſpicerent. Centum captiui, periculoſiſſimis fodere coguntur locis. Signa militaria omnia relata; Præfecti tres interfecti; è quibus Philippi Regij caput humeris abſciſſum in vrbem nocte coniicitur, chartam in fronte habens, cuius eſſet, ac cladis hiſtoriam. Geleinius Middelburgius, etiam Præfectus, cùm aliquandiu cum eo Toletanus eſſet locutus, in carcerem compingitur. Harlemij tot cladibus efferati, ſed præcipuè irritati, quòd commilitones inſtar latronum ad arbores ſtrangularentur, cùm aliam vindictæ non reperirent rationem, contra Catholicos, qui multi in vrbe erant, inſurgunt. Erigunt in vallo, quà caſtra Regia reſpiciunt, patibulum, quo ſtatim ſtrangulant Lambertum Iacobſonium olim Conſulem, tum Quirinum Diricſonium etiam Catholicum Cõſularem. Huic cùm eſſet filia nubilis Catholica ac pia, eam patrem ad mortem euntem ſecutam, nec deſerere volentem, lapidibus impetunt; illa non deſiſtit patrem fortiter mortem pro Catholica Religione ferentem animare. Quare aduerſus eam magis magiſque irritati, magno numero lapides conijciunt: illa ad patrem iam ſtrangulatum curſu delata, alta voce Deum precabatur, mortem cum eo oppetere poſſet. Aſtabat foſſæ non ita dudum

De iiſdem ex Ponto Heutero.

Geuſij ex improuiſo incidunt in Regios excubitores.

Cæſi Geuſij ſupra 500. capti 300. & mox ex his 200. ſtrangulati.

Hac occaſione ſuſpẽdunt Harlemenſes, duos Conſulares Catholicos.

dum intra vrbem ductæ: in hanc detrusam lapidibus obruunt, ac cum ea matrem, militisque Wallonis captiui vxorem. Tum duobus adduntur Consularibus Adrianum Groneuenium, ac Franciscum Iacobsonium Sacerdotem, cum adolescente quindecim annorum, quem paulò antè Regiis ceperant in castris. Qua de causa, Harlemij exules Toletanum adeuntes, obsecrarunt ne ampliùs Orangiani captiui in vrbis conspectu occiderentur; fore alioquin, vt omnes Catholici, magno adhuc numero in vrbe residentes, eadem ratione perirent. Pergit Heuterus: Interea durante etiamnum gelu, Hollandi Harlemo de omnibus rebus necessariis prouidebant; non enim in glacie amplissimorum lacuum, militum stationes aut excubiæ disponi poterant. Quare ad vim Toletanus iterùm conuersus, circularia propugnacula, quæ Harlemenses ad Crucis & ad D. Ioannis portas erexerant, extructa inter eas terrea mole, propugnacula æquante, actis cuniculis euertere conatur; eóque rem perduxerat, vt ciues ac præsidiarij de eorum defensione desperantes ea desererent, interiúsq; demolitis quæ ad mœnia stabant ædibus, nouã fossam nouumque vallum facerẽt, vbi actis rectis ac transuersis cuniculis, Toletani cuniculos inutiles reddebant, sibique latibula contra oppugnationes tutissima extruebant. Hispani sentientes circularia propugnacula ab Harlemiis deserta, ea occupant. Sed eorum alterum Harlemij excauatum subdito puluere bellico incendunt, terráque in aërea transuolante supra triginta sex Hispanos occidunt, multosque sauciant. At ij hac de causa tamen ea non deserentes, molem repletis cuniculis Catto suo ęquãdo, duoque tormenta maiora imponendo, vrbi admodum erant infesti, frustrà Harlemiis variis conatibus propugnacula recuperare conantibus. Quare crebris eruptionibus tentabant Regiorum tormenta reddere inutilia, aut partem castrorum expugnare, necessariaque simul introducere, nunc Hispanos aut Wallones, nunc Germanos inuadentes; quibus conatibus non paucos Regiorum militum interfecerunt, ac è suis quoque desiderarunt, suppleméta indies noua ex Hollandia cum puluere bellico ac commeatu per congelatos lacus rhedis glacialibus accipientes. Similiter & Toletanus, duce Lopesio ab Ancona, tria veteranorum peditum Italorum millia recepit. Sed inprimis alacriter eruperunt Harlemij trigesimo die Ianuarij. Tum enim sub auroram in castra Hispanorum, iterùm numero bis mille irruentes, duarum stationum excubias trucidant, progressique vlteriùs, obuios sese armantes sternunt. Inconditus clamor non solùm Hispanos omnes, sed vniuersum armauit exercitum. Et primi quidem Hispani pedites lancearij, acie promota, Harlemiis obuiàm pergunt; iungunt se eorum lateribus sclopetarij, simulque hostem inuadentes acerrimam ab vtraque parte edunt pugnam, donec Harlemij Hi-

1573

Etiam filiã suspensi lapidibus obruunt.

Durante gelu de omnibus necessariis Harlemiis satis prouisum.

Hispani propugnacula quædam occupant, non sine clade.

Accipiunt Regij supplementa trium millium Italorum.

Oppidani irruunt in castra, plurimosque cædunt.

1573 ſpanis Wallonum auxilia venire edocti, ſeruatis pugnando ordinibus, ad vrbem, aliquot deſideratis vulneratiſque, ſunt reuerſi. Cecidere ſupra ducenti Hiſpani, ſauciati plures; maioremque accepiſſent cladem, niſi totis caſtris tympana pulſata ac tubæ fuiſſent. Irritati clade Hiſpani pugnam poſcunt: proponitur poſtero die ſignum. Offerunt ſe ad oppugnationem bis mille Hiſpani, totidem Wallones ac Germani. Datur oppugnatio mille Hiſpanis ac mille Wallonibus inuicē mixtis. Ruinam, quam erant inuaſuri, inſtante oppugnatione Harlemij tranſuerſis cuniculis ita confoderant, vt oppugnatores certam cladem euadere non poſſent. Prouolantibus enim Hiſpanis ac Wallonibus, ac ad ruinæ noua opera acriter depugnantibus, Harlemij puluere bellico cuniculis incluſo ignem immittunt: qui exitum non inueniens, terram operaque ingenti cum fragore in aëra diſiiciens, ſuperſtantes fœdè mutilatos partim occidit, partim miſerè ſauciauit: reliquos Harlemij ſclopetorum globis propellentes è ruina deturbant. Nonnulli à terrea gleba in aërem delati, cum eadem decidētes intacti, in cunicularia foſſa deliteſcebant, donec veniente auxilio liberarentur. Horum è numero fuit Ferdinandus Toletanus Præfectus legionis Longobardicæ, cum multis aliis. Volebant Wallones per foſſas cunicularias vrbem porrò inuadere, ſed Hiſpanis temerarium iudicantibus, ac ad caſtra reuertentibus, & ipſi ſequi coacti ſunt. Periit ſigni Hiſpanici Præfectus Perea, è Wallonibus Obius. Roderigus Toletanus legionis Neapolitanæ Præfectus, fœdè in dextri cruris tibia ac ſura eſt vulneratus. E militibus circiter centum periere, ſupra ducenti grauiter ſauciati. Atqui hæc ad portas Crucis ac Ioannis, earumque munitiones, ſunt acta. In vrbe periit Lambertus Wirtzenbergius, cohortis Germanorum Prefectus, cum aliquot militibus. Poſt hæc denuò Regij ad agendos cuniculos conuertuntur, Harlemij econtrà ex oppoſito intra vrbem nouum vallum ac foſſam in formam creſcentis lunæ quàm celerrimè abſoluunt decimo Februarij. Orangius tot pugnis præſidium ac puluerem bellicum minui gnarus, Harlemum per congelatos mittit lacus centum ſeptuaginta rhedas glaciales, omnigena neceſſaria vehentes, præſidio trecentorum ſclopetariorum peditum, ac ſeptuaginta equitum. Hos Regij conſpicati, obuiàm eunt centū equites, ac ducenti quinquaginta pedites: qui eos haud procul porta Scaelwickia aſſecuti, interfecto equitum Signifero, pauciſque equitibus, impedire tamen non potuerunt, quò minùs pedites cum rhedis vrbem intrarent. Hæc quotidie, durante gelu fiebant, donec circiter medium Februarij, aliquot dierum noctiumque continuis pluuiis, ſoluta glacie, nauibus neceſſaria vrbi inferrent. Inſtruxerant enim Harlemij mediocrem dudum è veteribus ac recenter ædificatis nauibus claſſem, iunxerantque biremes tres, ac celo-

Hiſpani infeliciter oppugnāt.

Numerus cæſorum & vulneratorum.

Accipiunt oppidani per glaciē noua ſubſidia.

Soluitur glacies; inde in nauibus tota ſpes.

ces

ces quatuor. Hæ Hollandorum onerariis neceſſaria adferentibus ob- 1573
uiàm ibant, adeoque vrbem de rebus neceſſariis prouidebant, vt tandem Regios obſidionem ſoluturos ciues ſperarent. Et certè neceſſe fuiſſet, niſi Comes Boſſuuius cum Amſtelodamiis rationem iniiſſet pellendi è lacu Harlemio eorum claſſem, ac impediendi, ne ampliùs auxiliares naues intrarent. Primùm vndecim armatis nauibus, ac duabus biremibus inſtructus, eas iuxta oſtium amnis Sarę ac nauigabilis foſſæ non longè ab eo ductæ, per quam Orangiani auxiliares veniebant, diſponi curauit; vtque minori cum periculo moleſtiaque Amſtelodamij lacum intrarent, terream molem Heiligenwegij ſitam certo loco, iuſto tamẽ tantùm hiatu aperuerant. Contra hos Boſſuuij conatus Waterlandij armatis nauibus Nieuerdammum ac Sarendammum occupant. Non procul inde duæ Boſſuuij legionis cohortes ſub Præfectis Sichemio ac Loſecotio ſedebant, impedituræ, ne quid Waterlandij Harlemum inferrent. Cùm itaque aliquot diebus ſe mutuò ſclopetorum globis æquato damno ſalutaſſent, videntes eos Waterlandij munito loco ſedentes, ſuis ſe copiis pellere nõ poſſe, deſerto Nieuerdammo ac Sarendammo, domum remeant. Intereà Harlemij claſſem educentes Amſtelodamios Pennincx-Verę, ac ad ædem Terhartem aggerem aperire conantes pepulere. Sed poſt duos dies Amſtelodamij reuerſi, pulſis Harlemiis, intermiſſum opus reſumpſere. Contra hos vniuerſam educunt cum biremibus Harlemij claſſem. Præcedebat biremis maior, octogintaquatuor pedes longa, interuallo maiore, quàm diſciplina militaris requirebat: vnde mox à quinq; Amſtelodamenſium nauibus ſe cinctam cernens, egregiè ſe defendebat, donec cæſis pro maiori parte militibus, vulneratóque Gerardo Præfecto cum Legato, ac in celocem deſiliente, fugaque ſibi conſulente, ceteri deditionem facerent. Quærebat à longè ſubſequens Harlemenſium claſſis Amſtelodamios, ſuamque biremem; cùm ecce poſt duas horas eos reperientes, inita pugna biremem vacuam recuperauere, actiſque in fugam Amſtelodamiis, nauem Cruelam dictam eripuere. Vigeſimo ſeptimo eiuſdem Februarij iterùm Amſtelodamij aquâ victi, ferre coacti ſunt, vt à ſuis apertus Pennincx-Veræ agger, ab Harlemiis diuerſa rurſum materia oppleretur. Eodem menſe, vt Regiis ad Harlemum caſtris commeatum ac militum ſupplementa intercluderent, Burani præſidiarij è vicinis in vnum coactis octingentis peditibus ac paucis equitibus, ad Nortum aggerem, Rhenoleccæ obiectum, aperire, eiuſque aquas in agrum Vltraiectinum ac Wicanum, quà iter in caſtra Regia erat, effundere parabant. Sed Regij iuſto militum numero ad eos profecti, opus, fugientibus Buranis, repararunt, eodemque loco munitionem excitantes, firmo præſidio illi prouiderunt, ac per vni-

Boſſuuius claſſem lacui Harlemenſi infert.

Pugna naualis vna & altera.

Vincunt nunc hi, nunc illi.

Burani aggerem Rhenoleccæ perfodere nituntur, ſed fruſtrà.

1573 uerſum aggerem excubias diſpoſuerunt. His non obſtantibus, trecenti Burani Raueſuaum profecti, ad eumdem amnem hoc loco propugnaculum erigere incipiunt, vt eo abſoluto, aggerem ea de cauſa perfoderent. Sed Hiergæ Baro Geldriæ Præfectus cum octo ſuæ legionis ſignis Raueſuaum feſtinans, in itinere obuium quoque habet præſidium Wicanum ab Vltraiectinis auctum: ſimulque ad hoſtem profecti, antequam ad manus venire poſſent; relicta ſemiperfecta munitione, & omnibus operarum inſtrumentis, Orangiani fugam arripiunt, tribus tantùm cadentibus, ac duobus captis, qui ſine naribus ac auribus Buram remiſſi ſunt: poſtridie nihilominùs octo in ruſtici caſa reperti, ad arborem ſtrangulantur. Manſit hoc loco Hiergius, donec munitio à Buranis cœpta, à ſuis perficeretur; qua de iuſto præſidio, rebúſque neceſſariis prouiſa, amnéque Rhenolecca Regij iuris facto, ad ſua ſinguli ſunt reuerſi.

Regij deinde eandē aggerem præſidio muniunt.

Gorinchemij obſidionē metuentes ſe muniunt.

Sub idem quoque tempus Gorinchemij Brabantis finitimi, obſidionem verentes, oppidi vallum augent, foſſas ampliant: ſuburbium Canſportæ, ſupra ſexaginta lateritias domos ædeſque leproſorum continens, magno poſſeſſorum detrimento demoliuntur, idemque ad alias faciunt portas; poſtremò ab alia amnis Meruæ parte in ſolo Brabantico exiguum oppidulum Worinchemium, ne Regij id occupantes inde ſe infeſtarent, miſſis præſidiariis flammis abſumunt, milite quoque innocentes vicinos crudeliter diripiente. In quibus dum toti ſunt, appropinquare Heuſdâ ac Buſcoducis octo Wallonum ſigna nuntiatur. Comportata igitur in naues præda, per reſciſſam glaciem Gorinchemum reuertuntur, paucis ebriis aut auaris prædatoribus à ſuperuenientibus Wallonibus trucidatis; qui Worinchemum ingreſſi, quod reliquum erat (nullos enim reperiebant ciues) auferunt, indeque congelatum Meruam traiicientes, agrum Gorinchemium, Aſperanum ac Heukelanum omni cladis genere peruaſtant, moxque ad amnem, quòd aër mutationem præ ſe ferret, reuertuntur. Excepti à Gorinchemiis velitaria pugna; ſed ſtatim eos in oppidum repellentes, glacie traiecta, Worinchemum reuerſi, ædes adhuc integras igne abſumunt, tum muros vallumque diruentes foſſas replent, & Heuſdam ac Buſcoducis reuertuntur. Initio menſis Martij Vianâ & è portu Vltraiectino *de Vaert*, centum pedites prædatum profecti, Lexmondæ trecentis Schoonhouiis Orangianis obuiàm fiunt: ex his centum ſe oſtendunt, Lexmondæ ducenti in inſidiis ſedent: ad quos pertracti Regij cædūtur, cadentibus quadraginta, captis octo ac Schoonhouiam perductis; ceteri fugâ euaſere. Dum hæc fiunt, Middelburgi in Zelandia acriter ab Orangianis obſeſſi, rerum omnium inopia laborabant. Iubet Albanus Antuerpiæ claſſem inſtrui: ea erat circiter quinquaginta onerariarum benè armatarum varij generis ac formæ: ſequebantur

Idem Gorinchemiēſes Worinchemū flammis abſumunt.

Regij ſuperuenientes agrum omnem vicinum populantur.

Interea Middelburgo diu obſeſſo Albanus ſubuenire parat.

bãtur magno numero minores onerariæ rebus neceſſariis repletæ, duceq́; Sanchio d'Auala Antuerpianæ arcis Præfecto, circa Martij medium vrbe ſoluunt. Sed Vliſſingij de claſſis apparatu magnitudineq́; dudũ prę-moniti, naues aliquot ruderibus dirutorum Monaſteriorum implentes, haud procul portu pagi Lillo in Scaldem demergunt: quò cùm d'Auala cum claſſe veniſſet, maiores naues tranſitum nõ reperiebant, minores verò tranſeuntes, vímque Vliſſinganorum celeritate eludentes, pro maiori parte Middelburgum appulere, paucis ab hoſte captis. At maiores cùm aliquot diebus inſigniter à Zelandorum tormentis eſſent laceratæ, nec tamen omnino eſſent inulti; illi Vliſſingam, d'Auala Antuerpiam rediit. 1573

Alia parte Dordraceni etiam aliquid tentaturi, euocatis Gorinchemo, Bommelio, Bura, Gouda, ac Schoonhouia auxiliis, cum mille quingentis peditibus ad inſulas Finartum, Clundertum ac Ruichhiltum proficiſcuntur, vt præſidiarios Wallones in munitionibus agentes ſubito aduentu opprimerent; multum enim ab eis damni, prædatoriis nauibus diſcurrentibus, accipiebant. Erant nongenti in dictis inſulis diſtributi: qui hoſtium aduentu cognito, arma expediunt, exponeréque militem permittunt; tum exoneratis ſemel tormentis, gladiis ac lanceis eos inuadentes, prima impreſſione in fugam agunt. Cecidere ducenti, ceteri in naues deſilientes ad præſidia ſunt reuerſi. Iam Harlemij, pulſis pęnè aquâ Amſtelodamiis, lacuum ſe tantiſper dominos videntes, rationem quęrebant leuandę obſidionis. Id autem cùm vi aſſequi nequirent, commeatu Regia caſtra intercludere, ac ne quid Amſtelodamo Vltraiectóve inferretur, impediri debere conſiderabant. Veniunt itaque pro iis Waterlandij iterùm decimo quinto Martij (nam & priùs idem tentarant, vti antè commemoratum eſt) cum viginti quatuor armatis onerariis, ac quatuor biremibus mille ducentos viros vehentibus, ad Dymerdikium (agger eſt inter Vltraiectum & Amſtelodamum) extructáque munitione, perfoſſóque aggere, conſilij compotes Amſtelodamum Regiáque caſtra ſimul ſe preſſuros ſperabant. Sed Boſſuuius, re cognita, è caſtris Amſtelodamum aduolat, ac è Boshuſij Legati ſui triginta nauium claſſe, viginti octo celeritate præſtantes, milite tormentíſque implet, ac in ſinum Meridionalem defertur. Orangiani ſe impares agnoſcentes, vitato prælio, ad Dymerdikij munitionem tendunt, ſed ei propinqui, decedentis maris æſtu ac contrario vento impediti vado ſe captos ſentiunt. Itaque exiliunt naucleri ſociíque nauales, ac ad milites ſuos in aggere conſtitutos, pedibus nandoque perueniunt. Boſſuuius vacuas hominibus naues nouem, ac biremes duas abducit. Ceteræ diu maioribus ſe defendentes tormentis, æſtúque reuertente, in altum effugere. Nouem captas mox Amſtelodamij armãt, Boſſuuiuſq́; veteri eas addit claſſi & Dymerdikiũ

Aliquantum ſubſidij accipiũt Middelburgenſes.

Geuſij ad Finartum cladem accipiunt.

VVaterlandij perfringunt Dymerdikium, iter ad caſtra Harlemẽſia.

Boſſuuius capit aliquot naues VVaterlandiorũ.

1573 pergit, operanteſque ad munitionem Orangianos ab vtraque aggeris parte arctè obſidet: ſciebat enim eos parum habere commeatus. Interea replebatur Dymermerium, excepta Boſſuuij claſſe, magna multitudine mediocrium minorúmque nauium ac lemborum, tam Boſſuuio quàm Regio ad Harlemum exercitui neceſſaria adferentium, armata Boſſuuij claſſe ſedulò obſidionem munitionis curante: quam vt ad finem Boſſuuius perduceret, Amſtelodamo ordinarium præſidium, ac è caſtris tres peditum cohortes in auxilium acceperat. Nec multò pòſt Orangianorum Prefectus Dierricus Snoyus, probantibus ſuis, cum paucis celoce conſcenſa, comitatus mediocri oneraria benè armata, obſcura nocte, ſecundo adiutus vento, Enchuſam Waterlandiæ profectus eſt, ac ex vniuerſa regione coactis armatiſque circiter ſexaginta omnis generis ac formæ nauibus mediocribus (maiores enim cum Zelandis Middelburgum premebant) Dymermerium intrat, ſuos in Dymerdikio fame preſsos liberaturus. Proficiſcitur ei obuiàm cum viginti nauibus Boſſuuius, ac maiorum minorumque tormentorum globis ita ſalutat, vt poſt horæ ſpatium relinquere lacum, ac in Waterlandiam redire cogeretur, triſtibus oculis, qui in Dymerdikio eſuriebãt, abitum deplorantibus, Snoyoque malè precantibus, ac militum deſertorem appellantibus. E ſexaginta Orangianorum nauibus vnam tantùm Boſſuuius cepit: celerrimè enim propter exiguitatem facilè maiores grauioréſque effugiebant. Exinde Dymerdikij milites animis cadentes fugę rationes circumſpiciebant. Inſtabat Lunæ ac Solis oppoſitio, quod plenilunium vocant, quo tempore maris æſtus, vt & in coniunctione (nouilunium appellant) maximi in Occeano Belgico eſſe ſolent, aquæque ſolito altiùs excreſcere. Cùm tempus itaque aduenisſet, Dymerdikani impedimenta conuaſata ad naues deportantes, abitum parabant. Sed Regij in aggere & aqua excubantes, noctéq; tumultum audientes, Boſsuuio intempeſta nocte ſignificant. Is ſtatim, expoſitis militibus, munitionem tribus locis inuadit: ægrè pauci fame languidi arma expediunt, ceteri, his proiectis, fugam terra marique capeſsunt. Periere ferro ac aqua ſeptingenti circiter, capti ducenti, naues tredecim, biremis vna; quas cùm antè captis ac veteribus iunxiſſet nauibus, inſtructam quinquaginta nauium claſsem lacui Harlemio Boſsuuius induxit, eáque ratione Harlemiis dominatu lacus depulſis, tandem vrbs ſeriò terra aquáque obſideri cœpit finiente Martio: aperuerat enim Boſsuuius iuxta ædem Terhart, aggerem lacui obiectum, indeque Amſtelodamo cum viginti ſex armatis onerariis, Orangianis, vt diximus, ereptis, ac viginti aliis ab Amſtelodamiis paratis, biremibuſque ſex, lacum intrarat. Eodem quo hæc acta ſunt die, Harlemij caſtra Germanorum inuadunt. Intellexerant enim, eos, quemadmodum

Obſides munitionem ad Dymerdikium à Geuſiis eręctam.

VVaterlandij ſuis ſuccurrere tentant, ſed fruſtrà.

Boſſuuius munitione potitur.

Tandem Harlemũ ſeriò obſideri cœptum.

modum & ceteros milites in caſtris, ſtipendia accepiſſe, & continuis po- 1573
tationibus operam dare. Experiri igitur ſtatuunt, an fuſis primis, ceteros caſtris exuere poſſent. Erumpunt duo virorum millia, ſtationemq́; Germanorum primam ac ſecundam trucidant; poſt hos inermem turbam, cibum potumque vendentes cupediarios, inque horum tentoriis potantes milites, lixas, calones ac feminas: denique concurrentes ad arma ſclopetarios, antequam arreptis ſclopetis in vnum coire poſſent, ſupra ducẽtos iugulant. Sed tandem in vnum coëuntibus lanceariis ac ſclopetariis, furor ardorque reprimitur: ac cùm horam circiter cum dimidia, æquali damno ſclopetis rem egiſſent, ſeruatis ordinibus pugnantes ad vrbem, à maioribus defenſi tormentis, reuertuntur. Sed ecce, cùm paululùm Harlemij corpora refeciſſent, ac capſulas puluere bellico repleſſent, rurſum ipſa meridie in nil minùs expectantes Germanos ex ſuperiori pugna ſe recreantes, ſauciiſque operam dantes, maiori manu erumpunt, eadem ratione ſæuiunt, non paucos prima inuaſione ſternunt; neq; ſolùm Germanorum caſtra, ardentibus tentoriis, ſed vniuerſum exercitum tumultu replentes, ad arma capienda concitant: iterùm verò à lanceariis ac ſclopetariis Germanis vehementiſſimè reſiſtentibus, cadente Dardennio Lumęij Legato, multiſque cum eo veteranis, qui fruſtrà pro plena victoria anhelabant, in vrbem repelluntur. Cecidere duabus eruptionibus è Germanis circiter mille diuerſæ conditionis ac ſexus, capti centum quinquaginta tres; pluréſque ab vtraque parte cecidiſſent, niſi totis caſtris ad arma coiri, ſonitu tympanorum ac tubarum audientes Harlemij, receptui ceciniſſent, facilè inſequentes Germanos per moſquetarios repellentes, donec ex vrbe à maioribus tormentis defenſi, in tutum peruenirent. Interea, vt diximus, è lacu Harlemio, Harlemiorum claſſe à Boſſuuio pulſa, ipſe in loco, incolis *de Ton* dicto, iuſtam erigit munitionem, ac de rebus neceſsariis prouidet; vtque faciliùs vndiq; munitioni ſuccurri poſſet, foſſas, omniáq; incilia in dicta munitione ad Regia caſtra interiacẽtia, terra replet, ita vt in omnem euentum neceſsaria auxilia prędidiarij ab exercitu Regio accipere poſsent: vbi verò in lacum amnis Spara influit, Toletanus è lembis, ſcaphis, ac doliis iuſtum erigit pontem, erectiſq; in vtraq; ripa caſtellis, præſidio ea firmat, adeò vt terrâ nec aquâ quiſquam Harlemum intrare nec exire, niſi vi aut ſummo aſtu poſſet: ad pontis quoque latera demerſerant Regij naues vetuſtas terra ac ruderibus repletas, vt ſi quid ponti aduerſum contigiſſet, nihilominùs amnis introitus impeditus eſſet. Ad hæc Boſſuuius varias munitiones ab initio obſidionis ab ipſis Harlemiis ad portum vrbis per lacus latera extructas occupauerat: hiſque ita diſpoſitis ipſe inter Tertonnij ac Sparæ munitionem claſſem ita extendit, vt eius diuerſæ conſpicerentur acies, ſingulæ ſeptem naues continentes,

Harlemẽſes noctu erumpentes cladem Regiis inferunt.

Quin & mox clara luce iterùm caſtra tentant, multis vtrimque cadentibus.

Boſſuuius ad locum de Ton, munitionem conſtituit.

Itidem alias ad os Sparæ fluminis.

Quin & claſſium ſtationes conſtituta circa oppidum.

1573 nentes, in omnem pugnæ occaſionem paratæ, ſi quid Harlemum inferre Orangiani conarentur. Itaque Orangius pro Harlemiis fame laborare incipientibus aquâ fortunam tentaturus, ex vniuerſa Hollandia in vnum cogit centum viginti naues, quas Hollandi *Smal-ſchepen* vocant: oneratiæ ſunt exiguæ tectæ & non tectæ, ita tamen factæ vt cataractam Gaudanam tranſmitti poſſint, eaſque partim milite & tormentis, partim commeatu ac puluere bellico onerant. In lacum venientes ingenti Harlemios ſpe, tot velis conſpectis, nono Aprilis implent. Vndecimo ſe Boſſuuio dant in conſpectum, tormentiſque inſigniter certant. Sed inuadere Boſſuuium à munitionibus defenſum non audentes, hæc moliuntur. Mandant Harlemiis, certo die ac hora erumpant; ipſi Hillegomi mille pedites exponunt; iungunt ſe his trecenti è caſtris Orangianis in Zas munitis. Hi à tergo, claſſiarij à fronte, Germanorum caſtra ad latus ſiluæ Harlemiæ ſita inuadere ac perrumpere ſe poſſe ſperabant. Sed conatu eorum Toletano detecto, miſſis in Hillegom centum equitibus ac ſexcentis Burgundis peditibus, Orangiani cæduntur; cadentibus quadringentis, ac aliquot captis, qui mox fuere ad arbores ſtrangulati. Nihilominùs Harlemij conſtituta hora dieque Germanos inuadunt; ſed in acie paratos inuenientes, deſideratis quadraginta viris in vrbem repelluntur; ac ſimiliter, qui eodem tempore ex vrbe cum nauibus fortunam, loco *De gedamde Sloot* appellato, tentarant, quòd vbique Regios reperirent ad pugnam paratos, adeò è munitione tormentorum globis impetuntur, vt tribus nauibus perditis, multiſque militibus, celeri fuga ad vrbem ſe reciperent: alij quoque pontem à Toletano Sparæ impoſitum rumpere, aut certè demerſas naues educere conati, duabus perditis nauibus à Germanis in vrbem pelluntur. Itaq; his conatibus non ſuccedentibus, Harlemij animis non deficientes, naues per terram in lacum perducunt, iungenteſque ſe Hollandicæ claſſi ab Orangio miſſæ, ad munitionem Terhart expugnandam proficiſcuntur. Boſſuuius, re cognita, veteri præſidio vnam auxilio mittit cohortem: à Toletano etiam eódem ire iubetur Iulianus Romerus ſua cum legione: contra quem cùm exiguo tempore ſclopetis rem egiſſent, ad naues ſe cum ſauciis recipiunt, ac Harlemum reuertuntur. Diximus Orangianos Dordraco profectos in Finarto ac Clondertio à Wallonibus fuiſſe ſuperatos. Delendæ huius ignominiæ cauſa ſexcenti numero in Brabantiam traiiciunt, ac in ditione Buſcoducenſi nocte municipium Os, vbi ſexaginta agebant Regij equites, inuadunt: Catholici nonnulli ſono æris Campani incolas ac equites ad arma vocant: ſed equites Orangianorum numero territi, conſcenſis equis ſe proripuere: Orangiani fuga equitum ab incolis admonitorum irritati, direpto municipio ignem iniiciunt, ac ſupra ſexaginta domos exurunt.

Orangius centum viginti nauibus Harlemiis ſuccurrere inſtituit.

Caduntur Orangiani 400. quidam etiam capti, & mox ſtrangulati.

Tentat & aliis viis ſuccurrere, ſed fruſtrà.

Geuſij pagum Os iuxta Siluamducis incendunt.

runt. Dum hæc diuerſis fiebant locis, Albanus Antuerpiæ inſtrui curarat viginti quinque ingentes onerarias, Middelburgiis in Zelandia dudum obſeſſis, auxilium iterùm duce Sanchio d'Auala laturas: qui vigeſimo quarto Aprilis in mediam Orangianorum claſſem inuectus, tormentorum globis viam ſibi fecit, ac ſaluus Middelburgum peruenit, quinque tamen onerariis deſideratis, quòd ceterarum curſum æquare non potuiſſent, vrbiq́ue pro nouem menſibus de commeatu ac puluere bellico prouidit. Sub idem tempus Orangius Delfis agens, vt animi curas coram populo diſſimularet, ſeq́ue nihil de belli felici euentu dubitare oſtenderet, concitantibus Caluiniſtis, contrà quàm populo ſolemniter promiſerat, die vigeſimo tertio eiuſdem Aprilis, ſacra omnia in vrbe loca violari, profanari, ac ſpoliari ſeu permiſit ſeu iuſſit. Initio Maij Guilielmus Littius Dordracenus ad oppidum Cliuiæ Goh militem pro Orangianis conſcribebat. Sed Hiergius Gelriæ Gubernator, antequam recenſiti plenè armarentur, eos inuadens, circiter ducentis occiſis, ceteros in varias partes abegit. Littius cum Præfectis captus, ac Neomagum perductus, cùm nil fateri vellet, tormentis immaniter Albani iuſſu laceratus, tandem capite plexus, ac in quatuor partes ſectus, totidem vrbis portis eſt appenſus. Theodoricus quoque Vigius prope Cliuiæ Weſaliam militem conſcribens, onerariam armis onuſtam ſecundo Rheno Gorinchemum mittebat. Sed nauis Wahalim ingreſſa, prope Tieltum ab eius patre Adriano Vigio partium Regiarum ibi Præfecto, cæſis qui in ea erant militibus, capitur. Zelandi Orangiani videntes Middelburgum in plures menſes de commeatu prouiſum, ſeptimo Maij è claſſe ſexdecim maiores mittunt armatas onerarias, quæ Ter-tolam Zelandiæ oppidulum, Regio præſidio munitum, ad amnem Voſmeriam ſitum oppugnarent. Erant circiter centum Wallones in præſidio, qui ad vicinos Bergenſes ad Zomam pro auxilio miſerant, intereà ſe fortiter contra inuadentes defendebant. Extruebant Zelandi contra oppidum idoneo loco munitionem, trecentis operantibus nocte dieq́ue foſſoribus. Interea Tolanis à Bergenſibus auxilio adſunt quinque peditum Wallonum ſigna: ſtatimq́ue contra foſſores eorumq́ue præſidiarios ſclopeta emittunt. Defendunt ſe Orangiani aliquandiu acriter, donec pars vna Wallonum foſſores inuadens, eos ad naues fugere cogeret: tum ſimul Orangianos præſidiarios à fronte ac lateribus inuadentes, foſſores ſubſequi cogunt, deſerta ſemiperfecta munitione. Præſidium quoque Tolanum cum ciuium parte erumpens, fugientibus alas addidit. Zelandorum Orangianorum naucleri, ſociiq́ue nauales, militum fuga conſternati, ne Regij in naues irruerent, ſublatis anchoris, parte ſuorum deſerta, in altum dant vela. Periere è militibus Orangianis circiter mille, foſſores ducenti

1573

Albanus Middelburgenſibus innouem menſes prouidet.

Orangius Delfis contra promiſſum templa violari permittit, ſeu iubet.

Quid intereà in Gelria lociſq́; vicinis.

Orangiani Tertolam oppugnare parant.

Regij à Bergopſomo ſubmiſſi eos pellunt, cæſis amplius mille.

1573 centi ferro aut aquis conſumpti, interque hos Rollæus Camp-veræ Bailliuus, cum aliquot aliis Præfectis. Interea nil intentatum Orangiani relinquebant, parcentes nec ſanguini nec auro vt Harlemum in Orangico retinerent imperio. Sed nihil in hunc vſque diem ſatis ſucceſſiſſe dolentes, eadem qua Harlemiani oppugnabantur ratione, Regios ſaltē egeſtate quoquomodo ſoluere obſidionem cogere rurſum cogitant. Eodem igitur ſeptimo Maij Harlemo cum quinque onerariis, vnaq; biremi, quingentos pedites Anglos vehentes ſoluunt, ac Amſterueni prope Outkerkam, itinere inter Vltraiectum ac Amſtelodamum, ad nauigabilem inter has vrbes foſſam, munitionem amplam fortemque moliri incipiunt, ne poſthac quidquam Vltraiecto nec illi iunctis Prouinciis Amſtelodamum, indeque ad Regia Harlemenſia caſtra perferretur. Operantur nocte dieque inſtanter: quo Amſtelodamij intellecto, duas ciuium cohortes perpetuo ſtipendio Magiſtratui merentes eódem mittunt, vt opus remorentur, donec maiora conueniſſent auxilia. Angli his viſis, contemptiſque, pars cum eis ſclopetis certat, pars cum foſſoribus opus facit. Cumque aliquandiu exiguo vtrimque detrimento contendiſſent, appropinquare procul Orangiani vident octo peditum ſigna. Erant autem hęc octo ſigna foſſorum in agro Nardeno collectorū Amſtelodamum, indeque ad Regia caſtra contendentium. Illi peditum eſſe legionem è caſtris contra ſe miſſam exiſtimantes, animis cōſternati arma abiiciunt, ac fugam ſuis cum foſſoribus capiunt, admirantibus Amſtelodamiis ſubitum pauorem, qui inſecuti magno eos numero ſternunt: cecidere enim ſupra ducenti; è quinque nauibus tres captæ, reliquæ fugitiuos auexere. Præfectus eorum Nobilis Anglus lineo in induſio tribus cum ſignis captus, Amſtelodamum eſt perductus: capta quoq; omnia operarum inſtrumenta, commeatus, ac arma varij generis, eodemque delata. Circiter decimo quinto Maij Orangiani numero ſexcenti, Præfecto Sprinchuſio, ditionem Langeſtratanam inuadunt, omniaq; in prædam vertunt. Coëunt Regij Buſcoducis, Heuſda, Nalwickio, ac vicinis locis in vnum, commiſſaque cum Sprinchuſio pugna ſuperant, pręda exuunt, ducentiſque occiſis, ac triginta captis, ceteri cum Præfecto effugêre. Inde Regij in inſulam Bommelanam delati, erumpentes Bommelio præſidiarios, octoginta cæſis, ceteros in oppidum pellunt, coactaque maiorum minorumque pecorum ſupra ducentorum in vnum præda, eáque diuiſa, ad præſidia ſine detrimento redeunt. Vigeſimo quarto Maij Wallones ac Hiſpani, duce Billij Barone, munitionem ab Harlemiis erectam ad portam Scaelwikiam, *Koninſcans* dictam, ab Hiſpanis Rhodæ munitionē, quòd Rhoda Hiſpanorum Prefectus eam ante mēſem occuparat, ſed paulò pòſt ab Harlemiis iterùm eiectus fuerat, inuadunt, acriq;

Orangiani iterùm cōmeatum Regiis intercludere nituntur.

Munitionem ad hoc Oudekerka cœptā turpiter deſerunt.

Cæſi Geuſij ſupra ducenti, capta naues tres.

Regij Geuſiis prædā eripiunt, nouamq; adiiciunt.

edita

edita pugna occupare conantur. Sed operum magnitudine impediti, pedem referre coguntur, Billio in latere, ſed non letaliter vulnerato, iuxtáque eum cæſis nouem Hiſpanis ac quatuordecim Wallonibus, multiſque ſauciatis. Vigeſimo quinto Vigius Orangianus Gorinchemo iuſta manu profectus, ac Bommela, Bura, Schoonhouio, & vicinis è locis mille ducentis viris auctus, Brukelium pagum, milliari vno cum dimidio Vltraiecto Amſtelodamum tendenti ſitum, proficiſcitur, expectabatq; conſtituto tempore Oudwatera, Worda, ac Gouda quinque peditum ſigna cum puluere bellico, foſſoriis inſtrumentis ac cõmeatu, vt ad pagi nauigabilem foſſam munitionem erigerent impedituram commeatum Regiis caſtris. Sed cùm totus in eo Vigius eſſet, equitum ordinariorum duæ turmæ, vna Maximiliani Melunij Burchgrauij Gandenſis, quam ducebat eius propinquus Robertus Melunius, Rysburgij Marchio à Rege paulò antè creatus, altera Comitis Megeni vita functi, quæ in proximo pago Weſtbrouchio excubabant, vt tutum iter ad caſtra commeantibus præſtarent, ad Vigium properant, operaſque quantum poſſunt retardant, Vltraiectum interim pro peditum auxilio mittentes: qui anteà etiam de Vigij conatu certiores, cum duobus peditum ſignis iam Brukelium feſtinabant. In conſpectum venientes Vltraiectini, Vigium à fronte, equites à lateribus tanto impetu inuadunt, vt omnibus in fugam actis, ducenti quinquaginta caderent, centum Amſtelodamum captiui ducerentur, inde ad remos detruſi. Vigius cum paucis Wordam, ceteri in varias partes fugâ ſunt dilapſi: octodecim in propinqua viri nobilis domo aqua cincta ſe recipientes, ſalua vita ad remos transferendi deditionem faciunt. Eodem die ad Harlemum eſt pugnatum. Coëgerant Orangiani trecentos ſclopetarios ac centum ruſticos: ſinguli ſaccos puluere bellico plenos ad collum alligatos Harlemo erant illaturi. Hi clàm per lacum vecti, iuxta ſiluam Harlemiam exponuntur, dantque notum Harlemiis de aduentu ſuo ſignum: quo viſo, Regij coniectura quid eſſet aſſecuti, ſe armant, euentumque expectant. Pugnant Wallones ſtationarij contra expoſitos è nauibus Orangianos, Germani contra erumpentes vrbe: cadunt ab vtraq; parte aliquot: ſed creſcente Regiorum numero, tandem hi ad naues, Harlemij in vrbem repelluntur. Cecidere Orangiani vtroque loco circiter centum triginta; capti cum puluere bellico ruſtici, ligatis in dorſum manibus, incenſo puluere, fœda membrorum diſruptione crudeli morte abſumuntur; octo tantùm ruſtici clade elapſi Harlemum cum puluerulẽtis ſacculis peruenientes, ſociorum miſeram enarrabant cladem. Dum hæc vario euentu moliuntur Orangiani, Boſſuuius ante quatuordecim dies Amſtelodamum profectus, ſupra veterem quinquaginta trium nauium claſſem, viginti præterea medio-

1573

Billius frustrà munitionem quamdam ad Harlemum occupare nititur.

Orangiani ad Brukeliũ munitionem moliuntur.

Caduntur 250. capti centum, reliqui fugiunt.

Tentant eodem die etiam Harlemiis succurrere, sed itẽ frustrà.

Boſſuuius, aucta claſſe, in hoſtẽ vadit.

1573 cres onerarias ac biremem vnam armârat, proſperumque nactus vẽtum, lacum ingreſſus veteri iunxerat claſſi, iamque è munitionibus in altum nauigans hoſtilem quærebat claſſem. Huic præerat Batenburgius, Legatum habens Marinum Brantium. Statuerat Boſſuuius cum Orangianis, ſi in aciem prodiiſſent, medio lacu concurrere: hac de cauſa vigeſimo nono Maij veniens ad ædem Terhart, venti ac hoſtilis claſſis motus diligenter obſeruabat. Batenburgius plenis velis ſe dat in altum, ignarus de claſſis Boſſuuij augmento: quam cùm ſe in duas ſcidiſſe acies videret, vt vna in fronte cõcurreret, altera à lateribus aut à tergo inuaderet, multitudine ac apparatu territus, conuerſis cum Legato proris, plenis velis ad Cagæ munitionem deferuntur: vbi cùm portus omnium non eſſet capax, pars ad foſſam nauigabilem (*D'oude vvatering ſloot* dictam) contendunt; quas Boshuſius Boſſuuij Legatus præueniens, vento adiutus, vnâ depreſsâ, reliquas numero viginti duas in poteſtatem redigit, hominibus exceptis, qui in aquam vt enatarent deſilientes, magno numero à ſclopetariis ſunt interfecti, pauci euaſerunt. Hac Boſſuuij victoria Orangianis lacubus pulſis, Boſſuuius eorum munitionibus, variis in littore locis excitatis, claſſem adhibens, ac Iulianus Romerus iiſdem terrâ vim inferens, effecere, vt mox Orangiani ſex munitiones deſererent. In ſeptimam omnium munitiſſimam, cùm ſe vltra vetus præſidium centum octoginta fugitiui contuliſſent, aliquotque horis vim Regiorum terrâ aquaque repuliſſent, auxilium tandem nullum venire conſpicientes, ſalua vita, ferè nudi exeuntes deditionem fecere. Repertæ ſunt hîc naues octodecim armatæ, omni bellico apparatu inſtructæ, ac in iis maiora tormenta ænea duo. His confectis, Boſſuuius cum inſtructiſſima ferè centum nauium claſſe Harlemo ſe dans in conſpectum, tubis tympaniſque lætum Regiis, triſte Harlemiis canit, ſperãs proximè eos deditionem facturos. Sed cùm eos nullum dare ſignum Regij conſpicerent, trigeſimo Maij cuniculo dudum excauato ignem iniiciunt. Feruntur in aërem circa triginta præſidiarij, ex quibus quatuor in Hiſpanorum caſtra eijciuntur, tres mortui, vnus viuus. Sed incenſus cuniculus non tantam fecit ruinam, vt oppugnare vrbem Regij auderent. Orangiani verò, etſi non ſemel, vt ſuprà commemorauimus, in Dimerdikio munitiones fruſtrà erigere conati eſſent, iterùm tamen idem tentare ſtatuunt: id enim ſi obtinere potuiſſent, breui Toletanus cum exercitu Harlemum deſerere fame coactus fuiſſet. Enchuſij, ceterique Waterlandij iamdudum cum maioribus onerariis optimè armatis ſinum Meridionalem occupabant, impedientes ea parte, ne Amſtelodamenſes mercatus cauſa in Occidentem, multò minùs in Orientem, vbi eorum præcipua ſunt commercia, nauigarent. Ex his nauibus Waterlandij tertio Iunij octingentos expo-

Cedit claſſis Orangij in munitionem Cagæ.

Potiuntur Regij 22. nauibus Orangicis.

Item è munitionibus aliquot vicinis Orangicos pellunt.

Apertus ad Harlemium cuniculus mirè operatur.

Iterùm commeatũ Regiis impedire Geuſij conantur.

nunt

nunt pedites, occupareq; D. Antonij aggerem, inter Amſtelodamum & Regiam munitionem (cui cum duabus cohortibus præerat Snaterus) iubent. Fit ita: indies foſſorum augetur numerus. Ad hæc non longè ab ingreſſu fluminis Thiæ naues demergunt, ne ex vrbe Amſtelodamij militem naueſque mittere poſſent, tum S. Antonij aggerem transfodiunt, ac è ſinu Meridionali in lacum Dimeranum, quot volunt naues tranſmittunt, cuius ſi domini manſiſſent, nō ſolùm Amſtelodamum arctiùs preſſiſſēt, ſed etiam Regia caſtra ad extremam rerum inopiam perduxiſſent. At Boſſuuius probè hæc ſciens, ad D. Antonij aggerem milites mittit; qui tamen inchoatam munitionem omnino impedire non potuere, etſi ab vtroque latere eos oppugnarent, foſſoribuſque moram aliquam iniicerent. Quo Boſſuuius intellecto, è lacu Harlemio tres biremes in lacum mittit Dimeranum: quarum maxima octauo Iunij à reliquis longiùs quàm decebat ſeparata, ab Orangianis capta eſt, militibus cum Præfecto pugnando cadentibus. Tum è claſſe lacus Harlemij triginta mittit Boſſuuius in lacum Dimeranum armatas naues; per quas factum eſt, vt fugatis Enchuſianis, dominus huius quoque Dimerani lacus efficeretur, ac neceſſaria iterùm ad caſtra Regia omnia perferrentur. Præualebant quidem Waterlandij maioribus nauibus armatis, ſed earum vſus in lacu Dimerano, vtpote parum profundo, non erat. Manebant interim eorum biremes ad munitionem, quam in D. Antonij aggere ædificabant: vtq; Regios variis locis diſtraherēt, coëgerant in vnum Orangiani viginti peditum ſigna, quæ duodecimo Iunij Ouwerkerkam pagum inſedere. Et quoniam ab vna amnis ripa Regij dudum munitionem erexerant, è regione eius in altera ripa aliam ordiuntur, loco vbi templum fuerat Ouwerkerkanum, cuius ruinam circumuallarant, inſigniterq; munire conſtituerāt, omni ratione annitentes, Regiis vt caſtris parem Harlemiis famem adducerent. Conuolant itaque pedites equiteſque Regij omnibus è locis, hunc Orangianorum conatum, qui indies creſcebat, impedituri; interque alios Boſſuuius, traiecto ponte, flagrantiùs quàm res poſtulare nonnullis videbatur, Orangianos tribus Wallonum cum ſignis adoritur: ſed iis multò maiori numero è ſemiperfecta munitione contrà erumpētibus, Wallonibuſque, occiſis centum ſexaginta, in fugam actis, in ſummo vitæ periculo Boſſuuius verſabatur, coactus auxilio Catholicorum Hollandorum nando ad naues ſe ſuas recipere: quin & plures Wallones capti ac occiſi fuiſſent, niſi eodem momento ſuperueniens Amſtelodamo peditum cohors Orangianis metum iniecciſſet. Exiſtimantes enim integram peditum legionem contra ſe properare, intermiſſo victorię curſu, ad munitionem, deſinentes Wallones inſequi, rediere; ac quinto pòſt die, vndique contra ſe copias terra aquaque conuenire, nullum verò auxilium

1573

Excitant munitionē in aggere S. Antonij iuxta Amſtelodamum.

Conſligit cum iis Boſſuuius primò victus, poſteà victor.

Excitatur & alia munitio Ouwerkerka à Geuſiis.

Boſſuuius infeliciter pugnat, caſſisq; multis ſuorum, ipſe nando euadit.

1573 xilium mitti videntes, decimo octauo Iunij, deſerto S. Antonij aggere, impedimentis verò omnibus per naues domum dimiſſis, ad pagum Ter Aa Orangiani ſe conferunt, quæque reperiunt in prędam vertentes, templum cum animarum Curione, eius Cuſtode, duabus feminis & ſeptem pueris, qui in turrim fugerant, exurunt. Tum ædes Adriani Reneſſij ab Aa, viri Nobilis, quieti ac modeſti, expugnantes ſpoliant, eumq; captum in Waterlandiam abducunt, eò feſtinantiùs, quòd appropinquare ſcirent decem veteranorum Hiſpanorum peditum ſigna, è Middelburgio ac Tergouſio mutatis præſidiis reuerſa, quæ iuſtis quoque ſubſequebantur itineribus viginti quatuor peditum veteranorum Hiſpanorum cohortes ex Italia per Burgundiæ Comitatum, ductore Lopeſio d'Ancona iam iam venientes, ac ad Regia ad Harlemum caſtra properantes. Sed facti certiores Hiſpani Orangianos ad præſidia reuerſos, curatis paucis diebus Vltraiecti corporibus, non intermiſſo itinere, vltimo die eiuſdem Iunij ad Regia venere caſtra. Ne verò in poſterum ſimile Orangiani tentarent, Albanus, traditis Noircarmio ac Franciſco Baldęo Hiſpano duobus Wallonũ millibus & mille Hiſpanis peditibus, opportuna idoneaq; ac Orangianis vſui futura loca omnia occupare iubet. Qui, communicatis cum Regi addictis Hollandis huius rei conſiliis, optimum iudicarunt, circa Wordam, tribus Vltraiecto, quinq; Leidis, tribus Goudâ, totidem Oudwaterâ milliaribus diſſitam, caſtra munita ponere, vt in omnem parati euentum hoſtium conatibus obuiàm ire poſſent. Mittuntur & hanc in rem Montvortium oppidum, ditionis Vltraiectinæ, trecenti pedites Germani. Variis Regiorum victoriis de rebus ſuis deſperare nonnulli Orangianorum incipiebant. Itaque Dierricus Haeſtius Bommelorum, Adrianus Vigius Gorinchemiorum, ac Petrus Vogelſangius Buranorum Præfectus, communicatis clàm conſiliis, theſaurum è rapinis collectum in tutum in ditionem Cliuenſem mittere ſtatuunt. Eligunt in hanc rem nauem onerariam, caſeo ac butyro Hollandico oneratam, Cliuij mercatoris, vt credi volebant, propriam. Sub his autem auri ac argenti pondo non pauca latebant. Gorinchemij ac Buræ hæc nemo præter Præfectos iam dictos ſciebat: ſed Bommelij in familia Haeſtij Catholicus famulus, ſed aliud ſimulans, paucis Tileti Catholicis rem aperit, hi Gubernatori Tilano Vigij patri, is Gubernatori Neomagęſi, ſimulque naui certis è ſignis notæ variis locis inſidias ponunt, in quas denique nauis incidens capitur, hominibus nudis domum dimiſſis. Vogelſangius damnum diſſimulabat. Vigius ac Haeſtius ad rem attentiores, ira extimulati cum præſidiis in agrum proficiſcuntur Tilanum, prædas cogunt, nil conferentes exurunt, ſtatimque Bommeliam reuertuntur: certiores enim fiebant, Neomagios ac Tilanos in armis paratos con-

Geuſij, deſerto aggere S. Antonij, in pagũ Ter Aa ſeuiunt.

Veniunt ad caſtra Regia noua auxilia.

Regij circa Wordam munita ponũt caſtra.

Theſaurus Geuſiorum aliquot Præfectorum à Regiis interceptus.

Hi vt dẽnum reſarciant, ad prædas cõuertuntur.

tra

tra ſe venire. Interim animis nondum quieti cogitabant qua ratione ac- 1573
ceptum damnum reſarcirent. Igitur poſt tres hebdomadas, Bommelio Haeſtius emittit centum ſclopetarios pedites, ac quadraginta equites, qui agrum Buſcoducenſem inuadentes omnia in prædam vertunt. Exeunt Buſcoducenſes alia vrbis porta, ac à vicinis equitum peditumque auxilia impetrantes, certo apud Langeſtratios loco, vbi redeuntibus Bommeliis neceſſariò erat tranſitus, in inſidiis ſedent; in quas illi incidentes, perdita præda, ita fuere excepti, vt è centum peditibus tantùm nouem, è quadraginta equitibus tantùm quinque infelicis excurſionis teſtes Bommelium reuerterentur. Sed ad caſtra ad Harlemum remigremus. Die primo Iulij Hiſpani, qui receniter ex Italia venerant, animos virtutemque oſtendere auidi, à Toletano impetrant, maiora tormenta contra Pinturrim ac Raueſteiniam collocet, factáque ruina ſignum inuaſionis edat. Quaſſant locum tormenta continuis quatuor diebus ac noctibus: intereà pontes è doliis, longuriis ac aſſeribus deſuper poſitis fecerant, inque vrbis foſſam deriuarant: accepto ſigno, ad ruinam ſatis iuſtam prouolant; ſed excipiuntur ab Harlemiis tot ſclopetorum, moſquetorum, ac maiorum tormentorum globis, vt promptiſſimis cadentibus, ceteri debilitati aut territi pugna decederent. Nihilominùs qui intacti erant, iterùm audacter progrediuntur, primamque globorum procellam curſu excipientes, ante alteram onerationem ad manus venire cominùs feſtinabant; ac peruenturi videbantur, niſi multitudine proruentium, pontium alter in fronte ruptus, ſubſequentibus acceſſum impediuiſſet. Igitur relicta ruina ad caſtra reuertuntur, duabus inuaſionibus deſideratis circiter ſexcentis viris, ac inter eos duobus cohortium Præfectis; ſigna tamen nulla perdita. Quin irritati Hiſpani iterari vim petunt. Fit diligentiſſimè; tonant tormenta nocte dieque, pons multò firmior ampliorque ædificatur. Interim imbellis Harlemi ſexus fame exhauſtus, cõtinua audiens tormentorum tonitrua, ad Gubernatores militumque Præfectos magno numero concurrit, orans, antequam omnes fame aut ferro pereant, honeſtis conditionibus, quas Regij proponebant, deditionem facerent: feciſſe enim Orangium ac Hollandos confœderatos quidquid boni probique debent ſocij; nil eos amplius poſſe. Sciebant hæc vera eſſe Præfecti, ſed certiores clàm facti, extremum adornare Orãgium auxilium, vt ſumma vi caſtrorum Regiorum partem perrumperet (intereà tempus, donec eſſet paratus, traherent) ſimulant ſe conſentire in eorum petitionem; mittuntque tympaniſtam, fide publica Legatos mittere liceat. Accepta poteſtate, à Regis parte venit Comes Oberſteinij ac Comes Boſſuuij, intráque duas portas aperto in campo cum Harlemiis collocuti: vt & bis anteà fruſtrà fecerant, primo & tertio Iulij, nec nunc ſexto eiuſdem conuenire

Excutitur eis præda à Regiis.

Strenuè Harlemũ ſemel & iterùm Regij inuadunt.

Oppidani tranſigere ſe velle fingunt.

Colloquuntur, tãtùm vt populũ famentem placent.

1573 potuerunt,ciuibus intereà clàm, contrà quàm conuentum fuerat, intra vrbem ex oppoſito ruinæ nouas munitiones erigentibus. Quod cùm diu clàm eſſe nequiret, Toletanus gnarus extrema eos ante deditionem tentaturos,Orangiumq; in Hollandia diligentiſſimè militem commeatumque parare, vrbem arctiùs diligentiuſque exercitu circumdans, vt nocte dieque contra vim externam internamq; paratus eſſet, dimidiam exercitus partem excubias viciſſim agere voluit. De ciuium miſeria indies certior fiebat à transfugis ciuibus ac militibus, qui imbellis populi calamitates diutiùs ferre non valẽtes,magno numero ad caſtra Regia nocte dieque transfugiebant, admonentes abſtineret Toletanus ab oppugnatione,ea enim intus erecta eſſe opera,quę nulla vi ſuperari poſſe viderentur,ſed famem mox ſine ſanguine deditionem facturam. Peruenerant certè Harlemij ad extremam rerum inopiam: iam abſumpſerant equos,canes,feles,mures,glires, viridia quoque omnia: radices parciſſimè reperiebant, viuebantque multi ex coctis calceis, equorum vaccarumque tergoribus, fameque enectos non paucos triſti ſpectaculo licebat ſingulis diebus videre in publicis viis ac priuatorum ædibus: vtque hæc ſociis Harlemij declararent, è turribus templorumque ſummitatibus varia miſeriæ ſigna, nigro inter alia oſtenſo panno,depromebant; quod Orangianorum excubiæ in Caga, vbi munitiſſimam habebant ſtationem,videntes,vt eis animum adderent,in altum,quaſi aliquid aggreſſuri,prouehebantur. Sed occurrentibus Boſſuuianis, ſtatim ad munitionem Caganam refugiebant. Idem quoque tentabant Harlemiorum naues,ſed eodem euentu. Solo igitur ac poſtremo quod apparabat Orangius auxilio ſe ſolantes, Hieronymum Seratium ac Goutonnium, qui ante duos menſes cum militum ſupplemento puluereque bellico Harlemum venerant,ad Orangium remittunt, vrbis conditionem, extremam famem,crebráque transfugia declaraturi. Hi autem hac ratione euaſere. Obſcura nocte velociſſimam celocem,remigibus robuſtiſſimis, ac promptiſſimis ſclopetariis inſtructam ingreſſi,modeſtéque remigantes in vrbe omnia tympana,tubas,campanáſque ſonabant,ac ex compoſito ciues præſidiarioſque ad arma vocabant: quo tumultu caſtra Regia claſſiariique ſe armabant,Harlemios diuerſis locis erupturos expectantes. Beneficio huius tumultus, Seratiani quantum poterant remigantes per mediam Boſſuuij claſſem,nemine ſentiente, euaſerunt, ac ad ſocios in Cagam,indéque ad Orangium tutò peruenerunt. Attulerat Seratius Harlemo domeſticam columbam (quod & ſæpiùs anteà Harlemij hac obſidione exemplo Mutinenſium fecerant) quæ non ita dudum pullos ouis excluſerat. Huius ventri literas Orangij ad Harlemios conſolatorias alligat,fidóque dat famulo: qui nocte tantùm iter faciens, cùm dimidio

Dimidia caſtrorum pars viciſſim excubat.

Extrema fames Harlemi.

Inſigni aſtu Legati Harlemo ad Orangium euadunt.

Miniſterio columbæ auxilia mox adfutura nuntiant.

midio ab vrbe milliari abeſſet, parum ante auroram columbam dimittit, ipſéque vnde venerat, feſtinans ſe proripit. Illa deſiderio pullorum, à famulo benè paſta, rectà Harlemum, indéque ad notam domum pulloſque contendit. Capta ab hero, literæ ad Magiſtratum deferuntur, publicéque omnibus leguntur. Concipiunt aliquid ſpei, armáque ciues militéſque expediunt, vt Orangio partem caſtrorum inuaſuro eruptione ſubueniant. Is diligentiſſimè commeatum, puluerem bellicum ac militem vndiquaque parabat. Conueniebant & ſingulis è ciuitatibus & oppidis voluntarij complures adoleſcentes, cauſæ deuoti; nondum edocti, Dulce bellum inexpertis. Agebat hoc tempore Orangius Leidæ, cõtumelioſiſque populi vociferationibus ad auxilium Harlemiis ferendum incitabatur. Iamque quadringenta coëgerat plauſtra, eáque omnibus rebus neceſſariis repleuerat. Iubet indici ieiunia, inopibus dari munera, fieri precationes ac cãtationes. Deinde copiis omnibus in vnum coactis, quatuor peditum millia, ac octingentos recenſens equites, præficit Batenburgij Regulum è fratribus natu maximum. Hic nono Iulij ſe committit itineri. Scriptum enim erat Harlemiis, quo die ac hora eſſent venturi; proinde in Germanorum caſtra non irrumperent, antequam incenſis militum eorum tentoriis flammam exoriri viderent. Paulò ante ſolis ortum, hora noctis tertia, Iulij die decimo, haud procul Harlemo, Batenburgius, loco Heiligenwech dicto, ſe perueniſſe cõſpiciens, ex omnibus copiis quadringẽtos eligit expeditiſſimos ſclopetarios, pro maxima parte Germanicè loquentes, Regiáque ſigna ferentes; qui in ſupplementũ Regiorum ſe venire ſimulantes, caſtra ingreſſi armis non eſſent vſuri, antequam Germanorum aliquot incendiſſent tentoria. Primæ ſtationi extra caſtra excubias agenti óbuiàm facti, vt commilitones militariter ſalutant; rogatíque qui eſſent, ac vnde venirent, omnes, excepto vno, transfodiunt, ac ſuperſtiti teſſeram extorquent: quâ acceptâ, caſtra vt commilitones intrant, ſaluere obuios iubent, ac probè diligenterque vigilias agere. Credebantur ſocij & amici, quòd non ſignum tantùm, ſed & Regiam ederent teſſeram, rectáque tendentes ad caſtrorum frontem, vbi cupediariorum ſunt è leui materia tentoriola, ignem his parabant. Sed antequam ad ea peruenire poſſent, in quinque Germanorum cohortes, eodem loco contra Harlemenſium eruptionem inſtructa acie excubantes, incidunt. Orangiani his viſis, detectos ſe exiſtimantes, perturbantur, contráque eos ſclopeta exonerant. Illi re noua attoniti mirabantur, vnde hi in caſtris non detecti hoſtes. Itaque cùm & ſui ſclopetarij exoneraſſent, incumbentes lancearij eos caſtris exturbant. Audiebant Harlemij ſclopetorum exonerationes, hominúmque vociferationes; ſed flammæ ſignum non videntes, clamabant è vallo: Non ita nos in veſtras,

1573

Parat auxilia diligenter Orangius.

Proficiſcũtur ſubſidio pedites 4000. equites 800.

Stratagema inſigne Geuſij inſtituunt.

Nihilominùs haud ſuccedit.

1573 Papiſtę, inſidias, falſæque pugnæ ſimulationem trahitis. Germani nil reſpondentes, eos qui in caſtra intrarant, ſequuntur. Intereà totis caſtris ad arma conclamatur. Mirabatur Batenburgius flammam in Germanorum caſtris non excitari, cùm lento paſſu appropinquans, quadringentos ſuos ruptis ordinibus intento ad ſe curſu properare videt, inſequique Regios. Paucis igitur ſuos ad pugnam animans progreditur: ſed plerique fugam circumſpectabant, exiſtimantes detectos cæſóſq; illos quadringentos, & vniuerſum contra ſe venire exercitum. Nobiles aliquot ac veterani in prima acie acriter lanceis decertabant, ſed mox deſerti ſunt ab omnibus ſclopetariis, ac inprimis ab adoleſcentibus ciuitatibus excitis, cadente poſt dimidiæ horæ pugnam inter primos Batenburgio, Carloo, ac cum his præcipuis Præfectis ac Signiferis. E vulgo militum periere circiter mille quingenti, diſſeminati per duo milliaria vſque ad Zaſſam ac Leidam, pauci capti. Irritati enim erant Germani, quòd toties ſua tẽtaſſent caſtra, ac ſi inter Germanos minus virtutis quàm Hiſpanos aut Wallones eſſent reperturi. Albertus Egmondius, & pauci alij à leuis armaturæ Regiis equitibus capti. Auxere cladem octingenti Orangij equites, qui partim peditum conſternatione, partim proprio metu fugam circumſpectantes, non expectatis Regiis equitibus, in proprios feruntur pedites, eorúmque aciem nutantem facillimè porrò diſſoluunt, Regiiſque eam concidendam relinquunt. Quadringenti aurigæ, plauſtrorum funibus, quibus equi incluſi trahunt, abſciſſis, intento Egmondium verſus curſu, ſe equóſque cædi ſubducunt. Reperta in plauſtris magna vis aromatum, frumenti, ceruiſiæ, vini, ſaccari, caſei, butyri, pulueris bellici, aliarúmque rerum; quæ maior pars Germanis victoriæ incentoribus & inceptoribus in prædam ceſſit. Tredecim noua relata militaria ſigna, ſtatímque collocata in orbiculari munitione portę D. Ioannis dudum à Regiis occupatæ. Tempore pugnæ omnes Harlemiorum naues in altum prodiere, ſed paratum ad pugnam Boſſuuium reperientes, munitione defenſi in vrbem rediere. Harlemij, viſis in munitione Regia tredecim ſuorum ſignis, cladem acceptam intellexere: vt verò certiores etiam eos redderẽt, Regij captiuum militem, abſciſſis naribus & auribus in vrbem abegere, qui rem omnem, vt acta erat, expoſuit. Ad hæc capita aliquot adoleſcentium illorum ciuicorum cæſorum è captis munitionibus in vrbem proiiciebant, quæ cognita teſtimonium cladis firmarunt. Periere ſanè hac pugna adoleſcentes ciues Delfij ſeptuaginta ſex, Brilani quadraginta, Roterodamij triginta, Goudani quinquaginta; ac ſic è pluribus ciuitatibus certus numerus: Seratius vulneratus effugit. E Regiis triginta ſex occubuere. Poſt hæc ſeriò in vrbe de deditione agi cœptum, térque hac de cauſa conuentum, quòd milites nulla ratione inermes exire vellent.

Deprehenſis præcurſoribus, vniuerſa caſtra armantur.

Batenburgius cum 1500 auxiliaribus traditur.

Equites Orangij proprios ſuos pedites proterunt.

Relata tredecim ſigna, mox Harlemiis ſpectanda propoſita.

Numerus cæſorum voluntariorum ex vicinis vrbibus.

Toleta-

Toletanus verò nullas admittebat conditiones, ſed vitam fortunáſque ſuo arbitrio committi iubebat. Hæc dura militibus erant. Germani & Scoti, clàm vt ferebatur, vitæ promiſſo accepto, arbitrio victoris dedi vrbem contenti erant: Angli, Galli, ac Germano-Belgæ nulla ratione, ſed eruptione ferro viam facere volebant; non enim futurum vt omnes fortiter pugnantes caderent. In hanc rem ciues pro maiori parte omnes auro argentóque ſpoliarant, ſummámque quinquaginta millium aureorũ liliorum extorſiſſe credebantur. Erumpere autem hac ratione conſtituerant. In prima acie ſeptem peditum irent ſigna, partim haſtati, partim ſclopetarij: hos ſequeretur Magiſtratus, ciuéſque omnes qui exire cuperent, tum turba imbellis cum ducentis ſclopetariis: tertia acies nouem haberet ſigna, ex haſtatis itidem ac ſclopetariis conſtans: quod reliquum eſſet militum, latera defenderet. Sed decretum effectu caruit, literis Toletani ad vrbem miſſis, quibus contentum ſe gratiam facere profitebatur, exceptis eorum ipſorum iudicio ea indignis. Tum tympani ſonitu præſidiarij omnes in forum conuocantur: quæritur, inermes liberi abire, an armati ſe ad arbitrium victoris dedere malint? Germani ac Scoti, vt diximus, iactato promiſſo confiſi, arma ſeruantes, deditionem facere erant parati; aliæ nationes parum Toletano fidebant; ſine Germanis tamen ac Scotis eruptionem ſe fruſtrà tentaturos ſcientes, cogente dura neceſſitate, tandem in eamdem deſcendunt ſententiam. Quo audito Præfectus nomine Bordetus, natione Scotus, aliis Gallus, ait, At ego numquam Hiſpanis fidam, nec manu eorum carnificum hanc animam ponam: quo dicto, lateri aufert ſclopetum minus, oriúque admotum per cerebrum exonerans, mortuus concidit. Fuerat enim cum Ludouico Naſſouio Montibus Hannoniæ, iurarátque ſe numquam contra Regem Philippum Orangianis militaturum: huius ſacramenti memor ſciebat quid meruiſſet, ac proinde ſua quàm carnificis manu cadere malebat. Antequam præſidiarij vrbem Toletano aperirent, naues omnes perforato fundo in amne Spara cum quatuor maioribus tormentis, è quibus duo Leidani, duo Dordraceni per lacum nauigio miſerant, mergunt: quæ res iram victoris auxit; etſi etiam hæc paulò pòſt Harlemij propriis manibus, ſumptu ac labore eduxerint. Decimo quinto Iulij ſonitu maioris campanæ edicitur, ciues militéſque omnes arma ad ædem Prętoriam deferrent: ciues viri in Monaſterio Sylano, feminæ ac pueri in ſummo templo conuenirent, milites in templo Bakeneſſæ, exceptis Germanis ac Scotis, quibus cum armis iuſſum eſt vallum ac portas ad Regiorum vſq; introitum cuſtodire: tum quidquid in vrbe ac apud milites reſtabat pulueris bellici, in maximo allatum foro, igne abſumitur. Circa veſperam ad horam ſextam, Germani ac Scoti quoque arma ponere iuſſi, ad Beginagium

1573

Præſidiarij quidam vrbem dedere, alij pugnando perrumpere malunt.

Callidè interrogati præſidiarij, infauſtè reſpondent.

Præfectorũ vnus propria manu ſe conficit.

Iubentur ſinguli arma deferre ad ædem Senatoriã.

1573 nagium ſe conferre iubentur. Tum primus Comes Boſſuuius cum duo-
Boſſuuius Harlemũ cum copiis intrat poſt 7. obſidionis menſem.
decim Hiſpanorum peditum ſignis vrbem ingreſſus, portas vallúmque occupat, poſt ſeptimum menſem ac diem vnum ex quo illuc Toletanus Albani filius cum exercitu venerat. Vrbis direptio centum viginti millibus aureorum fuit redempta: dimidium in numerata pecunia, altera pars poſt ſex menſes præſtaretur; ea ſimul conditione, vt quidquid præſidiariis Orangianis adimeretur auri & argenti, quod ciuibus eripuerãt, in partem ſolutionis veniret. Sed qui militum ſarcinas ac veſtes explorabant, ſui non obliti, vix dimidiam partem quinquaginta millium, de quibus ſuprà diximus, ſe reperiſſe fingebant. Tum Germani ac Scoti ad Monaſteria Catharinæ ac Vrſulæ migrant, ac mox Toletanus (qui vni-
Ingreditur & Fredericus Toletanus Albani filius.
uerſo obſidionis tempore in arce Cliuiana haud procul Harlemo ſita diuerterat) ſpecioſo comitatu vrbem ingreditur: Præfecti verò ac Signiferi Orangiani vincti ad arcem Cliuianam cuſtodiendi perducuntur. Decimoſexto Iulij Albanus, qua ratione deditos tractari velit, aperit, Amſtelodamo veniens, vrbémque circumequitans; & cùm varia munitionum genera, formas, ſitúmque inſpexiſſet, Amſtelodamum reuertitur. Decimoſeptimo trecenti milites carcere educti, ac in lineam veſtem exuti,
Præſidiarij plerique gladio, laqueo, vel ſubmerſione necati.
partim gladio partim laqueo vitam finiunt. Die decimooctauo Præfectus Friſonum Ripperda cum Legato gladio caput perdit, tum Steenbachij Lutheranus proclamator laqueo perit: ducenti quadraginta ſeptem alij milites, veſtibus detractis, ac bini dorſis alligati in lacum coniecti ſuffocantur. Exinde ciues dimidiam partem promiſſæ ſummæ, nempe
Ciues præſtant dimidium promiſſæ redemptionis 60. aureorum millia.
ſexaginta aureorum liliorum millia Toletano numerant, ac circiter centum quinquaginta milites alij extra portam Scaelwikiam capitibus truncantur, alteráque die, quæ fuit decimanona eiuſdem Iulij, item ſupra trecentos, intérq; hos non pauci ciues, qui militibus mixti ſe cum eis euaſuros ſperarant. Vigeſimo Iulij Lancelotus Bredenrodius ac Brilæ Quęſtor capti, paulò pòſt Scotę capitibus plexi ſunt. Roſignius Namurcæus Præfectus hucuſque latuerat, inter Germanos, conniuente Steenbachio, ob bellicæ rei peritiam & alias dotes Germanis charus. Sed à duobus Francis militibus, vitam, eo commonſtrato, ſeruantibus, Hiſpanis proditus, vnà cum Bredẽrodio ac Quæſtore Brilano capite priuatus eſt.
Nihilominus ſumpta pœna de Magiſtratu, Præfectiſq; ciuiũ.
Poſt hæc capitur Magiſtratus Orangianus, & quicumque aliqua ratione publica tunc obierant munia, cum Præfectis militaribus ciuium, pœnęque ab his ſumptæ. Et hæc vltra miſerias maximas vtrimque obſidione ſeptem menſium acceptas. Commemorantur Regij variis locis ac temporibus in vrbis muros & vallum exoneraſſe decies mille ducẽtos quinquaginta ſex maiorum tormentorum globos: perieréque ab vtraq; parte frigore, morbis, inopia, ac gladio ſupra quindecim millia hominum. Ini-

tio

tio obſidionis vrbanum præſidium tantùm erat mille quingentorum Germanorum; ſed mox accedentibus aliis nationibus, creuere ad quatuor, poſtremò ad quinq; millia veteranorum peditum ac ducentorum equitum. Cùm deditio fieret, ad tria ægrè millia peruenerant, è quibus mille quadringenti gladio, laqueo, aut aqua fuere interempti, operam præſtãtibus quatuor carnificibus cum famulis. Ita Heuterus. Alius grauis Scriptor his verbis triſtẽ huius obſidionis exitum deſcribit: Pluries in captiuos milites ſæuitum; occiſiſque vario ſupplicio plus nongenti. Hic exitus obſidionis fuit, in qua fortiter extrema omnia paſſi obſeſſi, & tormentorum decies mille & ducentos ictus excepere; & qui anteà circiter quatuor millia fuerant, ad mille quingentos redacti ſunt. Sed nec obſeſſoribus hæc victoria incruenta, quippe cæſi præſtantiſſimi belli duces numero multi, & gregarij milites vltra decem millia. Lazari Mulleri legio, execrata Orangij militia cùm vitæ gratiam impetraſſet, à centum ſexaginta equitibus in Gelriam deducitur: quod vbi Sonoio Orangiano exploratum, qui ad Dimerium aggerem excubabat, duce Hegemanno tribus triremibus ſclopetarios aliquot imponit: iſque ſtatim nil opinantes noctu adortus, antequam ſumere arma poſſent, Hiſpanis omnibus profligatis, liberatos cuſtodia Germanos ad Sonoium protinus duxit; qui armaturus illos erat valdè pronos, & vlciſcendæ, vt præ ſe ferebant, iniuriæ auidos. Sed captiuis adhuc ductoribus, cùm accepta rei fama extremum ſupplicium Toletanus minaretur, exorato ægrè temporis ſpatio, Iacobus Steinbachius, Chriſtophorus Vaderus, Schramnius Brunſwicenſis & Chriſtophorus Guntherus ocyùs ad illos Bebecotum & Murdianum cum literis mittunt, orántque, vellent fidei datæ meminiſſe, nec innocentes ſe in periculum vitæ adducerent: quibus impulſi à militia diſceſſere. Pergit Heuterus: Harlemo in poteſtatem redacto, Toletanus militi concedit quietem. Intereà ex Alcmaria Septemtrionali Hollandiæ ciuitate (Waterlandiam vocant regionem) clàm ad Comitem Boſſuuium veniunt in caſtra Catholicorum Legati, promittentes, ſi iuſtis veniat cum copiis, (quandoquidem nullum haberent Orangij præſidium) ſe portâ vrbis occupatâ, certò eum intromiſſuros. Refert hęc ſtatim Boſſuuius Toletano: ſed ille procraſtinando, cauſa fuit vt Orangianorum præſidium Regios præueniret. Etenim ciues Orangio ſtudentes eòdem tempore ad Orangianos, qui in aggere Antonij à Regiis pro parte obſeſſi, vt diximus, adhuc hærebant, ſcribunt, Alcmariam præſidio carentem quamprimùm contendant, antequam ſe Hiſpani præueniant. Ita gauiſi hi, quod è lutoſo aggere in ciuitatem rebus omnibus abundantem eſſent migraturi, deſertis etiam nauibus, quas ob Snateri Regij Præfecti propinquitatem per aggeris hiatum deducere non potè-

1573

Præſidiarij ex quinq; millibus vix tria millia.

Summa miſeriarũ huius obſidionis.

Germani, eiurata Orangij militia, vita donati.

Iis interceptis ab Orangianis, Præfecti vix euadunt.

Procraſtinatione Toletani, Orangiani Alcmariã ſui iuris faciunt.

rant,

1573 rant, ab altero amnis Tyæ latere, octingenti numero proficiſcentes, (dimidia parte eorum in Waterlandico aggere manente, vt eam partem ac naues in Tiorto in anchoris ſtantes defenderent, quòd ob Snaterianæ munitionis tormentorúmque eius vim loco ſe mouere non poſſent) ceteri rectà Alcmariam Ruſſauero ductore contendunt. Dum hęc fiunt, importunitate Boſſuuij, Noircarmij, & Catholicorum in caſtris Regiis exulantium, Toletanus duo Hiſpanorum peditum millia cum quadringẽtis equitibus, Boſſuuio ac Noircarmio Ducibus, Alcmariam miſerat: ſed illi, inuitis Ducibus in itinere tempus prædando perdentes, cauſa fuere, vt dimidio ante aduentum ſuum die Ruſſauerus cum ſexcentis peditibus vigeſimo quinto Iulij Alcmariam intraret. Poſtero die Boſſuuius Regi portas aperiri iubet. Reſpondent, Regios milites intus eſſe; ſed libertatis hoſtibus portas non patere. Videntes igitur Hiſpani ſe nil ob copiarum exiguitatem facturos, Harlemum reuertuntur, vbi cum ceteris Hiſpanis, qui in vrbe non erant, in ſeditionem, de qua paulò pòſt pleniùs dicemus, verſi ſunt, partem prædæ direpti Harlemi ſimul petẽtes. Vigeſimo octauo Iulij Albanus Neomago Vltraiectum veniẽs, decem torméta maiora cum apparatu adducebat, quòd è quatuordecim tormentis, quæ Harlemum oppugnarant, ſex aſſiduo vſu inutilia rimiſq; deformia erant facta. Hîc ad ſe vocat filium Fredericum Toletanum, Comitem Oberſteinium, Fronsbergium, Noircarmium, Sceinckium à Tautenborgh, Baldæum legionis Hiſpanicę Prefectum, ac alios. Hi Vltraiectum venientes, communi conſilio decreuere, quæ paulò pòſt narrabimus. Venerant cum Albano Comites Arembergę & Barlaymontij, Hiergæ Baro, Chiappinus, Vitellius cum pleriſq; Hiſpanis & Italis. Soluto conſilio, ſtatim Toletanus Harlemum reuertitur: Albanus verò poſtremùm Vltraiecti gratiam offert vrbibus, ciuitatibus ac oppidis, arcibus, omnibuſque locis ac hominibus, qui deſertis Orangianis ad veterem Regis reuerterentur obedientiam auctoritatemque; exempláque gratiæ ſcripto edita per omnem mittuntur Hollandiam, ſed irriſa à pleriſque, quòd apud eos Albanus cum Hiſpanis fidem non ampliùs obtineret, quam tam fœdè apud Nardenſes, vt dicebant, violaſſet. Interea Baldæus expugnat Orangianorum munitionem inter Leidam ac Wordam in pago Neerbrug ſitam, occiſis ſupra centum præſidiariis, reliquis Wordam fugientibus; quod audientes proximæ munitionis præſidiarij, iuxta fornacem lateritium nuncupatæ, ea ſemidiruta etiam Wordam migrant. Habebat Baldæus duo millia ſclopetariorum, pergitque Oudwateram: nemine exeunte, proficiſcitur Goudam: nec his ſe mouentibus, Roterodamum venit. Nemine gratiam petente, nec ad pugnã quoque prodeunte, locis natura munitis, vallo foſſáque ea circumdans, mili-

Hiſpani prædando tempus perdentes ſeriùs Alemariam veniunt.

Reuerſi, ſimul cum ſociis ad Harlemũ pro ſtipendiis tumultuantur.

Albanus Vltraiecti conſultat, quid porrò agendum.

Publicat gratiam reuertentibus ad Regem, ſed ridetur.

Baldæus Hiſpanus munitiones quaſdam firmat.

militem imponit. Expugnat & Goudanam cataractam ac Alfanam munitionem, præſidiiſque firmat, conuocans Alfæ omnium pagorum Præfectos, promiſſa vitæ fortunarumque defenſione, accipítque à ſingulis ſacramentum, nil ſe Orangianis in locis, ſed Regem tantùm agnoſcentibus venum delaturos; ſicque diſceſſit. Intereà nec Orangius quieſcebat, ſed dedito Harlemo, animos Hollandorum inſtauraturus, eóſq; ad inſtans bellum erecturus, Leidâ (vbi Noyellæ Regulum cum octingentis reliquit peditibus) Delfos proficiſcitur, hinc Maſelantſluſium, inde Brilam, tum Dordracum, Gorinchemum, ad arcem Louenſteiniam, Bommelium, tum rurſum Gorinchemium, Schoonhouium, denuóque Dordracum, omnibus affirmans, fratrem Ludouicum magna militum manu breuî adfuturum; in Francia pacem factam, quot vellent, Hugonotarum ſigna ſe habituros: quibus verbis recreatus populus credulus veteres ſumit animos, quæ imperabantur, læti præſtare parati. Durabat ſeditio Harlemi Hiſpanorum veteranorum intra ac extra vrbem agentium, quæ trigeſimo Iulij hac ratione eruperat. Nocte hora decima extra vrbem tympana omnes ad arma vocant. Conuenientes, in aciem ſe conſtituunt, ac reliqua nocte conſultant. Poſtero die, hora nona antemeridiana, in media acie, more ſuo Sacrum celebrari curant, eóq; abſoluto, inuicem dant fidem, ſe veterem non admiſſuros diſciplinam, niſi plenè perſolutis ſtipendiis, ac domiti Harlemi accepto honorario. Fugerant fugati veteres Præfecti, nouos legunt, vnumque qui omnibus præſit (Electum vocant) Antonium Maldonatum. Qui cùm nulla ratione Præfecturam ſine Regis auctoritate vellet accipere, Iacobum Caſtanedam, vt admittat, cogunt. Deinde acie inſtructa per poſtremò factam in vallo Harlemio ruinam, ad vrbem pergunt. Qui in vrbe erant, inclinatis haſtis, exoneratiſque in aërem ſclopetis, ſimulant eos ingreſſu prohibere velle. Sed ad manus venientes, poſitis vtrimque armis ſe amplexantur, aduentúmq; gratulantur. Iulianus Romerus cum aliquot Præfectis placare eos conatus, ægrè vim nauigio effugit, Amſtelodamumq; octauo Auguſti, & mox Vltraiectum ad Albanum peruenit. A quo ad eos miſſus filius Fredericus eum audire noluere, appellãtes mollem, mulieroſum, fatuum, de die dormientem, nocturnum aleatorem, ſcortatorem ac potatorem. Sed venientem Chiappinum Vitellium, exoneratis omnibus maioribus minoribuſq; tormentis, magnificè excepere. Cùm is varias proponeret ſolutionis conditiones ac rationes, nullas admittere voluere, niſi præſtita triginta menſium ſtipendiorum ſolutione. Erant numero paululum ſupra bis mille ſexcenti, reſiduum octo millium qui cum Albano anno 1568. ex Italia ad Belgas venerant. Tandem decimo tertio Auguſti contenti fuere, ſingulis eorum numeratis triginta aureis liliis;

1573

Econtrà Orangius oppida luſtrans ſingulos animat.

Ordo ſeceſſionis Hiſpanorum ad Harlemum.

Quin etiã in vrbe ſocios tumultuantes recipiunt.

Exigunt hi tumultuantes triginta menſium ſtipendia.

1573 liliis; è quibus ſexdecim pro Harlemiana eſſent præda, quatuordecim in diminutionem debitorum ſtipendiorum. Præcipui qui eos ſedarint, perhibentur Chiappinus Vitellius, Comes Oberſteinius, Baldæus, & inprimis eorum Electus Caſtaneda. Sub idem tempus Middelburgij in Zelandia dudum ab Orangianis obſeſſi, acriter fame laborabant. Quare *Iterùm Albanus conatur ſubuenire Middelburgenſibus.* Albanus, armatis Antuerpiæ circiter octoginta nauibus, eò Bauoiſium proficiſci iubet. Soluit claſſis vrbe quarto Auguſti: iuxta Vliſſingam veniés, Orangianorum naues ſe numero & magnitudine & apparatu ſuperare videt, nihil tamen moliri, quàm vt Regiis tranſitum impediant, aut ſi inuadantur, ſe ſtrenuè defendant. Quid agat Bauoiſius? Eos inuadere non audens, maiorum tormentorum globis ſe mutuò nocte diéque impetunt. Intereà Orangius arce Rammekana hac ratione potitur, dudum corrupto, vt volunt, Signiferi animo. Abierat certa de cauſa Præfectus arcis Middelburgum. Signifer eius Legatus maiorem præſidij partem emittit, vt matura certo loco frumenta demeterent, auxiliares ſocios eos Middelburgo & Armuda accepturos. Credunt, exeunt, ac in paratas inſidias incidentes, paucis effugientibus, cæduntur: quo ex voto ſuccedente, mox terra aquáque arcem obſident, & ad expugnationem neceſſaria parant. Quo præſidiarij viſo, Præfectúmque ſuum auxilium non ferre, verentes inſuper cuniculos dudum ab Orangianis cœptos, ſuadēte Signifero, ea conditione deditionem Orangio faciunt, vt tuto cum omnibus rebus Middelburgum deducerentur. Bauoiſius, his intellectis, tum etiam quòd claſſis Regia perdita arce Rammekana, obſtantéque Orangianorum potēti claſſe, Armudam nullo modo intrare poſſe videretur, Præfectus valida cum manu ad alteram inſulæ partem, ad pagum Weſtcapellam, militem expoſuit, ſequentéque eum Middelburgo Mondragone, frumenta agris campiſque deſecant, ac Middelburgum deferunt. Tum obſcuram nactus Bauoiſius noctem, ventumque ſecundum, quinque tamen perditis nauibus, Middelburgum venit, commeatumq; exponit; paulóque pòſt alio itinere, vitata Orangianorum claſſe, Antuerpiam reuertit, relicta Middelburgi cuſtodia Mōdragonio cum quindecim cohortium legione, quam vrbem ille vſque ad ſextum Februarij anni ſequentis, vti dicemus, ſtrenuè defendit, etſi hoſtibus vndique cinctus. Eodem tempore Boſſuuius Iſelſteinio oppidulo vno tantùm milliari Vltraiecto diſtante, perſuaſus ab Vltraiectinis, cohortem trecentorū Germanorum peditum miſerat. Et quidem admittere eos recuſabant Iſelſteinij, Orangij præſidium expectantes. Sed cùm Vltraiecto alia Germanorum ac Hiſpanorum peditum ſigna venire intellexiſſent, timentes expugnationem, etſi inuitè, Germanos admiſerunt. Quare Leerdamij (eiuſdem conditionis oppidulum eſt duobus milliaribus Vltraiecto

Intereà Orangiani potiuntur arce Rammekana.

Hinc ergo alia via Middelburgenſibus ſuccurritur, non ſine clade.

Iſelſteino iuxta Vltraiectum præſidium Regium imponitur.

cto diſſitum, & Orangiani ſimiliter iuris, ex dote primæ vxoris) Oran- 1573
gium ipſum adeunt, docentque, ſi præſidium accipere Regium cogãtur, futurum vt Gorinchemiis, erepto Lingæ amnis commercio, maxima mercaturæ pars pereat, imò & Buranos Bommelióſque numquam fore tutos; addentes, Hiergium, quod verum erat, minatum ſe Aſperæ ac Hukelemij præſidia miſſurum. Orangius vera eos dicere intelligens, Ghiſtellio ac Vigio trecentos habentibus nudos & malè armatos, diuerſiſque è cladibus collectos milites, iubet Leerdamum ducant. Catholici ciues ac Conſules portas claudentes admittere eos nolebant. Sed Droſſardus in vetuſta habitans arce ad oppidi mœnia ædificata, adiutantibus ciuibus Orangio fauentibus, aduerſa aperta porta, eos intromittunt. Albani corporis cuſtodes Vltraiecto Leerdamum proficiſcentes, cùm Orangianos admiſſos intelligerent, rediere. Sub idem tempus Hiergæ Baro, experturus num Bommelij ad Regis auctoritatẽ reduci poſſint, cum ſua decem cohortium legione ac trecentis equitibus in inſulam Bommelanam proficiſcitur. Abſtinet ab omni maleficio, ruſtico militibus cibo contentis. Cumque aliquamdiu in ea egiſſet, nec ſe quiſquam moueret, tympaniſtam ad oppidum mittit, petens, Conſules, accepta fide publica, ad ſe colloquij cauſa exeant. Petunt, duos vt expectet dies. Scripſerant enim omnibus ſociis Orangianis vicinis pro auxilio: quod cùm accepiſſent, exeunt, ſed in pugnam, idque ſingulis diebus, æquo Marte ferè diſcedentes. Tandem quodam veſpero magna manu erumpentes, cohortẽ iunioris Comitis Tsherenbergij inuadunt, aliquot ſternunt, ipſum in mento ſauciant, donec ceteris accurrentibus in oppidum repellerentur. Videns igitur Hiergius ſe nil proficere, coacta præda, inſulâ diſcedit. Erumpunt Bommelani in abeuntem; ſed equitum eius vim timentes, in Nobilium arces iram conuertunt, Roſſemium, Pourroiam, ac alias exurunt. Tum exiſtimantes Hiergium legionem in præſidia diſtribuiſſe, euocãt Gorinchemo, Bura, Leerdamo, ac vicinis locis ſupra mille viros; ac in ſuperiorem inſulæ partem profecti, inter municipia Dreile ac Heel iuſtam munitionem erigere incipiunt, vt Buſcoducenſibus, Dreilanis ac Heeliis prædandæ inſulæ poteſtatem eriperent. Erant in arce Heeliana trecenti ſclopetarij Regij, quorum Præfectus Buſcoducenſibus nuntiari iubet Orangianorum in inſula conatus, auxiliumque impediendi operis petit. Exeunt ſtatim vrbe tria Germanorum peditum ſigna, vnum Wallonum, ac ducenti equites leuis armaturæ. Hiergius trecentos pedites ad arcem mittit Dreilanam, inde hoſtes inuaſurus, aut fugientes cæſurus. Heelij ac Dreilæ Præfecti, de Buſcoducenſium auxiliis certiores facti, ſocia arma parabant: creuerat enim Orangianorum numerus ad mille quingentos viros; campeſtria tormenta ſeptem trahebant. Regij Buſco-

Idem memtuentes Leerdamenſes, præſidium ab Orangio petunt, & accipiunt.

Hiergius cum ſuis inſulam Bommelanam ingreditur.

Bommelani acceptis auxiliis aliquoties in Regios erumpunt.

Diſcedentibus Regiis, inſulã ſuam munitunt.

Colliguntur vtrimque copiæ.

1573 duco proficiſcuntur duabus poſt Solis occaſum horis, intempeſtáq; nocte ad Orangianos venientes, eos, neglectis excubiis, genio indulgere reperiunt. Quare non pugna, ſed ingens fit cædes, Orangianis fugientibus: qui in Dreilanos ac Heelios incidentes, non minùs paſſim trucidantur, ceteros pedites equitéſque inſecuti, tenebris non admodum denſis menſe Auguſto facilè cognitos magno numero ſternunt. Vna cohors pugnam tentare auſa, obruitur. Quare proiectis armis ſe dedentes, Buſcoducum mittuntur. Aliquot Orangiani Dreilæ ædibus ex fuga occupatis, ex iis inſequentes Regios vulnerabant: quo percepto, incenſo municipio, omnes in eo Orangiani interiere. Periere circiter octingenti, capti trecenti, ceteri effugere, ferè omnes ſaucij. Regij magnam commeatus vim, omnia impedimenta tormentáque obtinuere. Hæc 13. Auguſti in inſula Bommelana. Iam placati, vt diximus, ad Harlemum ſeditioſi Hiſpani, vigeſimo primo Auguſti Harlemo profecti, caſtra ad Alcmariam ſeriò poſuere, primóque aduentu munitiones in Goudiis, Ton, Scerm, Wallones expugnantes, circiter trecentos Orangianos aquis mergunt, de cuius obſidionis ſucceſſu poſteà. Intereà vigeſimo octauo Auguſti, è Regia munitione, quæ Alfæ ac in Goudana erat cataracta, profecti ducenti Hiſpani ac Wallones, duce Baldæo circa Leidam prædatũ exeunt: ſed venientes inter Coukerkam ac Leiderdorpium, vbi Noiellæ Regulus ab Orangio, vt diximus, Leidæ cum octingẽtis peditibus Prę-fectus, ad Rhenum in exigua ſedebat munitione, latitabantque plures poſt Rheni aggerem, ſubitò ab omnibus lateribus inuaduntur: pugnatur acerrimè, ſed præcipuo Baldæi damno. Perditis enim circiter octoginta è ſuis, ipſe in hoſtium poteſtatem veniſſet, niſi Præfecti Wallonum interuentu effugiſſet, eo pro ſe capto cum aliquot militibus relicto. Baldæus ad munitiones ſuas, deſertis cæſis, reuerſus, reperit quoque omnes ferè reliquos milites vulneratos. Eodem die ſex Orangianorum Germanorum ſigna, octingentos tãtùm viros habentia, è regione ciuitatis Neomagij in aggere explicatis ſignis proficiſcentia ſunt conſpecta. Sequebatur eos intento paſſu Hiergius cum ſua, ac Carolus Focquerus cum recenter in Germania pro Rege conſcripta legione: quos illi timentes citatis pergebant paſſibus, ac pontones ſuæ alligabant ripæ, donec Aſperam venientes, ac duobus diebus ſe recreantes, inde in Hollandiam tranſierunt. Habebant Orangiani Waterlandij munitionem in fine aggeris amnis Tię inſignem, in cuius portu multas oneratas demerſerant naues, vt Amſtelodamiis omnem eriperent nauigationem. Aderant & naues aliquot bellicæ; aggerem ab vtraque parte interſciderant; à parte autem continentis largam altámque duxerant foſſam; de iuſto præſidio, tormentis, commeatu, omniſque apparatu abundè prouiderant. Has munitiones

Pereunt Orangiani circiter octingenti, capti trecenti.

Tandem Alcmaria ſeriò obſidetur.

Baldæus ab Orangianis iuxta Leidam eladem accipit.

Noua vtriſque ex Germania auxilia.

De munitionibus Orangianorum circa Amſtelodamum.

Boſſu-

Bossuuius, postremo Augusti oppugnandas desumit. Sed cùm tormenta diu multúmq; exonerata, parum valli strauissent, instructa classe decem & septem nauium, deinde Amstelodamo profectus, quid fecerit, paulò pòst dicemus. Etenim & hoc narrandum, quomodo eodem illo die vltimo Augusti Geertrudeberga in Orangij venerit potestatem. Præerat oppido Nobilis Belga, cognomine Draco, præsidio centum quinquaginta Wallonum. Is exigui census cùm esset, rapinas militum dissimulabat, ex iisque communicabat. Ita paulatim ciues erga Præfectum præsidiariosque immensum concipiunt odium, sed tum maximè, cùm Consul, pauperculi ciuis à milite iniuria affecti causam agens, à Præfecto in os verberatur. Has igitur indignitates non ampliùs ferendas constituentes, de tradendo Orangio oppido primùm Magistratus inter se clàm coniurat, anteà omnino Regi addictissimus: pollicentéque Orangio Catholicam priscam Religionem sartam tectam ciuibus mansuram, sensim nõ grauatè in sententiam trahunt, ac Dordracum, quid moliantur, perscribunt; admonentes quàm secretissimè paruis cum nauigiis, maximis tamen cum copiis veniant. Itaque vltimo Augusti veniunt Dordraceni, Duce Poieto, Orangij in rebus bellicis Legato, ac corporis custodum Præfecto, tumultúque maximo, tympanis ac clamore ad oppidi portum excitato, omnes eodem Wallones cum Præfecto conuertunt, oppugnantque mœnia vi simulata ad vesperam vsque. Sed Sole occidente, simulantes nil se effecturos, nauigia ab oppidi conspectu abducunt, & post paucos dies post Solis occasum modestè redeuntes, militum partem ad orientalem oppidi plagam exponunt, ceteris in nauibus manentibus: qui denuò oppugnationem simulantes, omnes cum Præfecto præsidiarios iterùm ad portum alliciunt. Intereà qui in terram expositi erant, adiuti à ciuibus qui eos Dordraco euocarãt, funibus ac scalis, imò & manibus subnixi in oppidum transcendunt, attollentésque à tergo ingẽtem clamorem, cùm & illi qui è nauibus oppugnationem simularant, veram vim inferrent, illi à tergo Wallones cum suæ partis ciuibus inuadentes, insignem stragem edunt, portámque aqueam suis aperiunt. Cecidere circiter octoginta Wallones, sauciati triginta, capti decem, ceteri cum Dracone effugere. Hæc vndecimo Septembris acta. Orangius felici conatu delectatus, ad oppidum mittit Hieronymum Seratium præsidio octingentorum peditum, qui indies excurrentes ad portas vsque Bredanas ac Buscoducenses, prædas immanes agebant, donec à leuis armaturę equitibus dictis locis distributis, clades non semel accipientes, prædáque exuti cautiùs agere discerent. Diximus paulò antè, quòd Bossuuius terra obsidens Orangianorum munitionem Dymerdikiæ nil efficere potuisset sine classe. Ea nunc decem & septem nauium parata, duos nocte mit-

1573

De munitionibus Orangianorum circa Amstelodamum.

Geertrudenbergani de tradenda Orangio vrbe agunt.

Orangiani vi tentant Geertrudẽbergam, vt paulò pòst fallant.

Hi pugnãtes, alia parte à ciuibus admissi, vrbe potiuntur.

Bossuius munitiones Geusiorum circa Amstelodamũ disiicere instituit.

1573 mittit lembos, exploratum nautico more, an tranſire poſſent obſtructũ, vt putabatur, ab Orangianis portum. Experti ſatis eſſe profunditatis, Boſſuuio renuntiant. Is cum ſua claſſe Amſtelodamo ſoluens, eò tendit. Expectabat eum ſtans in anchoris ſub ipſa munitione claſſis Orangiana tormentis maioribus tranſitum impeditura. Id ne fieret, duo tormenta maxima, quæ in ora portus ſteterant, Boſſuuius per aggeris hiatum in alterum eius latus ex aduerſo Orangianorum claſſis, beneficio duarum nauium iuxta aquas euntium (*Vlootſchuyten* vocant) trahi iuſſit: quo facto continua in Orangianam claſſem exoneratione effecere, vt ſublatis anchoris loco Orangiani decederẽt, ſeſeq; ex aduerſo ad pagum Dorinkerdamum cõferrent, ita vt Boſſuuius ſua cum claſſe decimo tertio Septẽmbris aggeris hiatus tranſiens, aqua iis etiam obſidionem minaretur: quod verentes Orangiani, maioribus in eius claſſem contortis tormentis, parum damni propter nauium exilitatem intulere. Tum pergens Boſſuuius Dorinckerdamum, Orangianæque claſſi ſe aduerſum oſtendens, inſigniter ſe inuicem maioribus tormentis ſalutauere. Videns denique Boſſuuius, eos deſerto aggere in altum ire, nec cupere manus conſerere, in aggerem Dorinckerdamum, cohortem Præfecti Burhananni, ac pleroſque alios expoſuit; qui rectà contra Orangianorum munitionem tendentes, cùm ab altera parte claſſis Regia eam quoq; à tergo inuadere pararet, ita præſidiarios terruerunt, vt deſerta munitione, ad Waterlandiæ oppida intenta fuga abirent. Interim propinqui Regij territos inſequentes, partim ferro partim aqua ferè ducentos interfecere. Ackerus Edamius cum duobus aliis Præfectis multíſq; militibus captus Amſtelodamum perducitur. Ceteris oppidum Monikedamum effugium præbuit; pluréſque fuiſſent perituri, niſi proximum pagum nomine Brouc incendiſſent, cuius flamma Regios vlteriùs inſequi prohibuit. Reperta ſunt in munitione quinque maiora ænea tormenta, ſclopeta mille ducẽta, commeatus ingens. Orangianorum claſſis, his intellectis, relicto Dorinckerdamo, ad inſulam Marcam ſe contulit; claſſis Regia iuxta Pampeſium conſtitit, expectans naues vacuas, vt onere ſubleuatæ vada tranſire poſſent, hoſtémque quærere. Intereà Toletanus Regio cum exercitu Alcmariam, vt dictum eſt, arctè obſidebat, oppugnabátque, adeò vt dudum nullus vrbem exire nec intrare poſſet. Tum decimo octauo Septembris, productis viginti tormentis maioribus, quorum nonnulla globos quadraginta librarum eiaculabantur, ab aurora diei ad Solis vſq; occaſum, totáque nocte à vi non quieuere. Poſtero die hora ſecunda pomeridiana proponitur inuaſionis ſignum. Prouolant Hiſpani ad portam piſcariam, aliis Friſicam, ac turrim rubram, vbi ampliſſimæ erant ruinæ, tribúſque continuis horis fortiſſimè decertantes, tandem omni telorum genere

Pellit Orangicas naues ſuis ſtationibus.

Occupat & munitionem ad Dorkendamum.

Pagus Brouc incenſus, Regiorum victoriam ſiſtit.

Hiſpani acriter Alcmariã premunt.

nere obruti, ſe recepere; duobus pontibus, quibus foſſam tranſcenderant, 1573
in hoſtium poteſtate relictis. Eodem die, ea parte vrbis, vbi ſal ex Hiſpania allatum excoqui ſolet, altera tentata oppugnatio eumdem habuit euentum, deſideratis duabus oppugnationibus circiter trecentis Hiſpanis, multiſque ſauciatis. Vigeſimo Septembris iterùm Alcmaria fruſtrà oppugnata, quòd oppidani ſuis tormentis pontem foſſæ impoſitum diſcerpſiſſent, transfugæque ac captiui Regij ſtatum caſtrorum Toletani declarantes, non diu Regios ob continuatas nocte diéque pluuias manſuros aſſererent. Transfugas dico ciues inprimis Harlemenſes, quibus cùm certus numerus foſſorum ad Alcmariam mittendorum eſſet imperatus, & aurum vnde eos conducerent non haberent, ipſi ſortiri inter ſe coacti, alij in tam dura prouincia obiere, alij luxati miſeréque ſauciati domum rediere, maior pars fuga ſe ſubducens ad Orangianos ſe contulere. Igitur Toletanus in ſtagnante regione laſſus vigeſimo quinto Septembris tormenta maiora nauibus imponi iubet, deinde exuſtis ac demolitis captis munitionibus, prædáque ingenti Harlemum abacta, à continua pulſus pluuia, decima Octobris Alcmaria cum exercitu diſcedit, eumque circa Harlemum ac Leidam diſtributum, Baldæo parere iubet: ipſe verò Amſtelodamum ad patrem Albanum profectus, paulò pòſt ſimul Bruxellam reuertuntur. Paulò antè, ſexto Octobris, Dux Medinacæli, indies magis magiſque Belgium perturbari videns, valedicto Albano, Bruxellâ cum filio diſceſſerat, deducentibus eum Duce Arſchotano, eius fratre Haurechi Marchione, Comite Lalano, eius fratre Vilæ Barone, Comite Megemo, multiſque aliis viris Nobilibus, abitu eius dolentibus, atque exiſtimantibus, quòd temperati ingenij vir, magno Belgis vſui manens Gubernator, vti à Rege conſtitutum priùs fuerat, eſſe potuiſſet. Hæſit Valenchenis, donec poteſtatem à Francorum Rege eundi in Hiſpaniam per eius Regnum accepiſſet. Tum valedictis Belgarum Proceribus, benéque ſperare iuſſis, cum filio, ac duodecim viris Nobilibus, Franciam celeribus equis emenſus in Hiſpaniam venit; Regémque, vti fertur, de miſerabili ac calamitoſo Belgij ſtatu certiorem faciens, ingens ſanguinariúmque inſtare bellum declarauit. Certè euentus id probauit. Occupata, quod diximus, ab Orangianis Geertrudenberga, iidem quoque in ditione Langeſtratana, Arcem Ooſterhoutiam ſui iuris fecerant, quam indies magis magíſque muniebant. Albanus edoctus inde eos Antuerpiam vſque excurſiones facturos, Sanchio Daualæ expugnandæ Arcis dat negotium: qui rebus neceſſariis Antuerpiæ paratis, cum tribus virorum millibus Germanis ac Wallonibus, tribúſque maioribus tormentis, eò contendit, ac decimo ſeptimo Octobris Ooſterhoutum venit; collocatiſque idoneo loco tormentis, hiatúque in vallo pro neceſſitate facto,

Vno & altero inſultu circiter trecentos deſiderant.

Ciues Harlemenſes ad Alcmariam fodere coacti, in vrbem fugiunt.

Diſcedit inglorius Toletanus ab Alcmaria.

Dux Medinacæli cum filio in Hiſpaniam reuertitur.

Arx Ooſterhoutana à Regiis obſidetur.

1573 Germani ac Wallones arma animósque parantes, inuasionis signum exspectant. Sed antequam id daretur, Orangiani, concepto terrore, fixis, ac si præsentes fuissent, in vallo hastis, summo manè, ab altera Arcis parte, porta Regiis incognita, ac proinde nullas ibi esse scientes validas excubias, vno atque altero interfecto Regio vigile, clàm exeuntes, nullo accepto incommodo Geertrudenbergam peruenere. Paulò pòst Regij, accepto ad irrumpendum signo, neminem qui obsisteret, reperientes, Arcem sine pugna sanguinéque occupant, ac cum tormentis, commeatu, impedimentísque Regij iuris faciunt, iustóq; præsidio muniunt. Sed in Hollandiam remigremus. Res illic eo erant in statu, vt qui Mari seu Sinui Meridionali dominaretur, totius Waterlandiæ dominus efficeretur. Sciebat id vtraque pars, quare & classem summa cum diligentia curáque apparabant. Waterlandi, Enchusij, Hornij, vicini, naues onerarias maiores, quibus in Orientem ac Occidentem mercatus causa proficisci solebant, triginta habebant; Amstelodamij, vt ciuitas vna, septemdecim tantùm maiores armarat, ac pro maiori parte nouas fabricarat; inter quas Prętoria, triginta magna æris Corinthiaci ferebat tormenta, milites quingentos, socios nauales quinquaginta, & tamen minoris reperta est altitudinis quàm Prętoria Orangianorum: quare & Bossuuius confligere non statuerat, nisi, in quo totus erat, aucta saltem sua classe aliquo numero nauium; sed Albanus de summa rerum decernere iubebat. Omnibus igitur paratis, Kalendis Octobris cum classe septemdecim nauium Amstelodamo, æstu ventóque secundo soluit Bossuuius. Vbi videntes Orangiani eum angustias transiisse, sublatis anchoris, Pampesium transmittentes, ac in altum delati ad prælium se instruebant. Idem Bossuuius faciebat, velificantésque per Sinum, alter alteri ventum præripere conabatur, vt tumentibus velis, latera aduersarij vi puppis vehementiùs verberare, concutere, ac si sors daret, aperire, nauémque cum omnibus qui intus essent, demergere possent. Inter velificandum insigniter maiorum tormentorum globis se lacerabant; minores quoque onerariæ, inter maiores discurrentes, se inuicem, atque eos qui in maioribus erãt, velitariam cientes pugnam, sclopetorum ac mosquetorum globis interficiebant & sauciabãt, ita vt sanguinis riui marina aqua mixti variis Sinus locis fluere conspicerentur. Tandem vndecimo Octobris ab vtraq; parte instructa acie progredientes ad manus pergunt: sed & hîc alter alteri ventum intercipere conatus, dum Bossuuij nauclerus, ad amussim nauem regens, iam iam Orangianorum Prætoriam à latere inuasisset (vt Sinus plenus est vadis, eáque sæpiùs arenarum inuectione ac dissipatione mutantur) Bossuuij Prætoria in vadum vehementi vento illata, immobilis permanet: quo Orangiani viso, eam vndique circumstant. At illa immanes ab vtro-

Fugiunt Orangiani ex Arce insciis Regijs.

Vtrimque apparatus pro imperio Sinus Australis iuxta Amstelodamũ.

Bossuuius adhuc auctam vellet classem, sed confligere iubetur.

Præludunt velitando ad iustam pugnam.

Bossuuius vado hærens, nihilominùs fortissimè depugnat.

vtroque latere, prora ac puppi euomens globos, perforatam Orangianam vnam, cum omnibus qui intus erant, in profundum demerſit. Tum Prætoria Orangianorum Boſſuuium inuadens, cladémque à tormentis acceptam continuò reſarciens, illi harpagones iniicit, vlteriúſque tormẽtis maioribus vti vetat. Eadem ratione nauis Ioannis Deils fluctuans, à tribus Orangianis nauigiis, iniectis harpagonibus inuaſa, ter iis vi ruptis, hoſtes repulit, tanta ſanguinis cum effuſione, vt è ducentis viris tantùm triginta ſex Amſtelodamum veniens reportarit. Fredericus Thomaſſonius Goudanus, plenis velis Boſſuuio in auxilium tendens, in medios inuectus Orangianos, eorum tormentis perforatus, in profundum eſt demerſus, viris pro maiori parte enatantibus, ac hoſti ſe dedentibus. Quindecim ceteræ Regiæ naues Fredericum demerſum, & Boſſuuium in vado videntes, expectare diutiùs Orangianos non auſæ, Amſtelodamum verſus, deſerto Boſſuuio, fugam arripiũt; infra Pampeſium anchoras iacientes. Intereà Boſſuuius à viginti Orangianis onerariis maioribus cominùs oppugnatus fortiſſimè ſe defendebat, aſtánſque dorſo maiori malo nauis, vndique ſolidiſſimo tectus ferro ſclopeti globo impenetrabili, ſiniſtra orbicularem tenebat clypeum, dextra gladium ancipitẽ. Habebat legionis ſuæ cohortem prætoriam è trecentis veteranis conflatam, ad hæc domeſticos, ac complures Nobiles Hollãdos, eius fortunam ad octoginta numero ſecutos, viros omnes fortes: aderat & cohors veteranorum peditum Hiſpanorum, centum viginti virorum ſub Præfecto Corquera. His adde ſocios nauales, mari nulli veterano cedentes: ſed quòd eius Prætoria, vt diximus, depreſſior paulò eſſet, quàm Prætoria Orangiana, hęc inter ceteras non infima cladis cauſa fuiſſe putatur. Viginti ſanè & octo horis ſola Boſſuuij Prætoria contra Prætoriam Orangianam decem & nouem naues auxilio habentem continuò depugnans eò redegerat, vt bis è Waterlandia Orangiani recentem vocare cogerẽtur militem, vtraque verò Prætoria vndique ſanguine conſperſa viſeretur. Obruebantur autem propugnatores Prætoriæ Boſſuuianæ è carcheſio mali Prætoriæ Orangianæ ſublimiori, quod orbiculari munimento tectum, duodecim continebat milites, qui exceptis ſclopetis, Boſſuuianos feruente pice, calce, oleo, aqua, arena, ſine intermiſſione perfundebant, oculos, aures, nares, totam faciem, manus ac guttur adurebant, eoſque, quantum poterant, vtendis ſclopetis, haſtis ac gladiis inidoneos reddebant. Boſſuſius Legatus Boſſuuij, qui cum quindecim nauibus vltra Pampeſium fugerat, nocte conuocatis in ſuam ſubprætoriam ceterarum nauium Præfectis, deliberat, quid ſit agendum. Decernitur, die illuceſcente ad Boſſuuium liberandum, aut cum eo moriẽdum, proficiſci omnes debere. Singuli ad ſuos diſcedẽtes, animos corporáque alacres parãt.

1573

Vna & altera naui Boſſuuio ſuccurrentibus reliqua quindecim vela vertunt.

Prætoria Boſſuuij delecto milite inſtructa.

Sola depugnat 28. horis contra viginti nauis.

Quo prætextu Boſſuuius à ſuis deſertus.

Ape-

1573 Aperiente ſe diei crepuſculo, anchoras leuant, expanſiſq; velis incipiunt velificare, expectantes à Boſſuſio Legato prælij ſignum. At ille deſerto Boſſuuio, rectà Amſtelodamum petit. Ignari ceteri, quo conſilio ad vrbem pergeret, cùm tamen aliter decretum eſſet, ſignum eius ſequi coacti, omnes Amſtelodamum naues dirigunt. Dicebat Boſſuſius, ſe coactum ab octoginta veteranis Hiſpanis quos in naue habebat. Adhuc Comes ipſe Boſſuuius obſtinatè ſe defendebat, à Boſſuſio Legato auxilium fruſtrà expectans, eratque vtraque Prætoria plena cadaueribus ac ſauciis, ita vt difficillimè firma veſtigia integri ac ſani ob ſanguinem eiuſq; tabem figere poſſent, inſtabátq; meridies diei duodecimi Octobris, pugnæ hora vigeſima quarta, cecidérántq; è Boſſuuianis ſupra trecétos viros, multò plures apud Orangianos, vti ſemper oppugnantium quàm defendentium durior eſt conditio, & nihilominùs ſtans Boſſuuius veteri ad malum loco, nihil de deditione, ad quam ſæpiſſimè ab Orangianorum Præfecto Snoio inuitabatur, audire volebat. Hoc ſtatu adit eum Corquera Hiſpanorum Præfectus, rogátque, inſtante nocte lembum conſcendens, Regi perſonam ſuam, cum quibus velit, ſeruet, ſe eo in tutum auecto, puluerem omnem bellicum incenſurum, ac Orangianam ſuámq; Prætoriam, cum omnibus qui intus eſſent, abſumpturum. Recuſat abire Boſſuuius, dicens, ſe eos turpi fuga non deſerturum, qui nomen fortunáque ſuam eſſent ſecuti, ſed eamdem cum omnibus ſortem ſubiturum. Animi eius generoſitatem Corquera admiratus, tamen quòd armis fruſtrà vterentur, nulláque euaſionis ſpes ſe oſtenderet, tandem de deditione vt agatur, permitti rogat. Annuit Boſſuuius: exponunt deditionis ſignum. Orangiani læti, quòd finem laborum veniſſe conſpicerent, arma ab vtraque parte ponunt, hiſque conditionibus Boſſuuius deditionem facit. Prætoria cum omnibus quæ in ea reperientur victori cedito: « viuo tamen nec mortuo iniuriam nec vim facito: captiuos pretio aut « commutatione tempore opportuno dimittito: miles pro milite, Præfe- « ctus pro Præfecto, ſocius naualis pro ſimili, Nobilis pro Nobili, liberi « abeunto. His ſcripto conceptis, ac ab vtraque parte ſubſignatis, ſacra- « mentóque confirmatis, Boſſuuius ac Corquera in Orangianorum Prætoriam, poteſtatémque Dierrici Snoij tranſcendunt, deinde poſitis armis ceteri omnes, inter quos fuere Cruningij Baro, Ioſephus à Werua in femore ſaucius, vnde paulò pòſt obiit, tum Hardenbrouckius, Amerongius, cohortis Boſſuuij Signifer, Gerardus Pinſius in altero calce ac gutture ſed non letaliter vulneratus, Weldammius Boſſuuij familiæ diſpenſator leuiter ſauciatus, Adrianus Blienburgius in dextro genu ac femore adeò vulneratus vt paulò pòſt obierit, Ioannes Pinſius, Vander Mulius, Condricus, & Nimannius, omnes vulnerati, ſed non letaliter.

Vtraque Prætoria cadaueribus plena.

Boſſuuius, nec de deditione, nec de fuga audire vult.

Tandem tamen de deditione agi permittit.

Leges deditionis.

Nomina Nobilium Belgarum cum Boſſuuio captorum.

Ac

Achi Nobiles Hollandi. Poſtremus tranſcendit Boſſuuij Sacellanus, tum ſuperſtites milites; mortui in mare proiecti. Paulò pòſt omnes cum Boſſuuio è Prætoria in minorem onerariam deſcendere iuſſi, Enchuſam ſunt vecti. Tum Boſſuuij Prætoria, quam Orangiani Inquiſitionem vocabant Hiſpanicam, pro parte exonerata, moueri, ac è vado in altum ferri cœpit. Corqueræ è centum viginti Hiſpanis ſeptemdecim tantùm ſupererant, iiſque omnes ſaucij, qui curati, pauloque pòſt redempti dimiſſique fuere. Exierant cum Boſſuuio è Prętoria, è quingentis viris tantùm octoginta tres, non ſauciati triginta quinque. Enchuſâ Hornam delati cum Boſſuuio, honeſtis locis cuſtodiæ ſunt traditi, vulneráque curata. Quidquid in Boſſuuij repertum eſt Prætoria, Waterlandiæ ciuitates æqua ratione inter ſe ſunt partitæ. Deſiderati in Regia claſſe circiter nongenti viri, vulnerati ducenti, quorum pars magna conualuit. Ex Orangianis, vt fatebantur, multò plures periere. Pugnatum enim fuit contra ſolam Boſſuuij Prætoriam ab vndecimo die Octobris meridie, hora vndecima incipiendo, vſq; in poſterum diem ad horam quartam pomeridianam, quod eſt interuallum viginti & octo horarum. Paulò pòſt Orangius Hollandięque Ordines honeſtam mittunt in Waterlandiam Legationem, petentes in gratiam Orangij Boſſuuium Hagam-Comitis aut Delfos mittant, curæque Orangij credant. Negant Waterlandij, ſed ſuo ſanguine victum captúmque apud ſe manſurum reſpondent; ſi Orangius Boſſuuium conuenire vellet, Hornæ id ei neminem impediturum. Laborabat Boſſuuius alui ſanguineo fluxu, ſed tantam ei curam Waterlandij adhibuere, vt non poſſent maiorem: Amſtelodamij veſtes ei pro dignitate honeſtiſſimas miſêre, tota eius ſupellectile in Prætoria direpta. Ita Heuterus. Alius his verbis narrat: Tandem 3. Idus menſis eiuſdem Octobris vtrimq; atrox prælium fuit, & Prætoria Fœderatorum in Boſſuuianam inuecta, telis omnibus, & calce viua è corbe mali in oculos Hiſpanorum deiecta, vehementer oppugnauit. In principio ad Boſſuuium inclinare victoria viſa; ſed mox reſtauratis animis, vbi fortiùs Fœderati incubuere, naues eius diſſipatę, in fugã ſeſe coniecere. Vna, qua Texeda vectus, perforata, cũ vectoribus cunctis periit, quinq; quæ vadis obhæſere, interceptæ: ipſe noctem inſecutam diemque proximum fortiter pugnans, cùm propugnatores 15. vix reſtarent, ægrè ſe hoſti permiſit. Itaque captus Hornam abducitur, & cum eo primarij viri, Cruningus, Weldamus, Pinſenius, Hardenbrouckius, Numanus, Corquera, Lopeſius, Weruius, Queſnoïus, alij: capti item gregarij milites ad 300. è quibus 100. Hornam, 200. Enchuſam auecti: Vexillum Prętorię in tẽplo ab Hornanis ſuſpenſum. Boſsuuius cùm in vrbem adduceretur, per contumeliam acclamabant nonnulli, Roterodamenſis lanienæ auctorem;

1573

Boſſuuius cum ſuis Enchuſiũ deductus, inde mox Hornam.

Regij cæſi circiter nongenti, Orangiani nõ pauciores.

Curant ſincerè VVaterlãdij Boſſuium, eiuſque ſauctos.

Eadem pugna, prout ab alio deſcribitur.

Dira in Boſſuuium à vulgo iactata; accuſatus nihilominùs ipſe apud Albanum.

1573 rem; eodem animo contra ipſos nunc protectum, meritis paria acceptu-
rum: illic in carcere per triennium aſſeruatus, tandem conſtituta Ganda-
ui pace liberatur. Qui fuga euaſerant, huic cladem imputabant, & apud
Albanum accuſabant; idque cùm ægrè admodum Boſſuuius ferret, à
Sonoio & Prouinciæ Ordinibus petiit, vti refutādæ calumniæ ad Alba-
num mittere liceret: & orationem non iniquam facilè obtinuit, iſta ta-
men lege, ne quas literas, niſi priùs inſpectas daret. Sub hoc ferè tempus
Puluis tormentarius Albano coemptus in Palatinatu incenditur. Albanus in Germania emi puluerem nitratum iuſſerat: qui ad quinqua-
ginta millia pondo curribus impoſitus, cùm in Palatinatum deuectus à
Ioanne Caſimiro & fratre Chriſtophoro deprehenſus in via eſſet, illi
ignem ſua manu iniecere: dein ſcripto publico factum profeſſi, cauſam
quoque addidere, ne Albanus, etiam Germaniæ hoſtis, ad Belgarum cę-
dem eo vteretur. Extremo Octobri cùm deſerta Alcmaria eſſet, obſideri
Leida cœpta, idq; Franciſco Valdeſio mandatū; qui cum legionibus dua-
bus & quatuor Germanorū cohortibus, equitumq; alis ſeptē via Harle-
menſi ire iuſſus: inſuper Iulianus Romerus cum aliis legionibus duabus
& Germanorum Belgarumq; ſignis aliquot, littus legens Hagam cōten-
Regij Leidam obſidere parāt, vbi Aldegondius captus. dit, quam munire Fœderati properabant: ſed opere inchoato oppreſſi
diffugêre: tum occupatis circùm pagis, Maſelantſluſam etiam capit, &
in ea Philippum Marnixium Aldegondium; quem tanti Orangius æ-
ſtimare, vt Sonoium ilicò iuberet eadem omnia Boſſuuio facere, quæ-
cumque ab hoſte ille pateretur. Cum eo Ioannes Pettinus captus, & Vl-
traiectum vterque abductus, vt in arce aſſeruaretur; annoque proximo,
Middelburgo expugnato, pro captiuo illic Mondragonio permutatur.
In Hollandia Boreali, poſt tam inſignem victoriam de Boſſuuio partam,
hoſti incumbendum rati Fœderati varia agitabant, & inprimis portum
Claſſiariorum apud Fœderatos tumultuatio. Harlingenſem obſtruere, ne inde naues ſuas Billius Regius Friſiæ Præ-
fectus in fretum Auſtrale educere poſſet: ſed orta claſſiariorum ſeditio
conſilia omnia perturbauit. Huc acceſſit Sonoij morbus adeò grauis,
vt Medici quoque deſperarent; ac claſſiariis ſemeſtre debebatur: inde
turbæ; ad quas componendas miſſi Henricus Meiſterus, Iacobus Taiar-
dus, & Fredericus Otho, vix tandem confecerunt. Dum hæc geruntur,
Ludouicus Requeſenſius, qui Albano ſucceſſor datus erat, 17. Nouem-
bris Bruxellas venit; cui Prouinciam & exercitus ille tradidit poſt ſexen-
nij ac trimeſtris Præfecturam; ac 2. Decembris filio Toletano, equitūq;
Albanus Ludouico Requeſenſio Gubernationem cedit. alis quinque comitatus, facto per Lotharingiam, Sequanos, & Allobro-
ges itinere, in Liguriam abiit, & inde conſcenſis Genuæ triremibus, in
Hiſpaniam. Sic ille Albani ſexennium abſoluens. Lubet de iiſdem ex
Heutero pleniùs narrare, & quæ ſecuta ſunt, deinde attexere. Idibus O-
ctobris, id eſt die eiuſdem decimoquinto, Fredericus Toletanus, aëris in-
tempe-

temperie coactus, Alcmarianam soluerat obsidionem: ab initio enim Septembris in hunc diem numquam pluuiæ cessarant. Exercitum variis Hollandiæ distribuit locis. Egmondij enim mansit Baro Cheuronius cum Hispanorum aliquot signis, Burgundis pro maxima parte alui fluxu extinctis. Totidem mansere Beuerwikij, Nortwikij, Zassę, Valkenburgæ, ac Catwici, nobilibus pagis, singulis munitiones validas vnde Orangianos eiecerant, habentibus. Qua de causa etiam territi Orangianorum præsidiarij Hagæ agentes, dum eam vallo ac fossa, auctore Philippo Marnixio frustrà cingere conantur, vigesimo nono Octobris, ea deserta, molas quæ vento agitantur, in circuitu exurentes, fugiunt. Postero die Regij iusto Hagam occupauere præsidio: quo Leidæ intellecto, quòd duobus tantùm Hagâ distet milliaribus, quidquid in vrbis circuitu erat frumenti, casei ac butyri ad eam rusticos deferre cogunt, iis mox cum omnibus fortunis sequentibus. Tum emissa iuuentute exurũt Leidani Rhenoburgum, Terleam, Teilingam, Warmontium, nobilium Virginum Abbatias: occupant arcem Zulanam, Wazmontianam, Lockeranam, præsidiisque firmant, vt fossas nauigabiles ad vrbem fluentes rebus necessariis inferendis sui iuris haberent. Sed hæc nil profuere, quòd Regij, duce Baldæo, circum vrbem opportuna loca Zoterwoudã, Worscotam, ac Wassenarium occupantes, facilè deinde Leidanos dictis quoque pellerent arcibus. Fugerat cum præsidio Haga-Comitis Aldegondius Maeslandtsluſium iamdudum munitum, nocte dieque laborans, vt etiam munitius redderet, ne si Hispani occupassent, Delfij obsiderentur. Sed Iulianus Romerus ac Baldæus, eductis Hagâ Hispanis, fidisque vsi rusticis ductoribus, qui loci situm optimè nouerant, ac vbi munitiones nondum erant absolutæ, duobus Aldegondium locis inuadunt, ac post duarum horarum pugnam, quadringentis Orangianis è septingentis cæsis, capto Aldegondio, Henrico Wingardio, Prętecto Putio, cum centum triginta militibus occupant. Præfecti omnes ad Arcem Vltraiectinam custodiendi deportantur, vulgus militum Hagam. Expugnato Maeslantsluſio, statim deditionem faciunt munitiones quæ erant Monsteri, Tgrauezandæ, Vlaerdingæ, Scipludæ, Liræ, Naelwichi ac Rijswichi, & in omnibus circumiacentibus pagis. Ad cataractam Leidanam munitionem ligneam Orangiani erexerant, quam mox Regij pulsis præsidiariis exussere, adeò vt Regiis Harlemum, Amstelodamum ac Vltraiectum petentibus itinera omnia satis essent libera & aperta. Ædificarant quoque Regij munitiones ad cataractam Leidanam, Leiderdorpium, Coukerkam, Alfenum, Bodegrauam, Cagam, Oudvvateringam, Neerbruggam, Cameracam, Hermelenum. Hoc rerũ statu trigesimo Octobris Albanus cum filio Frederico ac Chiappino Vitellio, Amstelodamo iratus,

1573

Exercitus Regius per varias Hollandiæ munitiones distributus.

Orangiani Hagam-Comitis deserunt.

Muniunt se Leidenses contrà obsidionẽ.

De Aldegondio capto plenior narratio.

Item de munitionibus diuersis.

1573 quòd nullum præter ciues admittere vellent præſidium, Vltraiectum venit, ſtatimque è medio tolli iubet quatuor Orangianorum Præfectos diuerſis locis captos, qui manè publicè in patibulo pependere: hinc pergit Arnhemum, tum Neomagum, deinde Buſcoducum, ac duodecimo Nouembris Antuerpiam, hinc tandem Bruxellam, expectans Lodouicum Requeſenium à Cuninga, Commendatorem Caſtellæ, Belgis ſuo loco præfuturum. Dudum enim Albanus à Rege dimiſſionem prætextu ſenij petierat, filiumque Fredericum ſuo loco commendarat. Sed Rex à Medinacælio de Belgarum rebus pleniùs inſtructus, alium ibi virum neceſſarium intelligebat. Interim Middelburgij Zelandi, conſumpto iterùm commeatu magno, inopia inprimis frumenti laborabant. Bauuoiſius ter, vt dictum eſt, inuitis Orangianis, commeatum inuexerat, ac Mondragonium cum ſua legione quindecim cohortium vrbẽ fortiſſimè defendentem iuuerat. Igitur quartò idem tentaturus, Antuerpiæ naues armat, neceſſariáque imponit, rebúſque omnibus paratis, decimo ſexto eiuſdem Nouembris vrbe ſoluturus, tormenta aliquot valedicens exonerari iubet. Fit ab ea parte, qua Scaldim ſpectabant naues: ſed cùm militis cuiuſdam incuria duo quoq; tormenta vrbem ſpectantia ignem è funiculo concipientes globos exoneraſſent, triſti ſpectaculo è ciuibus qui ſpectatum venerant, ſex interfecerunt, decem vulnerauerunt. Tum Bergas ad Zomonã pergunt, inde Romerſwalam: hinc Middelburgum tendentes, maiorem Orangianorum claſſis partem obuiam habent, duplo Bauuoiſij claſſem, nauium numero militúmque multitudine excedentem. Quibus non obſtantibus, fortunam tamen inito prælio tentaturus videbatur, niſi exorta tempeſtas valida, ventúſque ſubitò factus contrarius eum Bergas reuerti coëgiſſent: tunc ſex ex eius claſſe naues ſequi reliquas non valentes Romerſwalam ſe intulere. Quo Orangiani conſpecto, ſtatim inualidum oppidum claſſe circumdedere, ac Wallones numero ſexcentos fame coactos cum ſex nauibus in poteſtatem redegere, è quibus quadringẽti Orangio nomina dedere, ceteri, vt pactum erat, Bergis expoſiti, inermes ſine impedimentis ad ſuos rediere. Tum quoque claſſe portum Bergarum ita obſedere, vt inde nullus ad ferẽdum Middelburgiis auxilium exire poſſet, Romerſwalam verò exuſſere. Interea appropinquabat Ludouicus Requeſenius, Belgis loco Albani præfuturus; euntque illi obuiàm duobus Bruxellâ milliaribus Philippus Crouiacus Arſchoti Dux, Carolus Comes Lalanus, Carolus Comes Barlaymontij, Oberſteinij Comes, Georgius Lalanus Vilæ Baro, Megæ Comes, Carolus Crouiacus Marchio Haurechi. His ſe iunxere Legati Louanienſium, Bruxellenſium, Antuerpienſium, Buſcoducenſium ac Bergarum ad Scaldim. Fredericus Toletanus ægrè, ſed patre, vt volunt, iuben-

Demum pleniùs quoque de diſceſſu Albani.

Quartò agitur vt Middelburgenſibus ſuccurratur.

Triſtis caſus Antuerpiæ.

Orangiani Romerſwala, ſexq; nauibus Regiis potiuntur.

Proceres Belgæ aduentum Requeſenio gratulantur.

iubente, ei in porta Louanienſi aduentum gratulatur. Intrat Requeſenius 1573
Bruxellam decimo ſeptimo Nouembris hora tertia pomeridiana. Vige-
ſimo nono, oſtenſo Statuum Concilio Diplomate Regio, Gubernator, *Recipitur is Belgij Gubernator.*
dicto ſacramento admittitur, ac Albanus, depoſita in eius humeros po-
teſtate, ſacramento liberatur, id ab eo recipiente Ioanne Mendoza, qui
cum Medinacælio futurus ſub eo Præfectus equitum venerat, idem mu-
nus ſub Requeſenio obiturus. Orangius Delfis agens, ac conſiderans
Regium exercitum in Hollandiæ vmbilico reſidere, nec ſibi iuſtas eſſe
pellendi vires, inciperetque initio Decembris vehementiſſimè gelare, ve-
rens (vt plures interpretabantur) ne ſi gelu vt anno ſuperiori duraret,
Delfij quoque obſiderentur, conuaſatis rebus omnibus iter in Zelãdiam
inſtituit. Apud Delfios tamen ceteróſque credi volebat, neceſſariam eſſe *Orangius Delfis ſibi non fidens, in Zelandiam abit.*
præſentiam ſuam Zelandis: parare enim Antuerpiæ Requeſenium in-
gentem claſſem ad leuandam obſidionem Middelburgenſem; cui vt ob-
uiàm eatur ſibi proficiſcendum; ita, antequam flumina omnino gelu
conſtringerentur profectus eſt: atque exinde Middelburgum adeò terra
marique premi eſt cœptum, vt nemo ampliùs intrare nec exire poſſet.
Hucuſque enim Tergouſio, etſi ſummo cum periculo, adhuc ſubinde
fuerant recreati. Hic Orangij ac Middelburgenſium hoc tempore erat
ſtatus. Circiter medium Decembris Regij in Haga-Comitis & locis vi- *Conſultatur, quomodo Leidani & vicini ſeparentur.*
cinis agentes in vnum conuenere, rationem inituri, vt Leidani, Delfij,
Roterodamij, Sciedamij ac Delfshauij ſepararentur, nec alter alteri ſub-
ſidio eſſe poſſet. Id autem optimè fieri poſſe videbant, ſi fluminis Sciæ
dominatũ occupaſſent. Sed Delfij id verentes, eos præuenerunt, ędes ab
vtraq; amnis parte ſtantes exurentes, humilioreſque vtrimque aggeres di-
ruentes, aquamq; per agros campóſque fluere permittentes, tutos ſe hac
ratione futuros exiſtimantes. At Hiſpani à Catholicis Hollandis, his nõ
obſtantibus, eos ſeparari poſſe edocti, ſi pagos Pinacum, Berkelum, Zo-
termeram, Hilgerbergam, Bleiſuincam, Zeuenhuſam, Cralingam, ac
præcipuè Cappellam ad Iſalam occupaſſet, ſtatim ſe in dictis pagis mu- *Ad hoc Regij certis in pagis ſe muniunt.*
nierunt. Quo facto, tanta diuerſarum rerum inopia mox dictas ciuita-
tes inuaſit, vt nullus credidiſſet. Quidquid enim in agris campiſq; erat,
Regiis cedebat; boues, vaccæ, equi, oues, ac ex lacte confecta vniuerſa ab
iis rapiebantur. Hoc rerum in Hollandia ſtatu Albanus, rebus omni-
bus paratis, ac creditoribus perſolutis, cùm aliquot dies Requeſenio ſe-
cretæ dediſſet communicationi, ac apud Arſchoti Ducem cum Requeſe-
nio omnibuſque Proceribus Nobilibuſque feminis hilaris tota nocte
fuiſſet, ſecundo Decembris, Bruxellâ Namurcum profectus, decem die- *Iter Albani in Hiſpaniam.*
bus, donec filius Fredericus, Vergas, Albernos, Ioannes Morino, Franci-
ſcus Iuerra adueniſſent, manſit: cum his deinde per Burgundiæ Comita-

1573 tum in Sabaudiam, inde in Italiam profectus, tandem Genuâ in Hiſpaniam menſe Martio anni proximi peruenere.

EXTERNA. Adiiciamus pauca huius anni EXTERNA, ſed vicina; & primùm etiam domeſtica minora, quæ ob multitudinem rerum ſuperiùs locum non inuenerunt. Anno hoc ſeptuageſimo tertio, vti diximus, hiems admodum aſpera fuit; vnde paulò pòſt ſolutis niuibus, etiam in Brabantia tantæ aquarum eluuiones ſunt exortæ, vt Mechliniæ ciues inferiora domus deſerere fuerint compulſi. Leuwenſibus quoque adhuc longiùs à mari diſſitis, tecta & murorum bonam partem rapidiſſimi vndarum vortices abſtulerunt. Sed & Louanienſis Diliæ alueus hibernarum niuium profluuio auctus exundauit, tantámque in depreſſiora loca per horas circiter decem aquarum abundantiam effudit, vt neque laxatis oſtiis per conſuetam regionem traduci, neque oppoſitis potuerit coërceri; quare fracto ſupra Beginagium mœniorum aggere, impetum in vrbem facit, plura ædificia conuoluit, validiſſimos pontes aliquot lapideos in præcipitium trahens. Iamque etiam Muſæ Parnaſſum hunc deſerturæ videbantur, niſi aquarum moles ſub tertiam pomeridianam, diſiecta ea murorum portæ & aggeris parte, qua flumini egreſſus datur, in apertos campos exſpatiata paulatim deſiiſſet. In Gallia quoque ſeu Francia huius anni initia fuerunt admodum turbuléta, cùm funeſto bello efferueſcéte, Carolus Rex vniuerſum Galliarum Regnum ſibi plenè ſubiicere conatur. Iam ad Sanſerrum oppidum & Rupellam caſtra habebat Henricus Regis frater Dux Andienſis, cùm Mommedius claſſem ad portum Santonum dirigit, magna ſpe hoſtem propulſandi: qua tamen paulò pòſt excidit: nam Regias vires expertus, anchoris ſublatis, veliſq; vento datis, magno obſeſſorum mœrore reuertitur. Rupellani quoque alios in ſui exemplum traxerant; qui à Rege deficientes in Prælatos & Presbyteros, qui Villam nouam celebrandæ Synodi cauſa conuenerant, crudelia ſtatuerant ſupplicia. Itaque Catholici plures arces in ſuam poteſtatem redegerunt, & Sanſerranos, qui frumentariæ rei exiguam curam habuerant, tanta foſſarum indagine cinxerunt, vt nemo ad eos penetrare ſine manifeſto vitæ periculo poſſet. Vnde breui tanta fames in vrbe exorta, vt nō modò ad inuſitatos homini cibos, ſed & putamina fruticum, & excrementa humana deuentum fuerit. Cui obſidioni dum in ſiſtit Andienſis Princeps Henricus, Proceres Regni Poloniæ Comitiis Warſouiæ indictis, vbi de nouo Rege in locū demortui Sigiſmundi creando agebatur, 13. die Maij Regē eum denuntiant, & Electionis codicillos per tredecim Oratores in Galliā mittunt: quibus interceſſoribus Sanſerrani, quos longa fames domuerat, de pace agere cœperunt. Iam & Rupella pro parte ſe ſubmiſerat, cùm Tribuni omnis ſeditionis architecti, ad noua ſubſidia

In Brabātia aquarū maximæ eluuiones.

In primis Louanij horis contiuuis decē.

Magnæ turbæ in Francia ad Rupellam, locaq; vicina.

Frater Regis Francia renuntiatur Poloniæ Rex.

ſidia emittuntur, qui & idcircò à Regiis in crucem acti ſunt. Denique cùm nullum ſupereſſet tantis in malis ſolatium, pax certis legibus conſtituta eſt, ſed quam Rex Carolus paulò pòſt reſcidit. Cauſa à multis obſcurè traditur; ego eam præcipuam puto, quam his verbis commemorat Auctor alioqui Rupellenſibus non iniquus: Ad finem, inquit, huius anni Rupellenſes deprehendunt proditores quoſdam, qui ſe Regi vrbem tradere, & omnes, nulla habita ætatis aut ſexus ratione trucidare conſtituiſſe faſſi & condemnati ſunt: quæ res Rupellenſibus occaſionem dedit, fœdus cum Reformatis ineundi. Ita ille. Itaque nec mirum, ſi dedit & Regi eamdem iniuriam vlciſcendi occaſionem. 1573

Tranſactiũ cum Rupellenſibus, ſed non ſeruatum; & quare.

Dudum Requeſenſius de iuuando Middelburgo meritò ſollicitus, mox decimo nono Decembris Bruxellâ Antuerpiam profectus erat, ac circiter ſexaginta varij generis naues inſtruxerat, quantumque admittere ferreque poterant, in altitudinem eas extrui iuſſerat. Claſſe inſtructa, ipſe terra Bergas ad Zomonam profectus, præfecto claſſi Iuliano Romero, eam expectat. Habebat claſſis tres peditum inſtructiſſimas legiones, ac voluntarios Belgas Nobiles Burgundóſque proprio ære militantes complures: duæ Wallonum erant, Bauuoiſij ac Hiergij, cuius abſentiam ſupplebat Glimeſius, tertia Romeri quindecim veteranorum Hiſpanorum peditum cohortibus conſtans. Igitur vigeſimo nono Ianuarij anni milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi quarti Romerus contra ſententiam Bauuoiſij ac Glimeſij Ducum aqua expertiſſimorum, leuatis anchoris contra hoſtem proficiſci iubet. Habebat ſua in naui Glimeſius multos Nobiles, qui cum Requeſenio è Burgundiæ Comitatu ad Belgas profecti iamprimùm militiæ rudimenta erant poſituri, qui maritimarum rerum ignari lætabantur conſpecto pugnæ ſigno, non intelligentes ſe iniquiſſima cum Orangianis conditione congreſſuros, quòd ventum mariſque eſtum haberent contrarium. Qua de re cùm poſtremùm admodum ſeriò à Glimeſio admonitus eſſet Romerus, rogabat, an cùm pugnandum eſſet, timeret tremeretque: ad quod reddidit Glimeſius, id euentum pugnæ docturum. Erat Orangianorum claſſis in tres diuiſa acies. Prima maximas inſtructiſſimáſque habebat onerarias ſexdecim, mediocres decem: reliquæ duæ ſingulæ onerarias maiores decem, mediocres quatuordecim. Regij duas fecerant acies, ſingulas triginta nauium, ſed nullam habebant quæ cum Orangianis maioribus comparari poſſet. Glimeſius cum Romero, prima in acie conſtitutus, primæ aciei Orangianæ Prætoriam, tonantibus maioribus tormentis inuadit, iniectiſque harpagonibus tranſcendens, omnibus trucidatis capit. Sed ſtatim è ſecunda acie quatuor minora nauigia, & vnum maius auxilio aduolantia, captam recipiunt Prætoriam, Glimeſio ex ea pulſo, 1574

Paræt Requeſenſius Middelburgenſibus ſuccurrere.

Nomina Ducum & copiarum Regiarum.

Proceditur contra Orangianos aduerſo vento & æſtu.

Nihilominùs Regij primo impetu capiũt Prætoriam hoſtilem.

1574 *Mox, ea iterum amiſſa Regij obruuntur ſpectãte Requeſenio.*

ſauciatóque, ac ægrè ad ſuam ſe recipiente: quam mox quinq; Orangianorum naues circúſtantes expugnant, Glimeſium capiũt; milites ac Burgundos Nobiles, vita licet priùs carè vẽdita vnà cum Glimeſio, naue capta interficiunt. Ab alia aciei parte item Romerus hoſtem inuaſerat. Sed quòd Regij contrario vento æſtuque impediti nullo ordine in hoſtem irent, cum paucis Romerus valdè ſtrenuè depugnans, inſigniter laborabat. Stabat Requeſenius in extremitate aggeris portus Bergani, videnſq; diſſolutam inæqualemque Regiorum aciem, capitis tegumento in manu ſumpto, verſuſque cælum vibrato ſignificabat, vno æqualique ordine hoſtem inuaderent. Sed fruſtrà. Qui enim Bauuoiſio ac Glimeſio ſana dantibus conſilia, ac vt ſaltem æſtus mutationem expectarent rogantibus credere noluerant, has imprudentiæ ſuæ pœnas dabant. Orangiani perturbatam Regiorum aciem conſpicientes, tota eos claſſe inuadunt, ac dimidiæ horæ ſpatio, captis nouem nauibus, omnes in præcipitem fugã Bergas verſus agunt. Romerus in ſcapham è Prætoria inſiliens, Tolam euaſit. Oſorius Aguillonius in collo ſauciatus, à Signifero in naui in humeros ſuſceptus, ac per aquam ad littus ſublatus, inde à duobus baiulis aſſeri impoſitus, ad D. Martini aggerem in tutum eſt delatus. Periere circiter centum ſexaginta Hiſpani, Wallones ducenti, iis exceptis, qui cum Glimeſio ac Octauio Perenoto Nobilibuſque Burgundis interiere. Sauciorum numerus multò fuit maior, ob maiorum tormentorum aſſiduam in Regios exonerationem. Orangiani Regios fugientes perſequi multùm non ſunt auſi, quòd in oſtio portus Bergani quatuor diſpoſita erant maiora tormenta eos ſalutatura. Haemſtedius ac cum eo Sanchius Dauila ſua cum claſſis parte Zaftingâ Vliſſingam profectus, eas reperit Orangianorum bellicas naues, vt re nulla tentata, Zaftingam indeq; poſt octo dies Antuerpiam reuerterentur. Tertio Februarij Geertrudenbergis exeunt duæ peditum cohortes ac ſexaginta equites, profectiq; ſunt Ooſterwicum inſigne Campaniæ Brabanticę municipium, vbi munitionẽ non admodum firmam incolę, militari pręſidio carentes, erexerãt. Quare facilè ab Orangianis, triginta Ooſterwikiis cadentibus, oppreſſi ſunt, ceteri fugere. Geertrudenbergij, direpto municipio, diſcedentes ignem iniiciunt, qui ſupra ducentas conſumpſit domos. Intereà cùm Mondragonius Middelburgi de aduerſa certior eſſet factus pugna, à Requeſenio poteſtate accepta, poſteaquàm tribus adhuc poſt pugnam hebdomadis tenuiſſet, expectans, ſi fortè alicunde commeatus inferretur, morientibus fame è populo non paucis (quidquid enim erat annonæ, præſidiarij ſibi vendicabant) deditionem Orangio offert, ſi explicatis ſignis cum armis omnique ſupellectile milites, quique velint ciues, ſine omni iniuria vehere Bergas ad Zomonam velint. Recuſat Orangius, ſed Harlemiorum condi-

Cæſo Glimeſio & alijs, Romerus vix ſcapha euadit.

Quare non etiam maior tunc ſit accepta clades?

Orangiani Ooſtervvi. cum in Campinia incendunt,

conditione, ſuo ſe omnes arbitrio permittere iubet. Reſpondet Mondragonius, ſe ſuoſque priùs vrbi viginti locis ignem iniecturos, deinde eruptione ad vnum vſque pugnantes caſuros, quàm ea conditione deditionem facturos. Orangius Mondragonij militumq; eius animos cognoſcens, ne cum deſperatis veteranis dubia victoria ſui pugnare cogerentur, vrbiſque opulentiſſimæ prædam bello neceſſariam amitteret, propoſitas à Mondragonio conditiones, his additis admittit: Pro Mondragonij Præfectorúmque eius dimiſſione reſtituetur in libertatem Philippus Marnixius fani D. Aldegondis Dominus cum tribus Præfectis in arce Vltraiectina ſedentibus. Ciues ſacrique homines inermes, & ſine ſarcinis & auro argentóque abibunt. Tormenta maiora omnia, ac naues in portu ac vrbe relinquito. Ciues & inquilini qui in vrbe ſunt manſuri, certo tempore ducenta millia florenorum pro direptionis redemptione perſoluito. Exinde ciues plures ac ſacri homines vigeſimo primo Februarij Terneuſæ in Flandriam nauibus perducti dimittuntur; Mondragonij verò præſidiarij ſonantibus tympanis, ventilantibúſque vexillis cum omnibus impedimentis ac armis, extinctis tamen funiculis igniariis, naues Orangianorum ingreſſi, in oſtio portus Bergarum ad Zomonam exponuntur, læti tam honeſtis ſe liberatos conditionibus. Mondragonius verò cum tribus legionis ſuæ Præfectis Middelburgi, donec liberatus eſſet Aldegondius cum ſociis, vſque in menſem Octobrem manſit. Tum enim tandem, liberata, vt dicemus, obſidione Leidâ Iulianus Romerus, iuſſu Requeſenij, miſſis ad Orangium duobus Hiſpanis Nobilibus, trãſegit de liberatione Mondragonij cum ſuis, ac Aldegondij cum ſociis. Vigeſimo octauo Februarij Antuerpiæ carnificis manu interficiuntur Hiſpani pedites duo, ac totidem ciues, hac de cauſa. Cùm Bauuoiſius ſecundò, vt ſuprà dictum eſt, Middelburgum commeatu iuuiſſet, & Bergas ad Zomonam reuertiſſet, Orangiani è claſſe eius duas naues oneraria tardiùs ſequentes nacti, Hiſpanos, Walloneſque qui in iis erant, partim ad antennas ſtrangulauere, partim aquis merſere. Vnus Hiſpanorum vitæ ſuæ conſulturus, aſtanti ait in aurem Orangiano; Deducite me ad Orangium, aperiam illi ſecreta maximi momenti. Perductus Vliſſingam ad Orangium inquit: Si dimittere me placuerit, curabo arx Antuerpiana ac Valenchenenſis tuæ poteſtati tradantur: duo enim elapſi ſunt anni, quòd nihil aut perparum præſidiariis præter panem ſit ſolutum; ſæpiùs fame laborant, veſtiuntur vt mendici; quare nil aliud expectant, quàm vt Princeps aliquis veniat, cui, acceptis ſtipendiis, traditiſq; arcibus militent. Sciebat Orangius duorum annorum ſtipendia præſidiariis arcis vtriuſque deberi, verùm an proditores hac de cauſa eſſe vellent, plurimùm dubitabat. Attamen parui momenti fore iudicans, ſi

1574 *Generoſus Mondragonij Middelburgi animus.*

Tandem honeſtis cõditionibus Middelburgum deditur.

Manet tamen Mondragonius Middelburgi, dum Aldegondius poſteà liberatur.

Duo Hiſpani, & duo ciues Antuerpiæ ſupplicio affecti.

Mira de his hiſtoria.

1574 aliquot aureorum liliorum millia fortunæ commiſiſſet, experiri quid miles eſſet facturus, ſtatuit, dátque illi ſocium Hiſpanum alterum captiuum, idem dicto ſacramento promittentem. Numeratis igitur ſingulis ducétis aureis liliis, eos dimittit. Antuerpiam reuerſi, cauſam libertatis afferunt notitiam cum Orangij diſpenſatore. Sed cùm mox ſe ſplẽdidè veſtiiſſent, inſuperque indies Hiſpanorum more alea luderent, mirantur omnes, vnde priuatis militibus tantum auri. Tandem alter eorum veteri amico ait, ſingulos ab Orangio accepiſſe ducenta aurea lilia, vt proderent arcem Antuerpianam ac Valenchenenſem, ſtultumque Orangium exiſtimaſſe id ſuæ eſſe voluntatis, aut poteſtatis. Riſit hæc audiens amicus, ſed ex eo tempore tamen obſeruare eum non deſtitit, & quòd ſemper de Rege & non ſolutis ſtipendiis conqueri eum audiebat, ei non ſatis fidebat, maximè quòd inter eos, qui aleâ perdita pecunia inſaniebant, hæc ſemper obmurmuraret. Verens igitur ne ridendo verum prolocutus eſſet, & ſuſpectum inprimis habens eum, hæc non potiùs Sanchio Daualæ Præfecto, cuius maximè ſcire intererat, quàm ſibi aperuiſſe, ipſe Daualam accedens, rem omnem exponit. Capitur vterque Hiſpanus, ac in vrbe ciues duo de Caluiniſmo noti: cauſa quare mox plures eiuſdem ſententiæ profugerint. Quid in carcere ſit actum, manſit ſecretum. Morte dictorum duorum Hiſpanorum ac totidẽ ciuium, rumor eſt creditus, eò magis quòd eodem tẽpore Ludouicus Naſſouius Orangij frater cum duobus equitum millibus ac quadraginta peditum ſignis caſtra circum Traiectum ad Moſam haberet, quaſi huius aut aliarum proditionum euentus expectans. Sed audiens Antuerpiæ detecto negotio punitos Hiſpanos, motis caſtris in ditionem venit Valkenburgenſem & Limburgenſem, erectiſque munitionibus omnia circumquaque ad hebdomadarias cogit contributiones. Aderat Ludouico frater Henricus Naſſouius, ac Chriſtophorus Palatinus, filius Palatini ad Rhenum natu tertius. Iungebant ſe quotidie Belgæ exules, aliíque cauſæ fauentes. Quare Requeſenius eò mittit Sanchium Daualam, qui mediocribus cum copiis Traiectum ad Moſam veniens, altero die exploraturus hoſtium animos ac vires ad eos pergit. Sed ita eſt exceptus, vt paucis deſideratis ad vrbis vſque portas Naſſouiani eum inſequerentur. Circa Idus Martij Hollandi cum octo peditum ſignis oppidum Zeuenbergam cum arce occupant, diligentérque munire incipiunt. Sed eò miſſus Iulianus Romerus cum ſua legione, ac quatuor maioribus tormentis effecit, vt appropinquantem expectare Orangiani non auſi, incenſa arce, ac direpto oppido, in Hollandiam ſint reuerſi. Decimo octauo eiuſdem Martij Requeſenius Daualę in auxilium mittit Mondragonij Legatum ſua Wallonum cum legione. Ineunt opprimendi hoſtis conſilium. Igitur

Numerat Orangius in proditionem magnam vim auri.

Nec ride, priuſquam expendas ſequentia.

Credita ſcilicet proditio, & quare.

Ludouicus Naſſouius circa Limburgum copias colligit.

Inuadit eum Iulianus Romerus, pluresq; cadit.

tur decimo nono, nocte hora tertia, indutis ſupra arma lineis induſiis, 1574
Ludouici caſtrorum partem in Bemelen, quindecim peditum ſigna ac quadringentos equites habentem aggrediuntur, interfectíſque primis, ſecundis, tertiíſque excubiis, ad primam veniunt munitionem, eáque occupata, obuios trucidant: effugientes Naſſouianos Regij cędunt equites; clamor ſtatim vniuerſa armat caſtra. Tum Regij receptui canentes, nemine deſiderato, Traiectum reuertuntur, cæſis ſupra quadringentis hoſtibus, ac ſexaginta captis, prædáque mediocri abuecta. Interim Ludouicus prope Traiectum munitis ſedens caſtris, gloriabatur maiores ſe è Francia ac Germania expectare copias: quo factum eſt, vt Hiſpani è Hollandia in Brabantiam euocarentur. Requeſenius enim ſciens Hugonotas Francos prædæ auidos, Germanos non illibenter belli Duces quærere, Franciſco Baldæo ſcribit, cum omnibus Hiſpanis vt in Brabantiam veniat. Igitur is vigeſimo quinto Martij, munitione Caga cohorti Wallonum commiſſa, tantumdem Oudwateringam mittens, Harlemi relinquit ſigna octo, Beuervvichi ſex, Aſſendelfi vnum, Sãderdami duo, Sparendami vnum, Nierdami vnum. In Amſtelodamiorum ſuburbia mittit Franciſcum Verdugium cum quinque Wallonum ſignis. Ceteras munitiones, vt Maeſlantſluſium, Leiderdorpium, Leiderdammium, Hagam-Comitis, aliáq; loca deſerit. Ita Hiſpani cum quadraginta duobus peditum ſignis, ac tribus equitum turmis, Vltraiectum vigeſimo ſeptimo Martij veniunt, Leidámque prima obſidione liberant. Cupiebãt admitti in vrbem, ſed ciues militarem inſolentiam dudum experti, recuſabant, Ferdinando Lanoyo, qui tum pro Boſſuuio Hollandiæ & ditioni Vltraiectenſi præerat, diſſimulante. Quare Hiſpani in ſeditionem verſi, trium annorum ſtipendia flagitantes, pedem ſe non moturos è regione clamitant, niſi his perſolutis; intereà ruſticorum opes in prędam vertentes. Sub idem tempus ſexto Aprilis Orangiani cum duodecim peditum ſignis arcem Wardenburgicam obſident. Habebat Catharina Geldra filia notha poſtremi Geldriæ Ducis Caroli in arce Wallones præſidiarios quadraginta, ac viginti Geldros, quorum opera in amni Wahali Orangianis erat infeſtiſſima, erantque milites ſtrenui. Sed tormentis maioribus ruina facta, præſidiarij nuſpiam auxilium expectantes, ea conditione deditionem faciunt, vt Domina liberè cum familia quò vellet abiret rebus omnibus ſecum elatis, itidémque milites cum impedimẽtis & armis. Sed dedita arce, Catharinam cum tribus filiabus captam Bomelium mittunt, arcem diripiunt, & præſidiarij eis dant nomina. Attamen paulò pòſt Orangius Bommelium veniens, Catharinam cum filiabus liberam Tiletum ſine pretio dimiſit; ſed arcis munitiones demolitus eſt, reliqua ignis abſumpſit. Hanc Regiorum cladem mox alia eſt ſecuta.

Nihilominùs Naſſonius circa Traiectum hæret munitis caſtris.

Mouent cõtra eum Hiſpani, relicta Leida obſidione.

Circa Vltraiectum tumultuãtur Hiſpani pro ſtipendiis.

Orangiani Wardenburgum arcem Regiis eripiũt.

Diruuntur munitiones, reliqua ignis abſumit.

1573 ſecuta. Erant in ditione Langeſtratiana Wallonum ſigna tria, eam ab incurſibus Orangianorum tutantia, ingentiáque damna Geertrudenbergiis inferentia. Certiores erant hoc tempore facti Geertrudenbergij per fidos exploratores, circa oppidum Regios excurſuros, prædáſque facturos. Itaque idoneo loco duo etiam Wallonum ſigna, ac alio loco ducentos equites in inſidiis locant. Veniunt Langeſtratiani more ſuo prædatum circum Geertrudenbergam. Emittunt Geertrudenbergij peditum cohortem; qua in fugam acta, ad oppidum vſq; Regij inſequuntur. Sed reuertentes inueniunt Orangianorum pedites equitéſque in inſidiis poſitos, & cùm ſimul ceteri erumperent oppido, oppugnantur à fronte ac tergo, donec in fugam acti varias in partes dilabuntur, deſideratis ſupra ducentos, captis circiter quadraginta. Sed hæc ne ampliùs contingerent, miſſa ad Langeſtratios Mondragonij legio tres circum Geertrudenbergam validas erexit munitiones, primam in pago Ranſdõckio iuxta oppidi portam, alteram Cappellæ, tertiam Medę. Adhuc Ludouicus Naſſouius caſtra in ditione Valkenburgenſi habebat, bellum contra ruſticorũ opes cum ſuis agens. Tandem habito conſilio decernunt proficiſcẽdum Bommelium, ibiáque copias Orangij expectandas, vt communibus viribus occupato Tileto ac Neomago, totius Rheni ac Wahalis ſe Dominos facerent, Hollandiſque horum amnium tuta nauigatione vniuerſam aperirent Germaniam. Hoc decreto, octauo Aprilis (admonito priùs de conſilij ſui ratione Orangio, qui ſtatim omnes in vnum cogens Hollandiæ vires, fratris expectabat aduentum) caſtra quæ Orsbekæ, Herlæ, Demmæ, Bemelæ, Liræ, Gulpi, ac vicinis in pagis habuerat, mouet, eos exurens, quorum incolæ parata pecunia incendium non redemiſſent. Cumque hoc plerique feciſſent, templa tamen ſpoliari, ac pro parte exuri ferre ſunt coacti; ſequitumque eſt acerbiſſimè in Proſtiam à Merſen prope Traiectum ad Moſam. Hinc Ludouicus, tranſmiſſo amne Worma, vitánſque Rurmondam ac Venlonium, Waſſenburgæ caſtra ponit, tranſienſque Ruram fluuium, proficiſcitur Erkelenſum, indéque à dextra relinquens oppidum Geldram, tandem caſtra Middelari ac Moockij ad Moſam, duobus à Grauia ac Neomago milliaribus, decimotertio Aprilis locat, eáque munire, continuato nocte dieque opere incipit. Sed nõ parum impediebatur à Dauila ac Mondragonij Legato, qui cum copiis ab altero Moſæ latere ſecuti, dicto die Neer-Aſſeleti, Ouer-Aſſeleti, ac Heme, Moſa traiecto, ad mœnia Grauiana caſtrametabantur, aduenientéq; Hiergio ſua cum legione, aliquotq; equitibus, Baronéque à Cheuro Burgundo adducente ſeditioſas è ditione Vltraiectina Hiſpanos, quos promiſſis ac ſpe prædæ ſe ſequi perſuaſerat, poſtero die decimo quarto Aprilis ipſa aurora hoſtem aggredi conſtituunt. Parant per noctem arma

Cedunt Regij ad Geertrudenbergam ſupra ducentos.

Ludouicus Naſſouius fratri Orangio iungere ſe parat.

Venit cum caſtris vſque in Moock.

Regij hærent eius veſtigiis.

arma corporáque, ac aurora ſe oſtendente, per ſclopetarios diuerſis locis excitatis prælijs hoſtem laceſſunt. Non deeſt ſibi Ludouicus, ſed eductis in campum ſclopetarijs; acerrimè, dum haſtatorum inſtruitur acies, rem gerunt, non paucis ab vtraque parte cadentibus, donec in aciem productis haſtatis ac equitibus, cominus congreſſi ſtatariam ederēt pugnam, Ludouico in fronte fortiter ſuos animante. Vnam enim vtraque pars haſtatorum quadratam eduxerat phalangem, Naſſouiis tamen non omnibus præſentibus, quòd ab inuicem ſparſi Regios eo die, aut certè non tam manè expectaſſent: trecenti quoque eorum veterani equites pabulatum profecti longiùs abierant. Itaque cùm ad meridiem ferè pugna duraſſet, hora decima, expugnata præcipua Ludouici munitione, eius loci præſidiarij fugam arripiunt. Sed Regij, iis omiſſis, à latere phalangem per ſclopetarios aggrediuntur, & Hiſpani moſquetarij ab altero, ita vt vniuerſum corpus nutare vacillareque inciperet. Quo Chriſtophorus Palatinus viſo, in aciem educto omni equitatu, Regios equites longè numero inferiores inuadit; ac bis aciem perequitando in fugam egiſſet, niſi promotis Hiergius campeſtribus quæ adduxerat tormentis, & Cheuronius Hiſpanis moſquetariis, diſſoluta Ludouici phalange, equitum hoſtilium vim, multis ſtratis, retardaſſent, Regiiſque equitibus tempus ſe colligendi, ac acerrimè hoſtem iterùm aggrediendi dediſſent. Ludouicus hæc impediturus cum fratre Henrico, deſperata peditum victoria, cum ducentis equitibus Chriſtophoro in auxilium aduolat, poſtremámque tentaturi pro victoria, equeſtrem pugnam, vehementiſſima impreſſione Regios aggrediuntur. Pugnatur multò quàm anteà obſtinatiùs, donec omnibus moſquetarijs ac ſclopetaris profligatis peditibus, campeſtribuſque tormentis contra equites adductis, exoneratíſque vndique globorum nimbo perfunderentur, magnóque numero viris equiſque cadentibus, tandem in præcipitem fugam equites pedites ſecuti agerentur. Periit pugnando Chriſtophorus Palatinus, Henricus Naſſouius, cum multis Præfectis. Fugit ad Moſam Ludouicus valdè ſaucius; vbi ſolus, vt nonnulli tradunt, vulnera loturus ac obducturus conſidens, à ruſticis prædam colligentibus (qui armati numerum auxerant, ſed non pugnarant) ignotus & ſemimortuus interfectus dicitur. Periêre cum his ferè omnes equitum legionúmque Præfecti, è militum vulgo ſupra tria millia, equites octingenti; maxima verò pars in propinquum Cliuiæ Ducatum vicináſque regiones Regi non parentes effugit. Durius certè cum Naſſouiorum equitatu certamē fuiſſet, ſi equites, qui pabulatum ierant, adfuiſſent. Capti circiter trecenti, ac mox dimidia pars ad arbores ſtrangulati: ſigna peditum militaria triginta relata, equique multi ſeſſoribus vacui hinc inde errantes à ruſticis capti, impedimenta omnia direpta.

1574

Mox illucescente die, Regij eius castra inuadunt.

Nutantes acies Naſſouianas Palatinus panè reſtituerat.

Ipſe quoq; Naſſouius poſtremum tentat.

Vincunt Regij.

Cæſi Naſſouiani pedites 3000. equites 800. capti 300.

Fuit

1574 Fuit tamen Regiis non incruenta victoria. Circiter enim ducentos desiderauere viros fortes. Post pugnam Hispani ad ingenium redeuntes, iterùm in seditionem versi, trium annorum stipendia flagitare incipiunt, profectiq; è Geldriæ illo tractu in Campiniam Brabanticam oppidum Herentalsium occupant, pulsisque veteribus suis Præfectis, qui se Liram Brabantiæ contulere, Electum suo more appellatum constituerunt: quo ductore, Herentalsio deserto, rectà Antuerpiam tendunt. Festinat eódem Bruxellâ Requesenius. Champagnei Baro vrbis Antuerpianæ Gubernator quinque habebat Wallonum signa, quorum operâ Hispanos introitu arcere cogitabat. Nam etsi quadraginta duo volitarent eorum signa, non tamen tria peditum millia excedebant. Requesenius iubet Champagneio, ne Hispanis se obiiciat. Quo ille audito, in noua ciuitate ad ædem Oosterlingicam cum Wallonibus munire se incipit. Sed nuntiante Chiappino seu Scipione Vitellio, vrbe excederet, paret, ac in proximos vrbi pagos Wallones suos distribuit. Tum Hispani vrbem Antuerpiẽsem vigesimo sexto Aprilis, per nouam fossam, ab Arce ad Cæsaream portam ductam intrant, occupantésque fora, aliáque loca opportuna, in ditissimorum hominum ædibus diuertunt, lautissimè tractari se cogunt, neminem ostium, nec fenestram nocte diéque claudere patiuntur, omnésque ędes peruagantes, nil aliud nocte diéque quam sclopeta exonerabant, vociferabantur, arma inclamabant, tympana sonabant. Hæc cùm sex hebdomadas durassent, nec nisi trium annorum recepta solutione disciplinam admittere vellent, collectis quadringentis florenorum millibus, iisque præsentatis, Lyrâ Præfecti redeuntes, sacramentúmque iteratò à militibus accipientes, secundo Iunij eos vrbe educentes in ditionẽ Langestratanam proficiscuntur: hîc enim exercitus conueniebat Regius. Durante iam dicto tumultu, circa Vltraiectum quoque viginti quatuor signa Hispanorum, qui cum Medinacælio venerant, consedentes, audientes optimè veteranis Hispanis, qui cum Albano venerant, seditionem Antuerpiæ concitatam cessisse, & ipsi in ditione Vltraiectina adeò rusticos expilauere, vt nihil sociis cederent. Sed tandem vigesimo quarto Maij à Francisco Baldæo persuasi, inde in Hollandiam sunt reuersi, eis mox se iungente Alonso Gallo cum sua è ditione Langestratana Hispanorum legione, ac Præfecto Mario cum aliis quinq; signis, adeò vt in vnum adducerent Hispani quadraginta signa, ac duas suæ gentis equitum turmas cum Scenckij Tautenburgij turma. Cum his ad munitionem veniunt, quam Orangiani prope oppidum Wordam erexerãt, eámque oppugnant, cùm hi qui intus erant, non diu vim se laturos scientes, proxima nocte silentio exeuntes, munitionem relinquunt. Hinc munitionem Alfenam, ac cataractam Goudanam inuadunt. Alfenam tria

Hispani pro stipendiis tumultuantes Antuerpiã tendunt.

Champagneius Antuerpiã defendere parans, à Requesenio prohibetur.

Hispani sex hebdomadis Antuerpiæ tumultuati, tandem pacantur.

Eodem tẽpore alij quoque circa Vltraiectum tumultuabantur.

Regij circa VVordam munitiones iterùm recuperant.

signa

ſigna Anglorum, totidémque Scotorum cuſtodiebant; cataractã Goudanam duæ Anglorum cohortes. Vno eodémque tempore ambæ oppugnatæ: cataracta prima inuaſione opprimitur capitúrque: Alfena, bis reiectis Hiſpanis, tertiò expugnatur; interfectis duabus in munitionibus circiter quingentis Orangianis; ex Hiſpanis circiter centum viginti cecidere. Reliquit Baldæus in his munitionibus duo peditum millia: tum cum ceteris Zoetermerum venit, mittens turmam equitum, ac centum ſclopetarios pedites, qui Hagam occuparent. Quæ cùm Orangiani intellexiſſent, deſerta Haga, quòd muniri non poterat, quatuor locis ignem iniiciunt, omnéſque molas vento agitari ſolitas etiam incendiſſent, niſi centum quinquaginta Wallonum pedites, eò ad impediendum miſſi, auxilio ſimul Catholicorum incolarum ignem reſtrinxiſſent. Tandem adueniens Baldæus, veteres munitiones pro maxima parte Leiderdorpij, Zoetermeræ, Zoeterwouwæ, Leiderdami, Horenbruggæ, ac vicinis locis recuperatas reperit. Hagam enim ſupradicti venientes repererunt illic ſocios centum quinquaginta pedites Germanos è ſexcentis quibus præerat Ludouicus Caietanus, eódem miſſos, vt donec cum Hiſpanis veniſſet Baldæus, illi ab ea parte, Licqueſij Baro Harlemi Gubernator cum ſua Wallonum legione ab altera parte Leidam premerent. Itaque vigeſimo octauo Maij ſummo manè Baldæus Hagam intrans, neceſſaria ad ſecundò obſidendam Leidam parat, & ad ſe cum legione vocato Licqueſio, Harlemum mittit Marium cum quatuor Wallonum ſignis, ac tribus cohortibus Germanorum legionis Oberſteinij, turmáq; equitum Scenckij, cuius erat Legatus Mateneſſius. Licqueſius Catvvicum veniens, pedites aliquot equitéſq; Valkenburgum mittit, vbi Orangiani munitionem habebant validam, à quatuor Anglorum ſignis, Duce Eduardo Gliceſtrio cuſtoditam: qui erumpétes contra præcurſores pugnã ineunt. Sed mox vniuerſam venire videntes cum equitatu legionem, deſerta munitione, Leidam verſus fugam arripiunt. Leidani eis portas claudunt. Quare cùm à tergo inſtare viderent Liqueſium, à fronte clauſis portis non pateret effugium, numero quingenti triginta tres animis cadentes, proiectis armis deditionem Licqueſio faciunt, iurantes ſe numquam contra Religionem nec Regem Catholicum militaturos. Quare in Flandriam miſſi, inde nudi inermeſque in Angliam nauigauere. Trigeſimo Maij Baldæus Hagâ Maſelantſluſium profectus, quod quinque Orangianorum cohortes cuſtodiebant, ſine pugna fugientibus in alterã Moſæ ripam Orangianis obtinuit. Tum Vlardingam mittit quatuor cohortes ac turmam equitum: contra quos egreſſi præſidiarij, centum circiter deſideratis in munitionem repelluntur. Cumque mox ex inſula Bommelana eis duodecim cohortes nauigiis in auxilium veniſſent, reli-

1574

Item Hagam, aliáſque munitiones.

Denique Leidam ſecundò obſidere parat.

Orangiani Angli, deſertâ munitione Valkẽburgica, Regiis ſe dedunt.

Cedit Regiis quoq; Maſelantſluſa.

Mox & Vlardinga.

1574 cta Baldæus Vlardinga, Maſelantſluſio quinque cohortes imponit, Hagámque reuertitur, ac ad premendos Leidanos omnes animi vires intendit. Vlardingij tamen munitioni non fidentes, exuſto oppido, dirutáq; munitione in diuerſas abeunt partes, Delfiis duas Francorum cohortes admittentibus. Hi Hiſpanos in munitione Horenbruggia excubantes aggreſſi, ab iis in fugam, aliquot deſideratis, ſunt acti. Sub idem tempus Franciſcus Verdugius Hiſpanus Præfectus legionis Wallonum, cum eadem aliquótque equitibus in Waterlandiam ex Friſico littore profectus, in ipſo ingreſſu, pulſis Orangianis obuiàm venientibus, occupat munitionem Calfiam, ac Ilpendammum, ſupráque ducentos his locis cęſis Orangianis, paucíſque captis, prædas vndique agit. Sed cùm, coëuntibus contra ſe vndiq; Orangianis non ſatis fortem ſe agnoſceret, à Ferdinando Lanoio Vltraiecti agente auxilium petit; qui ſtatim mittit Eſtręi Baronem cum ſeptem Belgarum cohortibus, ac tria Germanorum ſigna legionis Boſſuuij; vbi quæ deinde ſint ſecuta, mox dicemus. Venit & eodem tempore Baldæo in auxilium legio decem ſignorum Germanorum Georgij Fronsbergij. Hoc menſe Maio Regij haud procul Antuerpiâ cladem inſignem accepere. Nuntiatum erat Requeſenio, haud procul Bergis ad Zomonam naues Orangianorum viſas. Statim certiorem facit Hamſtedium, Præfectum claſſis viginti quatuor nauiũ in Lillo ſtantium, cui idem vigeſimo nono Maij nuntiatur, cùm celocis ſuæ Præfectus, qui longè excubias agebat, hoſtem ſe iuſta cum claſſe inſequi clamitat. Conuocat mox Hamſtedius ad Prætoriam omnes Præfectos; decernunt claſſem ad Scaldæ anguſtias deducendam; eas enim Orangianos ob vada ad vtramque ripam extantia, non tranſituros, ibiq; ſub munitionis portum expectandum, ac maioribus tormentis, ſi tranſire aut ſe inuadere conentur, è claſſe ac munitione arcendos. Fit ita. Orangiani appropinquantes, Regios, & illi viciſſim eos tormentis ſine intermiſſione petunt. Sed cùm Regios è tuto loco in altum non prodire conſpicerent, ſublatis velis anchoriſque abire incipiunt. Quo Hamſtedius viſo, citiùs, vt volunt, quàm periculum poſtulabat, leuatis anchoris, Antuerpiam proras dirigit: id autem Orangiani optabant, quæſierántque. Quare etſi nebuloſus eſſet aër, conuerſis proris, anguſtias tranſeunt, ac recedentem Hamſtedium ſexdecim maioribus onerariis inuadunt; vndecim naues ex eius claſſe cum rebus omnibus primo impetu capiunt, deinde Prætoriam aggrediuntur, centum quinquaginta viros habentem, eámq; expugnant, naueſque cum Hamſtedio in facie vulnerato captiuas in Zelandiam abducunt. Quatuor ex Hamſtedij nauibus, adactis in terram proris, ne Orangiani potirentur, eas incendunt, terráque fuga euadunt, reliquæ nouem venti beneficio Antuerpiam peruenere. Inde Orangia-

Eodem tempore Verdugius quoque Orangianis quædã adimit.

E diuerſo Orangiani Regiis circa Antuerpiam cladem inferunt.

Nihilominùs acriter primùm Regij ſe defendũt loco tuto.

Mox deſerta ſtatione, inuaduntur ab Orangianis & vincuntur.

ni

ni ad anguſtias reuerſi neceſſaria oppugnandæ munitioni parant. Quare quinquaginta præſidiarij qui ibi erant, vim expectare non auſi, nocte fugâ abiere; Orangiani ſuo milite eam muniere, omnibus in circuitu maioribus minoribuſque pecoribus abactis. Requeſenſius, his auditis, exiſtimabat Hamſtedum claſſem cum munitione hoſti prodidiſſe; iubet itaque eius bona annotari, in eius acta vitámque inquiri: ſed innocentem inueniens, in integrum reſtituit. Aliam Regij in Waterlandia accepere cladẽ. Wallones ac Oberſteinij milites erigendis munitionibus ſatagebant. Vbi Vlpendammo profecti, vt Wormeri munitionem erigerent, qua oppidum Purmurendam premerent, cùm inter lacus Waterlandicos ſine nauibus incautè vagantes prædas agerent, clàm congregati Orangiani è Purmerenda, Monickendamo ac Edamo, acceptíſque auxiliis Alcmariâ, Hornâ ac Enchuſâ, conſcenſis onerariis ac multis actuariis, Regios in campis ſine nauibus ſecurè agentes circumſident, terrâ verò cum octo cohortibus à fronte aggrediuntur, à tergo armati ruſtici vrgent, à lateribus è nauigiis omni eos tormentorum genere impetunt: nec tamen quidquam effecturi videbantur, ſi cum eis qui in nauibus erant, cominus Regij congredi potuiſſent. Poſteaquam igitur per horam & ampliùs, ſępè propulſis Orangianis, à fronte ac tergo acerrimè ſe Regij defendiſſent, tandem promptiſſimis eorum vi globorum è nauibus emiſſorum cadentibus, diſſolutis ordinibus à fronte ac tergo perturbantur, ac in præcipitem fugam aguntur, ſternuntur, ac in lacubus merguntur: expugnatæq; ſunt eadem opera ab Orangianis recèns à Regiis conſtructæ munitiones, iiq́ue omni Waterlandia pulſi. Cecidere aut merſi aquis periere è Regiis ſupra ſeptingentos, ab Orangianis pauciſſimi, capti centum ſexaginta, Hornámque perducti, bini dorſis colligati in portu ſunt merſi. Sexto Iunij Bruxellæ publicatur altera à Rege data gratia iis, qui poſitis armis, ad veterem rediiſſent Maieſtatis ſuæ auctoritatem ac obedientiam, ducentis & viginti exceptis, quorum nomina Diplomati inſerta. Nos ea omittimus, quòd nihil ea gratia operata ſit; irridebant enim eam paſſim Hollandi, dicentes confictam, vt inermes plecterẽtur. Sed maiori cum fructu decimo ſexto eiuſdem Iunij Mechliniẽſibus data publicè gratia fuit: in hunc enim vſque diem omnibus priuati immunitatibus ab immani illa vrbis ſub Albano direptione, in extrema egerãt ſeruitute. Octo continuis diebus omne lætitiæ genus publicè priuatimq́ue peractum: inde Lancelotum à Gottignies ac Ioannem Schoff Excõſules Bruxellam mittunt, Requeſenſio Regis loco gratias publico nomine acturos. Tredecim tantùm Mechlinię gratiâ excluſi ſunt. Captiui, exceptis facinoroſis, omnes dimiſſi: reſtituti Mechliniani in veterem ſtatũ omnibus cum immunitatibus, paucis tãtùm nonnihil immutatis. Con-

1574

Potiuntur etiam Orangiani quadam munitione.

Alia parte Regij circa Purmurẽdam munitionem meliuntur.

Accipiunt & ibi Regij cladem; totáque Waterlãdia pelluntur.

Publicatur ſecunda gratia à Rege, ſed nullo fructu.

Mechliniẽſes tandem nonnihil reuiuiſcũt.

1574 ueniebant interea Regiæ copiæ in ditione Langeſtratana, præerátq; omnibus Chiapinus Vitellius Italus Florẽtinus, ibátq; cum eo Haurechtius legionem viginti cohortium ducens, Comes Faucquenbergij decem cohortium, Champignius quinque. His ſe iunxere quadraginta Hiſpanorum ſigna, quæ Antuerpiæ ſolutionem acceperant, ac tandem 13. Iunij quinque millia peditum Heluetiorum legio Hannibalis Lodronij Comitis à Romano Pontifice in tres menſes ſoluta. Erexerant Orangiani Worinchemi munitionem valdè firmam, à duobus peditum ſignis cuſtoditam, ne traiecto amne Merua ditionem Arculeam, agrumque Gorinchemium Regij infeſtarent. Sed inuadentibus munitionem Hiſpanis, poſt dimidiæ horæ pugnam expugnati, cadentibus triginta, ceteri ad naues confugientes, claſſi Gorinchemiorum ac Dordracenorum ſe iunxere: in quos è ripa Hiſpani ſclopeta & moſqueta exonerantes, ardentiúſque quàm res exigebat inſecuti, maiorum tormentorum è hoſtili claſſe exoneratorum globis repulſi, aliquot eorum diſcerpti ac fauciati, ceteri actutum Worinchemum rediere. Cecidit inter ceteros è Hiſpanis Melchior Romerus Iuliani Romeri filius vnicus, adoleſcens quatuordecim annorum, magnæ ſpei, patris ingenti cum dolore, globo maioris tormenti fronte cum cerebro in aëra ſparſis. Exinde Vitellius Gorinchemum tubicinem ac tympaniſtam mittit, petens apertis portis Regium ſuſciperent præſidium. Adducti ad Præfectum Vigium, expoſitáque legatione, tympaniſta ſtatim in foro ad patibulum ſtrangulatur; idémque acciderat eodem tempore tubicini, niſi ſe, conceſſa vita, eis Regij exercitus ſecreta detecturum dixiſſet: quo facto, poſt aliquot dies nihilominùs ad idem patibulum ſuffocatur. Hoc menſe ob pecuniæ inopiam exauctorantur Wallones legionis Haurechtij, Tambruggij, & Champagnei. Brabanti offerebant aurum, ſi Rex vetera omnia confirmans Priuilegia, exteros gubernatione moueret, ipſiſque collatæ pecuniæ adminiſtrationem permitteret. Idem Flandri, Geldri, Hannonij ac Atrebates petebãt, æſtaſque his diſputationibus eſt tranſacta. Initio Iulij Vitellius coactis vndique Worinchemi nauibus, exercitum Meruam traiecit, ac in ditione Arculea Leerdamum oppidulum benè munitum obſidet. Erant intus duo peditum ſigna quadringentos viros habentia, qui diligentiſſimè cum ciuibus nocte dieque id munitius reddebant, nec ad deditionem, etſi honeſtis inuitati conditionibus, venire volebant. Producit Vitellius ad foſſæ labra duodecim maiora tormenta, collocátque ad Meridionalem oppidi plagam, vbi eſt vetus Caſtellum, veterum oppidi Dominorum habitatio. Duodecimo Iulij cum aurora exonerare incipiens vſque in poſteri diei meridiem, nocte dieque continuato impetu maiorem Caſtelli, muri, vallique hęrentis partem deiecit, ita vt ad inuaſionem Hiſpani

Regia copia in Langeſtratacõuemunt.

Obtinent munitionẽ VVorinchemi, agrũq; vicinum infeſtant.

Tympaniſta petens Gorinchemum Regi dedi, ſuſpenditur.

Ordines Catholici petunt ſibi ſtipendiorũ ſolutionem permitti.

Regij Leerdamum obſident.

ſpani arma pararent, noctéque ſub munitione, quam ciues ante portam Meridionalem erexerant, repentes, ſubitaria ſe materia munierant. Quo ciues ac præſidiarij conſpecto, animis cadunt, vimque expectare non auſi, ad Vitellium pro deditionis conditionibus mittunt. Iubet omnia Regis permitti arbitrio. Aliquamdiu dubitantes, tandem portas cogente neceſſitate aperiunt. Intrant Hiſpani decimo quarto Iulij paulò poſt prandium, ſequente Vitellio; qui omnes Regia gratia menſe ſuperiori publicata frui iubet, militibus abire cupientibus dat poteſtatem ac commeatum; militare Regi volentes, accepto ſacramento ſuis iungit; duos tantùm Concionatores ſectam eiurare nolentes ſtrangulari iubet. Poſt hæc Arcem Beſtiam dictam aperiri iubet Regi: recuſant: miſſa copiarum parte cum quatuor maioribus tormentis effecit, vt vitam ac impedimenta pacti exirent. Hinc pars exercitus Niportum iuxta Schoonhouium, pars Lieſueltum, vbi egregias Orangiani habebant munitiones, profecti, obtinuere, vt incenſis pagis Schoonhouium fugientes munitiones deſererent. Hiſpani ingreſſi, eas auxere, ac in aggere qui Gorinchemum ac Dordracum interiacet, nouas Herninxfeldij aliiſque idoneis locis erexere, ne harum ciuitatum ciues inter ſe commearent. Habebant & hac de cauſa in altera Marnæ ripa diuerſas munitiones. His locis ac Leerdami erant Hiſpani; Heukelemij verò ac Aſpræ Heluetij excubabant. Sed poſt hæc Vitellius à Requeſenſio euocatus Bruxellam proficiſcitur, exercitus iis in locis cura Iuliano Romero commiſſa. Hoc menſe Iulio pacis mentio eſt illata, propoſitáque; tandémque eò eſt deuentum, vt Legati in Hollandiam ad Orangium irent Philippus Marnixius Aldegondius (etſi carcere Vltraiectino nondum liberatus, ſed eius loco obſides tantiſper fuerunt Corneſſij Dominus ac Ioannes Iunius) Mateneſſij Dominus, ac Treſlongius Concilij Hollandiæ Aduocatus. Montfortium ditione Vltraiectina miſerat Requeſenſius Champagnei ac Varvvichi Dominos. Aldegondius cum ſociis ad Orangium veniens, vt pacis conditiones, de quibus Legati agerent, conciperentur, ſecretò eas euertiſſe creditur. Nam mox poſt diem ſeptimum reuerſus ad carcerem Vltraiectinum, retulit, Orangium nil ſine Ordinum totius Belgij ſentẽtia, de pace, nec de Boſſuuij liberatione agere poſſe; itemque Champagneius Bruxellam rediens Requeſenſio irritæ legationis euentum expoſuit, qui mox animum ad belli conſilia totus cõuertit, ac cum aula Bruxellâ Antuerpiam migrat. Menſe Auguſto Zelandi nauibus in Flandriã delati iuxta oppidum Axellanum quingentos pedites, ac in inſidiis ducentos equites exponunt. Præſidiarij Axellani ac ciues, pedites hoſtium tantùm videntes, contrà exeunt, pugnántque fortiter, adeò vt ſe tandem premi Orangiani ſimulantes ſenſim pedes referrent. Inſtant Axellani,

1574

Tradunt ſe Leerdamij gratia Regis, qua & eis conceditur.

Cedunt Regiis etiam loca quædam circa Schoonhouium.

Vitellius harum victoriarum auctor Bruxellam reuocatur.

Mentio pacis inijcitur, ſed nullo ſucceſſu.

Orangiani in inſidiis iuxta Axellã Flandriæ.

1574 donec vltra latitantium equitum locum pertracti, à fronte ſe vrgeri ſentiunt ab iis qui pedem retulerant, à tergo ac lateribus inuadi ab equitibus, vbi omnes ad vnum interfecti cecidere, nemine capto, in vindictã, vt aiebant, mercatorum, quibus Axellani gulam fregerant: reliquereque Orangianis oppidum apertum diripiendum ac incendendum. Cecidere circiter quadringenti viri ex Axellanis. Fine menſis Auguſti Antuerpiâ profecti ducenti quinquaginta Hiſpani, vt ducentis florenorum millibus, in Hollandiam pro commilitonũ ſtipendiis deſtinatis, præſidio eſſent, pulſis Præfectis ac fidelibus militibus, pecuniam inter ſe diuidunt, ac in Franciam tendunt. Sed cùm equites leuis armaturæ circa oppidum Mariẽburgum eos eſſent aſſecuti, maior pecuniæ pars cum furibus capitur, nonnulli tamen ſua cum parte in Franciam euaſerunt; ceteri cæſi ſunt: ſed pecunia ab iiſdem equitibus pro parte in prædam ſimiliter conuerſa, exigua pars Regi reſtituta eſt, neminéque in publicum punito, res præ pudore ſilentio fuit immerſa. Circa initium Septembris carcere liberantur quicumque cum Boſſuuio capti fuerant, excepto ipſo Comite & Cruningij Barone, pars commutatione, pars ſoluto redemptionis pretio, ſolo Hardenbrouckio libera voluntate in miniſterio Boſſuuij manẽte. Corquera Hiſpanus dimittitur liberato Petro Kieſio ac duobus Orangianis Conſulibus; reliqui etiam omnes Harlemij captiui, virtute Regiæ gratiæ liberantur. Boſſuuius intereà ac Cruningius Hornæ firma ſed honeſta cuſtodia detenti, omnem dimittunt familiam, quòd non facilem libertatis ſuæ rationem inuenirent. Tam immenſum enim auri pondus Orangiani exigebant, vt facilè appareret, non ſe eos cuſtodiâ emittere hoc rerum ſtatu decreuiſſe. Quare Boſſuuius præcipuos equos inter Belgarum Proceres tum Vltraiecti agentes diſtribuit, Arſchoti Ducem, Comitem Lalanum, Rijsbrouckij Baronem, alios; atrum verò caballum generoſiſſimum Franciſco dat Verdugio. Obſidebantur dudum Leidani à Baldæo, ſed longo obſidionis genere inſtituto, quieſcente vi. Occupatis enim idoneis terra aquáque ad vrbem ferentibus locis munitiones varias erexerat, contra quas tota æſtate Leidani, ciuico tantùm vſi præſidio, variis erumpentes temporibus, clades intulere, & accepere, donec erumpendi facultate omni ſublata, nullus ad eos dudum intrare, nec ipſi exire poſſent, ad eam hoc tempore redacti inopiam, vt è quatuordecim hominum millibus, quot tempore concluſionis menſe Maio (vt mox pleniùs narrabimus) numerati fuerant, vix ad ſex millia ſupereſſent, ijque fame languidi & ad extrema redacti. Habebat enim Baldæus, vt etiam ſuprà dictum eſt, munitiones Lammæ, Leiderdorpij, Zoetervvouvvæ, ad cataractam Goudanam, Alfæ, Cagæ, Oudvvateringæ, ad cataractam Leidanam, Catvvici, Noorthvvichi, Valkenburgi, Waſſe-

Caduntur Axellani, oppidumq; incenditur.

Pecunia Regia ab ipſis Regiis diripitur.

Dimiſſis Boſſuuij ſociis, ipſe honeſta cuſtodia retinetur.

Obſidetur Leida longo obſidionis genere.

Nihilominùs tãdem ad extrema rediguntur.

Waſſenaræ, ac aliis idoneis locis. Quapropter eorum miſertus Ferdinãdus Lanoius Rochæ Comes, ac loco Boſſuuij Hollandię Gubernator, Vltraiecti agens, tubicinem Leidam miſerat cum litteris, omni ratione perſuadere conatus, Regi deditionem facerent, gratiam pro voto promittens. Magiſtratus conuocato populo ſententias exquirit. Conſpecta rerum extremitate, decernunt Regi in manu ac poteſtate Lanoij, non alicuius Hiſpani, deditionem honeſtis conditionibus facere. Tubicen ad Lanoium reuerſus, Leidámque iterùm rediturus, ab Hiſpanis vrbem ingredi prohibetur, dicentibus, ſi deditionem facere velint, Baldæo Regij exercitus duci non Lanoio faciant, aut extrema tentent. Leidani tubicinem à Lanoio non redire videntes, cauſamque ignorantes, à Baldæo petunt, Vltraiectum ad Lanoium mittere liceat, ac declarare quid ciues decreuiſſent. Quod cùm Baldæus permittere nollet, extremùm ad Orangium mittunt, rogantes ſpéſne auxilij vlla ſubeſſet? intelligentéſque præ manibus eſſe, animis ſe confirmant. Venerat (vt ab initio tam celebrem obſidionem poſteris vno velut aſpectu exhibeam) Baldæus ad vrbem exercitu circiter octo millium virorum Hiſpanorum, Wallonum, Germanorum vigeſimo ſexto Maij huius anni ſeptuageſimi quarti, hora noctis ſecunda, milite Amſtelodami nauibus impoſito; ac in lacum delatus Harlemium, indeque lacus Leidanos ingreſſus Leiderdorpij expoſito milite, eum in varias, vt diximus, diſtribuerat munitiones. Orangius Delfis agebat, variáſque ad Leidanos litteras, eò tendentes, vt tribus tantum menſibus obſidionis incommoda tolerarent, ſcripſerat; ſe ea parare, per quæ hoſtis obſidionem cum dedecore deſerere cogeretur: munitam eſſe opera ac natura vrbem, ac proinde vim non timendam: eiicerent exteros cum inutili turba, rationémque certam diurni victus ſingulis præſcriberent. His non ſemel reſpondent, etſi pro tribus menſibus nec frumentum nec puluis bellicus ſufficerent, tamen extrema omnia pro patriæ libertate ſe tentaturos, ipſe eis quoque ne deſit. Interea promotis operibus munierunt Regij pontem Poulanum, pontem lacus Harlemij, vt nil niſi extremo cum periculo in vrbem inferri poſſet. Inde octauo Iunij Baldæus Lammæ inſignem ædificare munitionem ad duorũ amnium confluentem incipit, mille circiter paſſibus tantùm Leidâ diſtantem: vbi Leidani ingens vrbi incommodum parari videntes, eodem die inſtructis ſex nauigiis cum quingentis armatis ciuibus Lammam tendunt; ſed commiſſa pugna fugere coacti quatuor naues cum multis ciuibus perdidere; à quibus vrbis ſtatum Hiſpani edocti, breuem ſperabant obſidionem. Erigunt & Regij munitionem extra portam Rhijnsburgiam, ne olitoriis hortis, qui plurimi hîc & inſtructiſſimi erant, ciues potirentur. Sed Dierricus Bronchorſtius ab Orangio vrbi ſine præſidio

1574

Parati ſũt Leidani ſe tradere Regi, ſed non in manu alicuius Hiſpani.

Obſidionis hiſtoria vno ſimul aſpectu exhibita.

Inprimis Orangius hortatur, tantùm vt tres menſes ſuſtineant.

Muniunt Regij pontẽ Poulanum & alia vicina loca.

Moliuntur & ad ipſas portas Leidanas, ſed pelluntur.

1574 Præfectus, decimo octauo Iulij erumpens, pulſis Regiis, opus diruit. Habebant quoque Regij munitionem extra portam Haganam, ad locum vbi duo ſe aperientia iuxta pontem itinera, hoc Delfos, illud Hagam ducens; in qua excubabant circiter nonaginta partim Hiſpani partim Itali: quos oppreſſuri vrbe exeunt Ioannes Duuenuordius, Gerardus Lanio, Andreas Scotus, Ioannes Douſius, ac Bartholomæus Hauicus, ſuis ſinguli cum ſignis, multiſque foſſoribus, ac terra aquáque ſtrenuè munitionem inuadunt, ac poſt duarum horarum acerrimam pugnam eam capiunt, præſidiariis pro maxima parte cæſis. Verùm mox occurrentibus totis ex caſtris auxiliis, ad vrbem aliquot deſideratis reuertuntur; munitio reſtauratur, ampliorique præſidiariorum numero cuſtodienda datur. Similesque vario euentu excurſiones ac inuaſiones fiebant indies, ciuesq; vſu docti exercitatiſſimis veteranis nil cedebant. Dum hæc ad Leidam fiunt, ciues aliquot Delfij clàm Hagam profecti ſe Regi deuotos ſimulantes, portam Haganam tradituros promittunt. Conſtituitur dies ac hora, redire Delfos permittuntur; quo facto, rem omnem Magiſtratui detegunt. Iubet is ſecretiſſimè ſub dicta porta cuniculos agi, eoſq; puluere bellico repleri, vt intrantes Hiſpani lautè exciperentur. Aderat conſtitutus dies horáque. Sed cùm porta non aperiretur, verentes Hiſpani inſidias, cùm nil dignum tantis promiſſis moueri viderent, retrocedunt: quo Delfij viſo, maiorum tormentorum globos irrito conatu in eos explodunt. Rem Delfiis non ſucceſſiſſe cauſa fertur, quòd portæ Haganæ claues ſeriùs eſſent allatæ, quaſi timentibus etiam iis, qui negotium adminiſtrabant. Intereà Leidani rerum omnium inopia laborantes auxilio indigebant. Orangius ſe terrâ imparem cognoſcens, vt aquâ iuuarentur, rationes inibat. Sed quidquid cum Hollandis ac Zelandis hac de re tractabat, nullus ſe offerebat modus, niſi apertis perfoſſiſque aggerum molibus ac cataractarũ obicibus, totus Meridionalis ac Orientalis Hollandiæ tractus marina aqua inundaretur, ac ſic nauibus varij generis neceſſaria deferentibus, maximè quæ latum haberent fundum, vitatis aut expugnatis Regiorum munitionibus, Leida obſidione liberaretur. Omnes enim amnes, lacus, ac foſſæ nauigabiles ad eam ferentes, firmiſſimis erant inſeſſæ Regiorum caſtellis. Negotio decreto, etſi res trecentis aureorum liliorum millibus agris conſtitura eſſet (ingens certè paruæ regionis damnum) ad executionem Legati nominantur Guilhelmus à Palenſtein, & Daniel Wingardius, qui tertio Auguſti cum foſſoribus Roterodamo profecti, apertam viginti quatuor horis continuis tenent cataractas Roterodamiam, Scidamiam, cum quinq; aliis ad Moſam certis locis ædificatis; vnde ingens aquarum moles in campos agroſque Delfios, Roterodamios, ac Leidanos irrupit. Orangius verò cum Paulo Buſio,

Pulſi Regij quadam etiam alia munitione, mox eam dem recuperant.

Delfenſes fallere Hiſpanos fruſtrà nituntur.

Omni ratione Orãgius Leidanis ſuccurrere ſtudet.

Id cùm fieri nõ poſſet, niſi ſtagnãte tota regione, nihilominùs deſernitur.

ac

ac nonnullis aliis, quarto Auguſti Cappellam proficiſcitur, ac Iſalæ amnis aggerem, ad munitionem ſuo iuſſu extructam, ſexdecim locis aperiri iubet, poſtremo hiatu Iſelmondæ pago ex oppoſito reſpondenti. Fiebant hæc luna ſoli oppoſita, quo tempore marini æſtus vehementiores ac copioſiores eſſe ſolent. Aduocarat intereà Orangius Zelandiâ Roterodamum Ludouicum Boiſotium cum maxima mediocrium nauigiorum claſſe benè armata inſtructáque; quam Hollandi, naues lati fundi complures paratas habentes, cum multis biremibus ac celocibus, ſupra quadringentos lembos ſcapháſq; maiores omni commeatus genere plenas, expectabant. Iam Roterodamum venerat Boiſotius, ac cum eo Ziriczeani maris Præfectus, nec non Adrianus Willemſonius, qui in ſeptem mediocribus onerariis (*Cromſteuels* appellant) octingentos vehebant ſocios nauales, ac maiora tormenta complura. Habebant & minores onerarias ſupra centum campeſtria tormenta, ac baſſas maiores minoreſque bis totidem vehentes, vſui futuras nauibus latifundis, quantum numerus, qui Roterodamum conuenerat, ducenteſimum excedebat: inſtructæ autem erant hac ratione: Prora vnum aut ad ſummum duo maiora habebat tormenta; vtrumque latus ſex baſſas (tormenta ſunt globum oui columbini magnitudine eiaculantia) tum peditum lanceas breues ac ſecures; agebantúrque minimæ earum decem remis, maximæ octodecim. Sed cùm omnia eſſent parata, nec tamen campi agrique ſatis altè aquis tegerentur, Orangius Boiſotio ceteriſque iubet, profectus cum quot vellet nauigiis, aggeres inter Zoetermeram ac Wilſvenam erectos perfoderet, vt inde in lacum Zoetermerum, Leidâ exiguo milliari diſtantem, intrare poſſet. Itaque vndecimo Septembris cum triginta partim biremibus, celocibus ac lati fundi nauibus profecti, ſimulq; qui Delfis vel Goudâ commeatum ferebant, habentes foſſores trecentos, ac peditum cohortes tres octingentorum virorum, poſtridie antequam illuceſceret, dicto loco aggerem perfoderant, eumque ſubitario opere munierant. Orto ſole Regij certiores facti Zoetermeriâ huc aduolant, commiſſaque pugna opus euertere conantur. Franci Orangiani inconſulto ardore eos inuadentes, aliquot ſuorum deſideratis, ad Boiſotium reuertuntur, qui inſequentes Germanos ac Hiſpanos ita è nauibus ſalutabat, vt non paucis amiſſis, Zoetermeriam celeri paſſu reuerterentur. Inter Leiderdammum ac Wilſvenum Regij pedites equitéſque cùm ſe oſtendiſſent, Orangianorum ſclopetarij in pugnam contrà egreſſi, cùm premerentur, ad naues fugere ſunt coacti, Regij tormentorum violentiâ retroceſſere. Inter hæc iterùm litteræ ab ipſo Baldæo variiſque Hollandis Regi fidelibus ad vrbem peruenere; quæ adeò multorũ animos permouerant, vt, paulò antè morbo ſublato Bronchorſtio, dicere multi auderent,

1574

Singuli ſingulis locis aquam regioni immittunt.

Adſunt naues ex Zelandia, quæ commeatum Leidam inferant.

Præmittũtur, qui aggeres quoque circa Leidam perfodiant.

Impediuntur à Regiis, vtrimque nonnullis cæſis.

1574 derent, honeſtiſſimas, ac quibus fidi poſſet, quę proponerentur, deditionis conditiones admitti debere; ſatis Orangio ac fœderi datum, ſe iam integro & ampliùs luctatos menſe cum ferro, fame, ac peſte: quid à ſe ampliùs ſocios petere, quid plus facere debuiſſe? quid eos iuuare ſupra tria hominum millia fame extincta, totidem peſte, ſexcentos ferro occubuiſſe ciues? Duodecimo tamen Septembris iterùm Leidani Ordinibus, Orangio ac Boiſotio pro auxilio ſcribunt. Magnificis illi verbis decimo ſexto reſpondent, ſed tempore opus eſſe ob hoſtium multitudinem, extrema cùm pararent, animi puſillanimitate ſe non deſererent. Intereà Boiſotius in lacum Leidanum ſe intraturum, primo perfoſſo aggere, exiſtimans, repperit impedimentum Viridis viæ nuncupatæ; qua etiam effoſſa ac communita, ad pagum Zoetermerium ſe rectà per nauigabilia incilia iturum putabat. Sed & hîc impedimentum repertum. Duodecim enim Hiſpanorum ſigna rectam ad pagum viam, ſitáſque in ea domos inſederant, ac cum ponte munierant, hoſque pellere niſi maiorum tormentorum globis non poterant. Quare Orangius Delfis agens, eis quatuor magna idoneis nauigiis impoſita tormenta mittit: quibus acceptis, Boiſotius biremes à lateribus Regios tormentis petere iubet, ipſe recta via contra pontem pagi nauigãs, ac globi moſquetici iactu propinquus, à lateribus ac fronte decimoſeptimo Septembris Regios, nonnullis interfectis, ab aurora ad meridiem vſque oppugnat, tanta obſtinatione, vt nauis vna vi bomborum rupta mergeretur, alteráque idem minaretur, Boiſotius verò, Regiis nil cedentibus, receptui caneret, inſequẽtibúſq; Regiis duæ naues cum duabus Francorum cohortibus, Ducibus Cattevillio & Guilereſſo, demerſæ perirent, niſi quòd multi nando euaſerint. Boiſotius cùm videret ſe hac ratione nil proficere, edoctus à Petro Waſtelio, is à ruſticis, aliam eſſe viam, relictâ Zoetermeriâ, proficiſcitur cum claſſe inter Zoetermeriam ac Benthuſam, ad locum dictum Segvvaert, eumque munit. Et quidem intereà vento ex Oriente ac Septemtrione tribus diebus ac noctibus vehementiſſimè flante, magna vis aquarum campis agriſque deceſſerat. Nihilominùs Germani Regij, qui Benthuſæ agebant, intelligentes occupaſſe Orangianos Segwartum, deſerta Benthuſa, nocte abiere, factóque die Hiſpani Zoetermeræ degentes idem fecere, Leidam verſus cum tormentis proficiſcẽtes, attamen Zoetervvowę, Kerckvvegi ac Weiporti aliquamdiu è domibus ſe defendentes ſubſtitere. Deſerta à Regiis loca Boiſotius occupat, ac cum vniuerſa claſſe à Benthuſa vno milliari nauigat, reperitque Germanos, qui Benthuſam deſeruerant, Zoetervvoudam ad Hiſpanos perueniſſe. Tum lacum traijciens amplum, Rheno veteri appropinquabat, & haud procul arce Suetana aliquot tormenta maiora exonerari iubet, Leidanos de aduentu ſuo certio-

Leidani nonnulli in Regem inclinant.

Nihilominùs iterùm ſcribunt ad Orangium.

Orangiani fruſtrà Hiſpanos Zoetermerâ pellere nituntur.

Ingrediuntur igitur aliã viam, eamq; muniunt.

Eo conſpecto, Regij quidam ſtationes ſuas deſerunt.

certiores faciens, reſpondentque illi aliis exoneratis tormentis. Iam ad carnes equinas Leidani peruenerant, ſingulis dimidia in dies data libra. Exorta eſt igitur rurſum magna inter ciues diſſenſio, multis deditionem facere volentibus, aliis nolentibus. Sed Douſij duo loco Bronchorſtij gubernantes ſuſpectos artificiosè exarmabant, ac à ceteris clàm cuſtodiri curabant, ita vt mouere ſe non poſſent. Iam Boiſotij claſſis Norti ſtabat, ſed progredi aquæ inopiâ non valebat. Venit igitur Delfis ad eos Orangius, initóque conſilio decernunt, niſi fortè aquæ vento mutato creuiſſent, nocte clàm Leidam quadraginta mittere lembos ſcaphaſque panibus onuſtas: tum Orangius Delfos reuertitur. Emittunt Leidani viros duos, cum columbis duabus pullos in vrbe habentibus, veniuntque ſalui ad Boiſotium, claſſemque inſtructiſſimam vident, militémque ad liberandam vrbem promptiſſimum, ſi mutatus ventus aquas reduxiſſet. Qui cùm redire conati, non potuiſſent, columbarum ventribus litteras Boiſotij ſuaſque alligantes dimiſere: illæ nota columbaria repetentes, literas Magiſtratui apportauere, populóque lectæ, eum nonnihil recreauere. Inſtabant Kalendæ Octobris, ſimulque Solis ac Lunæ oppoſitio, marinos æſtus ferè augens iuuanſque, cùm ecce mutatus ventus è Septemtrione ac Occidente flabat, ita vt Orangianorum vniuerſa biremiũ claſſis Norto ſoluens rectà Zoetervvoudam peteret, maioribúſque tormentis munitiones Hiſpanorum ac Wallonum oppugnaret, qui ad pugnam prodeuntes, maiorum tormẽtorum globis intra munitiones repellebantur. Vbi videntes ſingulis momentis creſcere maximo cum murmure aquas, Oceanumque totum in ſe irruere, & ſe ſolos inuadi exiſtimantes, deſertis munitionibus ad arenoſos colles, vicináſque ſe conferunt munitiones, pro maiori parte impedimenta deferentes. Ardebat iam pagus ac templum Zoetervvouvva, munitio tamen Leiderdorpia ac Lammea nullam fugæ ſpeciem dabant, etſi, ſociis fugientibus, non parum timerẽt, & maximè Arcam Delfiam dictam verebantur. Erat hæc nouæ inuentionis nauis, è duabus onerariis compacta, vndique inſtar domus clauſa, munitáque contra moſquetorum vim: non agebatur remis, contis, aut velis, ſed rotis certa abditaque ratione intus factis, quæ à duodecim, cùm proficiſcendum eſſet, circumagebantur viris; milites præſidiarios vehebat quinquaginta, ærea tormenta maiora octodecim, ac proinde inſtar Arcis hoſti propinqua ingentes euomebat globos. Huic monſtro Regij non habebant quod opponerent, maximè quòd pauciſſima haberẽt maiora tormenta. Iam Lammæ appropinquabat cum claſſe Boiſotius, parabátq; neceſſaria oppugnandæ munitioni; de cuius tamen expugnatione, vt Orangio ſcripſerat, multùm dubitabat. Sed audientes Lammeani deſertum eſſe Leiderdorpium, ſolos ſe reſiſtere non poſſe exiſtimantes, conce-

1574

Victitant Leidani carne equina.

Auxiliares penuria aquæ nequeunt progredi.

Tandem nauis quis vi perrũpunt.

Deſerta ab Hiſpanis Zoetervvouvva, ardet.

Hinc quoq; Leiderdorpij & Lammæ munitiones deſeruntur.

1574 concepto timore, cùm Sol occubuiſſet, demerſis in proximas foſſas quatuor maioribus tormentis, Orangianis non ſentientibus, Lammam, ablatis impedimentis, deſerunt, Leidámque longæ obſidionis moleſtia die 11. Octobris liberant. Periere Leidæ quinque menſium obſidionis tempore ferro, fame, peſte, ſupra octo hominum millia; ſex reſtãtia millia adeò fame erant extenuata, exceptis rectoribus, quibus clàm neceſſaria ſuppetebant, vt nil eſſet miſerius quàm luridos hominum videre vultus, concauos oculos, liuida labia, crura teretia, manus oſſeas. Regi militantes Hollandi ſæpè Hiſpanos admonuerant, aquarum irruptione ne terrerentur, nec Leiderdorpij Lammæque munitiones deſererent, ſocios ſe eis libenter manſuros, quòd numquam aquæ ad eam altitudinem eſſent aſcenſuræ, vt vallorum labra ſuperarent, tum poſt ſex horas loca inferiora decliuiáque petituras, æſtu Oceani decedente: quod poſteà verum experti Hiſpani, ſerò pœnitentes, iterùm in ſeditionem vertuntur, culpamque deſertæ Leidæ in Baldæum coniiciunt, ducenta eum florenorum millia accepiſſe criminantes, ne vrbs manu capta prædæ daretur; hanc itaque ſummam in debitorum ſtipendiorum diminutionem numeraret. Baldæus duos ſeditionis auctores captos ſtrangulari iubet: exinde vniuerſi Hiſpani arma rapiunt. Iubet Baldæus iis armati occurrãt Germani ac Scenckij equites. Fit. Exonerant in mutuam perniciem ſclopeta, cadunt Hiſpani quatuordecim, Germani ſeptem. Sed intercedentibus Præfectis arma ponunt, quieſcúntque Hiſpani, donec in partes tractis pro maiori parte Germanis, ſimul ſtipẽdia efflagitare incipiunt, Baldæumque in diuerſorio Hagæ captum cuſtodiunt, donec è Flandria allatis ducentis florenorum millibus, circa finem menſis Octobris ad obedientiam rediere. Tertio Octobris Orangius Delfis Leidam (tribus enim tantùm diſtant milliaribus) venit, conſolatur ciues, diſcedenſque octauo venit Goudam, indeque profectus ad ſingulas Regiorum deſertas munitiones, numero viginti duas, tandem Delfos reuertitur. Leidana obſidione & liberatione circiter mille ducenti Regij ferro cecidiſſe perhibentur, ex Orangianis exteris ducenti quinquaginta tantùm, ex ciuibus variis conflictibus circiter octingenti. Exinde, vt ſuperiùs obiter attigimus, Aldegondius Vltraiectinæ Arcis carcere tandem liberatus, Orangium decimo quinto Octobris Goudæ ſalutat, gratiáſque agit, ac diu ſimul communicant, anno circiter elapſo, ex quo Maſelantſluſio vi ab Hiſpanis expugnato, captus in Arce Vltraiectina, Vreburch dicta, ſederat. Kalendis Nouembris Ferdinandus Lanoius deponit Hollandię Zelandiæque gubernationem, ob Hiſpanorum, vt ferebatur, inſolẽtiam inobedientiámque, committitque eam Requeſenſius Ægidio Barlaimontio, Hiergiæ Baroni, Geldriæ ſimul Præfecto: qui ſtatim Amſtelodamum

Ita Leida obſidione liberata, poſt multa incommoda.

Tumultuantur Hiſpani culpam deſertæ Leidæ in Baldæũ conferẽtes.

Eum captum, demum acceptis ſtipendiis dimittunt.

Orangius Leidam ingreſſus ciues conſolatur.

Lanoio ſponte cedẽte, Hiergius ei ſuccedit.

damum profectus, ſocios nauales in ſeditionem verſos, quòd victum vxoribus ac liberis velificando parare non poſſint, vtcumque placauit; indeq; Harlemum ac Sparendamum iter inſtituens, ijſque de nouo præſidio, rebuſque neceſſariis prouiſis, Vltraiectum eſt reuerſus. Decimo tertio Nouembris Præſes Concilij Hollandiæ apud Regios Cornelius Suſius, ac Cancellarius Geldriæ Aquila Sasboutius, Bruxellam, vbi Belgarum Ordines conueniebant, proficiſcuntur, inituri communi conſilio rationem pacificandæ Hollandiæ, aut ſi id non ſucceſſiſſet, inueniendi pro militum ſtipendiis aurum. Initio Decembris Hiſpani iterùm ad vomitum reuerſi, Hagâ Harlemum proficiſcuntur. Germani obteſtabantur; manſuróſque ſi Hiſpani idem feciſſent, promittebant; ſolos enim ſe Orangianis prædæ eſſe nolle, maximè quòd non, vt Hiſpani, Regis ſubditi, ſed ſtipendiarij tantùm eſſent. Sed cùm eos conuaſatis impedimentis itineri ſe dare viderent, & ipſi idem faciunt, omnéſque munitiones Orangianis vacuas relinquunt. Hiergius eos libenter Harlemi detinuiſſet, ſed obedire nolle videns, Gerardum Pinſium Nobilem Hollandum per celeres equos ad Requeſenſium harum rerum illi ſtatum declaraturum mittit. Harlemo ſeditioſi Vltraiectum venientes, blandis verbis intromitti petebant. At ciues Antuerpianas extorſiones præ oculis habentes, magno numero excubias agebant, admittere militem recuſantes. Illi circum vrbem in pagos diuertentes, miſerrimè agricolas habebant. Sub idem quoque tempus Iulianus Romerus cum veteribus Hiſpanis ac Wallonibus, pauciſq; Germanis, deſerta ditione Arculea, & inſula Bommelana cum captis munitionibus ac oppidulis, in Brabantiam venit, militem huc illuc diſpergit, quatuor tantùm ſignis Antuerpiam intrantibus; è quibus tertiæ cohortis milites magnis per plateas vocibus clamitabant, Viuat Orangius: expectabant enim an ad has voces aliqui ſe eſſent moturi, cauſam diripiendorum ciuium aucupantes. Sed neminem clauſis foribus ac feneſtris ſe mouere ſentientes, vrbem tranſeunt, ac Bergas ad Zomonam Tergouſiumque tendunt. Medio itinere ad munitionem Ortdammiam obuiàm fiunt triginta Orangianorum nauibus, qui vehementiſſimè dictam munitionem in ſpeciem tormentis oppugnabant, illiſque rurſum contra eos tonabant, itaque in vrbem reuertuntur. Tandem quatuor Orangianorum naues munitionem tranſeuntes Antuerpiam tendunt. Sed mox rumore accepto, Hiſpanos, Wallones ac Germanos in vrbem reuerſos in noua ciuitate ſe munire, ad claſſem Ortdammium reuertuntur. Suſpicabatur hinc non falſis ratiocinationibus coniurationem Requeſenſius, vt mox rei veritas declarauit. Quare ſeptem diebus clauſis portis diligentiſſima per omnes domos facta eſt inquiſitio: ſed ſeptem exceptis, ciues reliqui innocentes reperti, captiui multi dimiſſi,

1574

Conſultatur Bruxellæ de recuperanda Hollandia.

Hiſpani iterùm tumultuantes, Hagâ locáque vicina Geuſiis relinquunt.

Idem tentato fruſtrà Vltraiecto, agrũ vicinum populãtur.

Alij quoq; milites Regij Antuerpiæ inſidiantur.

Demum & Orangiani eidem vrbi inſidias ſtruunt, etſi fruſtrà.

1574 miſſi, milites omnes, ne oneri eſſẽt, in ſuburbiis locati. In dictis ſeptẽ ędibus arma diuerſi generis magno numero reperta. Quare nõnulli ſtatim ſtrangulati, alij capite paulò pòſt plexi, ac in quatuor partes ſecti per vrbis portas ac turres pependere. Detecta fuit coniuratio, capta ad Flandriæ littus ab Antuerpiana bireme, Orangiana oneraria minore, quam *Heude* vocant, cuius Præfectus Antuerpiæ tortus fatebatur conſtitutum, vt ſupra tria peditum millia Belgarum Orangio militãtium ex Hollandia ac Zelandia lectorum inſtar mercatorum diuerſæ conditionis merces quærentium Antuerpiam venirent, ac partim apud conſcios diuerterent, armáque reperirent, partim variis in diuerſoriis ac hoſpitiis etiam ſuæ factionis ſe reciperent, armaque, cùm naues aduenirent, parata haberent. Adfutura etiam ab vna parte duo Leodienſium Orangio fauentium peditum millia, qui per partes venientes in itinere erant, (ſed reſcita Antiſtes Leodienſis coniuratione, tempore Requeſenſium admonuerat) ab alia parte Orangianorum claſſem inuaſuram opportuna ad Scaldim ac continentem loca, vt ab iis qui intus parati erant, in vrbem admitterentur, iunctíque omnes ſimul eam ſui iuris facerent: nouam quoq; ciuitatem cum recèns in hac ædificata munitione occuparent, vt vallo, foſſa, iuſtíſque munitionibus caſtelliſque contra Albani arcem erectis, ea terra aquáque obſeſſa, tandem quoque in poteſtatem redigerent, vrbíſque opibus, ſitu, munitione ac opportunitate vniuerſæ dominarẽtur Brabantiæ. Sed in vanum res fuit. Decimo ſeptimo Decembris ſeditioſi circa Vltraiectum Hiſpani clàm vrbem occupare conantur, vt in ea hibernantes ſecurè agerent, debitáque ſtipendia ciuibus ac agricolis extorquerent, ſumpto ab aliis Hiſpanis exemplo, qui hoc modo Antuerpiæ, vt diximus, inuenerant. Dicto igitur die ante Solis ortum, ſpiſſis denſiſque adhuc tenebris cum multis veniunt ſcalis, eaſque portæ Catharinianæ propinquiſque apponentes muris, tranſcendere incipiebant. Et iam octo in vrbis vallo erãt, cùm vnus vigilum portæ, exiguo ſtrepitu audito, ardenteſque funiculos conſpiciens, eos qui in porta vigilabant, inclamat. Illi cum armis aduolantes, octo qui intrarant confodiunt, conuerſíque contra ceteros tranſcendere conantes dubiam ineunt pugnam: oppreſſíque à multitudine Hiſpanorum fuiſſent, niſi ipſe Hiergius Præfectus cum corporis cuſtodibus, vniuerſáque armata familia in auxilium ſtatim veniſſet, ciuibus omnibus interea ſe armãtibus, ac ad conſtituta valli loca ſe conferentibus. Non enim ſolùm ad portam Catharinianam Hiſpani vim faciebant, ſed & ad portam huic aduerſam ſeu auerſam Tolſtegiam dictam, quòd ibi foſſas ferè ſiccas eſſe ſcirent, omnibus adhibitis viribus intrare conabantur: aliis quoque duobus locis, magno tympanis excitato ſtrepitu, vim minitabantur, vt ciues ſine militari præſidio agentes ter-

Quomodo proditio detecta, & qualis ea.

Quin Orangiani etiam Arce potiri ſperarant.

Hiſpani ſeditioſi admotis ſcalis Vltraiectum inundunt.

Accurrente Hiergio & ciuibus, vix repelluntur.

ritos

ritos diſtractóſque aliqua vrbis parte opprimerent. Sed vndique repulſi, tandem illuceſcente die ab oppugnatione deſtitere, vehementer inprimis irati, quòd Hiſpani præſidiarij ex arce Vltraiectina, quæ portæ adhęret Catharinianæ, maiora minoráque in capita ſua exonerantes tormenta, aliquot ſtrauiſſent ac ſauciaſſent: mandauerat enim Præfecto Requeſenſius, nulla ratione ſeditioſos in vrbem admitteret. Cecidere circiter ſexaginta Hiſpani, ſauciati bis totidem; è ciuibus duo periere, vulnerati nouem. Reuerſi itaque in pagos, miſeros colonos omnibus exuerunt facultatibus, Orangio, (quod vix ſperare auſus fuerat) maioris partis Hollandiæ Zelandiæque libera poſſeſſione velut relicta. 1574

Numerus cæſorum vtrimque, & vulneratorum.

Hoc anno ſeptuageſimo quarto, die trigeſima Maij moritur Carolus nonus Galliarum Rex vigeſimo quarto ætatis anno; cuius rei nuntio ad fratrem Henricum in Poloniam allato, cum à 21. Februarij menſibus tribus & diebus 26. Poloniæ ſceptrum tenuiſſet, 18. Iunij intempeſta nocte, paucis Gallis domeſticis comitantibus, equis citatis in Galliam rediit, & Carolo fratri ſucceſſit. Tunetum in Africa à Turcis, Sinane Baſſa duce, capitur; & Goletana arx, cæſis præſidiariis militibus Hiſpanis ſolo æquatur. Moriuntur quoq; hoc anno Selimus II. Turcarum Imp. ſuccedente ſibi Amurate III. & Coſmus Dux Florentiæ. VARIA.

Carolo Regi Francorum frater Henricus Poloniæ Rex ſuccedit.

Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto, inſtantibus Februarij Kalendis, iterùm de pace apud Belgas mentio illata eſt; conueniẽdi locus Bredæ opportunus Hollandis æquè atq; Brabantis conſtitutus. Miſerat enim Requeſenius hac de cauſa ad Orangium in Hollãdiam Elbertum Leoninum vtriuſque Iuris Louanij Profeſſorem publicum; qui eò rem deduxerat, vt Orangius Hollandiæque Ordines pollicerẽtur ſe eôdem venturos aut Legatos miſſuros. Præcipuus qui ab Orangij parte venit, Comes fuit Swartzenburgius, à Cæſare quoque Maximiliano excitatus, habens Orangij ſororem in vxorem, ac cum eo Wolfgangus ac Philippus Comites ab Hohenlo, Conradus Comes à Solms, Comes à Wildenburgh, Comes ab Aldenburg, Otto Rhijngrauius: cumque his Confœderatę ciuitates ſuos mittebant Legatos, Aldegondium, Boiſotiũ, Dorpium, Iunium, Buſium, Nieuellium, alios. Pro Rege Philippo mittebat dictus Cæſar Sigiſmondum Comitem à Gelrich, ac Baronem Lobenſtein, quibus iunxerat Requeſenius Lanoium, Raſinghemum, Præſidem Hollandiæ Suſium, Cancellarium Geldriæ Sasbontium, Doctorem Leoninum, ac alios aliquot, Requeſenio Antuerpiæ manente, vt interpellatus ad neceſſaria reſponderet. Vt autem pro Legatis ab vtraque parte vades haberentur, in Hollandiam à Rege iuit Mondragonius, Iulianus Romerus, Guilielmus à ſancto Clemente, ac Champagneius. A parte Orangianorum Antuerpiam venere quatuor legionum Præfecti. 1575

Miſſus Doctor Leoninus ad Orãgium, ſi de pace agi poſſit.

Conueniũt vtrimque, etiam à Cæſare, Legati Bredæ.

1575 Cùm Legati ſecundo Martij conuenìſſent, & vtrimque quanto deſiderio pacem optare viderentur, expoſuiſſent, Orangiani ante omnia petũt, extraneorum diſceſſum, tum vt Ordinum generalis Conuentus indiceretur, cui omnia ſubmitterentur. Ad quod Regij decimo quarto Martij ore & ſcripto reſpondent, Regem quidem, pacificatione planè peracta, nequaquam conſtituiſſe Hiſpanos in Belgio diutiùs, quàm neceſſitas ſit poſtulatura, relinquere; ſed indecens eſſe, ſuam Maieſtatem vlteriùs vrgere, quandoquidem id ad ſuæ Maieſtatis diminutionem, quam vtrique ſeruari velle teſtati ſunt, vergat. Quod ad Ordinum Conuentum attinet, Maieſtati ſuę placere, vt Ordines conuocentur ac conſulantur in negotiis quæ ad Ordinum cognitionem ſpectant, quæque ipſis præſentibus tractari ſolent: verùm ad ipſorum arbitria nequaquam ea eſſe referẽda, quæ à ſua ſumma iuriſdictione dependent, de quibus ſua Maieſtas aut ſui Vicarij conſulere poterunt Concilia ad id inſtituta; nempe Prouinciarum, aut etiam Magiſtratuum ciuitatum, cùm eis videbitur. Interim, quia armis nondum depoſitis, difficulter Conuentus Ordinum generalis celebrari poſſit (vt quiuis facilè intelligit) offert Rex ex nunc Hollandis, Zelandis & Confœderatis, omnium Priuilegiorum, legum & conſuetudinum, vbi fortè violata fuerint, reſtitutionem; præterea omnium hac tempeſtate perpetratorum veniam & obliuionem pollicetur, ſententiarúmque, exiliorum, confiſcationum, aliorúmque actorum id genus ſimiliter abolitionem. Bona vtrimq; erepta, quæ adhuc exſtabũt, talia qualia erunt, dominis ſiue heredibus reſtituentur. Captiui omnes vtrimque abſque redemptionis pretio liberi dimittentur, tam Comes Boſſuuius quàm alij quicumque; quæ autem ſoluta ſiue numerata erunt lytra, ſoluta manebunt. Princeps Orangius, Equites, Nobiles, & Ciuitates, quaſcumque Prouincias, vrbes, arces & munitiones, naues, machinas bellicas, & quæcumque ſupremi iuris, Maieſtati ſuæ reſtituent. Et quicumque ædes, fundos, facultates vel reditus Eccleſiaſticorum inuaſerunt, omnia quæ adhuc exſtabunt in eorumdem vſum abſq; vlla fraude reſtituent. Rex tamen vult, vt Religio Catholica Romana generaliter in omnibus ſuis Prouinciis liberè atque ſecurè exerceatur, non aliter atq; eo tempore quo in Prouinciis inauguratus & iuramento cõfirmatus fuit, quando & Ordines ſe in eadem Religione mori velle iurarunt. Iis interim, qui poſthac, vt anteà, Catholicè viuere nolint, Regia Maieſtas permittit, vt extra Prouincias Belgicas abeant, & ea quæ habent bona vendant intra tempus conſtituendum, intereà verò nullum ſuæ Religionis exercitium aut ſcandalum faciãt. Quod ad ſecuritatem ſiue cautionem, quamquam ſuæ Maieſtatis verbum & litteræ aſſertoriæ cautionis cauſa mittendæ ſufficere deberent; ſi tamen his contenti non ſint, quam præ-

Quid ante omnia poſtularint Orangiani.

Reſponſio Regiorum, omnéſque Articuli breuiter propoſiti.

Bona vtrimque reſtituentur, captiui liberabũtur, &c.

Rex tamen vult vt Religio Catholica vbiq; exerceatur, vt olim.

Qui nolint Catholicè viuere, aliò abſcedant.

tereà

„ tereà velint ſecuritatem cautionémque habere, ſignificent, vt de ea Regis 1575
„ nomine deliberetur. Hæc Regij. Ad quæ Orangiani in hæc verba vi-
geſimo ſecundo Martij reſpondent: Se in poſtulationibus perſiſtere, *Reſponſio Orangianorum ad prædicta.*
nempe vt extranei ob enormem crudelitatem, proteruiam ac improbitatem in Belgio perpetratam, diſcedant. Quare quod proponitur Regiam Maieſtatem Hiſpanos in Belgio non diutiùs quàm neceſſitas exigat, & Prouinciales ferant, retinere decreuiſſe, id vt ſua Maieſtas præſtare velit, obteſtantur; vtque eò ſua Maieſtas quibuſcumque modis flectatur, inprimis ſtudent atque optant. Verùm quòd ſua Maieſtas videatur velle differre Conuentum Ordinum Generalium, donec omnia ſint pacata, atque eoſdem velle redigere intra certos limites, fruſtrà id fore, cùm Ordinum poteſtas & officium ſe tam latè debeant extendere, atq; Prouinciarum communia negotia ſaluſque poſtulant, quandoquidem penes ipſos horum præcipua ſit cognitio atque experientia. Reliquos quidem Articulos, ſi eis interpretatio neceſſaria addatur, aliquo modo tolerandos eſſe; tamen exactè perpenſa reſtrictione & conditione de tradendis Prouinciis, vrbibus & munitis locis Hollandiæ & Zelandiæ, ſimul etiam nauibus, machinis bellicis, & alio omni apparatu, videri profectò hîc fallaciam intendi fabulæ de bello inter lupos & oues; quæ incautæ canes defenſores, ſibique inprimis auxiliares, lupis tradidere. Proinde liberè atque ingenuè fateri, nullo modo conſultum videri, oblatos Articulos cum conditionibus atque reſtrictionibus huiuſmodi approbare. Nullo etiam modo poſſe fieri, vt tanta hominum reformatæ Euangelicæ Religioni addictorum multitudo Prouincias exeat, & patriam charam relinquat; tum etiam artificia opificiáque migrarent, non ſine magna obſequiorum & vectigalium ſuæ Maieſtatis diminutione. Proinde Principem Orangium, Ordines & Ciuitates cupere, vt hæc declaratio ac præmonitio æqui bonique conſulatur; rogare etiam Deum, vt Regi & Delegatis aliud conſilium iudiciúmque inſpiret. Ad hæc ſcripta Regij Delegati primo Aprilis ſcripto quoque reſpondent, & ſcriptum præcedens carpunt, tamquam nimis rigidum ac durum in illos, cum quibus pacificè eſſet agendum: & inprimis dicunt ſe ſummopere mirari, quorſum fabula de lupis & ouibus adducta vergat, quandoquidem huiuſmodi traditio apparatuum bellicorum non exigeretur, niſi certa firmáque cautione priùs oblata, cuius nullam prorſus mentionem illi faciant: quin offerunt cautionem, qualemcumque ipſi proponerent aut peterent; aſſeruntque ipſos Prouinciarum Ordines ſingulatim conuentioni & Regis promiſſioni ſuam auctoritatem interpoſituros, & magno ſigillo ſignaturos, ac præterea, ſi neceſſe ſit, vt promiſſa quoq; à Cæſarea Maieſtate,
„ & aliis Principibus conſanguineis confirmentur, curaturos. In Religio-

Volunt Ordinum poteſtatem ſe extendere ad omnia communia Prouinciarum negotia.

Tum dicũt ſuos nolle deſerere charam patriam.

Altera reſponſio Regiorum.

1575 ne tamen Regiam Maieſtatem ne apicem quidem concedere poſſe aut « velle, verùm iis qui diſcedere volent, permittere ſpatium ſex menſium, « dummodò intereà ſe abſque offendiculo gerant, quò facultates ſuas quá- « ticumque poſſint, vendant: prætereà etiam octo aut nouem annorum « tempus, quo ſuis bonis fruantur, dummodò ea Catholicis Romanis ad- « miniſtranda tradant atque committant. Regem certè populi diſceſſum « ſummopere dolere, verùm, quòd, ſi ſe aliis accommodare nolint, id ne- « quaquam Regi, ſed ipſiſmet imputandum eſſe. Regem interim non du- « bitare, ſi extranei ſaltem Concionatores, & Conſiſtoriorum collegæ, & « alij nonnulli, qui turbis concitatis, prætextu quodam ademptionis Pri- « uilegiorum has nouitates primi introduxerunt, aut reſipiſcant, aut ex « Prouinciis diſcedant, quin populus probè inſtructus, non difficulter ſit « acquieturus, & Regis voluntati obtemperaturus. Ad hæc die quarto « Aprilis Orangiani menſem vel ampliùs ſibi dari petunt, vt intereà Pro- uinciis & Ciuitatibus hæc ſcripta, quæ ſeparatim in nonnullos præcipuè extraneos culpam omnem transferre videbantur, oſtendant, & reſponſum legitimè ſignatum reportent: intereà obſidum ſe reditum expectare aiunt. Die ſexto Aprilis Comes Swartzenburgius harum tergiuerſationum & altercationum pertæſus, valedicit vtriuſque partis Delegatis, & octauo eiuſdem ad Cæſarem redit. Nihilominùs poſtremo die Maij rurſus Orangiani Delegati in vrbe Bredę comparent, & primo Iunij, ſcripto tradito declarant, ſe quidem laudare & approbare ea quæ oblata fuerunt, de legibus & priuilegiis in Prouinciarum commodum conſeruandis; verùm neſcire quorſum tendat ex patria migrandi conditio, reſpondéntque ingenuè, nequaquam conſultum videri patriam aut Religionẽ ſuſceptam relinquere, cupiunt autem rogatum Regem vt in cauſa conſcientiæ iubeat deſiſti ab igne & gladio, pollicentúrque in aliis rebus debitam ſuæ Maieſtati obedientiam. Quod verò ad oblatæ ſecuritatis clauſulas & reſtrictiones attinet, aiunt ſe triſtiſſimis exemplis expertos, quales eos totus orbis ſit æſtimaturus, ſi vrbes, arces, naues, & machinas bellicas ante extraneorum abitum, & generalem Ordinum conſenſum tradant. Ad hæc & plura alia reſpondent Regij, Commendatorem Requeſenium Acta omnia in Hiſpania miſſurum, & inde reſponſum expectaturum. Itaque vtrimque proteſtatione facta quòd pax per eos non ſteterit, tandem 14. Iulij ſinguli ad ſua reuertuntur. At verò intereà dum pax iſta Bredæ tractabatur (de qua pleniùs infrà ad 8. Nouembris anni 1576. in Pacificatione Gandenſi, quæ huius tractationis continuatio habita eſt) Orangius 12. Iunij Brilæ vxorem duxit Charlottam Borboniam, Ducis Montpenſieri filiam, Duciſſæ Bolioniæ ſororem, quam pater Catholicæ Romanæ Religioni addictus in Virginem ſacram Deo dedica-

Demum, ſi dicti Euangelici ſe aliis accõmodare nolint, id ſibi imputent.

Petunt Orangiani ſpatium, ſuis omnia communicandi.

Rogant Regem, vt in cauſa conſcientiæ abſiſtat ab igne & gladio.

Reſpondẽt Regij, omnia in Hiſpaniam mittenda; ſicq; diſceſſum.

dedicarat: nupta autem Orangio, quinque aut ſex filias, nullum autem filium peperit. Genuerat Orangius ex prima vxore, vnica Buranę familiæ filia, filium maximum natu Philippum Buræ Comitem, quem Dux Albanus, vt diximus, in Hiſpaniam tranſmiſit, & vnicam filiam nuptam Comiti de Hohenlo. Ex ſecunda autem vxore Mauritij Electoris Saxoniæ Ducis filia, filium Mauritium Naſſouium, & filias duas: hęc autem Orangij vxor in arce Dreſdena à patruo Auguſto Principe Electore in cuſtodiam tradita, ſuſpicionum quarumdam cauſa, demum anno 1576. obiit. Hæc ex Scriptore quoque partis Fœderatorum. De matrimonio hoc Orangij Heuterus in hunc modum: Vndecimo Iunij iniit Orangius matrimonium cum Carola Borbonia Ducis Montpenſierij filia Abbatiſſa, quæ ante annos aliquot, facto caſtitatis voto, Deo ſe, Eccleſiæque Catholicæ obligarat. Sed à Caluinianis Francis perſuaſa, deſerta Abbatia, in Germaniam profecta, in Palatinatu Caluiniſmum didicerat, eoq; initiata, in Franciam redierat: vnde naues conſcendens, Brilámque Hollandiæ appulſa, Orangio, qui hucHagâ aduolarat, nupſit, viuente etiamnum ſecunda eius vxore, Anna Saxonica, Mauritij Saxoniæ Ducis ac Electoris filia heredeque, quam patruo Auguſto Saxoniæ Duci ac Electori remiſerat. Menſe Iulio, digreſſis pacificatoribus, mox Hiergius à Requeſenio in Hollandiam cum Regio exercitu profectus, iuſſus eſt bellum renouare: qui viam ſibi facturus, copias ad oppidum Buram ducit, in quo tres erant Orangianæ cohortes, ac quatuor in Arce ipſa, oppido multò munitiore: vbi cùm duobus diebus ac nocte vna, oppidi muro ac vallo deiecto, ſignum inuaſionis dediſſet, tãta animorum obſtinatione per duas horas eſt pugnatum, vt tandem Hiſpani Wallonibus mixti vi intrantes, ciues ac præſidiarios obtruncarent, oppidum diriperent, ac pro parte exurerent. Tum ducta ad Arcem tormenta: nec multa mora; etſi fortiſſimè præſidiarij repugnarent, oppreſſi, interfectique Regiis ceſſere. Hinc copiæ Oudwateram ductæ, prolatáque tormenta: nocte dieque continuata verberatione, cùm ruinæ hiatus placuiſſet, ſonantibus tympanis aduolant Regij milites. Erant in oppidi præſidio quinque Orangianæ cohortes, octingentos viros habentes: qui bis ſtrenuiſſimè repulſis Regiis, cùm tertiò maiori impetu inuaderentur, vlteriùs vim non ferentes opprimuntur, cæduntur que cum ciuibus: oppidum direptum incenditur octauo Auguſti. Nec cunctatus Hiergius, duodecimo Auguſti Schoonhouium ducit, ac viginti octo maioribus tormentis (quorum dimidiam partem Burana eduxerat ex arce) oppidum duobus quatiens locis, effecit, vt ciues animis deficientes de deditione agi vellẽt. Erant in præſidio quadringenti Franci, ductore Franciſco Guardio. Is ſe deſtitutum ciuium auxilio, diu vim non toleraturum conſpiciens, Lega-

1575

De Borbonia nupta Orangio ex Scriptore Orangiano.

De eodem matrimonio ex Heutero.

Hiergius iubetur in Hollandia renouare bellum.

Regij Burã capiunt, primò oppidum, deinde & Arcem.

Similiter Oudwateram, quæ directa & incenſa.

1575 tos ad Hiergium de deditione mittit, & conueniunt; quicumque exire « vellent, omnibus quæ humeris ferre possent ablatis, ciues militésque, so- « nantibus tympanis, explicatis signis, incensis funiculis, quò vellent, ab- « irent, cetera manerent: ciuibus ac militibus manere volentibus, nouo « Regi dicto sacramento, salua omnia essent. Inde Hiergij copiæ Crim- « pam veniunt, pagúmque muris & propugnaculis instar vrbis muniunt, amnem Mosam obstruere, atque inde liberum sibi accessum in Brilam & vicina loca parare meditantes. Sed huic incepto ocyùs resistunt Orangiani: aggerem ab altera fluminis parte demoliuntur: vallum hîc construunt, & tormentis bellicis muniunt, ac tandem hoc molimine Crimpam non solùm obsident, sed etiam die vigesimo primo Februarij anni sequentis capiunt. Inter hæc Requesenius considerans se hactenus aquę marinæ incommodis, tum etiam Hispanorum seditionibus nil in Hollãdia contra Leidanos, Delfios aut Rotterodamios efficere potuisse, tãdem Belgis aures præbere statuit. Docebant ij Hollandos à Zelandis separandos, si Regi Prouincias recuperare vellet. Præscribente igitur Catholico olim Ziriczeorum Consule Antuerpiæ agente, tentare eius vrbis expugnationem statuit. Est autem Ziriczea vrbs primaria vnius Zelandicæ insulæ dictæ Scaldelandię, nunc corruptè *Schovven*, ab Oriente habens Duuelãdiam, à qua mediocri separatur amne, ab Occidente Oceanum & Walchriam insulam, in qua Vlissinga, Middelburgum & Vera; à Septemtrione Goream ac Vornam, in qua Brila; à Meridie Nort ac Zuyd Beuelandiam. Continet insula præter Ziriczeam, oppida Brouwershauen, ac Bomenæum, è municipio recèns oppidũ factum, agrumque fertilissimum cum pagis viciśque multis habet. Iacent inter Hollandiam ac Scaldelandiam hanc minores insulæ complures, quarũ pleræque vno contentæ pago, eius erant cessuræ potestati, qui Ziriczeam obtinuisset, ac proinde Hollandis ingentia commoda aut incommoda allaturæ, faciléque ad Walchriæ inuasionem modum locúmque daturæ. His omnibus de rebus abũdè instructus Requesenius fortunam, etsi difficilem, durámque tentare statuit. Consilio igitur cum locorum peritis inito, Bergas ad Zomonam, deinde Tolam Zelandię insulam Regi obedientem classem conuenire, & Dauilam cum maiori eius potioréque parte Vlissingam petere iubet, quatenus ea in parte Orangianam classem à Duuelandia euocatam, donec exercitus aquam transiisset, detineret. Itaque vigesimo nono Septembris Regij milites, præeuntibus primò aliquot eorum locorum ouium pastoribus, deinde Isidoro Pacieco, dictoq; olim Ziriczeæ Cõsule, primùm ad insulam perueniunt, à diua Anna nomen habentem: vnde in aliam à Philippo Bono nomen sortitam traijcientes, indeque Zijpæ vada petentes, tandem ad insulam Duuelandiam

Schoonhouij quoque se dedunt.

Orangiani munitioni Regiorum in Crimpẽ aliam opponunt.

Requesenius tãdem Zelandos ab Hollandis separãdos censet.

In hãc rem Ziriczeam stratagemate quodam obsidere parat.

Regij pedibus per aquam Ziriczeam tendunt.

inter

inter ſecundam & tertiam noctis horam perueniunt, cùm ſupra tres horas iter in aqua feciſſent, arma ab humero, cùm aliter non liceret, in capita paſſim ferentes. Vna Hiſpanorum peditum cohors impedimenta cum feminis, lixis ac calonibus expectans, cùm ſæpiùs eſſent admoniti, exuberaturum mox maris æſtum, ignari quid eſſet, poſt dimidiam ceteros ſecuturi horam, aquam ingreſſi, cùm dimidium itineris abſoluiſſent, ſociis è Duuelandia ſpectantibus, ab occurrente æſtu ſeu aquarum mole oppreſſi, merſíque cum lixis, calonibus, feminis ac impedimentis periere. Stabant ab vtraque parte in anchoris maiores Orangianorum onerariæ, tranſitum nauibus Regiis, de quibus diximus, impedituræ; ſed id ſtudio erat factum, ne quid de pedeſtri tranſitu ſuſpicarentur. Quo viſo attoniti conſternatíque præ admiratione tanti ſtratagematis, exiliere tamen aliquot è nauibus, ac cum Regiis manus cõſerere ſunt auſi, ſed mox propter multitudinem fuere repulſi. Quare cùm aliud Orangiani, ſedentibus in vado ſuis onerariis, nil poſſent, maioribus tormentis in tranſeuntes ſine detrimento fulminabant. Fluuio Duuelandiæ traiecto, pedibus Regij in ſicco Scaldelandiæ, (in qua Ziriczea) collocatis, munitiones reperiunt leuiores, ad viri vmbilicum vſque tantùm altas, ac à quatuor circiter Orangianorum peditum millibus cuſtoditas, quas prima inuaſione Dei ac diui Iacobi inuocantes auxilium occupant, & duobus ſe hîc diebus reficiunt; præſidiariis Orangianis partim Ziriczeam, partim Bommenæum fugientibus. Tum Brouwershauam Mondragonius ducit, occupatóq; primo impetu portu, proximiſque caſtellis (quæ præſidiarij metu ac ſtupore tantæ audaciæ Ziriczeam aut Bommenęum fugientes reliquerant) ſequentes veſtigia Regij ad oppidum vſque, vt deditionem faciant, per tympaniſtam petunt. Ea negata, neceſſaria ad oppugnationem parant. Intereà Tolæ tormenta nauibus plani fundi à Dauila impoſita, deceptis hoſtibus, nocte ad Mondragonium peruenerant, maiorémque tormentorum apparatum, omniáque exercitui neceſſaria idem Dauila non ſine ſummo periculo aduexerat. Præerat vniuerſo exercitui Mondragonius. Quare tormentis ad foſſarum Bommenæi labra promotis, murum vallumque nouis operibus munitum (è pago enim Orangiani propter ſitum munitiſſimum fecerant oppidum) nocte diéque verberabat, móxque cùm facta ruina, hiatus ſatis amplus Regios ad inuaſionem inuitaret, vel inuito Mondragonio, tympana verberari miles cogit. Prouolant ad ruinam, atrociſſimámque cum præſidiariis ac ciuibus ineunt pugnam. Sed poſt tertiam repulſi horam, irritati, non animis deiecti, repeti valli verberationem orant. Fit nocte diéque. Erant in oppido quinque peditum ſigna, iis exceptis, qui ex deſertis munitionibus huc confugerant, numero circiter mille pedites veterani. Cùm itera-

1575

Nonnulli ignari æſtus marini ab aquis abſorbentur.

Regij munitiones quaſdam obuias capiunt.

Aduectis tormentis Mondragonius Bõmenæum inuadit.

Pugnatur atrociſſimè tribus horis.

ta

1575 ta tormentorum vis ſatis ad inuadendum loci præbere videretur, ſigno accepto Bommenęum iterùm vigeſimo quinto Octobris inuadunt, pugna priore edita vehementiore ac diuturniore, vt quæ à ſummo manè vſque meridiem ſex continuis durauit horis. Sed tandem quoque repulſi Regij, duabus oppugnationibus ſupra trecentos deſiderarunt Hiſpanos, centum quinquaginta Wallones, multiq́ue à miſſilibus ſunt vulnerati. Irati Duces militeſq́ue tertiò vim experiri ſtatuunt. Exonerantur tormenta tanta inſtantia ac continuatione, vt duo calore ſoluta, rimáſq; agentia inutilia redderentur. Tum Bommenęij, perditis lateralibus extantibus propugnaculis, ruináque multò ampliore facta, de defenſione deſperantes colloqui petunt, deditionis ſignum promentes: quo viſo, Germani, ad ruinas, non expectato ſigno, nihilominùs prouolant. Et quidem defendunt ſe ſtrenuè præſidiarij ac ciues; ſed quòd promptiſſimi ac acerrimi cecidiſſent, aut ſaucij decumberent, non vltrà vim ferre valentes opprimuntur: cæditur præſidium cum maxima ciuium parte: oppidum direptum incenditur. Captum fuit Bommenęum vigeſimo nono Octobris, poſteaquam integro menſe vim Regij exercitus, magna conſtantia, multiſq́ue præclaris editis facinoribus ſuſtinuiſſent. Reparatis ruinis, oppidóque communito ac de neceſſario milite prouiſo, Mondragonius exercitum rectà Ziriczeam ducit. Ea autem oppugnari difficillimè poterat, quòd ab initio tumultuum locis neceſſariis permunita, ingenti vallo, foſſa, ac extantibus propugnaculis quà continentem reſpicit, inſigniter defenderetur; ab altera verò parte quatuor millium paſſuum latitudinis portu ſuperbiens, indies neceſſaria ab Hollandis ac Zelandis acciperent. Ad obſidionem igitur Mondragonius ſe conuertens, vbi terrâ Ziriczea adiri poterat, erectis iuſtis munitionibus, iiſq́; de maioribus tormentis, ac veterano milite prouiſis, mox effecit, ne quidquam ad vrbem terrâ, niſi extremo cum periculo inferri poſſet. Deinde ad portum claudendum conuerſus, ad introitum, ſingulis in lateribus duo ingentia excitauit propugnacula, eáque maximis tormentis iuſtóque communiuit præſidio. Omnia enim Regiis neceſſaria abundè ſuppeditabat Brabantia, quòd non ſolum oppidum Tola, ſed & inſula diuæ Annæ, Philippi ac Duuelandia in Regiorum tunc eſſent poteſtate. Quibus munitionibus ad Ziriczeam perfectis, exiſtimabat Mondragonius Orãgianorum naues, ob quatuor illas munitiones certo inter ſe interuallo iuſta proportione diſſitas, non ampliùs vrbem intraturas; ſed opinione ſua falſus eſt. Hollandi enim ac Zelandi, armatis diuerſæ formæ nauibus, haud procul portu ventum idoneum expectantes, eo flante, contempto omni periculo, audaciſſimè ſe inferebant: & quamquam ſubinde nauis vna atque altera globis maioribus perforata mergeretur, aliæq́ue laceræ

Item aliis ſex horis, multis vtrimque cadentibus.

Tertiò oppugnatum Bommenaum vi expugnatur.

Ducit deinde Mondragonius ad Ziriczeam.

Erigit varia propugnacula, ne quid inferatur.

Nihilominùs Orangiani nauibus neceſſaria Ziriczeam inferunt.

non

non exiguum acciperent detrimentum, maior tamen pars ad vrbem cum commeatu rebuſque neceſſariis perueniebat, protrahebatúrq; hac ratione obſidio à menſe Octobri vſque in menſem Iulium anni ſequentis, vt ſuo loco proſequemur. 1575

Menſe Decembri Requeſenius, conſilio Procerum Belgarum, Regiorúmque apud Belgas Conſiliariorum, publicato Regio Edicto iuſſit poſthac anni initium à Kalendis Ianuarij ab omnibus conſtituendum, numerandúmque, abrogans intricatum Brabantorum morem, qui multis retroactis ſæculis, anni initium à die Paſchatis numerare ac conſtituere conſueuerant. Quod quidem Feſtum cùm ſingulis annis diem variet, & ſubinde menſe Martio, aliquando Aprili incidat, incredibiles adferebat difficultates litteris ac ſchedulis, quibus ſe inuicem homines variis contractibus obligant, dum ædes locant, pecuniarios redditus annuos conſtituunt, fructus annuatim diuerſos, aut pecuniam ex agris campíſque recipiunt. Vbi cùm in litterarum calce adderetur, anno illo ante aut poſt Paſcha, die tali menſis Martij aut Aprilis; cùm ſimplicioris ingenij ac naturæ homines ea diſcrimina non ſatis caperent, miſerrimè ab aſtutioribus vafríſque ingeniis decipiebantur. Sic igitur vſus ille anni auſpicandi in proximis Kalẽdis Ianuariis ab omnibus tunc fuit receptus.

Inter hæc edicit Requeſenſius, annũ vbiq; vniformiter incipi.

Scilicet, hæ erant cauſæ eius Edicti.

Sub idem tempus circa Chriſti Natalem mittuntur ab Orangio & Ordinibus Hollandiæ & Zelandiæ in Angliam Aldegondius, Douſa, Niuellius, Buſius, & alij, cum mandatis, vt aut fœdus cum Regina ineant, aut protectioni ipſius ſe dedant, aut certè ſe ei deuinciant, tamquam Principi ſãguinis Hollandici, ex Philippa nempe filia Guilielmi Tertij Hannoniæ, Hollandiæ, & Zelandiæ Comitis. Sed Regina Eliſabetha metuens Hiſpanorum inimicitias & Francorum inuidiam, maximis quoque ad perficiendum inſtitutum bellum ſumptibus exactè perpenſis, parui Legatorum poſtulationes facere viſa eſt; atq; ea de cauſa quoque minoris, quòd tunc temporis ad Reginam veniſſet Dominus Champagneius Antuerpienſis vrbis Gubernator, Commendatoris Requeſenij nomine Legatus, eámque induxiſſet, vt cum Hiſpano potiùs pacem habere, neque Belgarum bello ſe immiſcere decerneret: poſteà tamen anno ſequenti, mortuo Requeſenio, ac deinceps non pauca ſubſidia ab ea impetrarunt.

Orangius mittit pro auxiliis in Angliam.

Adeſt ibidem & Champagneius à Requeſenſio.

Annus apertus erat ſeptuageſimus ſextus poſt ſeſquimilleſimum, cùm Requeſenius videns obſidionem Ziriczeanam in longum tendere, Tolâ Bergas ad Zomonam, inde Antuerpiam, hinc menſe Februario Mechliniam venit, celebrátque ibi anni vitæ ſuæ quinquageſimi ſolemne feſtũ velut Iubileum. Tum Bruxellam reuertitur, vbi excipitur ſeditione duorum ſignorum peditum Hiſpanorum, corporis ſui cuſtodum: qui antiquos nouóſque Hiſpanos imitari volentes, debita ſtipendia Bruxellanis 1576

Requeſenſius videns Ziriczea obſidionem extrahi, Bruxellã reuertitur.

extor-

1576 extorquere ſtatuerant, noctéque ſonantibus tympanis per vias diſcurrentes, ſclopetáque exonerantes, inconditis vocibus arma inclamabant. Sed videntes duo reliqua ſigna quieſcere, nec ſe ſeditioſis iungere velle, ciues verò vndique ad arma concurrere, pœnitentia ducti, ad ſolitas modeſtè redeunt excubias. Requeſenius nihilominùs, perueſtigatis tumultuum auctoribus, poſtero die circa meridiem duos coryphæos ad patibulum, quod ſtat in Curiæ area, ſtrangulari iubet. Sub idem tempus Orangius ſperans partem exercitus Regij ab obſidione Ziriczeana hac ratione auocare, coactis in vnum duobus peditum millibus, ad expugnandam munitionem, quam dudum, vt diximus, Regij in pago Crimpa, vbi Iſala minor Meruam ſeu Moſam influit, habebant, eos miſerat. Erant in ea trecenti Hiſpani, qui ad portas ſæpè Goudanas ac Roterodamas excurrentes, agros nocte dieque infeſtos dudum habuerant. Sed nunc terra aquaque arctè obſeſſi, cùm aliquoties vim repuliſſent, nec vſpiam auxilium adueniret, rebus multis deficientibus, pacti menſis Februarij die vigeſimo primo, vt cum armis impedimentiſque, explicatis ſignis exeuntes in tutum deducerentur, Orangio munitionem cum maioribus tormentis reliquere. Interea Requeſenius animo verſabat, qua ratione Ziriczea in poteſtatem redigeretur. Claſſe, qua longè Orangianis erat inferior ac impar, fieri non poſſe videbat. Adhibitis igitur in conſilium Hollandis ac Zelandis, cùm tormentorum globis Orangianas naues ab ingreſſu vrbis prohiberi non poſſe videret, naues verò ruderibus humoque plenas inque portu demerſas, à maris æſtu abripi didiciſſet, ſecretò Antuerpiæ fieri iubet ferream catenam ad portus latitudinem dimenſam, ex annulis adeò craſſis compactam, vt nulla vi aut ratione rumpi poſſe videretur. Sed Orangiani, armatis maioribus aliquot onerariis, lateribuſque contra moſqueti globos permunitis, proris à ſummo vſque ad carinæ initium ingentem ferram dentibus immanibus armatam firmiſſimo opere addiderunt; expectanteſque æſtum ventúmque ſecundum, contemptis maiorum Regiorum tormentorum ingentibus globis, aliquoties perrupta catena, Ziriczeos rebus neceſſariis iuuerunt. Quare Requeſenius ſtatim catenam craſſioribus ſemper annulis reſtitui, inſuperque variis portus vadis arborum maiorũ truncos, tranſuerſis tignis coniunctos magna vi infigi, cateniſque variis communiri indies magis ac magis curabat, nullis parcens ſumptibus nec laboribus, totúſque animo & corpore ad Ziriczeæ expugnationem intentus. Sed nolente id eum videre Deo, initio Martij correptus febre peſtiali, quæ eum nocte nec die deſerebat, vir etſi robuſtus, omni Medicorum diligentia artéq; reiecta, ſexto eiuſdem menſis ſub auroram è viuis ſublatus eſt Bruxellæ, corpuſque eius exenteratum ac aromatibus condîtum triduo omnium conſpectui patuit,

Orangiani munitionẽ in Crimpẽ Regios eripiunt.

Poſt alia, portus Ziriczeanus immenſa catena præciditur.

Perrumpũt catenam Orangiani ferratis nauibus.

Requeſenius morbo quinq; dierum extinguitur.

quar-

quartóque die Regia pompa in templo Caudebergico, vniuerſa comitante Aula, ſepulchro eſt illatum. 1576

De inexpectata Requeſenij morte Rex ſtatim per celerem admonitus equitem, Status Concilio reſcribit, Prouincias Belgicas eouſque ſuo nomine procurent, donec Gubernatorem miſiſſet; confidere ita eos rem geſturos, vt non vulgarem remunerandi occaſionem de præſtita ſibi Belgiſque opera ac fide Regi eſſent daturi. *Concilio Status demandat ad tempus Rex Prouincias.*

Hæ litteræ Regiæ Idibus Aprilis Belgarum Ordinibus Bruxellæ congregatis oſtenduntur. Quare diligenter Ziriczeanam deditionem vrgent, iuuántque, vt ea in poteſtatem redacta, ac Hollandia ſic à Zelandia ſeparata, faciliùs Regi has aſſererent Prouincias, ac pro rerum benè geſtarum mercede, vt ferebatur, tria ſaltem hæc ab eo obtinere poſſent; primò, exterorum militum diſceſſum; deinde, immunitatum priuilegiorúmque reſtitutionem; poſtremò, Gubernatorem Belgam, aut Regi certè ſanguine iunctum. *Diligenter vrgent obſidionem Ziriczeanam, & quæ ſpe.*

Premebatur inter hæc Ziriczea, ac ad extremam rerum inopiam perducta erat, cùm Orangio ſcribunt, ni ſuccurrat, neceſſariam fore deditionem. Parant extrema Hollandi Zelandíque auxilia, inſtructáque mediocri claſſe, Ludouicum Boiſotium præficiunt: qui fine Maij ventum eſtúmque vehementem ac ſecundum nactus, tanta vi in maiorum arborum truncos, tignis catenísque ferreis craſſiſſimis iunctos communitóſque ferratis roſtris eſt inuectus, vt nonnullis confractis, aliis loco manentibus nauéſque intricantibus, nec munitionem naues perrumpere, nec vnde venerant redire valentes, tot maiorum tormentorum globis obruerentur, vt aliquot cum rebus omnibus caperentur, nonnullæ demergerentur. *Extremũ Orangiani Ziriczea ſuccurrere conantur, ſed fruſtrà.*

Quod idem Prætoriæ ſuæ inſtare videns Boiſotius, ſcapham expediri ad fugam iubet; in quam cùm armatus inſiliret, tanta eum eſt ſecuta multitudo, vt oneri ſubſidens cum omnibus in fundum deferretur; duobus Boiſotiis fratribus iam in Zelandia mari abſumptis. Fuit hæc poſtrema ad Ziriczeam non exigua clades. Sumptus enim ingentes ad armandam claſſem rebúſque neceſſariis inſtruendam Orangius fecerat, qui pro maiori parte hoc conatu periere. Vnde in poſterum de Ziriczea retinenda deſperans, nil ampliùs tentauit. Interea Regiis litteris animati Statuum Conſiliarij, communibus ſuffragiis Petrum Erneſtum Mansfeldij Comitem, Ducatus Lutzenburgij Præfectũ, exercitus Regij nominant Imperatorem, vocatúmque Bruxellam, multis cum eo diebus de pacis bellíq; negotiis pertractantes, fideliter ac pacatè Belgas regebant; cùm tandem Ziriczeani ad extrema redacti, miſſis ad Mondragonium Legatis, poteſtatem proficiſcendi Bruxellam, tranſigendíque cum Ordinibus obtinuere. *Petrus Erneſtus Comes Manſfeldius, dictus Imperator Regij exercitus.*

Vnde cum litteris ad Mondragonium reuerſi, reperiunt conditiones in eius poteſtate conſtitutas, excepto, ne Hiſpanorum, ſed ſuam Wallonum legionem Ziriczeam introduceret. *Ziriczeani cum Ordinibus tranſigere petũt.*

1576 ret. Ceteræ conditiones hæ fuere: Præſidiarius miles, ciuéſque qui vel- "
Leges deditionis Ziriczenſis. lent, cum armis ac impedimentis in tutum deducerentur ; qui manere "
cuperent, liberè rebus omnibus ſaluis poſſent. Soluendis Wallonibus vr- "
bem ingreſſuris certis temporibus ducenta millia florenorum Mondra- "
gonio numerarent. Tormenta maiora omnia cum apparatu, naueſque "
in portu ac vrbe repertas traderent. Hæcque datis vtrimque obſidibus "
ſubſignarunt, & 2. Iulij, exeuntibus cum Præfecto Arnoldo Dorpio Orangianis, Mondragonij legio duorum millium quingentorum virorum Ziriczeam intrat, eamque Regij iuris cum vniuerſa Scaldia, Duuelandia, viciniſque inſulis minoribus facit. At Hiſpani videntes, receptis in vrbem Wallonibus, ſe excludi, ſummámque ducẽtorum millium florenorum vix præſidiariis ſuffecturam, cùm vrbis direptionem animis propoſuiſſent, iterùm in ſeditionem verſi, tumultuoſiſſimè aliquot annorum ſtipendia magnis clamoribus expoſcere incipiunt ; & quidquid Mondragonius, Dauila, Chiappinus Vitellius, ceterique legionum cohortiúmque Præfecti admonerent, rogarent, precarentúrque, audire nolebant, ſed quæ in Scaldia ac Duuelandia reperiebant, in prædam vertentes, iter Brabantiam verſus inſtituunt, euerſo omni Ordinum Præfectorũmque conſilio, qui exercitu in duas partes diuiſo, hac Walchriam, altera inſulas Scaldiam inter ac Dordracum iacentes inuadere flore æſtatis conſtituerant. De ſeditione hac ita Mendoſa ipſe Hiſpanus in ſua Hiſtoria Gallica : Negotium centum millium florenorum tractandorum "
Hiſpani iuxta Ziriczeam iterùm aliquot annorum ſtipendia poſcunt.

De hac eorum tumultuatione verba Mendoſæ Hiſpani.

in manu erat Ioannis Nauarretti Hiſpani Quæſtoris. Sed antequam pe- "
cuniæ expedirentur, in ſeditionem verſi ſunt Hiſpani legionis Waldæi, "
inſulámque deferentes, prætexebant miſerias, quas ibi ſuſtinere ſe dice- "
bant. Qua ſeceſſione & tumultuatione obliti ſunt honoris quem acqui- "
ſierant in felici ſucceſſu tam moleſtæ & periculoſæ obſidionis. Et non- "
nullis interiectis: Seditioſi itaque Hiſpani numero mille ſexcenti veniũt "
in Brabantiam, iunctis eis etiam reliquis Baldæi cohortibus. Hæc ille. "
Mirabilia Dei conſilia, & verè, teſte Dauide, abyſſus multa. Nondum enim, ô Belgæ, noſtra maiorumque delicta pro merito erant expiata ; ſupererant diuinæ iuſtitiæ adhuc temporariæ ſumendæ pœnæ, vt euaderemus ſempiternas. Adeò enim Orangij ſociorúmque animi, expugnata Duuelandia ac Scaldia erant conſternati, vt qui Bredanas reiecerant pacis conditiones, nunc in deteriores facilè conſenſuri viderentur. Verè enim conſiderabant, captâ Ziriczeâ, ſeparatam eſſe Hollandiam à Zelandia, ac proinde faciliorem Regiis vtriuſque fore recuperationem, eo magis quòd in medio Hollandiæ præter Amſtelodamum adhuc Harlemũ obtinerent, Buram quoque, Oudwateram ac Schoonhouium. Sed ecce dum Orangiani conſilij inopes, quò ſe verterent, quibúſve primùm obuiàm

Sanè tunc inſignis occaſio rei benè gerendæ amiſſa.

uiàm irent, ignari dubitant, Orangio nuntiatur, pedites equitésq; Hiſpanos Italóſque in ſeditionem verſos, deſerta Scaldia vniuerſáque Zelandia in Brabantiam reuerti, ac à nemine, pulſis Prę fectis, ſedari poſſe, niſi debita ſoluerentur ſtipendia. Animo igitur erectus ſuos conſolatur, videre ſe aiens tempus, quo amiſſa nullo negotio recuperarentur. Fugati Hiſpanorum Præfecti partim cum Iuliano Romero Liram Brabantiæ, partim cum Sanchio Dauila ad arcem Antuerpianam, cui is prę erat, abiere, Chiappino Vitellio excepto, qui ęger cum militibus è Scaldia nauigio vectus, in eodem circa pagum Lilloo expirauit, liqueſcentis omenti abdominiſque copia cordis calorem motúmque extinguente. Seditioſi Hiſpani Italique pedites equitésque, poſt paucos dies Bruxellam delati, admitti ſe poſſe ſperabant. Sed quòd prę currens fama clamaret eos debita Bruxellæ ſtipendia quæſituros, vt alij pridem Antuerpiæ; & quòd à nonnullis adiiciebatur, eos in ciuium ſanguine manus ſuas loturos, conſternati ad arma ciues, portas vallúmque replerant, ac vim vi repellere velle demonſtrabant, tanto ordine ac conſenſu, vt Hiſpani, deſperato introitu, Willebroucki pago inter Bruxellam & Antuerpiam conſiderẽt; vbi ad eos Bruxellâ miſſus Mansfeldius placare conatur, promittens primos fore, qui de auro quod ex Hiſpania indies expectabatur, ſtipendia eſſent accepturi. Irrideri ſe cenſentes, diſcedere eum arma concutientes iubent. Tum vigeſimo primo Iulij obſcura nocte, eodem loco Scaldim traijcientes, in Flandriam deferuntur, ac pacato modeſtóq; agmine profecti, vigeſimo ſeptimo ſummo manè circa oppidum Aloſtum exiguũ, ſed munitum, ac opulenti agri primarium, peruenerunt; vbi à ductoribus aliquot eius loci agricolis, muneribus promiſſiſque in partes adductis, ſeu potu obrutis, edocti, vbi foſſæ eius oppidi parum aquæ haberẽt, ea parte muros tranſcendunt, ac paucis defenſionem parantibus interfectis, proxima effracta porta omnes intromittunt. Cecidere ciues non ita multi, quòd in neminem niſi vim parantem ferrum ſtringerent; ſed ſclopeta ſæpiùs exonerantes, clamorémque ingentem edentes, populum animis conſternatum intra ędes continebant; inde cùm forum, vias, portas, vallúmque iuſto muniiſſent prę ſidio, quo quemque ſors ferebat, diuertebantur, ciuiúmque bonis ac corporibus vt bello captis vtebantur. Tum in agros effuſi, ruſticos hebdomadarias contributiones ſoluere cogunt. Bruxellani hac de re certiores facti arma rapiunt, ac cuſtodias locis neceſſariis ponunt, vim extra, proditionem intra vrbem verentes; ſciebãt enim non paucos Hiſpanis eſſe amicos ac fautores. Accidit tum ibi trigeſimo primo Auguſti quiddam crudele, & tumultuum magnum incentiuum. Forte fortuna in via Canterſtenia, haud procul templo diuæ Magdalenæ, ferocibus aliquot adoleſcentibus ab Orangianis clàm incitatis, tu-

1576

Orangius audita hac tumultuatione reſumit animum.

Præfecti ab Hiſpanis pulſi, alij aliò ſe conferunt; Vitellius in itinere moritur.

Fruſtrà Mansfeldius pacare ſtudet Hiſpanos in Ville-brouck.

Seditioſi Hiſpani Aloſtum occupant.

Cogunt vicinos omnes ad hebdomadarias contributiones.

1576 multúſque cauſam quærentibus, fit obuiàm Scriba Doctoris Hieronymi Rhodæ, qui in locum Vergæ Præſes Concilij turbarum ſucceſſerat: exprobrát dixiſſe eum ſe cum ceteris Hiſpanis manus in ciuium ſanguine loturum, negantíſq; os verberantes, antequam gladium educere poſſet, multis vulneribus confoſſum, domeſticis ſepeliendum relinquunt; auctíque numero ad Aulam pergunt, Gubernatoréſq; vt proditores interfici ſuadent. Sed Catholici numero in vrbe ſuperantes, apertè indignũ facinus deteſtabantur: quæ cauſa fuit, quare tandem ſinguli paulatim ad ſua dilaberentur. At Regij Gubernatores his intellectis, verentes, ne populus ſemel ſcelere animis concepto, indignum quid in ſe aliquando quoque tentaret, conuocato totius Aulæ Concilio, præſente Mansfeldio, decretum faciunt, quo ſeditioſos milites cuiuſcumque nationis, Regis Belgarúmque hoſtes declarabant, ac ab omnibus vt tales iure tractari poſſe denuntiabant: qua publicatione ciues contenti, nec ampliùs malè de Gubernatoribus ſentientes, ad operas conſtitutáſque vrbis vigilias ſinguli è Magiſtratus diſciplina rediere. Interea Hiſpani Aloſtani pedites equitéſque exeuntes, arcem Likerkiam tribus tantùm Bruxellâ miliaribus diſtantem deditione occupant, & vſq; portas Bruxellenſes quotidie excurrunt. Quare Gubernatores Regij aliquoties ad eos miſerunt Arſchoti Ducem ac Comitem Mansfeldium, poſtremò & Præſidẽ Rhodam, vt acceptа ſtipendiorũ parte, pax cum iis iniretur. Sed niſi plenè iis perſolutis, cùm decedere Aloſto nollent, Arſchotano ac Mansfeldio Bruxellã redeuntibus, inanis fuit Legatio, Rhoda Aloſti cum Hiſpanis manente. Non enim poſt Scribæ ſui cædem Bruxellanis ſe fidebat, ſed mille ex eo tempore rationes abeundi quæſierat; itaque hac nunc oblata, redeundum non ſtatuit. Exinde Aloſtani Bruxellanis etiam infeſtiores, facilè effecerunt, vt populus ab Orangianis vehementiſſimè per certos homines Cornelium van Straten Aduocatum & alios concitatus arma caperet, proditos ſe à Regiis Gubernatoribus vociferantes: clàm enim Arſchotum ac Mansfeldium nomine Gubernatorum, Aulicorúmq; omnium, per cauſam ſedandorum Hiſpanorum, cum iiſdem conueniſſe, vt non Belgicarum ſolùm Prouinciarum libertatis ſtudioſos, ſed & ciues omnes iugum accipere Hiſpanicum, ſtipendiáque numerare cogerent. Apparere rei veritatem, quòd Præſes Rhoda cum omni familia, per ſpeciem placandi Hiſpanos, eorum dux eſſet factus. Tum Orangius, vt faciliùs, quod quærebat, per fautores ſuos perficeret, contra externam vim ac internam proditionem, vt populo perſuadebat, Glimeſium Brabantiæ Bailliuum cum cohorte trecentorum ſclopetariorum, quam recèns Brabantiæ Ordinum iuſſu ſumptúque contra excurſiones Hiſpanorum conſcripſerat, in vrbem admitterent, ſuadet. Qui vocatus cum Heſio, Berſelio,

Scriba Rhodæ Hiſpani crudeliter Bruxellæ trucidantur.

Regij Gubernatores ſeditioſos milites hoſtes declarant.

Seditioſi Aloſtani Likerkam quoque occupant.

Bruxellenſes conclamant ſe à Gubernatoribus Regiis proditos.

Orangij fautores ſuadent Glimeſium cum milite in vrbem aduocare.

Berſelio,aliiſque quibuſdam,vrbem cum cohorte intrat; & ecce quarto Septembris paulò ante meridiem cum ea ad Aulam delatus, conclauis oſtium,vbi Regij Gubernatores erant congregati,pulſat. Non admiſſus, ingentibus ferreis malleis,effractis ſeris,peſſulis ac obicibus, cum milite intrans, eos ſe nomine Belgij Ordinum captiuos abducere iuſſum ait, oſtenſiſque tabulis docet. Iêre conſtanti vultu Comes Mansfeldij, Comes Barlaymontij,Sasboutius arcani Concilij Præſes, Doctor del Rio, Doctor Foncquius, Chriſtophorus Aſſonuilius, Secretarius Berti ac Scarenbergius,cum aliis aliquot,quaſi clàm cum Hiſpanis contra Belgarum libertatem ſentirent; ac pars in domo dicta Panaria, pars aliis locis fidelibus cuſtodibus traduntur. Ciues Bruxellani captiuitate Regiorum Gubernatorum variè pro iudiciorum diuerſitate afficiebantur,cùm inter hæc nuntius adfertur,Philippum Egmondij Comitem,poſtremi Comitis iuſſu Albani interfecti filium natu maximum,ex aula Cæſaris Maximiliani Secundi, vbi à patris morte in hoc vſque tempus octo annis honeſtè fuerat educatus inſtitutúſque,ad Belgas properare. Lætantur Bruxellani paſſim,quòd eum,vtpote in aula Cęſaris inſtitutum,Regi fideliſſimum expectabãt futurum: Orangiani contrà in patris vindictam ſuas partes foturum,Hiſpanóſque per omnem vitam odio proſecuturum nõ dubitabant. Vrbi appropinquanti obuiàm extra portam procedunt triginta peditum ſigna,Magiſtratus ac Ordines ipſi Brabantiæ; exonerantur ſclopeta,campanæ pulſantur,à templo ad ædes Egmondias, vbi eum mater,fratres ac ſorores expectabant,deducitur,rotáque vrbe diem feſtũ agunt. Proponebant enim animis eum ſibi Ducem contra Hiſpanos, patrêque non minùs fortem felicémque futurum ſperabant: quod & cauſa fuit, vt congregati tunc Bruxellæ Brabantiæ Ordines facillimè à populo obtinerent ſemel decimi ac vigeſimi nummi rerum omnium venalium ſolutionem,aliáque quædam ad iuſtas militum copias contra Hiſpanos conſcribendas. Iam Glimius, captiuitate Regiorum Gubernatorum apud populum ac nouarum rerum auidos clarus, nominatúſque Brabantiæ Prætor, iuſta ſtipatus militum manu regionem perambulabat,impediturus ſeditioſorum Hiſpanorum excurſiones ac deprædationes,cùm duodecimo Septembris nuntiatur,medio inter Louanium ac Thenas ferè itinere prædari turmas aliquot equitum Hiſpanorum, Epirotarum,(Albanos hodie vocant)ac Burgundionum, cum tribus peditũ ſignis, Duce Alonſo Vergas. Properat eò Glimius cum peditibus, ſequuntur equitum turmæ tres Duce Hezio, Beuero ac Clabbekio, tyrones omnes,paulóque pòſt turma equitum ordinariorum, è Flandria in Brabantiam,vt tyronibus equitibus auxilio ac in diſciplinam eſſet, euocata. Exiere quoque Bruxellâ ac Louanio ciues non pauci, ac adoleſcen-

1576

Capit ille nomine Ordinum Regios Gubernatores.

Intereà venit Bruxellam ex aula Cæſaris Philippus Egmondius.

Acclamatur vindex paternæ necis futurus contra Hiſpanos.

Nuntiatur Hiſpanos omnia inter Louanium & Thenas deprædari. Coëunt copiæ Ordinũ ad eos opprimendos.

1576 tes, qui ex variis Belgij locis ibi humanioribus disciplinis operam dabãt, captíſque armis, die 13. Septembris Glimianis ſe iunxere, tum & inſtitores nonnulli comitantur, certam victoriam prædámque ſibi pollicentes. Hiſpani die ſequenti, aduentu eorum cognito (nam Louanij medio die & integra nocte ſubſtiterant) dimidiam equitum ſuorum partem in propinquo nemore exiguo, ſed vmbroſo ac opaco, abdunt, ceteri pedites equitéſque lento paſſu obuiàm Glimio profecti, per ſclopetarios pugnã ordiuntur, donec aduentu haſtatorum peditum equitúmque Glimianorum premi ſe Hiſpani ſimulantes, ſeruato ordine pedem referunt. Inſtant ardentiſſimis animis tyrones ac voluntarij, donec nemus trãſgreſſi, qui pedes retulerant ſtare, ac acerrimè à fronte pugnare inciperent, auditúſque ſimul à tergo inuadentium equitum clamor. Quare ſe à fronte, à tergo ac lateribus Glimiani cædi ſentientes, fugam circumſpectant, primíque tyrones equites eam ineuntes, mediam peditum ſuorum aciem perequitantes, Hiſpanis equitibus concidendam reliquere. Ordinaria equitum turma, peditum equitúmque ſuorum clade conſpecta, relicto hoſte Louanium rediit. Periit inter alios Ferdinandus Vander Dilfius Glimianæ legionis Legatus, ac cum eo non pauci milites, ciues ſtudioſíque Louanienſes. Glimius cum iis qui euaſerant Bruxellam reuerſus, populari ſeditione excipitur, quæ mox fuit ſedata, publicato Edicto quo omnes Hiſpani iiſque ſeruientes ſpatio viginti quatuor horarum vrbe cum vxoribus, concubinis ac liberis exire iubebantur, niſi pro Magiſtratus arbitrio puniri mallent: deinde ciues armis carentes, certa conſtituta pœna, vt ea parent, iubentur. Inter hos conatus, Ordines, antequam iuſto exercitu Hiſpanis bellum inferrent, Sanchium Daualam arcis Antuerpianæ Præfectum, diuerſis ſcriptis litteris eò perducere conabantur, vt acceptis ſtipendiis, tradita arce, cum omnibus Hiſpanis impedimentiſq; Belgio excederet. At is iamdudum animo præuidens, tale quid Ordines præ manibus habere, inito fœdere cum Fronsbergio, Pouluillero, ac Carolo Fucquero, Germanicarum legionum Præfectis, inuicem promiſere, ſeruata Regi fide, Ordinum tacitè iunctæ cum Orangio Gubernationi (de qua mox clariùs) ſe opponere; ac in hanc rem legiones circa Antuerpiam conuenire iubent, omnem in vnum corradentes, iis ſoluendis, quam poterant, pecuniam. Sed non paucas cohortes, earúmque Præfectos Orangianorum artibus circumuentos parum morigeros reperiebãt: timebant enim, ne ſi Regi fidem ſeruaſſent, ab Ordinibus hoſtes declarati cum Hiſpanis proſcriberentur. Exiſtimabant enim Regem non Hiſpanis, ſed Ordinibus conſentire; quòd non ſolùm maxima Belgarum Procerum vtriuſque conditionis pars, ſed etiam Haurechij Marchio recenter ex Hiſpania veniens cum Ordinibus faceret; iiſque Raſſingemij

Hiſpani velitando retrocedũt, quò oppugnatores in inſidias trahant.

Milites Ordinũ ab Hiſpanis inſignem cladem accipiunt.

Pergunt tumultuari Bruxellenſes.

Fruſtrà Ordines præſidium Antuerpienſe ſibi deuincire nituntur.

Multi exiſtimant Regem non Hiſpanis, ſed Ordinibus fauere; & quare.

Domi-

Dominum in Hiſpaniam ad Regem, rationem eorum quæ agebantur redditurum, amandaſſent. Et primi quidem Hannones ſe Brabantis iunxerant, deinde ſecuti Arteſij, Namurcæi ac Flandri, inito fœdere (Vnionem perpetuam appellarunt) Philippum Crouiacum Arſchoti Ducem confœderatarum Prouinciarum belli Imperatorem nominarũt, donec primis Generalibus Comitiis placuiſſet aut diſplicuiſſet, varios mittentes Legatos ad vicinos Principes ac Reſpublicas, qui docerent, Ordinum confœderationem non eſſe rebellionem nec coniurationem, ſed conſenſum bonorum proborúmque omnium pro tuenda Belgarum libertate ac priuilegiis, propulſandiſque Hiſpanorum contumeliis, iniuriis ac iugo. Itaque cogebantur ab Ordinibus peditum equitumque copiæ quàm maximæ; conſcribebant legiones Egmondius, Hezius, Berſelius, ac alij. Iam Comes Reuſius Flandriæ renuntiatus Gubernator, collectis partim veteranis finium Arteſiæ præſidiariis, partim tyronibus, cum duodecim peditum ſignis à duodecimo Septembris non longè ab arce Gandenſi conſidebat, ne Aloſtani arce illa ſimul potirentur: quin cùm Flandri non ſatis Reuſio fiderent, ſignatis tabulis vigeſimo primo eiuſdẽ Septembris ad Principem Orangium in Zelandiam Dominum d'Auxij, Comitis Boſſuuij captiui fratrem, & Michaëlem Backerum Aduocatum pro auxilio ablegarunt: venitque paulò pòſt ad obſidendam arcem ex Zelandia Tempelius cum octo Orangianis cohortibus, nonnulliſq; maioribus tormentis. Interea Mondragonius eiuſdem arcis Gandenſis Præfectus, cuius & vxor ibi erat, cum nonnullis ſuorum ex Ziriczea illuc tendit; ſed nihil pauci contra multos valuerunt: plures etiam ſuorum videntes tantas turbas, in ſeditionem verſi, & variè dilapſi, non multò pòſt Ordinibus nomina dederunt: ita factus eſt facilis & liber Orangianis in Flandriam & Brabantiam aditus. Non multò pòſt ex Ordinum copiis tria circiter millia Wallonum Walemi (pagus eſt exiguo milliari ad Netham amnem Mechliniâ diſtans, tribus Antuerpiâ) munitionem idoneo loco facere incipiunt, Antuerpienſis arcis Hiſpanos à Liranis & aliis ſeparaturi. Sed Iulianus Romerus Liram itinere magno milliari Walemo diſſitam obtinens, cum quadringentis Hiſpanis eò profectus ante auroram inexpectatus duobus locis munitionem adortus, attonitos Ordinum tyrones, poſt breuem pugnam, capta munitione, in fugam agit, cæſis circiter quadringentis, ac in fluminę non paucioribus ſuffocatis. Huic acceſſit & alia Ordinum clades, Octobris vigeſimo. Erant Traiecti ad Moſam Regis nomine in præſidio aliquot Hiſpani, pluréſq; Germani legionis Oberſteinij. Magiſtratus ac ciues ab Ordinibus perſuaſi iungere ſe communi cauſæ cupiebant. Vi non poterant. Arte igitur agendum rati, donis ac ingẽtibus promiſſis Germanorum Prẹfectos,

1576

Pro libertate confœderantur Brabantis etiã alij.

Vocant in auxilium Orangianos.

Muniunt ſe Ordinum milites in Walem.

Accipiunt cladem ab Hiſpanis qui Liram tenebant.

1576 deſerto Rege, Ordinibus vt nomina darent, clàm perſuaſerant: ij facilè milites ad idem faciendum pro parte induxerant. Quare ciues Germanis iuncti, ab Hiſpanorũ Pręfecto Monteſdoqua petunt, Ordinibus dent nomina contra ſeditioſos Hiſpanos, aut cum rebus omnibus vrbe exeãt. Monteſdoqua ſe imparem ciuibus Germaniſq; agnoſcens, ea conditione exitum pollicetur, vt Wicæ & in ſuburbiis manere liceat, donec tutò abire poſſet. Permittunt. Rebus omnibus conuaſatis, ex vrbe in minus oppidum Wicam venit, eáque occupata, iuſtum abeundi præſidium ſe expectare dicit. Cùm eiicere non poſſent, ſimulant ſe contentos, omni eum officiorum genere excolentes. Intereà Magiſtratus Monteſdoquio ſubdolè ſpem facit, ciues ac Germanos, deſertis Ordinibus, facili negotio ad Regis auctoritatem reduci poſſe, ſi in vrbem ad ædem Prætoriam venire tractandi cauſa dignaretur. Vbi etſi Monteſdoquius eis parum fideret, ne tamen per ſe ſtetiſſe tantæ rei felix euentus diceretur, ſorti eam committit, non petitis quoque vadibus, ne eos offenderet. Sed ædem publicam vix ingreſſus, non viſo Magiſtratu, nec Germanorum Præfectis, captus cuſtodiæ mandatur. Martinus Ayala eum cum aliquot ſclopetariis comitatus, vi eum educere conatus, vrbe eiicitur. Occuparat prudenti conſilio Monteſdoquius ante aliquod tempus turrim vrbis portæ hærentem munitiſſimam, iuſtoque præſidio ac commeatu prouiderat, iuſſerátque eam ad extremum vſque defenderent, breuî enim auxilium adfuturum. Scripſerat enim Antuerpiam Dauilæ ciuium Germanorúmque defectionem. Is effecit, vt Alonſus Vergas cum aliquot equitibus, ac Ferdinandus Toletanus legionis Hiſpanorum Præfectus, cum dimidia legione Monteſdoquio in auxiliũ proficiſcerentur: qui citato paſſu properantes, ne tantæ vrbis amiſſione res ſuas Regiaſque in arctum redigerent, tempore ſuperuenere, egreſſúſque è turri Hiſpanus miles, eos de vrbis ſtatu plenè edocuit. Vergas intelligens, dictam turrim portæ vrbis adhærere, collectis vndique ſcaphis lembiſque Toletani pedites Moſam traducit; equites partim pontonibus, partim repertis vadis trãſiere. Mox portæ oſtium, cuius turrim occupabant, Hiſpani incendunt: ignem exſtinguere, aut maioribus attractis tormẽtis Hiſpanos pellere ciues conati, à moſquetariis è turri interficiebantur. Intrantes igitur Hiſpani vrbẽ vigeſimo Octobris, duobus locis Germanos ciuéſque muniiſſe ſe reperiunt. Sed igne in proximas domos coniecto, tum etiam inuadentes armis relinquere munitiones coëgerunt. Periere non pauci ferro, igne & aqua. Hiſpani verò vrbe potiti eam diripuere, non parum commilitones, qui Antuerpiæ, Liræ, Aloſti, ac aliis locis erant, tantæ tamq; opportunę vrbis acceſſione recreantes, Ordinum verò fautores inſigniter terrẽtes. Ante menſem, vt diximus, Ordines, auxilio ſimul Orangianorum

Traiectum ad Moſam conatur ſe iũgere Ordinibus.

Subdolè ibi capitur Monteſdoqua Hiſpanus.

Opportunè Hiſpani turrim quamdam vrbis occupabant.

Acceſſit & à foris illis auxilium.

Itaque armis ſibi Traiectum vindicant, ringẽtibus Ordinibus.

arcem

arcem Gandenſem obſidere cœperant. Venerat eò quoque duodecimo Octobris Aldegondius & alij Orangiani Legati, cum Legatis Ordinum de pace acturi; ſed vnum Ordines anxios habebat, qua ratione Dauilam cum Hiſpanis arce Antuerpiana, cùm promiſſis corrumpi non poſſet, eiicerent. Erant Antuerpiæ cum Ordinibus ſentientes Carolus Philippus Crouiacus Haurechi Marchio, Fredericus Perenotus Champagneij Baro vrbis Præfectus, cum aliquot cohortibus; Oberſteinij Comes cum maiori legionis ſuæ parte; de quorum fide Ordines certi, Philippum Egmondij Comitem, Heſium ac Berſelium cum recenter conſcriptis legionibus, Mechliniâ, Bruxellâ, Louanio ac vicinis locis è præſidiis euocatis, Antuerpiam proficiſci iubent, ſequiq́ue Beuerum ſuo cum equitatu, ac ordinariarum turmarum equites trecentos, Egmondium omnibus præficientes. Cùm Duffelam veniſſent, duobus diebus à Iuliano Romero ad flumen Netham detenti, tandem nauibus Mechliniâ aliiſq́ue locis adiuti, pulſis Romerianis, copias tranſmittunt, rectáq; Antuerpiam pergentes, cùm ad vrbem vltimo Octobris peruenirent, duobus diebus, clauſis portis non ſunt admiſſi, quòd Haurechius, Oberſteinius, Champagneius cum Magiſtratu ac Collegiorum Tribuumq́ue Præfectis, qua ratione Arx foret oppugnanda, ac ab vrbe ſeparanda, conſultarent. Tandem rebus conſtitutis, Egmondióque admonito, tertio Nouembris eum cum peditatu ac equitatu apertis portis intromittunt. Inceperant ante aliquot dies Antuerpiani via præcipuè à D. Michaële dicta, ac aliis ab Arce ad vrbem ferentibus, foſſas ducere, vallum erigere, omniáque moliri, quæ Hiſpanis ex Arce vrbem inuadere volentibus impedimẽto eſſe poſſent. Hæc augere auxilio Egmondianarum copiarum magno hominũ numero conantur. Sed impediti ab erumpentibus ſingulis momentis Hiſpanis, parum profecere. Creuerat intereà Hiſpanorum numerus ex omnibus locis ad Auilam conuolantium; in itinere erant Traiectenſes & Lirani; ſoli Aloſtani vrbem ſuam præſidio nudare non audebant. Eodem die erumpentes cẽtum Hiſpani duce Ortio in ciuium munitiones, quinquaginta circiter occiſis, aſcenderunt, & viſis operibus in Arcem reuertuntur: inde tanta vis globorum vniuerſam vaſtabat vrbem, vt nuſpiam ferè ciues militéſque eſſent tuti. Quorum tormentorum reboatu Aloſtani exaudito, oppugnari commilitones ſuos Antuerpianos pro certo habentes, breui habita deliberatione decernunt poſt Solis occaſum Antuerpiam proficiſci. Occluſis igitur Aloſti portis, conuaſatiſq́ue rebus omnibus, relicto Aloſto, Willebrouckum contendunt, neminéq; reſiſtente, repertas naues (quæ ibi ſemper ſunt) intrantes, flumen traiiciunt, ac ante Solis ortum Arcem, cum iis qui Lira ac Traiecto veniebãt, Poulwilerijq́ue legionis parte, intrant. Ferebatur, ſi Ordines vnicam peditum legio-

1576

Multùm diſceptant Ordines quomodo Antuerpiã ſibi aſſerãt.

Mittunt eò ingentes copias.

Intrant copiæ Antuerpiam, Egmondio Præfecto.

Erumpentes ex Arce Hiſpani, impediunt, ne ciues ſe muniant.

Intrant Antuerpianam arcẽ multa Hiſpanorũ auxilia.

1576 legionem ac quingentos equites è regione Willebroucki miſiſſent, Hiſpanos non facilè flumen amplum profundúmque tranſmiſſuros fuiſſe, aut certè tanto cum damno, vt qui Antuerpiam euaſiſſent, de inuadenda vrbe non facilè cogitaſſent. Depoſitis igitur impedimentis, ac lagenulis puluere bellico impletis, omnibus ad pugnam anhelantibus, nil præter vini hauſtum vnicum ac alterum ſinguli ſumpſere. Voto enim, vt fama eſt, Aloſto exeuntes ſe obligarant, cibum non ſumpturos niſi capta Antuerpia, aut ſimul omnes pugnando occubituros. Quod cùm Dauilæ eſſet nuntiatum, qui vt corpora cibo reficerent, enixè inſtiterat, inſtructis aciebus dat exeundi ac pugnæ ſignum; atque ita omnibus maioribus tormentis in munitiones viæ Michaëlianæ exoneratis, pauciſſimis in Arce manentibus, circiter quinque millia peditum ſimul & equitum in Ordinum copias ciuiúmque cohortes magnis animis quarto Nouembris circa meridiem erumpunt. Ferebant in galeis frondentes, quos in itinere carpſerant, ramos, vt ſe Germani contra Oberſteinianos internoſcerent. Primi qui obſtitere, Egmondij legionis milites fuerunt, in qua aliquot veterani erant Franci, ceteri omnes tyrones, ac aliquot Oberſteinij milites, ſed qui ſtatim concepto timore, ob inuadentium tot Hiſpanorum ardorem arma abiecturi videbantur, niſi Heſij ac Berſelij legiones in auxilium adductæ, pudore eos ſtare pugnaréque coëgiſſent. Sed & hi pro maiori parte tyrones, Hiſpanorum non ferentes impetum, intra vrbem deſertis munitionibus ſe recepere. Egmondius in prima pugnans acie, cùm ceteros ſequi aut nollet, aut non poſſet, in D. Michaëlis Abbatiam cum Francis confugit: ſed vndique Hiſpanis eam inuadentibus, cadentibúſque ferè omnibus pugnãdo Francis, captus ad Arcem cum Capperſij ac Goigneij Dominis perducitur, prima militiæ rudimenta infelici tyrocinio ponens. Abbatiâ in poteſtatem cum Egmondio ceteriſque redactâ, Hiſpani ad vrbis interiora pergentes, ad templum diuæ matris ac virginis Mariæ, quod eſt in vrbe ſummum, perueniunt, ac vltra Heſij, Berſelij, ac Oberſteinij legiones ſupra octo ciuium millia in armis reperiunt, creſcebátque numerus ex omnibus locis, adeò vt preſſi Hiſpani, alio loco impeditis equitibus, pedem referre cogerentur, adverſq; portam D. Ioannis, olim ante auctam vrbem extimam, tunc ferè in eius medio conſpicuam, quam poſteà ciues diruerunt. Eam occupantes moſquetarij Hiſpani, ex ea ciues militeſque repulere, donec aduecta quatuor ex Arce mediocria tormenta in ciues militéſque exonerarentur, aduolantéſq; vndique in vnum equites peditibus auxilio, lateraque ciuium inuadentes (erant enim ſupra mille veterani Hiſpani, Itali, Epirotæ ac Burgundi) omnes in fugam egiſſent. Sed ſequentes Hiſpani, cùm templum B. Mariæ prætergreſſi, ad forum maius veniſſent, nouas reperiunt ciuium militum-

Mox, etſi ex itinere laſſi, vrbẽ inuadere parant.

Prima pugna in via à diuo Michaele dicta.

Capti ab Hiſpanis Egmõdius, Capperſius & Goigneius.

Accurrentibus vndique ciuibus Hiſpani nonnihil retardantur.

litumque Oberſteinij manus, ædemque Prætoriam ciuium moſqueta- 1576
riorum plenam; à quibus non pauci ſternebantur ac vulnerabantur Hiſpani. Quare eorum calones ac lixæ, qui ſtramen aridóſque faſces in eũ vſum ex Arce portauerant, iis incenſis, ędem Prętoriam anno 1560. è fundamentis ingenti ſumptu extructam, cum proximis ciuium ædibus circiter quadraginta abſumpſere, omnéſq; hac ratione propugnatores profligauere. Hinc ad forum delati boarium, nouas inueniunt copias, ſed quæ ciuium militúmque ad ædem Prætoriam intellecta clade, concepto pauore, vix tentata pugna in varias partes diffugere, nec ampliùs quiſquam tota vrbe Hiſpanis ſe oppoſuit. E foro boario Haurechius ac Champagneius, Heſius & Berſelius in nouam fugientes ciuitatem, conſcenſis nauigiis in Zelandiam ad Orangium ſe recepere, idemq; conatus Oberſteinij Comes, cùm in proximam deſiliiſſet nauim, tantúſque eum ſequeretur hominum numerus, vt nauis oneri ſubſideret, cum multis ad fundum delatis, & ipſe armatus ſuffocatus eſt; periit in aquis quoque Beurius. Cecidere è ciuibus ac militibus Ordinum ampliùs quinque millia, ex Hiſpanis circiter ducenti. Accidit hæc clades quarto Nouembris. Exinde Hiſpani ad prædam & crudeles extorſiones conuerſi, nil opulentiſſima in vrbe intactum reliquere, ſed eam tribus inprimis continuis diebus deprædantes ac ſpoliantes, incredibiles congeſſere, ac mox iterùm plures luſu aleæ dilapidauere opes. Prædando, torquendo, vim inferendo, laſſi potiùs quàm ſatiati, tandem amplexa quiete, ædes vbi diuerterent, ſinguli pro voluntate legunt, diligenter contra Ordinum milites qui in vicinis hærebant pagis excubantes; donec vigeſimo ſexto Martij anni ſequentis Arcem ſimul & vrbẽ, vt dicemus, relinquerent. Poſt paucos dies direptæ Antuerpiæ, nuntiatur Ioannẽ Auſtriacum Caroli Quinti filium nothum, à fratre Rege Philippo ex Hiſpania ad Belgas miſſum vt præeſſet; peruenisſéque Lutzenburgum eodem die quo capta erat Antuerpia: adducere autem Magiſtrum equitum Octauium Gonzagam, ac à Cõſiliis Eſcouedum Regis Philippi Secretarium, veniſſéque quatuor tantùm virorum comitatu per Franciam in Burgundiæ Comitatum, indéque per Lotharingiam in Lutzenburgios, celeribus vſum equis. Sciuerat dudum Orangius ac Ordines Auſtriacum à Rege Gubernatorem nominatum, ſciebant quando Madrilio diſceſſiſſet; quo comitatu, quibus cum mandatis. Igitur Orangius, cuius meſſis à morte Requeſenij inſigniter in herba fuerat, cuiúſque conſilio ac nutu, quidquid ferè hactenus Ordinum nomine actum geſtúmque erat, proceſſerat, feſtinandum iudicabat, vt quod ſub incude erat, ante Auſtriaci aduentum perficeretur. Et quidem hucuſq; in negotio pacis, quod Gandaui inter Ordinum Delegatos & Orangianos, vti diximus, à duodecimo

Depugnãt ciues acerrimè ex domo Senatoria, donec ea incẽditur.

Vix deinde pugnatũ; Duces ipſi fuga ſibi conſulunt.

Numerus caſorum, & magnitudo cladis.

Adeſt Io. Auſtriacus, deſignatus Belgij Gubernator.

Itaque Orangius feſtinandum in negotio pacis Gandaui cenſet.

Octo-

1576 Octobris agebatur, non paucæ nec exiguæ difficultates ſe obiecerant: at nunc Antuerpia tam crudeliter ab Hiſpanis direpta, pax coiit octauo Nouembris his legibus: Primò, Offenſiones, iniuriæ, delicta & damna quæcumque turbarum cauſa inter Prouinciales, qui hoc tractatu comprehenduntur, facta tamquam non facta reputabuntur. Secundò, Promittunt Ordines Brabantiæ, Flandriæ, Artheſiæ, Hannoniæ, &c. Princeps quoq; Orangius & Ordines Hollandiæ & Zelandiæ cum ſuis Fœderatis, ſe mutuò poſthac ſeruaturos, & à ſuis ſeruari curaturos inuiolabilẽ pacem, & auxilia mutua conſilio, facultatibus & ſanguine collaturos, ad expellendos inprimis Belgio milites Hiſpanos, & quoſcumque alios extraneos, vtpote qui præter iuſtitiæ normam machinati ſint Belgij Principibus & Nobilibus vitam eripere, Prouincialium opes inuadere, & populum Belgicum ad perpetuam ſeruitutem redigere. Tertiò, Statim poſt Hiſpanorum & reliquorum diſceſſum, rebus omnibus ſedatis, pars vtraque curare tenebitur, vt Ordinum Generalium Conuentus celebretur, eo ritu quo Caroli Quinti Auguſtæ memoriæ Imperatoris tempore celebratus fuit, cùm hæ inferiores Prouinciæ hereditariæ in Regis noſtri Sereniſſimi manus fuere tranſlatæ, vt de rebus Prouinciarum, & generaliter & ſpecialiter in commune ordinetur, tam de Religione in Hollandia, Zelandia, Bomela & Fœderatis locis, quàm de reſtitutione arcium, munitionum, machinarum bellicarum, nauium & aliorum ad ipſum Regem ſpectantium, ſicut ad Regiæ Maieſtatis commoditatem & Prouinciarum ſalutem conducere videbitur: neque ab vna neque ab altera parte vllum contradicendo, aut procraſtinando fiet impedimentum. Id autem partes vtrimque planè fideliterque ſeruatum iri promittunt. Quartò, Habitatores & ſubditi vtrimque, cuiuſuis ſtatus aut ordinis, liberè & ſecurè poterunt vbique verſari, ire atque redire, morari & negotiari, mercatorum aliorúmque more. Hollandis interim & Zelandis, aut aliis licitum nequaquam erit extra Hollandiam, Zelandiam & loca iis Fœderata quidquam contra Catholicam Romanam Religionem aut eiuſdem exercitium attentare, quemquam verbis aut factis irritare, vel offendere. Quintò, Ne quis tamen facilè reprehenſionibus aut periculis obnoxius ſit, decreta omnia olim contra hæreſes promulgata, eorum démque executiones ſuſpendentur, donec ab Ordinibus aliter ſuper iis fuerit ſtatutum, ſaluo quòd non fiat ſcandálum, vt dictum eſt. Sextò, Princeps Orangius manebit Generalis maris Præfectus, & Regiæ Maieſtatis Vicarius in Hollandia, Zelandia, Bomela, & aliis locis Fœderatis, abſque mutatione vlla, niſi eiuſdẽ Principis voluntate id fiat; donec poſt Hiſpanorum diſceſſum Proceres Ordinum generalium aliter conſtituant. Septimò, Quod verò ad oppida

Articuli præcipui Pacificationis Gandenſis.

Decernunt Ordines in vniuerſũ; etiam de Religione in Hollandia.

Interim Hollandi quoad Religionem, neminem ſcandalizent.

Orangius manebit Gubernator omniũ locorum Fœderatorum.

&

» & loca dictarum Prouinciarum quæ nunc illi non parent, attinet, mane- 1576
» bit hic Articulus ſuſpenſus, donec eadem oppida & loca cum reliquis
» Ordinibus ſe huic concordiæ iunxerint, & Princeps Orangius in iis in
» quibus ſe grauatos ſenſerint, iis ſatisfactionem dederit, tam in cauſa Re-
» ligionis, quàm aliis negotiis, ne vlla Prouinciarum ſegregatio fiat. Octa-
» uò, Interim nulla Placita aut legis actiones in Prouinciis & vrbibus O- *Nulla quæque ibi tãtiſper valebunt Placita, niſi Orangij.*
» rangio parentibus rata ſint, præterquam quæ ab eodẽ Principe aut Con-
» ſilio, & Præfectis locorum fuerint approbata, ſine præiudicio tamen ſuo
» tempore ſummi Regis Conſilij. Nonò, Condictum præterea, vt omnes
» captiui dictarum turbarum cauſa, inprimis Comes Boſſuuius, liberi di-
» mittantur abſque redemptionis vllo pretio, ſoluto nihilominùs captiui-
» tatis ſumptu; niſi redemptiones ante harum publicationem ſint ſolutæ,
» aut pactiones ſuper iis initæ. Decimò, Præterea vt omnes cuiuſcumque
» conditionis aut ordinis poſſeſſionem omnium dominiorum & bonorũ
» in tali ſtatu vt nunc ſunt, recipiant: quod vt effectum reddatur, omnes
» occupationes à principio turbarum anno 1566. factæ, ſint reſciſſæ & irri-
» tæ: omnia quoque ſcripta ad has cauſas ſpectantia ex commentariis de- *Omnia ſcripta ratione turbarum, ex publicis commentariis delebuntur.*
» lebuntur; neque opus erit alio iuris adiumento quàm præſenti hoc tra-
» ctatu, non obſtantibus priuilegiis aut exceptionibus in contrarium qui-
» buſcumque. Vndecimò, Comprehenditur inprimis & præſenti benefi-
» cio frueturComitiſſa Palatina, pridem vidua Domini Bredenrodij, in iis
» quæ ad Vianam & alia loca ſpectant. Duodecimò, Similiter compre-
» hendetur Comes Buranus in iis quæ attinent ad ciuitatem, arcem &
» ditionem Buranam, quibus Comes poſt præſidiariorum abitum tam-
» quam propriis perfruetur. Decimotertiò, Diruentur columnæ, ſtatuæ, *Diruentur quoq; omnia trophea ab Albano conſtituta.*
» trophæa & alia ſigna, quæcumque à Duce Albano in infamiam & con-
» tumeliam tam ſupradictorum quàm aliorum ſunt erecta. Decimoquar-
to & ſequentibus Articulis vſq; vigeſimum, multæ ſunt particularitates
ſuper variis incidentiis bonorum confiſcatorum. ac deinde ſubiungitur:
» Vigeſimò, Omnes Prælati & alij Eccleſiaſtici, quorum Abbatiæ, Mo-
» naſteria, Fundationes & reſidentiæ extra Hollandiam & Zelandiam ſũt,
» & tamen in iiſdem Prouinciis ſua habent bona, rurſus proprietatem &
» vſum eorumdem bonorum habebunt, non aliter atque ſeculares. Vige-
» ſimoprimò, Verùm quod ſpectat ad Religioſos & Eccleſiaſticos, qui in *Eccleſiaſticis Prouinciarum fœderatarum decens alimẽtum præſtabitur.*
» dictis duabus Prouinciis & locis Fœderatis profeſſi, initiati, & dotati ſũt,
» & inde abierunt aut abſentes fuerunt, cùm maxima pars bonorum ad
» eoſdem pertinentium ſit alienata, iiſdem poſthac ſuppeditabitur decens
» alimentum, aut bonis ſuis frui permittẽtur, pro Ordinum ſiue Statuum
» arbitrio, donec ad illorum vlteriores prætenſiones à Generalibus Ordini-
» bus aliter fuerit conſtitutum. Vigeſimoſecundò, Omnes donationes &

1576 diſpoſitiones inter viuos vel cauſa mortis à priuatis perſonis factæ, quibus veri heredes dictarum turbarum aut Religionis cauſa à legitima ſua ſucceſſione excluſi, exheredati aut diminuti ſunt, virtute præſentium habebuntur irritæ & nullius valoris. Vigeſimotertiò, Quia verò Hollandi & Zelandi, vt belli ſumptus commodiùs exſoluant, quorumlibet numerorum aureorum & argenteorum pretia valdè auxerunt, cõdictum eſt vt Ordinum Generalium deputati, quàm fieri poterit citiſſimè, generalem modum conſtituant pretiorum, vt concordia & negotiatio conſeruentur. Vigeſimoquartò, Quod autem ab Hollandiæ & Zelandiæ Delegatis propoſitum fuit, vt totius Belgij Prouinciæ generatim in ſe recipiant exſoluenda omnia debita à Principe Orangio in duabus ſuis bellicis expeditionibus contracta; quandoquidem Hollandi, Zelandi, iiſque Fœderati ſe poſtremæ expeditionis, vt dicunt, ſumptibus obſtrinxerint; relinquetur hic Articulus iudicio & arbitrio Ordinum Generalium; quibus hęc, reliquis omnibus pacatis, exponentur ac declarabuntur, vt ęqua ratione omnia decernant atque conſtituant. Vigeſimoquintò, Huius concordiæ ac Pacificationis fœdere nequaquam comprehendentur, aut beneficio vtentur ditiones aut ciuitates aduerſam partem fouentes, donec ipſo facto ſe huic fœderi iunxerint: quod quidem ipſis, quandocumque volent, liberum erit. In teſtimonium omnium, Delegati has præſentes litteras ſubſignarũt Gandaui in Curia municipali die octauo Nouembris, anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, à parte Ordinum Ioannes vander Lindius Abbas D. Gertrudis Louanij, Giſlenus Timmermannius Abbas D. Petri Gandaui, Matthæus Molartius Abbas fani D. Giſleni, electus Epiſcopus Atrebatenſis, Bucho Ayta Friſo Archidiaconus Iprenſis, Ioannes Mol Oetingæ Dominus, Elbertus Leoninus V.I. Profeſſor Louanij, Petrus Beurius Flandriæ Conſiliarius, Quintinus Prietzius primus Scabinus Bergis Hannoniæ, Ioannes Penantius Conſiliarius Ærarij Brabantiæ, Ordinúmque Secretarius. A parte Orangij verò & ſociorum Philippus Marnixius fani D. Aldegondis Dominus, Arnoldus Dorpius, Guilielmus Zulius à Nieuelt, Adrianus Milius I.D. Orangio ac Curiæ Hollandię à Conſiliis, Cornelius Coninx I. Licent. Orangio à Conſiliis, Paulus Buſius Ordinum Hollandiæ Aduocatus, Petrus Richius Vliſſingæ Bailliuus, Antonius Sikelius Zelandiæ Conſiliarius, Andreas Iongius Conſul Middelburgi in Zelãdia. Approbarunt hanc pacem etiam Doctores tam Theologiæ quàm Iuris, Academiæ Louanienſis (vt conſtat ex 2. Articulo Edicti perpetui initi cum Auſtriaco 12. Februarij anni ſequentis) ſaltem quòd pro præſenti rerum ſtatu (verba ſunt Edicti) nihil Catholicæ Romanæ Religioni aut Regiæ auctoritati derogaret, ſed è contrà promoueret: mirabantur tamẽ non

An debita Orangij generatim ſoluentur, poſtea decidetur.

Qui volẽt, poterunt huic Pacificationi ſe iungere, aliàs ea nõ fruituri.

Nomina Pacificatorum, ex parte Catholicorũ.

Nomina eorum qui ſubſcripſerunt pro Fœderatis.

Quin & Louanienſes approbant Pacificationẽ, diſputantibus tamẽ aliis in cõtrarium.

non pauci, quomodo negotium definiẽdi exercitij Religionis per totum Belgium ita ſuffragiis Comitiorum Generalium permitteretur, vbi duæ partes ſunt ſęcularium, & vna tantùm Eccleſiaſticorum. Confidebant quidem Hannonij, Arteſij, Namurcęi, alij, ſeriò Catholici, ſe reliquos facilè numero ſuperaturos; ſed contrarium viſum eſt, dum infrà anno ſeptuageſimo octauo in Pace quam vocant Religionum, plus Caluinianis, dictis Reformatis, in Brabantia, Hannonia & aliis Prouinciis, vbi numquam vſum ſuę Religionis habuerant, conceſſum eſt, quàm Catholicis Romanis in ſua antiquiſſimæ poſſeſſionis Hollandia & Zelandia. Nempe Catholicis illis Art. 3. tantùm liberum permiſſum eſt Religionis exercitium, & reipſa nullum; aliis verò, dictis Reformatis, Art. 4. liberum & publicum, ac tandem pleriſque locis totum. Adde, quod multis quoque diſplicebat, in præſenti Tractatu Pacis Gandenſis Articulo tertio proponi exẽplar Comitiorum Ordinum Generalium anni 1555. in quibus Cęſar Belgij Princeps nullum actum iuriſdictionis exercuit, ſed tantùm conſenſum requiſiuit Ordinum, vt hereditarias Belgicas Prouincias in filium vnicum transferret; hîc verò omnia auctoritate erant componenda. Exprimendum ergo erat potiùs quanta Principis & quanta Ordinum in Comitiis futuris futura eſſet auctoritas. Gandenſes, pace firmata, Arcem ſuam ante menſem, vt diximus, obſeſſam, duobus locis tormentis quaſſatam, facta ruina inuadere parant. Quod videntes Hiſpani, qui intus erant, numero pauci, cùm nullus ſubueniret, expoſito colloquij ſigno tranſigunt, vt cùm impedimentis gladióque laterali exeuntes tutò Peronam Franciæ deducerentur, quod & factũ eſt vndecimo Octobris, auxiliatore maximè Præfecto Mottio, & Arx Gandenſis paulò pòſt funditus eſt euerſa. Sub idem tempus Valenchinenſes, exiguum in ſua Arce Hiſpanorum eſſe præſidium ſcientes, paucóſque in vrbe Germanos, verentéſque ne miſſum Antuerpiâ auxilium eos iugo Hiſpanico innecteret, ab Ordinibus opem petunt. Signa octo Wallonum legionis Rennebergij Comitis mittuntur: de quibus admittendis aut remittendis Magiſtratus cum Germanorum Præfectis in æde Prætoria diſceptãs, cùm conuenire nõ poſſent, decernitur, Germani omnes in forum armati conueniant, communiqúe ſententia aliquid ſtatuant. Fit ita. Sed iam anteà Magiſtratus cum Tribuum Collegiorúmque Præfectis conuenerat, Germanos in foro congregatos vndique armati obſiderent, maioráq; tormenta ad maiorum viarum introitum exitúmque conſtituerẽt. Quæ cùm diligenter adminiſtrata eſſent, mirati Germani ſe vndique ab armatis ad pugnam paratis clauſos, rogant quid velint. Reddunt: Vrbe vt exeatis. Cùm fruſtrà ſe vim facturos viderent, vrgenti cedentes neceſſitati, pactóque ſingulis dalero, ac vt cum armis impendimentiſque in tu-

1576

Rationes cur quidã dictam Pacem non probarint.

Arx Gandenſis ab Hiſpanis deditur, & paulò pòſt diruitur.

Agunt Ordines, vt Valencenas quoque ſibi aſſerant.

1576 tum deducerentur, duodecimo Nouembris conceſſum factúmque eſt: Valenchinenſes verò Rennebergij octo cohortes Ordinum nomine intromittunt, qui ſtatim auxilio ciuium, Arcem, cuius nomen erat Formido, in qua tantùm centum & quadraginta erant Hiſpani, multiſque rebus indigebant, obſident: vbi cùm Hiſpani productis tormentis vim parari viderent, Gandenſium conditionibus tradita Arce, & ipſi Peronam deducuntur. Decimo tertio eiuſdem Nouembris Cameracum quoque Ordinibus aſſeritur hac via: Cameracenſium vrbi ac Arci pro Rege præerat Licqueſij Baro: qui cùm pro Ordinibus ſe declarare nollet, eò Balduinum Gaueranum Inchij Baronem mittũt, Licqueſium dolo aut amicitia in partes tracturum. Itaque cùm malè eum de Ordinum gubernatione ſentire intellexiſſet, aliud ſimulans quàm quod animo moliebatur, per idoneos homines, donis, muneribus, ingentibúſque promiſſis, eius Legatum ac præſidiariorum maiorem partem in Ordinum verba clàm adigit, ciuibus permultis eódem inclinantibus. Intereà Inchius ad prandium in Arcem venit ad Licqueſium: quo largiori potu ſoluto, corrupti præſidiarij, accepto ab Inchio ſigno, eum captum cuſtodiæ tradunt; Inchiuſque oſtenſo Ordinum cum Regio ſigillo Diplomate, paulatim mutato præſidio, Præfecturam Arcis ac vrbis Ordinum nomine occupat, Licqueſio in cuſtodia detento. Eodem tempore confœderatæ Prouinciæ diligenter laborabant, vt Geldrij, quibus Hiergius præerat, Friſij quoque, Tranſiſulani, Groningij cum Ommelãdiis, quibus Iaſpar Robolus Luſitanus, cauſa vxoris Lotharingæ Billij Dominus imperabat, confœderationi ſubſcriberent, Legatoſq; Bruxellam reſiſtendis pellendiſque Hiſpanis mitterent. Ægrè reperiebatur qui periculoſam Legationẽ ſuſciperet, donec tandem ſe obtulit Franciſcus Martinus Stella: qui Geldriam, Friſiam, Tranſiſulaniámq; ſatis feliciter peragratus, cùm Groningam perueniſſet, à Gubernatore Billio in carcerem coniectus, ac in equuleo miſerè eſt tortus, cuſtoditus à cohorte Walloum legionis Billij, cum quibus ita Stella captiuus Ordinum nomine egit, tantáque promiſit, vt primæ cohortis Præfectus Loſius, deinde & ceteri promitterent, deſertis Hiſpanis, pro Ordinibus ſe pugnaturos. Olfecerat tale quid Billius. Quare omnibus vocatis Præfectis petit, ſacramento, quod ſcripto offerebat, ſubſcriberent, ſcilicet manſuros ſe in eius fidelitate proximis tribus menſibus, donec ex Hiſpania reſciſſet, num Ordinum Acta Rex probaret. Illis recuſantibus, niſi & Subpræfecti feciſſent, vocati recuſant, niſi & milites iurare omnes eſſent parati. Pleriſq; ſe nolle apertè profitentibus, ſecretò vim per Ferdinandum Lopeſium parat. Illi, re intellecta, eam declinantes, ad eius ædes vigeſimo quarto eiuſdem Nouembris cum armis properant. Territus duarum cohortiũ

Rennebergius ibi Arcẽ deditione occupat.

Cameracenſis Gubernator pro Ordinibus ſe declarare tardat.

Capitur igitur corruptis præſidiarijs à Barone d'Inchy.

Agunt Ordines vt Geldriam quoque & Friſiam ad ſe trahant.

Curante Martino Stella, Billij milites contra eum rebellant.

aperta

aperta rebellione, rogat, an ſtipendia velint. Reddunt ſe ſcire vbi ſint re- 1576
cepturi; veniſſe, vt eum captiuum abducant: deinde multis oneratum contumelioſis verbis, captum ad ædem Prętoriam ducunt, firmáque cuſtodia ſepiunt, adduntque generum Ruisbrouckij Dominum. Capiunt & paulò pòſt Præfectos Loſium, Villerium, Monſauium, Campium cum Signiferis: carcerem deinde effringunt, vociferantúrque; Viuant Ordines, eorúmque Legatus Stella vir probus, innocenſque. Capiunt & paulò pòſt Præfectum Vaſcum, apud Franciſcanos in eorum veſtitu repertum, addunt Præfectum rerum criminalium, Weſtendorpium Regis Conſiliarium, & poſtremò diu quæſitum inuentúmque Ferdinandum Lopeſium, Sterckium, Baruiturtium, ac vrbis Groningæ, vbi hæc agebantur, Præfectum Regium Mepſquium, vniuerſa legione ad Ordines cum paucis Præfectis tranſeunte. Hi hominem certum cui omnes parerent, Stellæ conſilio eligentes, Ordinibus nomina dant, ac deinde liberatus curatúſque Stella, cum iis qui primi Ordinum fœderi ſubſcripſerat, ac Billio manus iniecerat, Bruxellam cum Groningenſium Legatis profecti, cum Ordinibus coràm tranſegere. Numerata legionariis ſtatim ſex menſium ſtipendia, additi & duo menſes honorarij loco ſingulis qui Bruxellam venerant: Stellæ verò, excepta numerata pecunia, opima, dum eſſet victurus, penſio annua aſſignata. Exinde, Ordines Georgium Lalanum Rennebergij Comitem Prouincias, quibus Billius præfuerat, regere iubent: qui Groningam profectus, ac à Billij legione, dicto ſibi iureiurando admiſſus receptúſque, pro Ordinibus gubernauit, Arcemq; à Billio in vrbe cœptam, feréque abſolutam, ciues demoliri permiſit. Diximus ſuprà, Ioannem Auſtriacum quarto Nouembris Lutzenburgum quatuor tantùm hominum comitatu celeribus equis veniſſe, Gubernatorem Belgij futurum; id mox Ordinibus ſignificarat. In hanc rem, die eiuſdem Nouembris vltimo Orangius Middelburgo Bruxellam ad Ordines ſcribit iſta inter cetera: Auſtriacum fictè ac dolosè proponere, ſe Conſilium Procerum Prouincialium velle adſciſcere, vt hac arte ſpeciē quamdam bonæ gubernationis oſtentet, omnémque generalium Ordinum auctoritatem interim opprimat, atque extinguat. Proinde monet, antequam Auſtriaco poteſtatem vel auctoritatem vllam in ſuos milites permittant, faciant eum iurare omnia priuilegia, tam Lętum introitum dictum, quàm Chartas Cortenbergicas anno 1261. & anno 1320. conceſſas, & à Ioanne Brabantiæ Duce confirmatas anno 1321. alias prætereà datas Louanij menſe Martio anno 1354. & Bruxellæ anno 1371. & à Wenceſlao, eiuſque vxore Ioanna Antuerpiæ anno 1372. & 1373. & alia inſuper priuilegia multa; & vt id ſedulò curent, neque vllo modo negligant, monet. Quòd verò Auſtriacus iuſtum militum numerum in ſui

Eum capiunt, & Ordinibus ſe addicūt.

Quin & alios Præfectos in vincula conijciunt.

Rennebergius loco Billij Friſij ab Ordinibus præficitur.

Agit Orāgius, vt Ordines Auſtriaco multa præſcribant.

1576 corporis cuſtodiam, qui ſibi iuramentum præſtent, dari poſtulet, id magnum diffidentiæ eſſe ſignum, cùm id contra morem ac conſuetudinem ipſorum etiam ſit Principum; vtpote qui ſemper inermes Ordinibus iuſiurandum fidemque præſtiterint, antequam ab ipſis acceperint. Rogat quoque, ponderent quàm magni hæc res ſit momenti, quandoquidē aduerſarium valdè potētem Regem irritarint: Principes numquam huiuſmodi rerum obliuiſci, niſi cùm vindictæ ratio facultáſque deficit; interim diſſimulare & in tempus idoneum differre: alterúmque horū animis proponant, aut miſerè ſuccumbendum, aut viriliter reſiſtendū modis ac facultatibus à Deo conceſſis, ſatis quidem facilibus, & proculdubiò profuturis, dummodò concordes vnaniméſque ſuis rebus ſimul conſulant. Quòd ſi eueniat, vt Ioannes Auſtriacus neceſſitate coactus Hiſpanos cogat Belgio exire, inprimis ſedulò conſtantérque curandum, vt priuilegiis reſtitutis atque conſeruatis, hæ conditiones addantur: Ordines Auſtriaco Concilium Statuum & Quæſtorum conſtituant. Ordines auctoritatem poteſtatémque habeant Conuentus liberè celebrandi bis aut ter ſingulis annis, prout commodum conſultúmque videbitur, vt quidquid rectè ac legitimè adminiſtrandum erit, opportuniùs diſponatur ac reformetur. Arces quoque omnes dirui Ordinum Proceres curent. Auſtriacus militem nullo modo abſque Ordinum conſenſu conſcribat. Præſidia etiam pro Ordinum arbitrio conſtituantur. Hæc Orangius, referente Scriptore eius alioqui perſtudioſo. Verùm Ordines hæc non ad pacem, ſed nouos tumultus tendere perſpicientes, nihilominùs per Legatos, inprimis Dominum Raſſinghenum, Villeruallū, Burgrauium Gandauenſem, & alios, qui quotidie vltrò citróque commeabant, cum Auſtriaco pacem inire ſtudent: cumq; menſe Decembri Auſtriacus Marchefaminam, veniſſet, hîc decimo quinto Decembris quindecim dierum tutum acceſſum & receſſum paciſcūtur. Intereà Auſtriacus Octauium Gonzagam, & Ioannem Eſcouedum, quem à ſecretis habebat, mittit Antuerpiam, Moſæ Traiectum, & Liram, tentaturos quid Hiſpani ibi præſidiarij de diſceſſu, quem ante omnia vrgebant Ordines, ſentirent. Hinc Ordines vigeſimo primo Decembris ſuos Delegatos Namurcum mittunt, exiſtimantes Auſtriacum eò quoque venturum, vt colloquēdo omnis ſiniſtra opinio atque interpretatio hîc tolli poſſit; verùm Auſtriacus eò non venit, ſed vigeſimo ſeptimo Decembris Dominum Raſſinghenum mittit, & ab Ordinibus octo adhuc dierum prolōgationem petit, vt intereà Hiſpanorum, qui Antuerpiæ & aliis locis erāt, ſententiam animumque meliùs intelligat atque pernoſcat. Prætereà de ſecuritate & cautione ab Ordinibus ſibi danda, & de obedientia Regi poſt Hiſpanorum diſceſſum præſtanda, certior fieri cupit. Dicit ſuo honori

Suggillatur, quòd Ioānes Auſtriacus corporis ſui cuſtodes ſibi iurare velit.

Hæc Orangius. Sed quid? Nam dudum adhuc nomine Regis omnia acta.

Vult Orāgius, nec præſidia ſine Ordinū arbitrio conſtitui; Arces quoque omnes dirui.

Nihilominùs Ordines modeſtè cum Auſtriaco agere incipiunt.

nori nequaquam conuenire, vt ſe exarmet, & inermis armatæ Ordinum manui ſe committat. Poſtulat proinde, vt & Ordinum militares copiæ ad deponenda arma ſint paratæ, & extranei omnes Ordinum ſtipendia merentes Belgio vnà cum Hiſpanis exeant. Cupit præterea ſcire, qua ſecuritate & cautione, & an terra an mari Hiſpani ſint diſceſſuri. Cumque negotia cum Principe Orangio & Hollandiæ Zelandiæque Ordinibus, Ordinum Generalium conuentu ſint tranſigenda, huiuſmodi Conuentus ſeu Comitiorum locum, & ſuæ perſonæ ſecuritatem cautionemque declarari ac conſtitui depoſcit. Ex quibus poſtulationibus cùm Ordinum Proceres ſibi perſuaderent Auſtriaci ſententiam nequaquam eſſe vt Hiſpani diſcedant, niſi negotiis de Religione & aliis controuerſiis cum Hollandis & ſociis prorſus tranſactis; omnibus tandem modis inſiſtere atque vrgere conſtituunt, vt quàm citiſſimè Hiſpani Belgio exeant: proinde vltimo Decembris, vt Auſtriaco quibuſcumque modis ſatisfaciant, aliquot inſtrumenta teſtificationum ei per Delegatos tradunt; duo in membranis ſcripta, aliquot Abbatum & aliorum Eccleſiaſticorum manibus & ſigillis munita 17. Decembris: tertium à Decano & Facultate ſacræ Theologiæ Louanij 23. Decembris; & quartum à Doctoribus & Profeſſoribus vtriuſque Iuris ibidem 24. eiuſdem: quibus equidem omnibus declarabatur, Catholicæ Romanæ Religioni nihil aut detrimenti aut damni fœdere pacis 8. Nouembris Gandaui inter Ordines & Orangium cum ſuis initæ inferri: addunt & Scriptum Dominorum Concilij Statuum, quibus Gubernatio Belgij à Rege tunc erat commiſſa, quibus declarabant, nihil etiam hoc fœdere Regiæ Maieſtatis auctoritatẽ lædi. Nihil tamen inter hæc Ordines de cura belli intermittentes, iam tum duodecimo Decembris Edictum nomine Regis ediderant, quo omnibus Magiſtratibus, Eccleſiis, Capitulis, Contuberniis & Societatibus præcipitur, vt intra octo dies poſt publicationem factam torques aureos & argenteos, alia quoque opera publici iuris ex auro & argento deferant, exceptis calicibus, hierothecis, crucibus, reliquiis & aliis conſecratis, vt ex iis pecunia confletur, pœna dupli inobedientibus propoſita, recepturi pro vncia argẽti triginta octo ſtuferos, & pro vncia auri coronarij 22. florenos, traditis literis conſtitutionis reddituum, ea lege vt quicumque ſua redimere cupiat, id dicto pretio numerato poſſit, & nomine reddituum perpetuorum omnes accipiant ratione decimiquarti nummi, & reddituum vitalium ratione ſeptimi. Miſſus quoque Suowengemius ab Ordinibus ad Angliæ Reginam 10. Decembris, valorem quadraginta millium Angelottorum in vſum belli vltimo eiuſdem Decembris mutuò accepit. Inter hæc Vltraiectenſes omnem dabant operam, vt ab Hiſpanis ſuæ Arcis præſidiariis liberarentur. Hæc arx Vredenburga, hoc eſt,

1576

Dicit Auſtriacus minimè decere, ipſe vt inermis armatis ſe committat.

Tum petit plenè declarari de Conuentu illo, de quo in Pace Gandenſi.

Varia ſcripta Ordines exhibẽt Auſtriaco, quibus Pacem Gandenſem ei probent.

Nihil interim Ordines intermittunt de cura belli.

Omnes cõferre ſua iubentur conflandis nummis in vſum belli, lege reddituum.

1576 Arx pacis dicta, conſtructa fuit à Carolo V. Imp. poſtquam Epiſcopus ditionem ei reſignaſſet, vt factiones ibi graſſantes cohiberet, nam & eæ reſignationis cauſæ fuerunt. Erat in hac Arce tamquam Gubernator Franciſcus Auilanus cum centum circiter Hiſpanorum præſidio; quos expulſos voluiſſent ciues adiutorio Comitis Boſſuuij recèns à captiuitate Hollandica liberati, Hiſpanis parum amici, quòd eum tanto tempore in carcere reliquiſſent. Vbi cùm Hiſpani obſidionem parari animaduertunt, 21. Decembris, die D. Thomæ ſacro, ex Arce in vrbem irruunt, ciues aliquot trucidant, & proximas ædes incendunt: idem quoque nocte ſequente aggrediuntur, ſinguliſque diebus deinde tormenta bellica in vrbem eiaculantur, non ſine maximo ciuitatis damno. Ciues interea quocumque modo contra Arcem, vallis foſſiſque ſe muniunt, tormenta bellica diſponunt, eámque obſidione vndique cingunt, eo euentu vt tándem 11. Februarij anni ſequentis poſt multas vtrimque clades, Hiſpani partim inopia preſſi, partim iuſſi ab Auſtriaco, fortunarum omnium & vitæ incolumitatem pacti, armati inde exirẽt, Vianam deducti, vbi Tordeſillas erat Hiſpanus; qui ſimiliter Auſtriaci iuſſu inde diſceſſurus erat, ſicut & Lopeſius Culenburgo, ſimulque ad arcem Antuerpianam profecti ſunt. Sed hæc, vt diximus, non ante vndecimum Februarij anni ſequentis.

In Arce Vltraiectina reſident adhuc Hiſpani.

Obſidentes ciues Arcẽ, tandem ea potiuntur.

1577 Kalendis Ianuarijs anni ſeptuageſimi ſeptimi ſupra ſeſquimilleſimũ offerunt Auſtriaco Abbas S. Giſleni, Marchio Haureus, Vicecomes Gandenſis, Likerkius & Meetkerkius Ordinum Delegati in ſui ſecuritatem vrbem Louanienſem aut Mechlinienſem, vt in earum altera, quæ Lutzenburgi tractari cœpta erant, tranſigerentur; ad cuſtodiam verò corporis ſui vt legat eum Tribunum eoſque milites quos velit, indigenas tamen, & iam Ordinibus militantes: obtulerunt etiam Auſtriaco tres aut quatuor obſides ex Ordinum Primoribus, qui in poteſtate Epiſcopi Leodienſis tamquam vicini Principis ſint, dum negotium ventiletur. Auſtriacus eodem die ſcripto reſpondet, oblatas conditiones placere: eligere itaq; ſe corporis ſui cuſtodem Dominum Hiergium cum ſua legione, obſides Haureum, Vicecomitem Gandenſem, Montigneum & Abbatem S. Gertrudis; his conditionibus ſe confeſtim Mechliniam aut Louanium venturum, & de pace ſtatuenda acturum. Verùm Ordines, Non ſe dediſſe, aiunt, optionem obſidum; & nominatorum opera carere ſe non poſſe, ſed alios daturos, & ſimiliter ſe opera Hiergij indigere. Ceterùm ſi Auſtriaco conſultum rebus Regijs videretur, poſſe ipſum venire Huium locum neutri parti addictum, ibique de pace tranſigere hac lege, vt vtrimque par numerus hominum abſque armis compareat. Ad hæc Ordines petunt, quòd ſi peregrina, præſertim Hiſpanica præſidia tam citò Belgio decedere non poſſint, ſaltem vt animi ſui ad pacem propenſionem

Offerunt Ordines Auſtriaco pro ſua ſecuritate Louanium vel Mechliniam.

Oblata Auſtriaco, mox Ordines aliter interpretantur.

ſionem Belgis oſtendat, Hiſpanos ex arce Antuerpiana & oppido Lira euocet, eáq; loca poteſtati Ordinum tradat. Sine his cõditionibus ſe ab armis decedere non poſſe, nec de pace quidquam conſtituere; ſed omnẽ ſe diligentiam, vim & induſtriam adhibituros, vt iſta loca armis expugnata ſibi ſubiiciãt. Mittunt ei prętereà Vnionis Ordinum nono Ianuarij initæ exemplum, cuius hæc ſunt præcipua verba: Nos ſubſcripti, &c. „ Ordines Belgij conſtituentes, promiſimus & promittimus, nos perpetuò „ hanc Vnionem retenturos & obſeruaturos ad ſacroſanctæ noſtræ fidei, „ & Apoſtolicæ Romanæ Religionis conſeruationem, ad prędictæ Pacificationis (Gandenſis) perfectionem, & ad Hiſpanorum eiſque adhęrentium expulſionem, obedientia ſuę Maieſtati debita interim ſemper ſalua. Ita Vnio. Vbi etſi Auſtriacus non ignoraret, quò tenderent Ordinum poſtulata, vt qui cum Rege dearmato ipſi armati tranſigere vellẽt; Legatorum tamen Cæſaris in finem hunc in Belgium miſſorum, Legatorum etiam Epiſcopi Leodienſis & Ducis Cliuienſis interceſſionibus, monitis & conſiliis permotus, multa de ſuo iure (ſic ipſe in ſua Apologia loquitur) remittere maluit, quàm Catholicæ Romanæ Religioni aut Regiæ Maieſtatis auctoritati (quam vtramque ſaluam ſe velle & Ordines dicebant) quidquam decederet. Marchiæ itaque in Famina Delegatos Ordinum ad ſe vocat, vt pax, ſi quo modo fieri poſſet, componeretur. In quo conuentu initio pro negotiorum difficultate diu multúmq; diſputatum eſt. Sed tandem eò res deducitur, vt Auſtriacus in Pacem Gandenſem & conditiones ab Ordinibus propoſitas 12. Februarij deſcenderit, paxque dicta Perpetua his vndeviginti capitibus conſcriberetur. (operæpretium duximus integram ponere, ſi fortè hac ratione videat Lector, cuius culpa reipſa non fuerit Perpetua.) Conditiones ſunt iſtæ: „ Prima, Omnes iniuriæ, contumeliæ, damna præteritorum annorum „ oblitterabuntur, nec quiſpiam eorum cauſa conuenietur. Secunda, Cùm „ Prælati Eccleſiaſtici, Theologi & Iuriſconſulti Academiæ Louanienſis „ ſuis litteris confiteantur, & teſtentur Pacificationem 8. Nouembris Gandaui confirmatam nihil continere, quod ſanctæ Religioni Catholicæ „ Romanæ contrarium ſit, ſed multò magis Pacificationem eam bono & „ commodo eiuſdem Religionis factam eſſe; Ordinum quoque Delegati „ affirment, eadem Pace nihil obſeruantiæ, auctoritati aut obedientiæ, quã „ Prouinciæ Belgicæ Regi ſuo debent, decedere, præſertim cùm eadem etiam Legati Imperij & Delegati Illuſtriſſimi Ducis Cliuiæ teſtentur, Rex „ eamdem PACIFICATIONEM, omniáque eius capita approbat, rata facit, „ & confirmat, & Principum Regumque fide pollicetur, ſe eam perpetuis „ temporibus inuiolatam conſeruaturum. Ordinum quoque Generalem „ Conuentum, cuius in tertio Pacti Gandenſis Articulo fit mẽtio, probat, permit-

1577

Petunt vt Hiſpani diſcedant, alioqui de pace nihil agi poſſe. Mittunt ei Vnionem, recèns inter ſe contra Hiſpanos initam.

Sancitur tandem inter Auſtriacum & Ordines Edictum dictũ Perpetuum.

En verba ſupracitata de approbatione Louanienſium.

1577 permittit,& ratum ſe habiturum promittit. Tertia, Omnes milites Hiſpani,Itali,Germani, Burgundi, & alij peregrini, ſiue equites ſint ſiue pedites, Belgio volentes nolentes ſecuri & liberi diſcedant; numquam iidem reuertantur,aut alij in Prouincias Belgicas mittãtur,niſi Regi bellum ſit cum externo Principe, aut alia grauis neceſſitas tam Ordinibus quàm Regi id poſtulare videatur. Quarta, Quoad tempus ſeu terminũ diſceſſus, Regem Hiſpanis, Italis & Burgundis conſtituere vigeſimum poſt Pacis huius proclamationis diem, & vt Auſtriacus ſtatim à pacto hoc conſtituto,illis voluntatem Regis ſignificet: illi intereà arce & vrbe Antuerpiana,aliiſque omnibus arcibus,oppidis & munitionibus Belgicis quæ nunc occupant,atque adeò toto Belgio decedant, Ducatu verò Luxenburgenſi aliis viginti diebus,aut citiùs,ſi fieri poſſit,exeant. Qua in re Auſtriacus omnem, quam poterit,ſuam diligentiam oſtendet. Iis autem quadraginta diebus omnes prædicti milites modeſtè & pacificè viuent,nulliſque incendiis,rapinis,depopulationibus, aliiſve incommodis Prouincias Belgicas exagitabunt,lædent aut oppriment;ſimiliq;modeſtia in vicinorum Principum Prouinciis vtentur. Quinta, Porrò Germani milites dimittentur, vbi Ordines Belgici cum illis tranſegerint de omnibus quæ in huius Edicti decimoquinto capite diſponentur, & cum illis rationes ſtipendiorum debitorum inierint. Sexta, Vt omnes prędicti milites,Hiſpani,Germani,Itali & Burgundi, ex arcibus & oppidis exceſſuri in iis relinquant omnem annonam & commeatum, omnia tormenta bellica,& apparatum militarem,quęcumque in illis locis reperientur. Quas arces,vrbes & oppida cum omni commeatu & apparatu Rex cum conſilio Ordinum tradet in manus eorum qui in Belgio nati ſunt,iuxta patriæ Priuilegia: idonei quoque à dictis Ordinibus hac vice probabuntur,& grati acceptiq; iiſdem cenſebuntur. Septimò, Quantum ad inſolentias,incendia,& alias violentas oppreſſiones, quibus milites Regij,quicumque & cuiuſcumque nationis illi ſunt, Belgium noſtrum diuexarunt, ſecundùm ius & ęquum de iis agetur: inquiſitio ſeu examen in auctores,tam apud Duces & Prefectos militares,quàm apud ipſos milites,qui illarum iniuriarum conſcij ſunt, inſtituetur, ſiue iſtæ iniuriæ in Prouinciis Regiis ſiue in vicinorum Principum factæ ſint: Auctores apprehendentur,iudicibus tradentur,& ſecundùm iura &conſuetudines punientur vel in Belgio vel in Hiſpania, vel alio quocumque loco,vt Regimagis expedire videbitur. Octaua, Quicumque præterito bello vtrimque capti ſunt, abſque vllo lytro ſeu redemptionis pretio dimittentur. Philippus tamen Wilhelmus Naſſouius Comes Buranus tũc primùm in Belgium remittetur, quando dictus Ordinum Generalium Conuentus celebratus fuerit,& Princeps Orangius cum ſuis ipſo facto ſe facere

Externi omnes Belgio diſcedent, nec reuertentur, niſi approbantibus Ordinibus.

Exteri, exceptis Germanis, intra 20 dies vſq; Lutzenburgũ diſcedant:

Germani, cùm Ordines de ſtipẽdiis cum eis tranſegerint.

Arces & vrbes tradentur Belgis, approbantibus Ordinibus, ſaltem hac vice.

Comes Buranus tamen non reſtituetur, niſi cùm Orãgius reipſa ſatisfecerit Pacis.

„ facere oſtendant quęcumque in dicto Conuentu fuerint determinata. 1577
„ Nona, Quęſtio ſeu inquiſitio in eos, qui durantibus his turbis, ſuis di-
„ gnitatibus & officiis moti ſunt, an iis reſtituendi ſint, ad finem vſq; Con-
„ uentus Generalium Ordinum differentur: quo tempore iudicio ſiſtētur,
„ & eorum cauſæ à Iudicibus ordinariis cognoſcentur, & ex ęquo & bono
„ decidentur. Decima, Rex Regia fide promittet, ſe mandaturum fratri
„ ſuo dilecto Ioanni Auſtriaco iam Gubernatori ſeu Proregi, omnibuſque
„ in eius locum ſucceſſuris, ſiue ſub ſe ſiue ſub ſuis heredibus Belgium ad-
„ miniſtraturis, vt Priuilegia, cōſuetudines, & iura antiqua Prouinciarum *Nullus in poſterum ſit Conſiliarius niſi Belga.*
„ ſarta tecta conſeruent, & vt neque Rex, neque eius frater Auſtriacus, aut
„ quicumque eum ſecuturus eſt Prorex, in adminiſtratione Belgij vllum
„ admittat Senatorem aut Conſiliarium, niſi indigena ſit, & in Belgio na-
„ tus. Vndecima, Viciſſim Generales Ordines per conſcientias, fidem, &
„ honorem ſuum coram Deo & hominibus pollicentur, ſe per omnia, & *Viciſſim Ordines nihil cōtra Religionē Romanam & Regem permittūt.*
„ vbique locorum, ſanctam Catholicam Apoſtolicam & Romanam fi-
„ dem, & Regi debitam auctoritatem & obedientiam inuiolatam conſer-
„ uaturos, nec vllo modo permiſſuros, vt iis quidquam contrarium com-
„ mittatur. Duodecima, Ad eumdem modum promittunt ſe renuntiatu-
„ ros omnibus pactis & fœderibus ad ſuæ cauſæ defenſionem cum exter-
„ nis Principibus initis. Decimatertia, Item, ſe dimiſſuros etiam om-
„ nes peregrinos milites à ſe in Belgium vocatos, nec vmquam alios vo-
„ caturos, aut vt à quoquam vocentur, vmquam permiſſuros. Decima-
„ quarta, Vt declarent oſtendántque Ordines eximiam beneuolentiam,
„ & ſingularem in Regem ſuum affectum, offerunt promittúntque ſum-
„ mam ſexcentorum millium Carolinorum, cuius dimidia portio mox in *Conferent Ordines in ſtipendia Hiſpanorū ſexcenta millia Carolinorum.*
„ manibus Legatorum Imperij & Delegatorum Ducis Cliuienſis nume-
„ rabitur, & deinceps ab iiſdem Auſtriaco, aut alteri qui ad illud ab eo no-
„ minabitur iuxta diſcretionem dictorum Legatorum, in ſolutionem ſti-
„ pendiorum, quæ Hiſpanis, Italis, Burgundis & aliis exteris (Germanis
„ exceptis) debentur; vt celeriùs ex omnibus arcibus, oppidis & munitio-
„ nibus educantur: altera verò dimidiata portio per litteras collybiſtarum
„ Genuæ ſecundo menſe, poſtquam dicti milites Belgio exceſſerint, iis qui
„ mandatum ab Auſtriaco habuerint, numerabitur. Decimaquinta, Re-
„ cipiunt iidem Ordines ad ſe, quòd Germanorum copiis omnibus, qui *Recipiunt ijdem in ſe vniuerſa ſtipendia Germanis ſoluenda.*
„ hactenus Regi militarunt, ſatisfacient, & habitis ſubductiſque cum illis
„ rationibus, quod ſecundùm ęquitatem ipſis debebitur, ſoluent. Quæ ra-
„ tiones vt ordinatè & ex æquo & bono fiant, Rex & Auſtriacus omnem
„ ſuam operam pollicentur, intercedéntque vt iidem Germani æqua &
„ rationi conſentanea ſolutione contenti ſint. Idem facturi ſunt Legati
„ & Delegati ſupradicti, qui & ad Imperatorem ſcribent, ab eóque impe-

trabunt,

1577 trabunt, vt auctoritatem ſuam in hoc negotio interponat. Interim dum « hæc fiunt, pactum eſt, vt iidem Germani in Belgio pacificè viuant, iis in « locis, quæ Auſtriacus de conſilio & conſenſu dicti Senatus Statuum aſ- « ſignabit ad ſuam Ordinúmque ſecuritatem & defenſionem. Decima- « ſexta, Pręter hæc dicti Ordines tenebuntur & obligati erunt (quod & « ſe facturos pollicentur) poſt Hiſpanorum, Italorum & Burgundorum è « Belgio abitum, Ioannem Auſtriacum dilectum Regis fratrem recipere; « his tamen legibus, vt Ordinibus exhibeat patentes litteras ſuorum, quæ à « Rege habet, mandatorum; & ſolitum iuramentum, vt ſit ipſorum in « Belgio Gubernator cum omnibus cęrimoniis & conſuetudinibus quæ « adhiberi conſueuerunt, pręſtet. Quibus præſtitis, pro tali eum Ordines « agnoſcent, eiąue omnem reuerentiam, honorem, & obedientiam Gu- « bernatoribus ſummis debitam exhibebunt: interim Pacificatio Ganda- « ui confecta, in omnibus prædictis, & quæ inde dependent, in ſuo robore « permaneat. Decimaſeptima, Omnes Gubernatores Regij, qui à Rege « vel eius heredibus in futurum mittentur; omnes etiam Pręſides, Conſi- « liarij, Præfecti & Iudices antequã ſuam dignitatem aut officium adeant, « ſolemni iuramento ſeipſos obſtringent, quòd Edictum hoc perpetuum, « paciſque præſentes cõditiones ipſi exactè obſeruabunt, & vt ab aliis ob- « ſeruentur, quantum in ſe eſt, curabunt. Decimaoctaua, Rex eiuſque Gu- « bernator probabunt & ratas habebunt omnes emptiones, contractus, « venditiones, obligationes ab Ordinibus factas & approbatas, in poſterũ « quoque faciendas & approbandas, & præcipuè etiam ea quæ cum Regi- « na Angliæ tranſacta ſunt. Decimanona, Et vt omnia prædicta rata fir- « máque ſint, & eorum executio quamprimùm ſequatur, & ipſo facto pa- « ctis his ſatisfiat, & ipſa Pax perpetua ſit, Auſtriacus inſtrumentum no- « mine Regis ſubſignabit, & Regio ſigillo muniet, & idipſum facient ſuo « & ceterorum Ordinum nomine Brabantini, & ad petitionem vtriuſque « partis, iam dicti Legati & Delegati. Et ita factum eſt, tabulis à ſingulis « ſignatis, Marchę in Famina, vt dictum eſt, die duodecimo Februarij; eſt- « que paulò pòſt decimo ſeptimo eiuſdem menſis Bruxellæ hæc pax cum « omnium bonorum lætitia promulgata. Ceterùm Orangius, dum hæc « pax cuderetur, totus in hoc incubuerat, vt Hollandiam totam, Diœceſim « etiam Vltraiectenſem ſuo imperio ſubiiceret. Litteras itaque miſerat per « Ordines Hollandiæ, vt Amſtelodamenſes, qui hactenus eius partes non « erant ſecuti, ad ſatisfactionem petendam inducerentur. Nempe defini- « tum erat ſeptimo Articulo Pacificationis Gandenſis, vt Orangius totius « Hollandiæ, Zelandiæ & Diœceſis Vltraiectenſis gubernationem recipe- « ret ea lege, vt ciuitatibus, quæ hactenus ſub Rege & Catholica Romana « Religione permanſerant, in iis quæ ab eo peterent, tam quoad Religio-

Poſt Hiſpanorum, Italorum & Burgũdorum diſceſſum recipient Auſtriacũ in Gubernatorem.

Rex & Auſtriacus, approbabunt omnes obligationes ab Ordinibus factas & faciendas.

Ita ſignata hæc Pax, & paulò pòſt publicata.

Quid interea egerit Orangius.

nem,

nem, quàm quoad priuilegia, ſatisfaceret. Amſtelodamenſes, qui magno ardore Regem & Religionem propugnabant, cùm qualem optabāt ſatisfactionem ab Orangio impetrare non poſſent, vrbem ſuam aduerſus omnes Orangianorum inſidias diligenter tuebantur. De Vltraiectinis, qui vndecima huius menſis tandem ab Hiſpanis ſuis liberati erant (de quo ſub finem anni præcedentis pleniùs narrauimus) maior ſpes Orangio affulgebat. Quare pace iam inter Ordines & Auſtriacum confirmata, cùm de ea Willeruallius & Paulus Buſius in præſentia Legatorum Cęſaris, litteras accepiſſent, quibus petebant Ordines, vt & Orangius & ſocij eiuſdem Pacis leges & capita approbarent, illi lectis litteris, decimo nono Februarij prolixam proteſtationem cōtra Pacis huius ſingulos pænè Articulos remiſerunt. Laudant interim Ordinum diligentiam & zelum, quem in dimiſſione peregrini militis exhibuerant, ac tandem ne ipſi, vt dicebant, in cauſa eſſe videantur, quò tardiùs peregrinorum dimiſſio, pacis executio, & priuilegiorum reſtitutio procedat, pollicentur ſe Edicto huius Pacis perpetuæ ſubſcripturos, ſed his conditionibus: Primò, Scriptam cautionem ab Ordinibus petunt, vt ſi Hiſpani, Itali, Burgundi conſtituto ſpatio non diſceſſerint, Ordines promittant ſe cum Auſtriaco nulla in poſterum de re acturos, ſed omnem pacis oblationē ſtatim abrupturos, peregrinam militiam armis perſecuturos, & Belgio exterminaturos. Secundò, Vt ſimilem cautionem mittant, qua polliceantur, ſe, poſt peregrinorum miſſionem, neque Auſtriacum neque alium quempiam in Gubernatorem recepturos, priuſquam ipſe in integrū reſtituerit omnia collapſa, & quoquo modo cum priuilegiis Prouinciarum atque Pacificatione Gandauenſi pugnantia. Ad quæ Ordines Kalend. Martij his ferè verbis Orangio & ſociis reſponderunt; ſuam intentionem ſemper fuiſſe & adhuc eſſe, vt Pax Gandauenſis firmiter obſeruetur; inſuper quæcumque contra patriæ priuilegia facta fuerint reparentur; ac denique ſe prorſus decreuiſſe externos milites vi armiſque expellere, niſi conſtituto tempore diſceſſerint; neque ampliùs colloquium aut cōmunicationem de differendo eorum abitu habituros. Auſtriacus proſpiciens quò Orangij & eorum qui illi ſtudebant conſilia tenderent, ne quam illis querelarum cauſam præberet, mox omnia quę pactus erat, ab ipſo etiam Rege confirmari curat, & ſignata ab eo, ſeptimo Aprilis, non multò pòſt Ordinibus exhibuit. Quin ipſe ſtatim, Martio ineunte, omnem diffidentiæ ſcrupulum remoturus, non aliis quàm Ducis Arſchotani militibus ad corporis ſui cuſtodiam ab Ordinibus ei datis, vſus, Marchiâ Namurcum, & deinde Namurco Louanium profectus, cum admirabili magnanimitatis fiducia vltrò & ſponte ſua in Ordinum poteſtatē venit, innocentia ſua fretus, & vt nemini anſam daret de candore ſuo du-

1577

Prolixè Orangiani contra Pacem cum Auſtriaco factā proteſtantur.

De multis volunt ſibi caueri, antequam eā recipiant.

Reſpondēt eis Ordines Catholici.

Auſtriacus, vt omnem diffidentiam eximat, venit Louanium.

1577 bitandi. Louanij aliquot hebdomadas ſe continuit, & præter omnem ſui ordinis dignitatem pænè vt priuatus vixit; interim pro virili conatus, vt priſcorum exemplo Belgicorum Principum, benefaciendo apud omnes iniret grátiam: conuiuia quoque publica quæ à Sodalitiis (Gildas vocant) inſtituebantur, adiit; pſittacum ligneum ſublimi arbori pro more Sodalitij affixum ipſe deiecit; nouos ludos, feſtiuitatéſque tali cum familiaritate & comitate, me tunc Louanij annum ſeptimum agente, exhibuit, vt omnes in ſui deſiderium & amorem raperet. Erat tunc Auſtriacus annorum circiter triginta trium. Orangius, & qui ei ſtudebant, tantum populi fauorem Auſtriaco inuidentes, & rebus ſuis metuentes, omnem illius comitatem ſimulatam eſſe, omnia illum è compoſito agere ſuis perſuadebant, vt odium ſuum in Belgas his ſtudiis ad tempus tegeret, animos ſubditorum ſtabiliret, vt poſteà tutiùs in Belgas graſſaretur. Hunc in finem eum cum externis Principibus occulta inire fœdera, clàm nouos exercitus conſcribere, numquam eum Hiſpanos ceteróſque peregrinos milites deducturum. Non ignorabat hæc Auſtriacus: vt itaque ſiniſtram omnem ſuſpicionem tolleret, vigeſimo Martij Duci Arſchotano Philippo Croy cum ſuis Gallis Belgicis arcem Antuerpianam tradit, Hiſpanis euocatis. Cui traditioni Sanchius Dauila Præfectus Arcis intereſſe noluit, ſed negotium Martino del Hoio Vicario ſuo commiſit, qui Arſchotano cum clauibus obuiàm procedens in Arcis ponte cum Secretario Auſtriaci Eſcouedo iuramentum fidelitatis pro more priùs ab eo accepit. Deinde apertæ portæ & pontes dimiſſi ſunt: Arſchotano claues traduntur, Galli intromittuntur, Hiſpani egrediuntur. Dici non poteſt, quanta tunc Antuerpiæ, viciniſque in locis fuerit communis populi lætitia, quanta vbique feſtiuitas. Sed quia peregrino militi nondum in ſolidum erat ſatisfactum, diſcedentes Hiſpani è caſtro Antuerpiano primarios captiuos Comitem Egmondanum, Capprium & Goignium ſecum abduxerunt, donec plena præſtaretur ſolutio, Liramq; profecti primò, deinde Traiectum ad Moſam ſeſe receperunt. Vt autem Auſtriacus Hiſpanorum profectionem acceleraret, cùm Ordines omnia quæ potuere in commune contuliſſent, nec ad ſexcenta florenorum millia corradere poſſent, ipſe de ſuo peculio magna pecuniæ ſumma illis mutuò data ſubuenit, quæ ſumma illi poſteà tamen reddita non eſt, titulo quaſi ipſe pacem prior violaſſet. de quo Lector in progreſſu iudicet. Interim hoc modo factum eſt, vt peregrini milites accepto iam omni promiſſo ſtipẽdio, redditis vtrimq; captiuis, relicto Traiecto ad Moſam vigeſimo primo Aprilis, ductu Comitis Mansfeldij primò in Ducatum Lutzenburgenſem profecti, inde in Italiam diſceſſerint, idque præter expectationẽ omnem Orangij & ſociorum, & quorumdam etiam aliorum ex Ordinibus

Sua comitate paſſim omnes in ſui amorẽ rapit.

Soli Orangiani eum ſimulatè omnia agere calumniantur.

Tradit Auſtriacus Arſchotano & Belgis arcem Antuerpianã.

Mutuò dat Auſtriacus Ordinibus bonã pecunia ſummam.

Itaque Hiſpani & alij Belgiũ relinquũt.

nibus qui ſibi perſuadebant (vt poſteà ipſi faſſi ſunt) non futurum eſſe, vt Auſtriacus à ſe peregrinos dimitteret. Ciuitates mox & Arces in manum & poteſtatem eorum, qui ex ipſis Prouinciis erant oriundi, traduntur. Quibus ſimilia cùm viciſſim ab Orangio & ſociis expectantur, ipſi non tantùm peregrinos ſuos non dimiſerunt, ſed & pagos, ciuitates ac propugnacula quædam magna cum feſtinatione communierũt, Thuys ter Hart, Seuenbergen, den Cluynder, Nieucaſteel, & alia; & non multò pòſt etiam celeberrimum Monaſterium & Eccleſiam in monte S. Gertrudis, præter alia in Beuerwiick, Serdam, Goudę & Dordraci, quæ hactenus integra perſtiterant, à fundamentis ſubuerterunt; in quo oppido S. Gertrudis etiam ex multa illa & varia pulcherrimæ Eccleſiæ materia Orangius inſigne ſibi ædificium exſtruendum curauit. Decimæ quoq; dictorum Religioſorum hominum & prædia, cum agris & fundis, numquam anteà niſi pro vſu fructu alienata, poſt pacem factam vendita ſũt, & à veris poſſeſſoribus ad quoſuis licitatores tranſlata. Intereà Ioannes Auſtriacus nihilominùs octoginta tantùm ſclopetariis, ab Ordinibus ad corporis ſui cuſtodiam adhibitis, munitus, primo die Maij in magna Optimatum & Nobilium frequẽtia, inter Legatum Apoſtolicum & Epiſcopum Leodienſem Bruxellam medius ingreſſus eſt, ab oppidanis incredibili pompa exceptus, ibiq́ue quarto eiuſdem menſis die, delato ab Ordinibus ſacramento conceptis verbis præſtandam & ſeruandam patriæ fidem iurans, ad ſupremum Belgicarum Prouinciarum gubernaculum admiſſus eſt, omniáque confirmauit, quæ Ordines titulo Priuilegiorum ei confirmanda obtulerunt. Hinc ſeriò in hoc incumbit, vt ſuo officio & munere ſtrenuè fungeretur, eorum ſemper, qui ex Concilio Status, nõnumquam & ex Concilio priuato & Financiarum, quin & Ordinum ſæpè qui Bruxellis eſſent, ſententias inquirens. Omnes paſſim benigno & ſereno vultu excipiebat, ad audientiam quibuſuis horis admittebat, multa quæ liberiùs facta dictáve eſſent, prudenter diſſimulabat. Cum inferioris etiam ordinis Nobilibus, cum ciuium tribubus, eadem cum facilitate & affabilitate hîc, qua cùm Louanij vixit, ad eorum ludos conuiuiáque accedens; & ſi quæ talia vetuſtate vel temporum iniuria intercidiſſent, ea reſtaurari curauit. At verò nonnulli hæc omnia non ſincero animo, ſed ficto, & ad dolum compoſito fieri dicebant. Vt verò eum populo magis ſuſpectum & exoſum redderent, criminabãtur eum, quòd Octauium Gonzagam Italum, Eſcouedum qui illi à ſecretis erat Hiſpanum, Baptiſtámque Taxium Germanum aulæ ſuæ Magiſtrum, à ſe non ablegaret: inter Belgas quoque eorum conſilio & opera vteretur, qui vt fuerant ſemper Regi fideliores, ita ei erant chariores; inter quos præ ceteris oderant Comitem Mansfeldium, Barlaymontiúmque, & eius tres fi-

1577

Econtrà Orangiani noua propugnacula quædam moliuntur.

Nihilominùs Auſtriacus 80. tãtùm ſclopetariis munitus Bruxellam venit.

Gubernator factus omnibus ſe exhibet comem & benignum.

Nihilominùs multa in eo carpunt nonnulli.

1577 lios, Hirgium, Floionium, & Haultipennium. Huc accedebat, quòd ſimulatq; Auſtriacus Bruxellas veniſſet, ab Orangio litterę Ordinibus ſũt redditæ, quibus ſuadebat, non tam facilè harum Prouinciarum gubernaculum Auſtriaco eſſe committendum, niſi cõditionibus etiam arctioribus, quàm eius prædeceſſores, obſtringeretur. Quod ſubodoratus Auſtriacus, apud Ordines agit, vt eadẽ auctoritate qua eius deceſſores, iuſto corporis ſui præſidio adhibito, prout res exigere viderentur, de vna ciuitate ad aliam proficiſci poſſit, vt Regi ſua obedientia, ſibiq; debita conſtet auctoritas, & publica tranquillitas conſeruetur. Ad hæc vt Regi obedientia, & patriæ Catholica reſtituatur Religio, petit vt Generalium Comitiorum tempus acceleretur, eáque celebrentur quàm citiſſimè, vt Orangius coërceatur, ne Amſtelodamenſibus moleſtus eſſe pergat, nouas munitiones erigere deſinat, & quæ erectę ſunt demoliatur. Huiuſmodi contentionibus res quidem nondum apertè ſed clàm vſq; medium Maij agebatur. Interim illud his effectum eſt, vt Auſtriaco plurimum de ſua apud populum gratia & auctoritate paulatim decederet. Quin & nonnulli è Bruxellenſibus ſeditioſiores in foro ante domum ciuicã, concitato tumultu, ſatellites Auſtriaci corpori tuendo adhibitos inuaſerunt eo ipſo die Dominico, quo in eam domum vocatus aſcenderat, vt ex ea Supplicationem & ſolemnes Dedicationis, vt vocant, pompas ſpectaret, qui fuit tunc decimus nonus Maij. Sub id tempus etiam multi non rarò eius domeſticos minis & conuitiis ad ſepta palatij inſectati ſunt. Quæ patienter ferens Auſttiacus, nihilominùs vigeſimo quarto eiuſdẽ Maij ad Orangium miſit Ducem Arſchotanum & alios, qui poſtularent, & neceſſarium demonſtrarent, vt Pacis Marchianæ decretum in Hollandiæ Zelandiæque vrbibus & oppidis publicè promulgaretur, & ſeriò tãdem neglecta colligerentur, & reparanda inſtaurarentur. Reſpondit Orangius, neque ſe neq; ſuos confirmaſſe, neque in fœderis Marchiani capita conſenſiſſe, niſi certis conditionibus (reperiet eas Lector ſuprà ad 19. Februarij) quas & Legatis iterùm deſcriptas tabulis pro reſponſo dedit. His initiis odia & ſimultates inter Auſtriacum & Orangium paulatim eruperunt. Sed illud inprimis flammam auxit. Sub idem tempus (diem fruſtrà quæſiui) Aldegondius & Theronius litteras ab Auſtriaco eiuſque Secretario Eſcouedo ad Regem ſcriptas Bruxellas attulerunt, à Rege Nauarræo interceptas, & ad Orangium miſſas. Differam de iis propriis vtriuſque partis verbis. Scripſerat, (inquiunt hi) Auſtriacus ſeptimo Aprilis ſua manu ad Regem, Belgij corpus nequaquam ſanari poſſe, niſi pars ſaucia abſcindatur; idque nunc temporis fieri debere: orat proinde de pecuniis proſpiciatur, ſine quibus nulla victoriæ aut ſalutis ſpes. Alia quoque quàm Albanus & Commendator incepiſſent via, aggredien-

Præcipuè Orangius ſcripſerat eum non recipiendũ, niſi conditionibus arctioribus.

Semina iaciuntur diſſidiorũ, quæ ſunt ſecuta.

Bruxellenſes indignè domeſticos Auſtriaci & ſatellites laceſſunt.

Proferuntur litteræ, tamquam Auſtriacus iterùm Regi bellũ ſunderet.

diendum; nempe non continentes firmáſve terras, ſed inſulas primò in- 1577
uadi debere. Hanc quidem expeditionem difficiliorem quàm Angliæ expugnationem fatebatur; verùm vna inſula capta, alias facillimè ſuperari poſſe. Eſcouedus autem Regi ſcribit, Auſtriacum niſi à ſua Maieſtate adiuuetur, aliò improuisè ac repentè diſceſſurum, orátque hanc fratris deſperationem auertere & præuertere velit; renuntiatque rebus Belgij nequaquam lenitate aut clementia, verùm igne & ſanguinis effuſione mederi poſſe. Hæc quidem iſti nunc clàm, & poſteà 28. Iulij publicè edito Iuſtificationis ſuæ ſcripto. Quæ an iuſtam Ordinibus Catholicis dederint diffidentiæ contra Auſtriacum cauſam, vt Lector iudicet, adferam ipſius Auſtriaci præcipua verba ex litteris eius hac de re 24. Auguſti ad Ordines Bruxellam miſſis: Nam quamuis (inquit) id quod aiunt, ad Regiam Maieſtatem ſcripſiſſemus, quomodo contra pacis conditiones peccare potuimus, ſi Regi id quod agebatur ſignificauimus? aut ſi apud eum conqueſti ſumus, quòd res in eo cardine verterentur, in quo tunc adhuc erant? Hîc neceſſe eſt conſiderari tempus, quando videlicet hæ litteræ ſcriptæ ſint, nempe in Martio & Aprili, cùm nondum harum Prouinciarum Gubernationi initiati eſſemus; imò cùm adhuc ſub aliena cuſtodia viueremus; & tamen nihil à nobis ſcriptum fuit, quod poſſit videri ad aliquam mutationem tendere. Porrò litteræ, quas Eſcouedus eodem ferè tempore ſcripſit, ad nos non pertinent, neque noſtra refert quid ille fecerit: ipſe pro ſe reſpõdeat, qui bonam ſuarum litterarum partem Antuerpiæ confecit, nobis Louanij exiſtentibus. Hæc totidem verbis Auſtriacus. Vbi quæ pars æquiorem habeat cauſam, iudicet Lector; ego interim, ſaluo cuique ſuo iudicio, tam ex iis quæ priores referũt de inſulis bello petendis, quàm ex eo quòd Auſtriacus ſe nullam mutationem his litteris meditatum concludat, tantùm eum contra Orãgium & ſocios, qui perpetuò, vt vidimus, remoras varias negotiis iniiciebant, bellum antiquum reſumendum voluiſſe credo, non autem quidquã mouendum contra ceterarum Prouinciarum Ordines. Sed ad ſeriem narrationis redeamus. Circumferebantur ergo ſub finem Maij paſſim libelli ſeditioſi & infames contra Auſtriacum, & ſingulæ eius actiones in ſiniſtram ſuſpicionem vocabantur. Quare nonnulli eius amantiores monebant, non eſſe tutum Bruxellæ diutiùs hærere, ſed conſultius fore ſi aliò ſe transferat. Peropportunè ad hoc accidit illi negotium, quod Ordinibus erat cum Germano milite. Ordines enim paulatim Auſtriaco diffidentes, nolebant Germanos diutiùs in Belgij viſceribus permanere. Quod quidem arduum erat, & factu quàm difficillimum, propterea quòd ingens pecuniarum vis Germano militi deberetur, de quarum etiam ſumma conſtare non potuit, niſi vocatis ad calculum rationibus

Quomodo eas propoſuerint, qui Auſtriaco non benè volebant.

Quid de his litteris reſponderit Auſtriacus Ordinibus.

Conſtanter dicit, ſe ad nullam mutationẽ tendiſſe.

Quomodo illud videatur intelligendũ.

1577 vtrimque conuenirent. Quare cùm Ordines vnà cum Imperij Legatis efflagitarent, vt tam arduo negotio ſuam auctoritatem Auſtriacus interponeret, paruit, & Mechliniam tamquam locum magis idoneum ei rei deſtinauit. Quinto igitur Iunij Bruxellâ Mechliniam proficiſci parat. vbi cùm reſciuiſſet ad portam, qua eſſet egreſſurus, rem ita componi, vt concitato tumultu eius profectionem morarentur, eorum conatus eludens ad aliam portam deflectens incolumis Mechliniam venit: vbi conuocatis omnibus Germanorum Tribunis, huc vires omnes intendit, vt auctoritate ſua interpoſita rem inter dictos milites & Ordines componeret. Quod tunc quidem conficiendum videbatur, niſi Ordines ærarij inopia laboraſſent. Scribit itaq; nono Iunij Auſtriacus ad Ordines, quid in hoc negotio actum eſſet, ſed dolere ſibi, id non niſi paratis nummis, quibus eos ſciret non abundare, confici non poſſe. Scripſiſſe iam pridem ſe ad Regem, & huic ſimul ſolutioni certam ab eo pecuniæ ſummam efflagitaſſe, ſed hactenus reſponſum nullum accepiſſe. Quòd ſi Ordinibus conſultum videatur, miſſurum ſe Eſcouedum ſuum Secretarium ad Regem, qui coràm Regi hoc negotium commendet. Placuit Ordinibus Auſtriaci oblatio, actiſque ei gratiis, Eſcouedus in Hiſpanias proficiſcitur. At illis qui Auſtriaci imperium ſuggillabant, omnia hæc erant ſuſpecta: nam & ſub prætextu calculi cum Germanis ſubducendi, illos denuò ſibi deuinctos ad bellum redintegrandum incitare atque conducere; & Eſcouedum in Hiſpaniis pecuniam nō in vſum Ordinum ad Germanos dimittendos, ſed in vſum Auſtriaci ad nouum bellum adornandum, flagitaturum aſſerebant. Dum hæc in Brabantia geruntur, varij vbique populum contra Auſtriacum concitabant: quod cùm etiam quidam Mechliniæ conaretur, vltimo ſupplicio affectus eſt. Eius æmuli in hunc modum narrant: Auſtriacus, cùm Mechliniæ eſſet, ciuem quemdam Religionis cauſa hîc gladio cædi iubet. Id cùm multis abſurdum iniquumque videretur, ait ſe nequaquam in Pacificationem peccaſſe, quandoquidem nullis niſi profugis & exulibus, non iis qui in patria māſiſſent, ea frui conceſſum: & quidem hoc ipſum Epiſcopus Atrebatenſis electus ſimiliter interpretabatur. Sic illi. Sed præter hanc exceptionem potiſſima cauſa fuit, quòd ſemper in perturbatorem publicæ quietis iuſtè animaduertitur. Eodem tempore accidit, quod Auſtriacus poſteà in litteris ad Ordines 24. Auguſti Bruxellam miſſis his verbis commemorat: Cùm nos, inquit, adhuc hæreremus Mechliniæ, accidit, vt in menſe « Iunio vltimo Dux Arſchotanus eódem accederet, qui nobiſcum familiariter obambulans, inter cetera, de quibus colloquebamur, hoc fuit præcipuum quod diceret, omnia mala indies deteriora fieri, & nobis noſtróq; comitatui ſatis tutò proſpectum non eſſe: ſiquidem pro certo & comper- «

Interea rogatur Auſtriacus tranſigere cum Germanis.

Agit Mechliniæ ſedulò, vti Ordines petierant.

Nihilominùs omnia in deteriorem partē capiuntur.

Mechlinia quidam ab Auſtriaco cæſus, & qua de eo ſententia.

Suggerit Arſchotanus Auſtriaco, inſidias ipſi ſtrui.

to

„ to habere affirmabat, quòd conſpirationes contra nos & noſtram fami- 1577
„ liam fierent & haberentur: id quod propterea ſe nobis ſignificare dice-
„ bat, quia prima illa Orangij de nobis capiendis ſententia adhuc vrgere-
„ tur: qui quidem Orangius, priuſquam gubernationi eſſemus initiati, lit- *Quinmul-tis argumentis ſua dicta confirmat.*
„ teras ad Ordines miſerat (quarum exemplum penes ſe eſſe Dux aiebat)
„ quibus præmonuiſſet, quòd, quamdiu nos capti non eſſemus, haud poſ-
„ ſet res ad optatum finem perduci. Hæc ibi inter alia. Opportunè paulò pòſt accidit, Margaretam Francicam Nauarræi coniugem, & Iſabellæ pridem vxoris Hiſpaniarum Regis ſororem, per Hannoniam in terram Leodienſem ad aquas fontis Spadani ſanitatis ergò bibendas proficiſci. Cui cùm neceſſariò ob affinitatem cum Rege Philippo honoris cauſa occurrẽdum eſſet, prẽcipuam ad ſe nobilitatem euocauit, & cum ea Reginæ obuiàm progreſſus, eam pro dignitate excepit, aliquotque diebus *Excurrit Auſtriacus Namurcũ Nauarræã ſalutaturus.* Namurci & vicinis locis ſplendidiſſimè tractauit, præſentibus Duce Arſchotano, Chimaij Principe, Marchione Haurechij, Comite Reuſſij, Comite Barlaymontij cum filiis, & aliis. Cùm aliquot dies omni lætitiæ genere peregiſſent, intercipiuntur à ſuis litteræ ab Ordinibus ad Magiſtratum Namurcenſem ſcriptę, quibus iubebant, Auſtriacum captum firmæ committerẽt cuſtodiæ: in manus enim ſuas peruenisse eius ad Regem litteras, quibus ita Ordines accuſabat (litteras ſuperiùs commemoratas intelligebant) vt non ſine ſummo poſthac periculo res eſſent adminiſtraturi. Lectis Auſtriacus litteris, conſtituit Lutzenburgum reuerti, ibique conſilium capere, quid poſthac facto opus eſſet. Sed Carolus Barlaymontij Comes vrbi Comitatuique Namurcenſi à Rege Præfectus, euidentibus rationibus docuit, non deſerendum Namurcum natura arteque munitum, omnibuſque rebus neceſſariis ob confluentiã Moſæ ac Sabis abundans, & copiis, cùm opus eſſet, vndequaque recipiendis ſimiliter idoneum. Si non ſatis, ob populi frequentiam, perſonam ſuam ciuibus fideret, communi conſilio curandum, Arcem edito munitoque loco ad amnes ſitam occupent. Præeſſe Froimontij Baronem cum exiguo prẽſidio, Ordinibus quidem deuinctum, ſed à Rege non alienum. Placuit Auſtriaco conſilium, gratiáſque agens, memorem ſe fore ait fidei erga Regem, amicitiæque in ſe. Die igitur illo epulis ac ſaltationibus exacto, ſummo manè, vt erat conſtitutum, Auſtriacus ad venationem neceſſaria apparari iubet. Sequuntur eum Proceres, & inprimis conſcij, eorumque famuli numero aucti armatique cum non paucis equitibus. Arci propinquus ſitum laudat. Præceſſerat Barlaymontius cum filiis, omniq; humanitatis ac officij genere Froimontium demeriti, perſuaſerant, tranſeunti Auſtriaco ingreſſum, cum familia tantùm, viſendi cauſa offerret. Fit ita. Deſcendens equo Auſtriacus, iubet præſidium prõgredi,

Traduntur ipſi litteræ à ſuis intercepta, de ipſo capiendo.

Perturbatum Auſtriacum confirmat Barlaymõtius.

1577 familiares ſecum ingredi. Interim præſidiarij edocti in proxima ſilua conſiſtunt. Froimontius, ſalutato Auſtriaco, intus ſe receperat, ientaculũ Principi cum comitatu paraturus, manentibus in porta Barlaymontiis, quibus, ac præcipuè Hiergio, etſi Ordinibus nomen dediſſet, omnino fidebat. Illi igitur tamdiu in porta cum Auſtriaco verba faciunt, donec è ſilua aduolantes præſidiarij portam cum vniuerſa Arce vigeſimo quarto Iulij occupant. Exinde Froimontio cum veteri præſidio, omnibuſq; impedimentis exire iuſſo, eam de rebus neceſſariis vndique & quàm celerrimè prouidet. Et quoniam Namurcenſes perturbati Arcis occupatione, neſciebant quid Auſtriacus animo tectum gereret, miſſo ad Concilium ibi Prouinciale & Magiſtratum domeſtico Nobili, interceptas ad eos literas de ſe in cuſtodiam mittendo communicat: coactum igitur perſonę ſuæ ſaluti Regiſque ſeruitio hac ratione conſulere. Tum conuocatis omnibus qui ſe ſecuti fuerant, eamdem captæ Arcis aperit rationem; ac proinde qui manere apud ſe vellent, gratos futuros, qui verò diſcedere, poteſtatem ſe eis facere, inuiti enim ſe nullius operam cupere. Diſceſſere non pauci, manẽte tamen magna parte, ac inter hos Arſchotano, Haurechio, & Chimaio; ſed qui poſt paucos dies intelligentes arcem Antuerpianam Ordines occupaſſe, elàm ex arce Namurcum abeuntes, paratis celeribus equis, Bruxellam, deſerto Auſtriaco, peruolauere. Eodem prætereà vigeſimo quarto Iulij die ad Ordines ſcripſit, facti ſui rationem breuiter reddens. Qui mox die ſequẽti ad eum miſerunt Abbatem Marollium, Archidiaconum Iprenſem, & Dominum Brus, qui inter alia Auſtriacum orarent, vt omnem ſuſpicionem deponat, ſycophantarum quorumdam commentum eſſe quidquid de inſidiis & captiuitate ipſi perſuaſum eſſet. Intempeſtiuam hanc arcis Namurcenſis & oppidi Carolomontij (nàm & illud ſui iuris fecerat) occupationem, abſentiámque illius ab vrbe Bruxellenſi plurima poſſe creare incommoda. Magnam inſuper illi ſecuritatem, maiuſque corporis præſidium, & inquiſitionem in eos qui inſidiarum rei inuenti fuerint, pollicebantur. Non reiecit has conditiones Auſtriacus; ſed dimiſſis cum litteris Legatis, adiunxit Dominum Raſſinghemium & Dominum Grobbendonckium cum mandatis, vti eis eam haberent fidem, quam ſibi deberent. Summa erat, placere ſibi Bruxellas redire, modò reipſa, & non verbis tantùm, ſicuti hactenus ſemper factum eſt, dictis inſolentiis, turbis, & ciuilibus tumultibus opportunum remedium adhibeatur. Antequam Mechliniâ diſcederet Auſtriacus, Terlonium Arſchotani in arce Antuerpiẽſi Vicarium, alioſque præſidiarios ſui officij & fidei Regi debitæ admonuerat, ſeu vt alij volunt, ei præceperat, vt capta occaſione, qui non eſſent à parte Regis omnes eiiceret, Arcem ſuæ poteſtatis faceret, & in vſum Regis (cuius

Auſtriacus arcem Namurcẽſem aſtu ſibi vendicat.

Reddit rationem facti Concilio ibidem & Magiſtratui.

Item Ordinibus Bruxellæ congregatis.

Mittuntur hinc inde Legati.

Seminaria diffidentiarum etiam altiùs repetita.

ſolius

ſolius ſint Arces) defenderet. Idem vt facerent, Germanicis legionibus, 1577
quæ oppida & Arces alias tenebant, quoq; iniunxiſſe ferebatur, ne ſcilicet iis exirent, antequam maior ſpes continuandæ pacis affulgeret, aut à ſe euocarentur. Tenebant autem Germani eo tempore Bergam ad Zomam, Bredam, Tholam, Siluamducis, Dauentriam, Campos, Ruremõdam, Teneramundam. At huius poſtremi oppidi præſidiarij ſub imperio Polwilleri, militantes, accepta, vt exirent, ab Ordinibus pecunia, Auſtriaci monita ſeu iuſſa, miſſis illius ad Ordines litteris, contempſerunt. Vt autem Terlonius commodiùs perficere poſſet quod conſtitutum erat, iuſſit Auſtriacus Cornelio Emdenſi, vt cum ſua legione Antuerpiã ſe reciperet, Fronsbergio & Fuggero, qui adhuc in vrbe erant, ſe coniungeret, & in omnem occaſionem intentus eſſet. Non ignorabant hoc Ordines; quare nonnullos ſibi à ſecretioribus conſiliis vigeſimo nono Iulij ad Champaignium, qui legionem ſuam in Brabantia habebat, miſerũt, eumque permouerunt, vt Dominum de Verſy Emdenſi obuiàm ire, & manus cum eo conſerere iuberet. Emdenſis nihil minùs quàm de pugna cogitans, cùm vim & hoſtilitatem animaduerteret, ſuos in ordinẽ redigere voluit; quod priuſquam facere potuit, eius milites fuſi fugatíq; ſunt.

Mittit Polvvillerius Germanus litteras Auſtriaci ad Ordines.

Iubent Ordines inuadi Emdenſem, vt Auſtriaco ſtudentem.

Atque hoc INITIVM fuit SECVNDI BELLI BELGICI. Hoc dato claſſico, Lidekerckius Ordinum mandato Antuerpiã venit, ciues armat, & denuò in ſigna, centuriáſq; diſtribuit. Idem ope quorumdam, Ponto Noyello Bourſij Domino vni è Tribunis militum in arce Antuerpiana, auctor fuit, vt auxilio trium centuriarum ex quinque, Terlonium primo die Auguſti caperet, ei fideles milites partim Arce eijceret, partim cẽderet, Arcémq; poteſtati Ordinum traderet. Chiliarchę Germani Fronſbergius & Fuggerus, cùm tumultum hunc reſciuiſſent, tota nocte in armis fuerunt. Quia verò cataſtrophen tragœdiæ, quę in Arce agebatur, exactè ſcire non poſſent, Meerpontem primò occuparunt: ſed confeſtim mutato conſilio in noua ciuitate ſeſe munierunt; eo tamẽ euentu, vt cùm oblatam à ciuibus certam pecuniæ ſummam recuſarent, vrbe ſecundo Auguſti die eiicerentur. Cùm enim in armis ad pugnam parati ſtarent, appulſæ ſunt quatuor Orangij armatæ naues cum Prætoria, aliquot etiã præſidiarij ex Arce ſubſidio ciuibus venerunt: tum volat fama, Egmondanũ & Heſium cum ſuis copiis in procinctu eſſe. Quibus omnibus territi Germani, ſeſe in fugam coniecerũt; Fronsbergius Bredam, Fuggerus Bergas ad Zomonam ſe contulit. Poſt paucos quoq; dies Champaignius arcem Woudam non procul à Bergis ſuper Zomonam diſtantẽ occupat, ipſas Bergas obſidet, & nõ multò pòſt præſidiarios certis conditionibus ad deditionem compellit: inter eas vna erat, vt Fuggerum Chiliarcham ſuum captiuum traderent; quod & fecerunt. Inde Steenbergam, quæ

Bourſius Arcẽ Antuerpianã Ordinibus vendicat.

Eijciuntur etiam Germani Antuerpiã; mox etiam Bergopſomã.

ab

1577 ab vna centuria Fuggeri cuſtodiebatur, idem Champaignius in fidem recepit, deinde & inſulam oppidumque Tholenſe, ope ſimul Comitis Hohenloi militibus Orangianis inſtructi. Inde coniunctis copiis iidem Siluam-Ducis premunt, vbi milites Oberſteinij erant, ſed ea non ante 21. Septembris potiti ſunt, ſicut nec Breda quam Fronsbergius tenebat, ante 7. eiuſdem Septembris. Sed ad priora redeamus. Dum hæc armis aguntur, nõ ceſſant interea legationes & litteræ, ſi quo modo res conſilio & pace tranſigi poſſit. Extant litteræ Auſtriaci impreſſæ hac de re plures, & inprimis prolixa illa ſcripta in Caſtro Namurcẽſi die 24. Auguſti, ex qua ſuperiùs præcipua delibauimus, rurſumque plures Ordinum ad eumdem vulgatæ ab iiſdem tum ſeorſim, tum ſimul cum ſua Iuſtificatione nono Septembris. Verùm quia omnes legationes illæ & litteræ ſine fructu fuerunt, & præcipuas diffidentiarum & diſcordiarum cauſas, quæ in iiſdem vltrò citróque ad nauſeam inculcantur, ſatis ſupérq; iam antè aperuimus, ad res ipſas, quæ palàm geſtæ ſunt, porrò narrandas redimus. Dum Champaignius, ſimul cum Orangianis, vt diximus, Siluam-Ducis obſideret, Ordines perſuaſo Domino Bourſio ceteriſque Tribunis præſidij arcis Antuerpianæ, ingentique pecuniæ ſumma numerata, annuóq; honorario prætereà promiſſo, præſidium inde euocarunt, Arcem ciuibus euertendam exſcindendámque tradentes: qui ſumma cum lætitia, mutuáque congratulatione opus hoc vigeſimo octauo Auguſti auſpicati, ſequentibus diebus abſoluerunt. Antuerpienſium exemplum ſecuti ſunt poſt biduum Gandauenſes; inde Vltraiectenſes, Inſulani, Valencenenſes, & alij. Tornacenſi arci, vt gratificarentur Præfecto, parcitũ eſt, & Cameracenſi, quia limitanea erat. Interea Ordines omnem ſuum exercitum verſus Namurcum mittunt, caſtráq; prope Wauriam in Brabantica Gallia, vt Auſtriacum premant, Lalanio peditum, Burggrauio Gandenſi equitum ducibus, Goigneo autem caſtrorũ, & Motteo rei machinariæ Præfectis. Orangius, qui tunc in Hollandia adhuc agebat, Ordinibus ſummopere ſuadebat, vt tria equitum Germanorum millia cõſcriberent, quibus Auſtriacum facultate milites colligendi (nam & ille ad defenſionem ſe parabat) intercepta, facilè Namurco & Lutzenburgo expellerent. Verùm Ordinibus conſultius viſum eſt, omnes Brabantiæ vrbes, prætereà Ruremondam, Campamque, aliáſque nonnullas priùs certò ſibi deuincire. Sub idem tempus ſexto die Septembris Ordines nihilominùs Principem Orangium aduocare ſtatuunt; eoque Lindium diuæ Gertrudis Abbatem, Champaignium, Leoninum Iuris Doctorem, & Lieſueldium Aduocatum, Legatos certo commentario inſtructos deſtinant: veniat Bruxellam, vnáque cum ipſis in commune conſulat ad patriæ ſalutem. Sed rogant prætereà, ad maledicorum ora obturanda, vt quan-

Interim Germani adhuc tenent Siluã-Ducis & Bredã.

Edunt Auſtriacus & Ordines ſinguli ſuas Iuſtificationes.

Arx Antuerpienſis euertitur, mox & alia.

Inſtruunt ſuas copias Ordines contra Auſtriacum.

Inuitant Ordines Orangium Bruxellas.

quandoquidem in locis ſibi poſt Pacificationem Gandenſem traditis, Romanæ Religionis exercitium ad eiuſdem Pacificationis normam admiſerit, idem aliis quoque Hollandiæ & Zelandiæ ciuitatibus poſtulantibus concedere velit. Vt rurſus etiam auctoritate conſignata pollicea-tur, neque ſe neque ſocios, eamdem Religionem oppugnari, aut aliud exercitium quàm illius Religionis in ceteris Prouinciis promoueri permiſſuros, ſed contrà omni ſtudio eidem Religioni ibi auxiliaturos. Hoſque duos articulos cupidiſſimè Ordines à ſua Excellentia ſignari petunt, vt ſic ſua præſentia commodiùs poſthac frui queant. Rogant præterea, quandoquidem Silua-Ducis & Breda nõdum ſint ſubiugatæ, cum iiſdẽ armis aut pactione tranſigatur. Huic Ordinum commentario Orangius ſcripto quoque reſpondet, immenſas ſe eis agere gratias, quòd tam ſincerè de eo ſentiant. Verùm quòd exercitium Catholicæ Romanæ Religionis in Hollandia & Zelandia cupientibus concedi petunt, orat obteſtatúrque Orangius, id firmiter de eo ſentiant, ſe inprimis deſiderare, vt Pacificatio Gandauenſis perficiatur obſerueturque. Verùm quandoquidem poſtulati exercitij permiſſio in Hollandia & Zelandia, præcipuè ad earumdem Prouinciarum Ordines attineat, qui ne ea in re nouitas vlla ante Ordinum Generalium conuentum introducatur, pacti ſunt, rogat, vt diligenter attendant conſideréntque ſe neque poſſe neque debere ſine conſenſu illorum Ordinum nouitatem aliquam permittere. Quòd autẽ promitti poſtulant neque ſe neque Hollandos aut Zelandos vmquã paſſuros, vt Romanæ Catholicæ Religionis exercitium vllo modo oppugnetur, aliúdque promoueatur in reliquis Belgij Prouinciis, cupit Orangius promittere, promittitque tam ſuo quàm Hollandorum & Zelandorum nomine, ſe ex Pacificationis Gandauenſis pacto nequaquam permiſſuros, vt aliquid contra publicam quietem ac pacem, nominatim autem contra Catholicam Romanam Religionem eiúſve exercitium attẽtetur aut incipiatur. Quæ eius reſponſio etſi inſufficiens eſſet, vt Lector facilè videt, tamen inſtantibus Legatis, non multò pòſt cum vxore Carolotta Borbonia Bredam vrbem Ordinibus tũc traditam venit, amanterque & magnificè excipitur. Inde Antuerpiam venit decimo octauo Septembris, ciuibúſq; armatis aduenienti occurrẽtibus comitatus, ſumma cum pompa vrbem ingreditur. Huc ad eum Bruxellâ miſſi ſunt Abbates Vilerſius & Marollius, Baro Freſinius & Capreſius, Ordinum nomine aduentum ei gratulaturi, eumque Bruxellam deducturi. Nec diu cunctati, per alueum ſumptuosè anno 1561. perfectum die 23. Septembris, ciuibus Antuerpienſibus armatis ab vna ripæ parte comitantibus, altera Bruxellenſibus occurrentibus, maximo cum triumpho & honore eum Bruxellam introducunt. Vbi cùm Orangius mirè, & ſuper omnes reliquos

1577

Interim petit quædam ab eo in fauorem Catholicæ Religionis.

Dat Ordinibus verba Orangius.

Nihilominùs magna pompa cum vxore Antuerpiæ excipitur.

Similiter Bruxellæ.

1577 reliquos mox coli videretur, magna præcipuorum Procerum pars, Dux Arſchotanus cum fratre Marchione Haureo, Comes Lalainus cum fratre Montignio, Seneſchalcus Hannoniæ cum fratre Burggrauio Gãdenſi, Comes Egmondanus, Barones Vileus & Heſius, Willeruallius, Champignius, Raſſinghemius, Suewigemius, alijque numero circiter viginti, eius præſentiam ſuggillant, eáque Catholicæ Romanæ Religioni minùs cautum eſſe inprimis cauſantur. Itaque vt haberent quẽ Orangio opponerent, Maelſtedium in Germaniam legãt ad Archiducem Matthiam, Rudolphi Imperatoris fratrem, rogantes multiſque promiſſis eum delinientes, vt quamprimùm gubernacula Belgij nomine Regis Philippi auunculi, cui hoc diſplicere non poſſit (quòd Orangius alioqui Catholicam Religionem ſubuerteret) ſuſcipere dignaretur. Exequitur mandata ſtrenuè Maelſtedius, perſuaſóq; Archiduce, ſecundo Octobris Vienna Auſtriæ noctu diſcedunt, iterque commutatis equis faciunt, Domino Danwitzio, & Kalckreitio cubiculario, aliiſque paucis comitantibus, atque in Belgium maximis itineribus tendunt, Imperatore fratre inſcio, cui hæc nequaquam ſignificarant, quòd eum ſine expreſſa voluntate Regis id nullo modo conſenſurum certò ſcirent. Hunc fratris abitum ægrè ferens Imperator, litteris abſentem, vt ſtatim reuertatur, monet, ſeq; apud Ioannem Auſtriacum & inprimis apud Regem excuſat. Sed Archidux continuato itinere primò Coloniam, inde Liram vrbem Brabantiæ ſub medium Octobris venit. Ordines Generales & Orangius ſummopere mirati de hoc facto, conqueruntur, expoſtulántque, alij nihilominùs Archiducem quem vocauerant, Gubernatorem Generalem Belgij conſtituere nituntur, quod tamen ante vndecimum Nouembris factum non eſt. Toto hoc temporum tractu, à fine Auguſti, & integro Septembri, magna lis erat de Friſiæ gubernaculo, dum alij Arſchoti Ducem, alij Comitem à Boſſu ad illud promouere; alij verò Comitem Rennebergium, qui tunc in adminiſtratione erat, retinere vellent. Intereà ſcribit Auſtriacus ad Concilium Regium in Friſia, Conſiliarioſque monet, populum in officio retineant: quod quidem illi, ſed fruſtrà, facere conabantur. Quod cùm intelligeret Reinerus Dekema, qui à Rege ſtabat, propugnaculum in Ooſtmahorn munire cœpit. Friſij, reclamantibus Conſiliariis, illud obſederunt; ſed paulò pòſt, interueniente Doco Martena, inito pacto, obſidionem, inuitis Ordinibus patriæ, ſoluerunt. Intereà quoque Wibe à Goutum, callidis rationibus Mateneſſio perſuaſo, clàm arcem Leuwardienſem ingreſſus eſt, quam tamen, poſtquam magnam pecuniæ vim ciues perſoluiſſent, iterùm deſeruit; & Rainerus Cammiga ciuium præſidium poſtridie induxit: priùs tamen quàm illi admitterentur, Concilio Regio fidelitatis iuramentum præſtiterunt. Inde Rennebergius

Arſchotanus & alij ſuggillant præſentiam Orangij, & quare.

Hac ratione clàm Archiducem Matthiam ad Gubernacula vocãt.

Venit Archidux inſcio fratre Imperatore, ringente etiam Orangio.

Intereà graues altercationes in Friſia.

bergius Boſſuuio non fidens, milites illius omnes, qui in vrbibus & munitionibus relicti erant, pacto cum iis inito, & ſtipendij parte numerata, dimiſit; in eorumque locum ruſticos armauit, magiſtratus & miniſtros officiis ſuis deiecit, nouoſque creauit. Auſtriacus cùm videret Ordines quotidie maiora audere, & iam nihil ampliùs de reconciliandis animis poſſe ſperari, Luxenburgum ſecundo Octobris profectus eſt, vt & ipſe ſe aduerſus vim muniret. Antequam tamen Namurco diſcederet, litteras ad Ordines in hanc ſentẽtiam dicto die miſit: Cum ſcripto veſtro, quod nobis Epiſcopus Brugenſis & D. de Willerual tradiderunt, mira noua vnà allata ſunt; ſiquidem inter cetera, nobis veſtra indigna poſtulata & actiones iniquas ponderantibus, nõ viſi eſtis, quemadmodum officium veſtrum exigebat, ſtudere aut cupere, vt Catholica illa Romana Religio conſeruetur, & Regi ſua obedientia & auctoritas integra maneat, ſed potiùs hunc ſcopum tenere, quò, omni occaſione captata, vtrumque, Religionem Catholicam & obedientiam Regi debitam, demoliamini, eò vſque progreſſi, vt videamini prẽter nudum titulum nihil Regiæ Maieſtati in iſtis Prouinciis relicturi: erecto videlicet nouo quodam Concilio, in quo ad votorum & ſuffragiorum multitudinem omnia conſtituantur. Accedit & hoc, quòd Orangium ad vos euocaſtis, quod Regi omnino non placiturum confido, maximè cùm & illæ Arcium euerſiones & multa alia indigna præceſſerint, quæ talis Princeps, qualis quidem ipſe eſt, ægerrimè ferre ſolet. Quare etiam apud nos decretum eſt eiuſmodi facta ei ſignificare, cùm illius plurimùm interſit, & res non exigui momenti cenſenda ſit. Interim verò, cùm videamus vos parum circumſpectè, exiguam noſtri gradus & dignitatis rationem habere, & ſine vlla diſſimulatione malignæ veſtræ erga nos voluntatis plurima indies hoſtilia oſtendere, nos iam Luxenburgum proficiſcimur; vbi Gubernationi noſtræ vacabimus, & officio nobis demandato ſatisfaciemus, & ibidẽ vlteriora Regis mandata expectabimus. Quòd ſi intereà nobis illic exiſtẽtibus obtemperabitis, veſtrum officium facietis, quod vos Regi, veſtro Domino naturali obligati, debetis. Valete. Hæc Auſtriacus iam itineri accinctus Ordinum Legatis præſens præſentibus viua voce reſpondit, & totidem verbis ſcripta ad eos tranſmiſit, ſicque, relicto Namurci ſufficienti præſidio, ipſe exiguo cum comitatu Luxenburgum ſe contulit. Eo tempore inter ſe (vt diximus) haud parum Ordinum Proceres diſſidebant, nonnullis Archiduci Matthiæ, aliis Principi Orangio ſtudentibus. Itaque cùm vigeſimo ſecundo Octobris Arſchotanus Flandriæ Gubernator, & Orangius Brabantiæ Ruwardus, quaſi quietis conſeruator (hãc volunt eſſe vim vocis) renuntiati eſſent, (abſtinendum enim erat à Gubernatoris titulo, quòd qui Brabantiæ præeſt, idem ſimul ſit totius Belgij

1577

Rennebergius Boſſuuio non fidens, ab eius militibus ſe liberat.

Poſtrema littera Io. Auſtriaci ad Ordines.

Expoſtulat de recepto Orangio, euerſis Arcibus, & aliis.

Itaque dicit ſe facturum officium ſuũ.

Ordines inter ſe diſſident.

Orangius Ruwardus Brabantiæ, & Arſchotanus Gubernator Flandriæ.

1577 gij Gubernator) hi qui Orangio ſtudebant, vt ſe de aduerſariis vlciſcerẽtur, omnem quærere dicebantur occaſionem. Inter eos aduerſarios primarius Dux Arſchotanus habebatur. Et vide exordium tragœdiæ funeſtæ. Is Flandriæ Gubernator, vti narrauimus, deſignatus, in ſuam Prouinciam profecturus, ſtipatus multis Nobilibus, occurrentibus ſibi Gandauenſibus ciuibus, trecentis equitibus, & viginti tribus peditum ſignis, vigeſimo quinto Octobris Gandauum venit, & pro Gubernatore exceptus eſt. Mox poſt triduum primores vrbis eum adeuntes, cum tumultu importunóque clamore antiquorum ſuorum priuilegiorum reſtitutionem poſtulabant. Dux illorum videns inſolentiam importunitatemque, cùm lenitate eos placare non poſſet, increpauit, verba quędam intermiſcens duriora. Id cùm quidam Orangio addicti, atque inter alios D. Oheynius, cognouiſſent, Rijhouium & Embyſium, quorum ſumma erat ea in vrbe auctoritas, incitarunt, vt aduigilent, ne quid Reſp. detrimenti accipiat. Hi, collecto populo, de nocte ædes Arſchotani inuadũt, eumque captum cuſtodiæ mancipant. Capti ſunt quoque in eodem tumultu Epiſcopi Iprenſis & Brugenſis, qui iſthuc negotiorum publicorũ cauſa venerant; Raſſinghemius etiam, Suewigemius, Eikius, Moſcronius cum filio, Heſſelius, Aporta Conſiliarius, & Viſcherius Baillius Ingelmunſterienſis. Ne autem hoc temerè feciſſe viderentur, nono Nouembris Apologiam typis excuſam diſſeminarunt, cuius ſumma erat, Se Proceres iſtos comprehendiſſe, eò quòd Orangio Ruwardatum Brabantiæ inuiderent; eò ſpectare ipſorum conſilia vt eumdem Orangium hac dignitate deſtituant: hunc in finem Archiducem Matthiam inconſulto Rege & Ordinibus Generalibus è Germania vocaſſe: eos etiam militares copias in vrbem introducere conatos eſſe: reſtitutionem priuilegiorum incolis negaſſe: ciues rebelles & ſeditioſos (antiquo epitheto *Muytmakers*) appellaſſe: arma in Orangium ſumere communi conſilio decreuiſſe. Ita hæc ſummatim is ex quo huius anni res geſtas pro maiori parte commemoramus. Alius Orangij ſtudioſus, pleniùs in hunc modum: Cùm Arſchotanus reſtitutionem priuilegiorum Gandaui publicare differret, parumque gratos ſibi eſſe oſtenderet qui eam vrgerent, Rijhouius, habito cum ſociis Orangio & Religioni reformatæ fauentibus conſilio, quaſi Tornacum tendẽs, clàm Antuerpiam ad Orangium proficiſcitur; conſultat cum eo: ille rem nimiùm difficilem eſſe reſpondit: perſiſtit tamen Rijhouius ſe audere. Orangius tandem humeros cõtrahens, dicit debere eum cogitationes iſtas deponere, & intrò ſe recipit: monet tamen Marnixium, exploret pleniùs, quibus fundamentis vtatur Rijhouius. Ille itidem ſe audere ingeminat. Ad quod Marnixius, poſt multa verba, Tentet igitur, reſpondet: nullum tamen ampliùs verbum

Gandenſes Arſchotanum & alios cuſtodiæ mancipant.

Reddunt rationem facti; ante omnia, quòd illi Orangio inuiderent.

Ad hoc, quòd Arſchotanus Gandenſes vocaſſet ſeditioſos.

Quomodo ea priùs communicata fuerint cum Orangio.

cum

cum Orangio hac de re habeat. Ita Rijhouius Gandauum redit: mox 1577
mittit poſt eum Orangius Dominum Dohain; videat & proſpiciat, quomodo negotium ſuccedat. Eodem illo die Embyſius multa turba ciuiũ ſuccinctus, Arſchotanum ad Curiam properantem publicè conuenerat, vellet publicatione reſtitutionis priuilegiorum populum tandem exhilarare. Dux, Embyſio importunè admodum inſtante, poſt multa vltrò citroque dicta, demum iratus intonat, Se horum habiturum rationem; ſeditioſos omnes hos petitores demum ſuſpendendos, etiamſi fauori nitantur Orangij. Quibus verbis commotus populus ad arma concurrit; tamen poſt prandium, agente Magiſtratu, & viris aliquot primariis, quiſque poſita ira, cum armis domum reuertitur. Sed ecce ſub horam quartam pomeridianam Rijhouius Antuerpiâ Gandauum aduolat; dolet tumultum eſſe ſedatum. Itaque quibus poteſt artificiis, perſuadet ſuis, non prætermittendam tanti boni hanc occaſionem. Nec mora; ſub noctem nouas turbas concitat, & Ducem Arſchotanum, flammas eius ædibus iniicere parans, in poteſtatem redigit, ſimul & ceteros ſuperiùs commemoratos. Facta hæc vigeſimo octauo Octobris noctu. Ordinum cœtus, qui Bruxellæ præerat, his auditis, mox Linſveldium Gandauum ablegat, Orangius item Dorpium: qui apud Magiſtratum Dominum de Boucle, fratrémque eius Borlutium, qui captiuitati Ducis aliorumque ſimul aſſenſerant, tandem Ducis Arſchotani impetrarunt liberationem, fruſtrà reclamante Rijhouio. Dux, agentibus Ordinibus, promiſit ſe numquam in quemquam de hoc vlturum: aliorum captiuorum cauſa in aliud tempus reiecta fuit euentu vario, vt ſuis locis dicetur. Intereà Gandauenſes ſuæ factioni etiam aſſociarunt Brugas, Ipras, & Aldenardum; & vt excuſarent hæc omnia, die nono Nouembris Apologiam, de qua ſuprà egimus, typis euulgarunt. Iam Belgium omni ex parte ardebat: adhuc enim pro Auſtriaco faciebant Amſtelodamenſes, Campenſes, Ruremondij, Friſij multi. Namurcum & Lutzenburgum totum ipſius erat: Flandriæ caput Gandauum, à ceteris Prouinciis velut diſlectũ, ſuo more ſe & quotquot poterat Flandriæ regebat vrbes. Quare Ordines Generales Bruxellæ congregati, perpendẽtes Archiducem Matthiam Regis è ſorore nepotem, & Cæſaris fratrem filiumque, iam inde à medio Octobris in Belgio adeſſe ad gubernacula inuitatum, nec debitum eius natalibus adhuc impenſum fuiſſe honorem, ſui muneris eſſe arbitrati ſunt eum ſalutare, & ex ignobiliori oppido Lira ad vrbem nobiliorem transferre. Itaque miſerunt, qui eum poſt magnificam ſalutationem ſecum Antuerpiam deducerent: vbi inſigni pompa vndecimo Nouẽbris exceptus eſt, magnificentiſſiméque habitus, donec conditiones, quibus ad ſupremum gubernaculum eſſet admittendus, conciperentur. Intereà

Rijhouius ab Orangio rediens pacatos ſemel ciues iterùm ad arma vocat.

Arſchotanus liberatur cuſtodia, aliis adhuc retentis.

Belgium tripliciter diuiſum.

Archidux Matthias Lirâ tandem Antuerpiam adducitur.

1577 Ordines ad diuerſos Principes ſuos mittunt Legatos, partim vt ſe à ſuſpicione ſeditionis purgarent, partim vt in ſocietatem belli attraherent. Inter alios miſſus eſt ad Angliæ Reginam Marchio Haureus cum Meetkerkio, qui ex mandato fœdus cum Regina pacti ſunt, & ingentem pecuniæ vim (bis centies mille Angelotos nonnulli exprimunt) ab ea obtinuerunt. Amſtelodamenſes, vti diximus, ad hucin fide Regis eiuſque obedientia priſca permanentes, comprouincialium ſuorum conatus improbabāt: Regem legitimum ſuum Comitem, & Ioannem Auſtriacum tantùm eius Gubernatorem agnoſcebant, Orangij dominationem recuſabant, Catholicam Romanam Religionem incontaminatam ſeruabāt. Quamobrem multa indigna ab Orangio eiuſque complicibus patiebātur. Tandem vigeſimo tertio Nouembris Chiliarchæ Hellinc & Ruichauer per inſidias cum aliquot militibus vrbem ingreſſi, cæſis in porta excubitoribus ad forum procurrunt, obuios quoſque cædunt, Senatoriam domum occupare tentant, vrbemque ſuam eſſe vociferantur. Ciues attoniti confeſtim ad arma ruunt, fit atrox multis in locis pugna. Succedunt nouæ hoſtium copiæ: ciues nihilominùs in eos impetum facere, retardare, in fugam vertere pergunt: hoſtes econtrà audaciùs reſiſtere, munitiones ligneas extruere, in ciues glandium plumbeorum imbrem effundere, multis vtrimque cadentibus. Sed cùm iniuriâ venti expectatæ vires tardiùs aduentarent, poſt aliquot horarum pugnam Geuſij vrbe eiecti, in naues, quibus vrbem diu premebant, vtroque Capitaneo interfecto, multiſque ſuorum deſideratis, ſe receperunt. Exinde Ordines Generales metuentes ne Ioannis Auſtriaci partes plures & incolæ & vrbes ſequerentur, tum vt iure viderentur Matthiam Archiducem gubernaculo admouere, die ſeptimo Decembris Bruxellis Dominum Ioannem Auſtriacum fœdifragum, perturbatorem publicæ tranquillitatis, & hoſtem patrię publico Edicto declararunt, citantes, vt quotquot eius partes ſequebantur, intra quindecim dies compareant, non comparentes hoſtes & rebelles patriæ habeantur. Decimo eiuſdem menſis, vt arctiori ſe inuicem fœdere obligarent, pactum nouum (Vnionem vocabant) condiderunt. In hoc Catholici ceteros alterius Religionis in ſuam protectionem aſſumebant, iiſque pollicebantur, ſe non permiſſuros, vt aliqua ipſis iniuria cauſa Religionis fieret, aut inſidiæ in ipſos intentarētur (latè iſtud patebat, & multarum poſteà fuit turbarum prętextus) aut quoquo modo irritarentur, ſed vt quietè & tutò iuxta pactū Gandauenſe vbiq; viuerent. E contrario ſectarij alij Catholicos Romanos in ſuam defenſionem accipiunt, tam Eccleſiaſticos quàm ſæculares, vt vnuſquiſque in ſuis bonis, dignitatibus, honoribus, priuilegiis, & poſſeſſionibus, qualiacumque illa eſſe poſſent, permaneant, in quibus ſe mutuò tuebuntur & conſeruabunt.

Ordines ingentem pecuniæ ſummam à Regina Angliæ obtinent.

Orangiani fruſtrà Amſtelodamum occupare nituntur.

Ordines Bruxellis Io. Auſtriacum hoſtem declarant.

Catholici & Orangiani inuicem iurant ſe propulſaturos iniuriã mutuã Religionis.

bunt. Ad hæc promittunt ſe communibus viribus priuilegia, conſuetu- 1577
dines, & iura communis patriæ propugnaturos, & quæ antiquata, collapſa, & violata ſunt, reſtauraturos. Iurant denique, ſe communibus ſuffragiis Archiducem Auſtriæ Matthiam pro ſupremo Gubernatore ſuſcepturos & agnituros, donec Rex de communi Ordinum ſententia aliud hac in re ſtatuat: eius imperio quoque obtemperaturos ſecundùm conditiones, illi, antequam ad hanc dignitatem euehatur, proponẽdas. Hactenus tenor pacti; eſtque illud ab omnibus Prælatis, Nobilibus, Iudicibus, vrbibus & oppidis approbatum & iureiurando confirmatum. Itaque rebus omnibus hoc modo è voto compoſitis, & conditionibus, quibus Archiducem ad gubernationem admittere conſtituerant, in formã iuramenti deſcriptis, decimo ſeptimo Decembris Ordines ad eum Antuerpiæ adhuc agentem mittunt Abbates S. Gertrudis & Marolleum, Ducem Arſchotanum & Baronem de Freſin, cum aliis, vt ei conceptis iam conditionibus gubernaculum Belgij offerrent, pecuniæque iuſtum pondus quotannis ad ſui ſtatus ſuſtentationem addicerent. Lectis conditionibus, Archidux oblatam prouinciam minimè contemnendam arbitratus, ex cauſis, quas ſuprà attigimus, illam conditionibus propoſitis accepit. Quæ conditiones cùm nouam quamdam Reipub. formã Belgis numquam vſitatam inferre haud paucis tum viderentur, (Lector ea quæ in priſcis noſtris Ducibus ſcripſimus, ſi placet, huc aduocet) eas hoc

Ad hoc, recepturos ſe Archiducẽ Matthiã, certis tamẽ legibus.

Mittunt ad Archiducem qui gubernacula ei deferant.

» loco attexere non grauabimur. Principiò, Ipſe patriam gubernabit cum
» Concilio Status ab vniuerſis Ordinibus conſtituendo & eligendo ex eo-
» rum numero, qui ſunt in his Prouinciis oriundi, addicti & fideles patriæ,
» & ad hoc munus maximè idonei. Secundò, Omnia negotia in dicto
» Concilio agitanda & tractanda pluribus dicti Concilij ſuffragiis tranſi-
» guntor, & definiuntor, neque dictus Gubernator pro iis mutandis ad ali-
» qua Concilia priuata aut ſecreta receptũ habeto. Tertiò, Si deprehenda-
» tur, quòd aliqui Conſiliariorum, vel alij qui cum officio aut dignitate
» ſunt, aliter ſe in ſuis muniis geſſerint quàm decuit, aut grauiori pondere
» negotiorum premantur, ad petitionem Ordinum Generalium res deter-
» minabitur. Quartò, In rebus magni ponderis & momenti ad patriam
» vniuerſam ſpectantibus, ipſe Gubernator inſciis & inconſultis vniuerſo-
» rum Statuum Ordinibus nihil attentato. Quintò, Similiter & ipſi Ordi-
» nes Generales tractaturi res graues & arduas omnibus Prouinciis com-
» munes, vt ſunt conſtituendæ exactiones, æs alienum & mutuum petendum, bellum, pax, fœdera cum Principibus aut populis ineunda vel inita, aliáque his ſimilia, priuſquam res definiatur, aut certi aliquid de iis
» ſtatuatur, tam ad cõſpicuos magnæ auctoritatis viros, quàm ad plebeios
» homines referunto; cùm æquum ſit illud ab omnibus probari, quod ad

Articuli quibus Archidux Matthias fuit receptus.

In rebus magni momenti Gubernator nihil attentabit inconſultis Ordinibus.

1577 omnes pertinet; præcipuè cùm illud ipſum antiqua priuilegia & vſus pa- «
Quinnec Decreta magni momenti ſine eorum conſenſu ſtatuet. triæ requirant. Sextò, Ne Gubernator mandata, Placita, Decreta magni «
momenti, nouitates réſve inſolitas introducentia, ſine Ordinum Gene- «
ralium ad id legitimè conuocatorum conſilio aut conſenſu vllo modo «
ſtatuat. Septimò, Breuiter in omnibus iis negotiis, quibus naturalis Prin- «
ceps patriæ tamquam Brabantiæ Dux, conſilium de Ordinum Braban- «
tiæ ſententia capere tenetur, ipſe quoque Gubernator Ordinum Genera- «
lium conſilium adhibere obligatus erit; & priùs Deputatis ſuis, à quibus «
Ad hoc, omnes epiſtolas ſtatũ Reip. aliquatenus ſpectantes, offeret Cõcilio Statuum. ſunt legati, rem omnem conuenienter referent. Octauò, Omnes epiſto- «
las ad ſtatum Prouinciæ aliquo modo ſpectantes, quas accipiet, tenebi- «
tur Concilio Status offerre, vt de iis deliberetur decernaturque. Nonò, In «
Concilio Status nulla negotia grauia, & quæ ſtatum Reip. tangant, tra- «
ctabuntur, niſi Conſiliariorum maxima parte præſente. Decimò, Eiuſ- «
dem Concilij acta, decreta, factáque omnia annotabuntur, atque ſub- «
ſignabuntur. Vndecimò, Ipſe Gubernator omnes conſuetudines & quę- «
cumque priuilegia inſtitutáque vetera infracta, ſiue impedita ſiue abla- «
ta per vim, reſtituet & confirmabit. Duodecimò, Ordinum Generalium «
Deputati ſimul permanebunt, quamdiu ad negotiorum expeditionem «
peractionémque commodum ipſis videbitur: Ordines quoque Genera- «
les conuentum, quandocumque volent, celebrare poterunt. Decimoter- «
Ordines poterunt celebrare Concilia ſine conſenſu Gubernatoris. tiò, Si quod negotium arduum & maioris momenti occurrerit, ob quod «
Comitia haberi neceſſe ſit, vna Prouincia poſtulante, reliquæ conuenire «
debebunt, & poterunt; neque mandatum aut conſenſum Gubernatoris «
exſpectare tenebuntur. Decimoquartò, Ordinibus etiam particularibus «
vniuſcuiuſq; Prouinciæ Conuentum agere licebit pro arbitrio quocum- «
que tempore. Decimoquintò, Pacificatio Gandauenſis ita omnibus ſuis «
articulis obſeruabitur, vt nullo modo aut prætextu aliquid diminuatur «
aut infringatur. Decimoſextò, Ne prædictæ Pacificationis interpreta- «
tio lites aut difficultates arguta cauillatione tam in articulo ſcandali, quã «
aliis eadem Pacificatione contentis pateat, huiuſmodi litigioſorum Arti- «
culorum interpretatio Ordinibus Generalibus legitimè congregatis re- «
Gubernator alios ſtipatores non habebit, quàm Ordines neceſſarios indicabũt. linquetur. Decimoſeptimò, Gubernator alios ſtipatores aut ſatellites, «
quàm Ordines pro temporis ratione neceſſarios reputabunt, nequaquam «
habebit aut poſtulabit. Decimooctauò, Gubernator ciúſque conſilium «
cum Concilio Ordinum tam terra quàm mari conſtituent Archiſtrate- «
gum ſiue Imperatorem exercitus, Archithalaſſum, Magiſtrum equitum, «
Tribunos militum, alióſque tales primarios Præfectos belli. Decimono- «
Præfectos belli non conſtituet Gubernator, niſi cõſentientibus Ordinibus. nò, Neque pedites neque equites milites colliget extraordinariè, neque «
præſidia in vrbibus collocabit Gubernator, niſi ſcientibus & conſẽtien- «
tibus Ordinibus, ciuiumque earumdem vrbium ſententiis priùs auditis. «

Vigeſi-

„ Vigeſimò, Gubernatores Prouinciarum nequaquam conſtituet ſine Or- 1577
„ dinum earumdem Prouinciarum conſilio & conſenſu; curabitque ſi
„ fieri poſſit, vt iidem ſint eiuſdem regionis aut Prouinciæ habitatores, at-
„ que in iiſdem poſſeſſiones & prouentus habeant, aut ſaltem regionibus
„ ſint grati atque accepti, vt dictum eſt. Vigeſimoprimò, Tempore belli
„ omnia grauiora & maioris momenti negotia adminiſtrabit exequetur-
„ que ad præſcriptum Concilij militaris ab Ordinibus ei adiungendi. Vi-
„ geſimoſecundò, Concilium quoque militare nihil quod ipſum ſtatum
„ Reip. tangit, decernet aut ſtatuet, niſi Ordines Generales antè primoque
„ omnium certiores reddantur. Vigeſimotertiò, Gubernator, aliique poſt *Præfecti iurabunt Regi & Ordinibus in patriæ defenſionẽ.*
„ eum Gubernatores, priuilegia præſentia futuráque obſeruantes, item
„ Chiliarchæ, Tribuni, omneſq; militum Præfecti, Regi Domino ſuo na-
„ turali, & regionum Ordinibus iuramentum præſtabunt in patriæ defen-
„ ſionem. Vigeſimoquartò, Obligabunt, obſtringentque ſe prædictis his
„ omnibus Articulis, & præcipuè conſeruationibus omnium & ſingulo-
„ rum priuilegiorum, legum, conſuetudinum, veterúmque inſtitutorum,
„ vt ea omnia regionibus reſtituantur, reparentur, & inuiolatè ſeruentur.
„ Vigeſimoquintò, Milites quoque tam Ordinibus & Generalitati patriæ
„ quàm Regi naturali Domino iuramentum præſtabunt. Vigeſimoſex-
„ tò, Aſſignationes & diſtributiones ærarij publici & pecuniarum bellica- *Pecuniæ bellicæ diſtribuentur ab Ordinũ deputatis.*
„ rum fient, quando Ordinibus opportunum videbitur, eorum operâ, qui
„ ab Ordinibus huic muneri præficientur; idque inprimis ob ingentia in-
„ enarrabiliáque onera quibus ſuæ Maieſtatis fiſcus & Prouinciæ in ge-
„ nerali grauantur. Vigeſimoſeptimò, Ordines oblata ſibi à Regnis &
„ Principibus vicinis ſubſidia acceptare poterunt, neceſſitate vrgente, præ-
„ ſertim ſi bello obruantur; Gubernator, autem quęcumque iam accepta-
„ runt aut in poſterum adhuc acceptabunt, rata habebit & confirmabit.
„ Vigeſimooctauò, Contra eos qui aduerſus Ordines & patriam arma *Contra eos qui Io. Auſtriacum ſequuntur, Iure agetur.*
„ ſumpſerũt, Domni Ioannis Auſtriaci partes his turbis ſecuti, rigore Iuris
„ agetur; neque Iuris adminiſtrationes aut executiones hac in re vllo modo
„ impedientur; ne poſthac ſtatus aut ſalus Reipublicæ à quoquam pertur-
„ betur. Vigeſimononò, Iurabit etiam Gubernator, ſi eum prædictos Ar-
„ ticulos aut omnes aut aliquos infringere ſeu labefactare contingat, Or-
„ dines liberos fore ab omni eius obedientia. Quòd ſi eos cogere volet,
„ prædicta infractione non reſtituta aut reparata, poterunt ſecundùm pri-
„ uilegiorum formulam iuſtæ defenſionis protectionisq; cauſa, arma ſu-
„ mere. Trigeſimò, Arces nondum prorſus dirutæ, ſed iam dirui inceptæ, *Arces dirui cœptæ, pòrrò ſolo æquabuntur.*
„ ſolo æquabuntur abſque contradictione: de reliquis verò quibus Pro-
„ uinciæ aliquo modo opprimi poſſe videbuntur, Ordinum Generalium
„ conſilio decernetur. Trigeſimoprimò, Generaliter nulla præteritorum

1577 actorum in poſtremo bello fiet informatio aut inquiſitio: hęc enim om- «
nia generali obliuione prædictæ Pacificationis Gandauenſis comprehẽ- «
ſa ſunt, exceptis iis quorum Articulus ſuperior mentionem facit. Quæ- «
cumque autem ab Ordinibus generalibus decreta ſtatutáque ſunt ab eo «
tempore quo Domnus Ioannes Auſtriacus in caſtrum Namurcenſe ſe «
recepit, rata habebit approbabitque Gubernator, neque vllo pacto cõtrà «
Hæc ſignata ab Archiduce, nondum vigeſimum annum cõplente. nitetur. En Articulos quibus ſubſcribens Archidux Matthias Guberna- «
toris munus in Belgio ſuſcepit. Sed quia adhuc adoleſcens erat (vix enim vigeſimum annum ætatis compleuerat) cogitatum eſt de dando illi ido-neo Legato ſeu Vicario. Multi in Comitem Lalainum ſupremum exer-citus Ordinum Præfectum oculos coniecerant: ſed prælatus eſt Princeps
Datur Archiduci Vicarius Orangius, & quo prætextu. Orangius, vt qui ſemper, vt aiebant, in Rep. Belgica verſatus, ita ſe com-ponere nouiſſet, vt & apud Regem ſimul & populum in pretio eſſet, po-puli tamen ſemper, quàm Principis (vt ipſemet in ſua contra Regem A-pologia gloriatur) ſtudioſior. Sed de hoc pleniùs anno ſequenti; nam nõ ante 18. Ianuarij Archidux Matthias Bruxellæ receptus eſt. Intereà Hi-ſpani qui à Ioanne Auſtriaco dimiſſi erant, in agro Genuenſi adhuc mo-rabantur, parata claſſe, quæ eos in ſuam patriam tranſportaret: cùm ecce veredarij velociſſimis equis accurrunt, nuntiantes omnia in Belgio ite-rùm turbata eſſe, vaſa extemplò conclamarent, & Lutzenburgum redi-rent. Die vigeſimonono eiuſdem Decembris Orangius Bruxellis Gan-
Orangius incredibili magnificentia Gãdaui excipitur. dauum profectus eſt, fratre ſuo Ioanne Naſſauio comitatus; vbi incredi-bili pompa eo die exceptus eſt. Inter alia corde aureo adaperto, cum in-ſcriptione SINCERITAS donatur, & Comœdiâ Iudæ Machabæi ſa-lutatur.

VARIA.

Prodigia aliquot hoc anno obſeruata. Hoc anno, ſexto Iulij, Safftingæ in Scaldi flumine appulſa eſt ba-lena, quæ Flator Latinè dicit poteſt, *Muler* Gallis, *VVater-blaſer* Ger-manis nuncupata, longa pedes 58. teres rotundáque 34. cauda verò erat pedum tredecim & medij. Vndecimo quoque Nouembris Cometes inauditæ magnitudinis apparuit in Nouilunio. qui cùm inter Aram & Aquilam arderet, ita erat incenſus, vt Aquilam comburere videretur, & flammam ſiue comam igneam in Auſtrum conijceret, quæ ad Cancri vſque Tropicum protendebatur. Apparuit primùm quaſi ignis ampliſ-ſimæ fornacis; ſed cùm Luna ſuccreuiſſet, factus eſt languidior, & com-munibus Cometis ſimilis. Deinde cum Saturni ſtella coniungebatur, erátque eiuſdem pęnè coloris, Turcarum, vt Aſtrologi quidam vaticina-bantur, terror, & Belgicarum calamitatum prænuntius.

1578 Ingredimur annum milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum octauum. Ioannes Auſtriacus, hoſtis, vt diximus, proclamatus, cùm vi-deret neceſſariò ad bellum veniendum eſſe, magnas vndique vires coëge-

rat.

gerat. Erant iam in procinctu Hiſpani nuper à ſe dimiſſi, vnà cum Alexandro Farneſio Parmenſium Principe, & multis Italis. Carolus quoque Mansfeldius magnas Gallorum adducebat copias. Burgundiones & Germani magnis etiam itineribus in Belgium contendebant; qui omnes Marchię in Faminia conueniebant, conſtabátque totus exercitus peditum millibus ſexdecim, equitum verò duobus. Comes ab Hohenloë adhuc in obſidione vrbis Ruremondenſis hærebat, quam magnis aggeribus, multiſque propugnaculis clauſerat. At Pollewillerius cum ſuis, qui in præſidio erant, vrbem fortiſſimè propugnabant. Ceterùm cùm obſidio in longum protraheretur, Auſtriacus veritus, ne quid tandē obſeſſis deeſſet, Hirgium & Mondragonium eò cum lectiſſimis aliquot cōpiis miſit, ea celeritate, vt iam adeſſent, priuſquam venire nuntiarentur. Obſidentes ad hoſtis conſpectum omnibus tormentis atq; impedimentis relictis ſeſe in fugam coniecerunt. Hirgius, liberata obſidione Ruremonda, miſit ex ſuis trans Moſam, qui eadem facilitate Wertæam Comitatus Hornenſis caput annonâ ſubleuarunt. Intereà 18. Ianuarij Archidux Matthias, cum Principe Orangio, Bruxellas veterem Principum Brabantiæ ſedem profectus, regali cum pompa, magnificis epulis, & vario ludorum genere exceptus eſt. Poſt biduum in publico foro Gubernator ſupremus Belgij declaratur, & è Curia multa cum ſolemnitate in conditiones ſuprà commemoratas iurat. Exercitus Ordinum maximam hiemis partem non procul Namurco ad Martini fanum in caſtris tranſegerat, vbi crebris velitationibus in præſidiarios hoſtes dimicabant, oppidulum Bouinam duobus inde milliaribus ad Moſam, quà Namurcenſes vrgendi moleſtandique via patebat, ceperant, & arcem Diſpontinam vi expugnarant, præterea nihil magni momenti, quòd Ordines certi nihil ſtatuerent, eorúmque plurimi defenſiuum bellum gerendum, neque Auſtriacum inuadendum putarent, & nuntium ſententiámque Regis ex Hiſpania exſpectarent: Orangius verò offenſiuo bello agendū, Auſtriacumque, antequam maiores copias colligeret, Belgio expellendum conſulebat ac vrgebat. Verùm hoc Orangij conſilium diuerſitate opinionum obſtante expleri non potuit. Eo quidem in ſtatu res fuere, cùm ſub finem Ianuarij ipſe Auſtriacus Namurcum veniret, copiis ſuis ſuprà enumeratis circumcircà in vicinis agris diſpoſitis. Ordinum exercitus ſimul ac Ioannem Auſtriacum validis cum copiis agrum Namurcenſem ingreſſum cognoſcit, loco migrare, & interiùs in Brabantiam retrocedere inſtituit, acieſque qua poteſt ratione inſtruit. In prima erant diſpoſitę legiones Montignij & Heſij, in media Boſſuuij & Champignij cum tredecim Scotorum & aliquot Anglorum cohortibus, in poſtrema Egmondani & Lumeij copiæ. Itaque cum tormentis & machinis belli-

1578

Copiæ Io. Auſtriaci ſex decim peditum millia, duo equitum.

Liberat Auſtriacus Ruremondam diu ab Ordinibus obſeſſam.

Ordines fruſtrà tota hieme Namurcū preſſerant.

Auſtriacus cum copiis propiùs ad caſtra Ordinum accedit.

cis

1578 cis iter ingrediuntur. Auſtriacus interim tentato Moſæ fluminis vado exercitum celeriter traduxerat, præmiſſiſq; aliquot equitum turmis, quid in caſtris Ordinum ageretur, iuſſerat explorari, ipſe cum Parmenſi ſubſequebatur. Cognitum eſt ex captiuis, hoſtem caſtra mouere, & ſe in tutum recipere decreuiſſe. Miſit itaque Auſtriacus ante Solem exortum trigeſimo primo Ianuarij Hernandum Acoſtam, Antonium Oliueram, & alios nonnullos, qui vias quà ituri eſſent hoſtes, luſtrarent, diuiſóque equitatu peditatúque in tres globos, ipſe nemus propinquum cum reliquo equitatu peditatúque ingreditur, vt terga tueretur. Manè ſuccenſis caſtris, Ordines ſeſe mouerant, præmiſerant pedites, equites ſequebãtur. Vbi cùm in Octauium Gonzagam incidiſſent, cœptum eſt prælium leue initio, ſed quod paulatim increſceret, nouis ab Auſtriaco turmis ſubmiſſis. Parmenſis cùm Gonzagam & Mondragonium eò proceſſiſſe cerneret, vt ſine periculo pedem retrahere non poſſent, ipſe cum equitatu Bernardini Mendozij, Curtij, Martinengi, Fernandi Toletani, Camilli de Monte, Vergæ, Macutæ, Auilę, Acoſtę, Oliueræ, Falconetti, cuſtodiiſque ipſis Auſtriaci aduolat, & tanta contentione in equitatum hoſtilem irruit, vt vim eius ſuſtinere hoſtes non poſſent. Turbato itaque agmine, Ordinum equites peditatum proprium fugientes turbant & proterunt, hoſtique concidendum relinquunt. Cæſa ſunt (vt nonnulli tradunt) hoc prælio à duobus tantùm equitum Regiorum millibus circiter octo hominum millia. Alij nullum numerum ponunt. Quidam ſe expedit, dicens cæſorum numerum exiguum fuiſſe: ſed cùm idem fateatur ſublata triginta peditum ſigna, quatuor equitum, decernat Lector quomodo hęc conſtent. Captus Dominus Goignius, & in gratiam receptus. Lalainus, & Burggrauius Gandenſis, aliique aliquot Proceres, Bruxellæ celebrationi nuptiarum Domini Berſelenſis, & Dominæ Bergenſis ſuper Zomonã intererant. Capti ſunt plures milites Belgę, qui Namurcum ducti, extemplò ſuſpendio necantur, eò quòd ipſi paulò antè captis Auſtriaci militibus nares, aures, ac digitos præcidiſſent, immaniterque in eos deſæuiiſſent. Venerunt quoque in manus Auſtriaci eo prælio, vt diximus, triginta vexilla peditum, & quatuor equitum, cum tormentis alióq; apparatu non contemnendo. Partâ hac victoriâ, Auſtriacus hoſtem, qui ſe ad oppidum Gemblacenſe receperat, inſequi iubet: vbi prælio redintegrato, ſuperati tandem qui Ordinibus militabant, effuſa fuga Bruxellam verſus properarũt, Regiis eos inſequentibus, & paſſim trucidãtibus, donec profunda nox eos qui ſupererãt ex Regiorum cõſpectibus eximeret. Deſideratos volunt vtroq; hoc prælio ex Regiis vix ducentos. Auſtriacus interim Gemblacẽſe oppidum obſidet, & poſtridie deditione capit: in quo multa tormenta bellica, commeatus in multos menſes, omniſque appa-

Cognoſcit ex captiuis Ordines in tutum velle ſuos deducere.

Itaque abeuntes fortiter inuadit.

Cæſa à duobus millibus circiter octo millia, relata ſigna 34.

Inſequitur Auſtriacus hoſtem vſq; Gemblacum, illudq; obſidet.

Capit Gẽblacum.

apparatus bellicus inuentus eſt; erat enim oppidum hoc, vt Namurco 1578
vicinũ, ab Ordinibus electum vt eorum eſſet penu & armamentarium.
Ordines Generales, Archidux Matthias, & Princeps Orangius, qui huius cladis tempore Bruxellæ erant, ipſam vrbem Bruxellenſem omni ſtudio ac diligentia muniunt; confeſtim ex Hollandia & Flandria milites euocantur: Archidux & Orangius, relicto Bruxellæ Boſſuuio, Antuerpiam proficiſcuntur. Mechliniam murmurantem, & Liram, ciuium Antuerpienſium miſſo præſidio muniunt. Auſtriacus hoſtium caſtris potitus, ne quem à tergo infeſtum habeat, Domino Hirgio mandat, vt Bouinum oppidum, dum terror metúſque recens, capiat: quod quidem tormentis concuſſum poſteà deditur, vita omnibus conceſſa. Ipſe Auſtriacus cum reliquo exercitu Louaniũm tendit, & facilè in deditionem accipit, cùm præſidiarij, loco relicto, Bruxellam abiiſſent. Mox Thenę & Arſchotum vrbes Louanio vicinæ cum eo etiam tranſigunt. Inde Sichemium oppidulum arce munitum aggreditur: erant hîc præſidiarij ſub Præfecto Liranæ familiæ, qui dum deditionem recuſant, tandem 12. Februarij, tertia oppugnatione obruuntur, non ſine Hiſpanorum clade; qui tandem Arce etiam potiti, eos inclementer excipiunt, &, vt fama erat, contra promiſſum trucidant, & ſubmergunt, alios capite truncant; ipſe Præfectus aliiq; nonnulli de feneſtris ſuſpenduntur. Hinc contra Dieſtam ducitur exercitus: vbi cùm obſeſſi in loco eminentiori hoſtilia tormenta collocata viderent, deditione paciſcuntur: ſimiliter quoque Levva oppidum in Auſtriaci poteſtatem venit; vbi exercitui quies aliquanta conceſſa. Mox poſt prælium Gemblacenſe Carolus Mansfeldius Auſtriaci iuſſu vrbem Niuellam Gallicis ſuis copiis cinxerat. Erant hîc in præſidio cum Præfecto Villerſio quinque peditum cohortes, & equites aliquot. Stratæ ſunt ruinæ, pugnatum quartò: ſed cùm oppidani nullum viderent aduenire ſubſidium, 15. Februarij oppidum certis conditionibus dedunt. Et quidẽ vſque ad eamdem Gemblacenſem pugnam Amſtelodamenſes in obedientia Regis (etſi diu, vt commemorauimus, ab Orangio vexati) perſtiterant. Conſul eorum Petrus Petri apud Auſtriacum diu multumque intercedebat, vt ſubſidium ipſis mitteretur. Auſtriacus litteris obſeſſos conſolabatur, viã tamen modúmq; illis ſuccurrendi nõ inuenit, aliis quę propiùs eum tangebant, impeditus, omnibus etiã itineribus ab Orangio terra mariq́ue præcluſis, ita vt nec commeatus oppidanis ampliùs inferri poſſit. Cùm itaque multùm dicti Amſtelodamenſes ab Orangianis ſollicitarentur, & rerum neceſſariarum copia deficere inciperet, Magiſtratus inter ſe ciuéſq; diſſentire clanculùm cœperunt, his pacem petendam eſſe ſuadentibus, illis verò reclamantibus. Vicit opinio eorum qui pacem deſiderabant: mittuntur Conſules & Senatores in Hagam-Comitis, qui condi-

Archidux Matthias & Orangius metu Bruxellam deſerunt.

Cedunt Auſtriaco Bouinum, Louanium, Thenas, Arſchotum.

Mox quoq; Sichema, Dieſta, Leuvva, & prius Niuilla.

Amſtelodamenſes diudum ab Auſtriaco fruſtrà auxilium exſpectant.

1578 conditiones paciſcerentur. Diu multúmque deliberatum, oblatum, repudiatum eſt. Tandem inuentum eſt medium, atque Amſtelodamenſes vtcumque voto & Religioni ſuæ accommodatam pacem acceperũt, ſi ſeruata fuiſſet. Et quidem vt quod pactum erat ratum eſſet, facta ſunt publica inſtrumenta, ea ab Archiduce Matthia & Principe Orangio ſigillis muniuntur: Ordines quoque Hollandiæ, Zelandiæ atque Vltraiectenſis ditionis tamquam fideiuſſores ſua ſigilla adiungunt: ſed an ſeruata ſint ea quæ fuerunt promiſſa, ipſe Lector poſteà menſe Iunio poterit iudicare. Conditiones quibus ſe Amſtelodamenſes iuxta pactum Gandenſe Orangio, die quinto, aliis octauo Februarij tradiderunt, ſunt hæ:

Itaque tãdem trãſigere coguntur cum Orangio.

Articuli præcipui pactionis initæ.

His qui alia ſunt Religione à Romana, facultas ſit extra vrbem cœtus habere & concionari, mortuos ſuos loco deſignando ſepelire. Sex ſigna ciuium, qui hactenus vrbem cuſtodierãt, exauctorentur; eorum loco quadringenti aut ſexcenti legantur, quibus vrbis cuſtodia ſub Centurionibus oppidanis committatur. Sagittariorum collegia (vulgò *Schutterijen*) reſtaurentur, in loca demortuorum alij tam exules hactenus, quàm non exules ſine diſcrimine cooptentur. Erant & alia ſed minoris momenti capita. Per idem tempus in Friſia Rennebergius audita Auſtriaci ad Namurcum victoria tumultuabatur, ac tandem 21. Martij Conſiliarios Regiſque miniſtros Leuvvardiæ comprehendit, & in eorum locum Eiſingam, Raldam, Steueren, alios ſurrogauit. Deinde & Epiſcopum Petrum Cunerum capi iubet, ſed ille hoſtium manibus elapſus Coloniam venit: vbi cùm facultatem Theologicam reſtauraſſet, poſteà piè obdormiuit in Æde ſũma ſepultus. Auſtriacus, recuperata, vti diximus, Niuella, exercitum Reuſiam miſit & Sogneſiam, quæ mox deditionem fecerunt: inde Binchium quoque, Beaumontium, Walcourtium, Maubuſa & Chimæum ſe Regis fidei reddiderunt. Circa initium Aprilis Auſtriacus ope Baronis Cheureau & Baptiſtæ de Monte, præſidiarios nonnullos vrbis Traiectenſis ad Moſam pecunia corrupit, qui vrbem ſibi tradituros receperant. Hi capto Heſio vrbis Gubernatore, omnibúſque Tribunis & Præfectis ſuis, vrbem tradere quærebant. Et quidem Auſtriacus eò copias nonnullas ire iuſſerat, vt ſuis opitularentur; at tardiùs aduenere, cùm Ordines Melroyum cum ſtipendio & quinque peditum ſignis illuc direxiſſent: ita pacati milites, capti liberati, auctores tumultus partim ſuſpenſi partim in Moſa ſubmerſi ſunt. Vigeſimo ſecundo Aprilis publico Edicto præcipiunt Ordines, vt omnes Iudices & Magiſtratus ómnes ad ſuam iuriſdictionem pertinentes, etiam Eccleſiaſticos & Monachos, ad ſe vocarent, examinarent, & in pactum Gandauenſe iurare facerent. Ad hæc vt Regi & Gubernatori Archiduci Matthiæ obedientiam fidelitatemque exhibeant, vita fortuniſque omnibus defendant; Ioanni verò

In Friſia comprehẽſi Conſiliarij Regij, tamquam Auſtriaco ſtudentes.

Auſtriacus fruſtrà Traiectum ad Moſam ſibi vindicare molitur.

Auſtria-

Auſtriaco communi patriæ hoſti reſiſtant, & omnem hoſtilitatẽ oſten- 1578
dant. Quod cùm Antuerpiæ patres Societatis Ieſu & Franciſcani recu- *Ieſuitæ & Minoritæ, nolentes*
ſarent, tandem ipſo Pentecoſtes à ſigno peditum, ne ab externo milite *Ioan. Auſtriacũ iuuare hoſtẽ, Antuerpiã pelluntur.*
(qui eos per triduum ad ſupplicium popoſcerat) in itinere occiderentur,
ad Scaldim deducti, & naui impoſiti, Mechliniam, atq; inde Louanium
proficiſcuntur. Proteruius Vltraiectenſium facinus, qui etiam ante illud
Edictum decimo quinto Aprilis indicta cauſa Suſium Hollandiæ Præ- *Etiam ante illud Edictum Vltraiectenſes plures Catholicos proſcribũt.*
ſidem, Ratingum, Griſperum & Lentium Vltraiectenſis Curiæ Conſi-
liarios, Vtenhammium Nobilem, Dominum Vueſelium Decanum ſan-
cti Petri, illorum contra Albanum per triennium in Hiſpania Legatum;
Gouſæum, Wijkerſlotium, Canonicos D. Marię, & M. Euerardum Mo-
lengrauium Eccleſiæ ciuilis Paſtorem, eiicientes vrbe interdixerunt. Vt
autem populo id ægrè ferenti ſatisfacerent, ſcriptum quoddam edide-
runt, ijſdem ferè rationibus ſubnixum, quibus Metrius excuſare conatur
Geuſios, Amſtelodamo ineunte Iunio omnes Eccleſiaſticos cõtra fidem
„ datam eijcientes. Sunt hæc eius verba: Cùm multi adhuc in vrbe Au-
„ ſtriacarum partium fautores, hoſtilia indies machinari viderentur; oppi- *Prætextus expulſionis Catholicorum eo tẽpore.*
„ dani, præcipuos Catholicæ Religionis coryphæos, Minoritas, Sacerdo-
„ tes, & Monachos omnes vrbem exire compellunt: templa ſtatuis imagi-
„ nibuſque vacuant; Reformatæ tantùm Religionis conciones, durante
„ bello, ad ſuæ ciuitatis ſecuritatem permittunt; detectis hoſticis Eccleſia-
„ ſticorum fraudibus, Catholicam vbique, durãte bello, ſuſpendere neceſ-
„ ſarium exiſtimant. Ita ille; nullam tamen fraudẽ Catholicorum ſpecia-
tim profert, multò minùs probat. Hinc & illa ſecuta Harlemij quæ mox
narrabimus. Dudum Auſtriacus Philippopolim (vulgò Philippi-villa
dicitur) oppidulum munitiſſimum in finibus Hannonię obſederat, quod
à Florinæo defendebatur. Sed annonæ inopia tandem preſſi præſidiarij, *Philippi-villa dudũ obſeſſa, Auſtriaco ſe dedit.*
cùm Ordines per Roſſelium fruſtrà commeatum importare tentaſſent,
ſeſe Auſtriaco vigeſimo primo Maij dediderunt: quo tẽpore Dominus
Billius ex Hiſpania rediit Namurcum, nuntians, ſingulis menſibus à Re-
ge trecenta coronatorum millia ad hoc bellum continuandum, donec
pax iniri poſſit, eſſe decreta. Et non multò pòſt Regij quoque Limbur- *Cedit quoque Auſtriaco Limburgũ, & Dalhẽ.*
gum, aliquamdiu obſeſſum, decimoquinto Iunij in poteſtatem redege-
runt, totumque deinceps Ducatum, & cetera Tranſmoſana Dominia,
partim armata manu, vt Dalhem, partim deditione recuperarunt. Inter-
eà Gandauenſes, quod cœperant menſe Octobri anni præteriti, tumul- *Gandenſes inſigniter in Eccleſias & Eccleſiaſticos inſaniunt.*
tuari pergunt; quin nunc menſe Maio in Diuorum templa irruunt, om-
ne ſacrum aurum, argentum, cruces, calices, aliáque Eccleſiarum cimelia
rapiunt, omnes viros Eccleſiaſticos & Religioſos vrbe expellunt; ex ære
& metallo è turribus & templis ablato maximum numerum tormento-

1578 rum bellicorum conflant: equitatum peditatúmque conſcribunt; inde partim vi partim dolo velut toti Flandriæ imperant: quod in templis & Monaſteriis reliquum erat, diruendũ & demoliendum vendunt: prętextus horum erat neceſſitas ſe muniendi. Eorum exemplum imitati Vltraiectenſes, & ipſi Minoritas mox eiecerunt, ſublatiſq; altaribus & imaginibus, templum contaminarunt, & hominem Caluinianum illuc introduxerunt. Quin & Harlemo ſub idem tempus Eccleſiaſtici pulſi ſũt, die vigeſimo octauo Maij, de quo is qui præſens fuit, in Vita pij Patris Petri Ballingi Sacerdotis, qui eo tumultu à milite in templo confoſſus fuit, hæc inter cetera: Sub feſtum ſanctiſſimæ Trinitatis anno 1578. intromittitur intra Harlemum miles, ex cuius vultu Catholici res ſuas periclitari facilè conſiderabant. Quare pridie feſti Sacramenti expiſcantur ex quodam Reformato inſigni, quid ſperandum formidandúmque. Ille reſpondet, nihil fore periculi, modò Catholici cum ſolita Proceſſione templo non egrediantur. Quin etiam vt Catholicos faciliùs opprimerent, ipſo die Venerabilis Sacramenti manè ſub horam octauam tympanis quatuor aut quinque, tam in foro publico, quàm platearum compitis, proclamari fecerunt, ne quis militum ſub pœna capitis quid mali audeat aut tentet contra Catholicos, eorúmve Religionis exercitium. Scilicet. Etenim paulò pòſt eorum quidam cum iconoclaſtis nõnullis Franciſcanos petunt, templum profanant, expilant, & ſupellectilem ſacram profanámque diſturbant ac conſcindunt. Interea in ſummo templo Sacrum ſolemne decantabatur, milite armato vndique templum oberrante, cùm Sacro abſoluto ſub medium vndecimæ vnus ex militibus ante Chorum proſilit, pugionem gladiúmque diſtrictos manibus verſans, vt ſibi caueant omnes, inclamat: accurrunt reliqui milites: pars ſubſellia Chori petit, cuſpidibuſque quoſque pungere intentat, ni fugiant; aliquot Sacerdotum, quorum pars vna fui, vulnerat: pars ſupellectilem ſacram diripit diſpergitque. Erant qui ciſtas vi aperiebant & ſpoliabant, Sacerdotes veſtibus exuebant, laicorum etiam pallia palláſque raptabant. Demùm Petrus noſter Ballingus circiter Chorũ oberrãs (erat enim myops) à tergo à milite pugione confoditur, & non multò pòſt ſub medium duodecimæ placidè in Domino obdormit 5. Kal. Iunij. Hæc ille oculatus teſtis. Nec multa mora. Menſe Iunio ineunte, cùm Amſtelodami alta pax eſſe videretur, ibi quoque Geuſij clàm introductis multis ſuæ factionis hominibus, Catholicos ex improuiſo adoriuntur: in Minoritarum Cœnobium irruunt, Monachos (quibuſdam vulneratis, aliis grauiter pulſatis) vrbe eijciunt: Magiſtratum, optimatéſque Catholicos cum furore abreptos, ad mare trahunt, in naues coniectos exportari iubent. Inde cum impetu in reliqua Monaſteria, templa, ſacella, locáque alia ſacra

Hiſtoria oppreſſi Catholici exercitij Harlemi contra pacta.

Edicitur ne quis cõtra Catholicos quidquam attentet.

Et ecce vix horâ elapſâ, templa inuaduntur, Sacerdos etiam trucidatur.

Eodem modo Amſtelodami quoque in Catholicos ſæuitum.

cra feruntur; Altaria exſcindunt, Sanctorum imagines deiiciunt, frangunt, exurunt; Sacramenta polluunt, ſupellectilem ſacram diripiunt. Modeſtiùs Antuerpiæ rem ſuam eiuſdem Religionis homines agere videri volunt. Offerunt vigeſimo ſecundo Iunij libellum ſupplicem pro ſuæ Religionis exercitio Archiduci Matthiæ & Ordinibus, multa adferunt, multa pro ſecuritate Catholicorum promittunt. Quin cùm ob negotij difficultatem reſponſum differretur, ſeptimo Iulij iterùm ſupplicant, plures etiam cautiones adferre viſi. Tandem 22. Iulij Archidux, Concilium Status, & Ordines Pacem Religionis, quam vocant, promulgant, fruſtrà reclamantibus Hannoniis: de quibus hęc ipſe Metrius, agēs de expulſa paſſim Catholica Religione, Huius mali, inquit, plures fuere occaſiones; inprimis autem ſcriptum quoddam, quod Ordinum Hannoniæ Deputati decimooctauo Iulij typis edidere, quo ad exercitij reformatæ Religionis poſtulationem, & ad Archiducis Matthiæ litteras, & de Pace Religionis Summarium deliberandi cauſa miſſum, reſpondent: quibus acerrimè ſe opponunt, ſeque vitæ ac facultatum periculo reſiſtere prorſus velle teſtificantur. Hactenus ille: vbi illud quidem verum, Hannones ſe huic paci oppoſuiſſe, ſed nequaquam eam oppoſitionem cauſam fuiſſe oppreſſæ Religionis Catholicæ, cùm, vt vidimus, etiā iam anteà Gandaui, Vltraiecti, Harlemi, Amſtelodami contra pacta, ea „ eſſet profligata. Huius Pacis dictæ Religionis iſta ſunt præcipua: Sta- „ tuimus & ordinamus articulos ſequentes, abſque præiudicio Vnionis „ Prouinciarum, quæ nec deberēt ſe occaſione huius Ordinationis diſcin- „ dere, præſertim cùm nemo cogatur Religionem ſuam mutare, nec li- „ bertatem acceptare, niſi eam probet. Primò, Omnes iniuriæ & delicta „ poſt Pacificationem Gandauenſem occaſione Religionis cōmiſſa, erunt „ tamquam non commiſſa. Secundò, Quiſque liberè manere poterit in „ ea Religione, de qua Deo rationem reddere velit, ſic vt nullus alteri ea de „ re moleſtus eſſe debeat. Tertiò, Vt libertas hæc ordinata ſit, ſtatuimus „ & ordinamus, Catholicam Romanam Religionem tam in Hollandia & „ Zelandia, quàm aliis locis vbi turbata eſt, reſtituendam, vt pacificè ibi & „ liberè poſſit exerceri; ſaluo, quòd qui petent non pauciores ſint quàm „ centum familiæ in oppidis & pagis maioribus, & quæ vt minimum an- „ num vnum integrum ibi iam ſedem fixerint; in aliis verò locis maior ſit „ pars incolarum. Quartò, Sic etiam Religio dicta Reformata poterit pu- „ blicè exerceri in omnibus Belgij oppidis & locis, vbi id ab incolis eo nu- „ mero, qui dictus eſt, petetur. Quintò, Nempe hæc ita intelligātur, quòd „ tam vnius quàm alterius Religionis incolæ debebūt ſe ſiſtere Magiſtra- „ tui loci, vbi intermiſſæ ſuæ Religionis exercitium petent: qui Magiſtra- „ tus ſtatim debebit eis commodum locum deſignare; puta in Hollandia

1578

Antuerpia paulò modeſtiùs agi viſum.

Hannones ſe opponūt ne pax Religionum publicetur.

Articuli præcipui eius Pacis.

Nota; Antiqua Religio tantùm liberè permittitur; noua verò liberè & publicè.

1578 & Zelãdia iis qui ſunt antiquæ Religionis, talem Eccleſiam vel Cappel- »
lam quæ inuenietur idonea, vel vbi talis non eſt, locum in quo aliquan- »
Multa in ſpeciem quaſi admodum diuturna futura. do Eccleſia talis fuit; vbi poterunt illi iterùm ſuam Eccleſiam erigere: & »
in aliis Prouinciis talem locum aptum, vti Magiſtratui videbitur; ſaluo »
quòd longè diſtet ab Eccleſia Catholicorum, ſi fieri poteſt, ne vicinitas »
diſcordiam pariat. Sextò, In his locis quiſque reſpectiuè poterit facere, »
tenere, audire & celebrare diuina Officia, prædicationes, preces, cantus, »
Baptiſmata, cœnas, ſepulturas, coniugia, ſcholas, & omnia alia ad cu- »
iuſque Religionem reſpectiuè pertinentia. Septimò, In locis in quibus »
Inprimis, quòd nemo poterit conueniri pro eo quod domi ſuæ faciet. quiſque reſpectiuè non habebit publicum ſuæ Religionis exercitium, ta- »
men non poterit occaſione Religionis vllo modo inquiri aut conueniri »
pro eo quod domi ſuæ faciet. Hæc ibi de verbo ad verbum. Sunt & alij »
Articuli numero vſque ad triginta; & quidem nonnulli in ſpeciem ſplẽ-
didi, vt nonus, Quatenus quiſque reſpectiuè ingrediens alterius templũ, »
neminem ſcandalizet, ſed conformet ſe eius Eccleſiæ conſuetudinibus. »
Ad hoc, vt vbique, praterquã in Hollandia, Romana feſta ſeruentur. Decimus ſeptimus, Vt dicti Reformati extra Hollandiam & Zelandiam »
teneantur obſeruare Eccleſiæ Romanæ feſta, (claudendo officinas) Do- »
minicas, Natalitia Chriſti, Apoſtolorum, Annuntiationis Deiparæ, Aſ- »
ſumptionis, Purificationis, & Sacramenti. Item decimus octauus, In die- »
bus quibus vetitum eſt carnibus veſci, ne macella pateant. Denique vi- »
geſimus nonus, Vt vbique quatuor viri probi committantur, ad quorum »
ſaltem trium informationem & ſubſcriptionem huius Pacis infractores »
prompta executione à Magiſtratu puniantur. Sed cùm Articulo deci- »
mo ſexto ſtatuatur, in recipiendis ad Vniuerſitates, collegia, ſcholas, ho-
ſpitalia, noſocomia, item Artic. 19. in recipiendis ad quæcumque officia
publica, nullum deinceps Religionis diſcrimen eſſe habendum, Hanno-
Expendun-tur nõnulli Articuli; & de Ma-lecontento-rum origine. nes & Arteſij huic Religionis Paci ſubſcribere noluerunt, metuentes, ne
ſicut Gandaui, Vltraiecti, Harlemi, Amſtelodami, Geuſij precariò ad-
miſſi, deinde Catholicos expulerant, ita & ipſis contingeret. Addequòd
multa in hac pace inerant obſcura. Primò, Quòd in Proœmio dicitur,
neminem ad hanc libertatem acceptandam cogi, & tamen Art. 5. conſti-
tuitur, Magiſtratum debere ſtatim ſupplicantibus locum idoneum aſ-
ſignare. Secundò, quòd Artic. 4. Reformatis conceditur publicum exer-
citium, Catholicis verò in Hollandia & Zelandia Artic. 3. tantùm libe-
rum & pacificum. Denique, quòd nihil erat expreſſum de publicis Ca-
Qua templa quibus Religioni-bus hac occaſione Antuerpiæ ſint conceſſa. tholicorum Proceſſionibus per plateas, ijs in locis, vbi ſemper eorum Re-
ligio viguiſſet: quæ res ſcilicet poſteà in Maio anni ſequentis tantas tur-
bas Antuerpiæ peperit. Hæc ergo cauſa, cur Hannones & Arteſij ſe pri-
mò Malecontentos vocarint, deinde etiam omnino à ceteris ſe ſeiunxe-
rint. Porrò vigore huius Pacis Antuerpiæ Caluiniſtis conceſſa ſunt tem-

pla

pla iſta, Ieſuitarum, Minoritarum, Dominicanorum, & D. Andreę, poſt- 1578
eà etiam D. Iacobi, relicto Catholicis Choro; Martiniſtis verò templum D. Georgij & Carmelitarum. Sed etiam alia narremus. Mox poſt prælium Gemblacenſe Ordines Generales ſtatuerant bellum offenſiuum ſeriò gerendum, ratione expẽſarum accuratè inita, ſumma ſcilicet ſexcẽtorum millium florenorum in ſingulos mẽſes, præter auxilium militum & nummorum ab Angliæ Regina ſuppeditandum. Itaque tria equitum & tria peditum millia conſcribenda Duci Ioanni Caſimiro Palatino cõmittunt, eiuſque Delegatis in ſtipendium militare Francofordienſibus nundinis Quadrageſimalibus pecuniæ ſummam numerari curant: pauloque pòſt etiam in Germania conſcribendis tribus equitum millibus Comes Swartzenburgius, mille quingentis Haureus, mille Wolmerickhouſius, & mille Baro Schenckius, inſuper legioni peditum Tribunus Lazarus Mullerus, eadem auctoritate pręficiuntur. Expectabant pręterea ex Anglia quinque peditum millia & equitum mille. Sed mutauit Regina hoc conſilium, tranſigitque, horum militum loco Duci Caſimiro numeret octoginta Anglicorum aureorum millia, quibus adhuc duo equitum & tria peditum millia colligerentur. Erant vniuerſim vndecim millia quingenti equites, & quinque millia peditum; nam dudum tam in Hollandia quàm in Brabantia & Flandria copioſus ſatis erat peditatus. Eiuſdem quoque Gemblacenſis cladis occaſione Dux Andegauenſis, vulgò Alenſonius, Regis Galliarum frater, operam ſuam Ordinibus obtulerat. Miſſi erant ad eum ab Ordinibus Legati Baro Aubignius & D. Manſartus, vt Andegauenſi (qui & Alenſonius) gratias agerẽt, aliaque Prouinciis Belgicis neceſſaria cum eo tractarent. Et ecce, dum Fœderis conditiones adhuc tractantur, ipſe Alenſonius, animum ſtudiumque ſuum reipſa declarare volens, Montes Hannoniæ paucis ſuorum comitatus venit duodecimo Iulij: vbi à Comite Lalainio Hannoniæ Gubernatore, & Ordinum Deputatis honorificè magnificéque excipitur. Intereà etiam temporis ſe Hiſpanis hoſtem ipſo facto oſtendit. Nam mox cùm Legatos ſuos Antuerpiam ad Ordines Generales miſiſſet, aliquot ſuorum militum arcem Hauregam obſidione cinxerunt, tormentis oppugnarunt, & vigeſimo ſexto Iulij deditione ceperunt; itemq; Soigneſiam, Reuſam, Mabuſam, oppida deſerta, paulò pòſt pręſidiis munierũt. Eius Legati Antuerpiæ decimotertio Auguſti cum Ordinibus viginti

Decreto ab Ordinibus offenſiuo bello, immenſæ copiæ conſcribũtur.

Iam etiam Alenſonius operam ſuã Ordinibus obtulerat.

Venit Alẽſonius in Hannoniã.

„ tribus Articulis pacti ſunt; quorum hi ſunt præcipui: Alenſonius ſuppe-
„ ditabit ad bellum millia peditum decem & equitum duo ſuis ſumpti-
„ bus trium menſium ſpatio. Quòd ſi intereà bellum non ſit finitũ, exer-
„ citum peditum trium millium & equitum quingentorum continuabit:
„ Ordines autem titulum Defenſoris Belgicæ libertatis Duci concedent,

Pactum cum Alenſonio; primò, vt Defenſor Belgicæ libertatis proclametur.

1578 & promulgari curabunt. Ipſe verò Dux nullum molietur bellum cauſâ "
Religionis. Viciſſim Ordines pollicentur, ſi poſtmodum voluerint aliũ "
Principem acceptare, ſe Ducem Alenſonium omnibus aliis prælaturos. "
Ad hoc vt ei caueatur, vrbes promiſſas tradere cupiunt, nempe Quen- "
noyum, Landreſium, & Bauuaiſium; aut ſi Dux hoſti eripiat Marien- "
burgum, Philippi-villam, aut Binchium, aliquam harum trium loco "
Bauuaiſij. Ducis autem milites applicabuntur Ordinum defenſioni, "
ſicut communi conſilio decernetur maximè regionibus Belgicis condu- "
cere. Actum in Concilio Ordinum Generalium 13. Auguſti anno 1578. "
Antuerpiæ. Subſig. Heuflin. Iam dudum, vti diximus, Ordinum co-
piæ vndique colligebantur, equiteſq; Swartzenburgij & Henrici Nothi
Brunſwichij Langſtratam Brabanticam menſe Iulio venerant, caſtráq;
ſimul poſuerant inter Liram & Herentalium: his pedites aliquot Hol-
landi, Angli & Scoti ſe iunxerant. Caſtrorum Præfectus deſignatus erat
Comes Boſſuuius. Decimo quarto Iulij exercitum collectum luſtrat
Archidux Matthias Belgij Gubernator; ſtatimque foſſis & aggeribus
muniendum prope Rymenantium vnanimes decernunt. Intereà Caſi-
miri reliquas copias aduentantes expectant, ſeque inſigniter vallo foſſiſ-
que muniunt. Quod cùm videret Auſtriacus, antequam viris viribuſq;
hoſtis vlteriùs creſceret, inuadere eum molitur, copiis potentiſſimis in-
ſtructus. Primarius totius militiæ Legatus Princeps Parmenſis, equitum
Magiſter Octauianus Gonzaga, caſtrorum Præfectus Petrus Erneſtus
Comes Mansfeldius; armamentarij Tribunus Comes Barlaymontius,
aderant & Barlaymontij filij. Auſtriacus ita munitus poſtremo Iulij
cum omni ferè ſuo exercitu prope Arſchotum venit, & Ordinum caſtra,
ſi poſſit, profligare meditatur. Verùm Comes Boſſuuius primo Auguſti
à ſuis exploratoribus equitibus præmonitus, duodecim circiter turmas
Auſtriacorum equitum, cum peditum acie inſtructa, longo continuoq;
ordine aduentare, iubet excubias ad eum vſque locum retrocedere, vbi
quingentos ſclopetarios, qui eos à tergo reciperẽt, diſpoſuerat. Et quidem
hi, validis Auſtriaci copiis ingruẽtibus, recedere coacti, non leue dãnum
paſſi ſunt. Sed mox victis redit in præcordia virtus: Auſtriacos ad ſepi-
menta quædam retrocedere cogunt. Erant illis ſepimentis tuendis An-
gli & Scoti à Boſſuuio deſtinati. Itaque nec illa ſepimenta Regij occu-
pare potuerunt, Anglis & Scotis fortiter repugnantibus. Quin & maio-
ra tormenta propiùs accedentibus diram cladem inferebant. Velitatum
eſt ab hora ſeptima matutina vſq; ad ſextam veſperi, pari ferè vtrimque
damno. Itali & Hiſpani quidam milites hoc prælio capti aſſerebãt, Au-
ſtriacum & Parmenſem in hac expeditione præſentes fuiſſe, & ſex equi-
tum atque duodecim peditum circiter millia habuiſſe. Auſtriacus eadẽ

Tum, ſi Belgæ Dominũ mutent, ipſe omnibus præferatur.

Exercitus Ordinum ad Rymenantium colligitur.

Inuadere eum Auſtriacus decernit.

Cruentè velitatur à ſeptima manè vſq; ſextam veſperi, pari ferè damno.

qua

qua venerat via recedit Namurcum verſus, ibiq́ue caſtra ponit in propugnaculo admodum forti ſupra Bugeum montem iuxta Moſam, dum intereà Ordinum milites ſeptimo Auguſti Arſchotum, Regiis fugientibus, ſpoliant, & diſcedunt, Hiſpaniſque mox cum maioribus copiis redeuntibus comburendum relinquunt. Intereà Ordinum exercitus creuerat, cui tandem Dux Caſimirus vigeſimo ſexto Auguſti acceſſit, duo millia equitum & totidem peditum ampliùs quàm iuſſus erat adducens, nempe ſimul ſeptem equitum, & octo peditum millia. Sed pecuniæ quę ſufficerent, non erant. Tandem cùm totus exercitus ſolutionem tribus hebdomadibus hîc expectaſſet, ſub medium Septembris, vnius menſis ſtipendio ſingulis numerato, educitur ſub Comite Boſſuuio Archiſtratego, Burggrauio Gandauenſi equitum Magiſtro, & Lanoio caſtrorum Præfecto. Prope Louanium acriter pugnatum eſt, vrbe fortiſſimo præſidio quindecim cohortium tum equitum tum peditum ſub Barone Cheureau ab Auſtriaco firmata. Deliberabant quidem tunc Ordines de Louanio obſidendo: verùm id inconſultum viſum eſt; erat enim Ordinum exercitus equitum quàm peditum numero maior: equitum autẽ vſus locis illis dumetis ſiluiſque obſitis paruus erat; ad hæc agri vndique pabulo erant vacui. Itaque decernunt in Gallobrabantiam regionẽ planiorem tendere, vt & hac via hoſtiles copias vicinas in anguſtum cogant, & ſe Andegauenſis ſeu Alenſonij exercitui, qui Binchium tunc obſidebat, iungant. In ipſo itinere deditione capiunt Niuellas: expugnant inſuper vi Motam caſtrum; alia loca vicina deditione ſe tradũt: inde Gemblacum tendunt, & Auſtriacum è caſtris proditurum, antequam Andegauenſibus copiis iungantur, expectant, ſperántque; ſed fruſtrà, Auſtriaco ſe tuto loco continente, quòd confideret mox neceſſaria hoſti defutura. Intereà Dux Andegauenſis, Belgicæ libertatis Defenſor nuncupatus, cùm Binchium aliquamdiu obſediſſet, & tormentis quati imperaſſet, ſeptimo Octobris illud deditione accipit. Potitur quoque paulò pòſt Mabuſio. Sed Landreſium & Quenoyum oppida nulla ratione induci poterant, vt Andegauenſes milites ex Contractus formula reciperent, cuius gratia Abbas Marollius eò miſſus fuit; hinc Mechlinia & aliæ vrbes ei oblatæ. Montis quoque Hannoniæ ciuibus non leuis iniecta eſt ſuſpicio, Andegauenſem machinari vrbem inuadere. His tamen diffidentiis nequaquam obſtantibus, idem Dux ex conſilij exercitus Ordinum ſententia, Auſtriacum iunctis ſimul vtrimq; copiis oppugnare ſtatuit. Verùm cùm omnibus iam paratis, hoſtis poſtridie oppugnandus eſſet, nuntiatur Andegauenſi, Caſimirum Gandauum eſſe profectum. Etenim dudum Malecontenti, quorum caput Montignius, Gandenſes variè infeſtarant, titulo quòd iis multorum menſium ſtipendia deberentur,

1578

Arſchotũ miſerè ab vtriſque vaſtatur.

Acriter iterùm circa Louanium pugnatũ.

Exercitus Ordinum Alenſonio ſe iungere conatur.

Potitur Alenſonius Binchio, paulò pòſt etiam Mabuſio.

Malecontenti Gandenſibus valdè infeſti, & quare.

1578 tur,ſed reverà etiam quòd cogere eos vellent, Eccleſiaſticos, quos eiecerant,iterùm recipere,& captiuos,de quibus in Octobri anni prȩcedentis diximus,dimittere. Maximè verò circa finem Septembris magnos potenteſque pagos, Bellam, Meninam, & alios ad contribuendum coëgerant,& Meninas locũ opportunũ ad Lyſam fluuium inter Cortracum & Armenterias vallis propugnaculiſque munierant. Ad hos ergo terrendos coërcendoſque Gandenſes Caſimirum ad ſe vocarant; qui ſpe ſolutionis hîc recipiendæ libentiſſimè id iter confecit,& decimo Octobris cum aliquot equitum turmis magnificè Gandaui excipitur; cuius aduentu cùm Malecontentorum excurſiones nonnihil coërcerentur, ipſe centum & ſeptuaginta florenorum millia, ſolutionis ſtipendiorum partẽ à Gandauenſibus accepit,manſitque ibi vſq; ad Ianuarium ſequentem. Commiſerant Gandenſes paulò antè facinus planè barbarum. Nempe quarto Octobris ex ſupradictis captiuis ſuis duos, Iacobum Heſſelium Conſiliarium,& Viſchium Ingelmunſteri Balliuum,ſubitò è carcere prodire,& currum fortè fortuna prætereuntem aſcendere iubent; atque extra vrbis portas non procul vectos de arbore ſuſpendunt,nulla præmonitione aut ſententia antè lata: coryphæi quoque ſtrangulatorum barbas abſciſſas ſuis pileis imponunt, atque ita in vrbem reuertuntur. Hinc reliquis captiuis ingens timor terrorque incuſſus. Quapropter Archidux Matthias,Concilium Status, & ciuitates circumiacentes multis rationibus inſtant apud Gandenſes; quatenus Eccleſiaſticis facultates & exercitium Catholicæ Romanæ Religionis reſtituant,captiuóſque reliquos locis neutri parti addictis ſiſtant; & ius, non violentiã exerceant. Reſpondent Gandauenſes 27.Octobris,ſe Catholicis ſua reddituros, ſimulatq; omnibus locis & oppidis Belgicarum Prouinciarum Reformatæ Religionis exercitium fuerit permiſſum. Quod autem ad captiuos attinet,ſe eorum cauſam,vbi hoſtium extraneorum vis repreſſa fuerit, diſceptaturos,interimq; nihil aduerſi paſſuros promittunt,dummodò Gandauum & reliqua Flandriæ membra à ſeditioſorum militum violentia defẽdantur. Nec mitius reſponſum hoc tempore dederunt. Intereà circa Kalend. Octobris Auſtriacus in flore ætatis in caſtris iuxta Namurcum febre obiit,& ſecuta eſt in caſtris & vicinis locis peſtis, qua aliquot millia hominum hoc autumno periere. Diſſimulata tamen diu eius mors fuit, corpore eius myrrha & aromatibus condito, donec tandem per inſtructam aciem, viciſſim Tribunis & Proceribus oneri ſuccedentibus, Namurcum in ędem Cathedralem Regia pompa illatum eſt,inde in Hiſpaniam miſſum. Alexander Farneſius Princeps Parmenſis, tunc eius Legatus,mox Rege annuente,eius in Gubernatione ſucceſſor,ei inſigni Tabula, & hoc in ea Elogio parentauit:

Venit ad eos compeſcendos Caſimirus.

Facinus barbarum Gandenſiũ in Heſſelium & Viſchium.

Atrox eorumdem de eo facto ad Ordines reſponſum.

Moritur Io. Auſtriacus in flore ætatis.

D.O.M.S.

1578

D. O. M. S.

SERENISS. PRINCIPI IOANNI AVSTRIACO
D. CAROLI V. IMP. F.

Positum ei Epitaphium Namurci à Principe Parmensi.

POST MAVROS IN BAETICA REBELLANTES SVBIVGATOS
TVRCARVMQ. MAXIMAM CLASSEM APVD PATRAS
EO DVCE FVNDITVS FVGATAM DELETAMQ.
CVM IN BELGIO PROREGEM AGERET
IN CASTRIS BOVGRANIS CONTINVA FEBRE
IN IPSO IVVENTVTIS FLORE SVBLATO
AVVNCVLO AMANTISS.
ALEXANDER FARNESIVS PARMAE PLACENTIAEQ. PRINCEPS
IN IMPERIO SVCCESSOR
EX MANDATO D. PHILIPPI HISP. AC INDIARVM REGIS POTENTISS.
HANC ALTARIS TABVLAM CENOTAPHII LOCO
P. C. M. D. LXXVIII.

Inter tantos bellorum ſtrepitus tamen pro Rege adhuc ſtabant, etſi vndique hoſtibus cincti, Dauentrienſes, Zutphanienſes, & Amersfortij. Dauentriam nongentorum circiter Germanorum militum præſidio munitam, & à Gubernatore Hauricourt ſtrenuè defenſam, dudum Rennebergius obſidebat. Iunxerat ſe ei Snoius cum ſuis Hollandis ſexto Auguſti, & colliculos duos, qui ſinguli ſingulas molas habent, occupauerat. Sed oppidani molarum alteram diſturbarunt, quæ dum caderet, multos milites oppreſſit. Eſt & ad vrbis mœnia turris excelſa, quam Norimbergenſem vocant: ex ea obſidentibus multum detrimenti inferebatur, quare hi cuniculis eam euertere nitebantur. Decimoquarto Auguſti præſidiarij butyrum caſeumque ad certum pondus quotidie diſtribuendum ipſi decreuerunt, vt obſidionem diutiùs ferre poſſent. Kalendis Septembris Hegemannus metu potiùs, vt ferebatur, quàm conſilio, pontem quo Iſela ſternebatur incendit. Poſt octiduum verò præſidiarij erumpentes multos cunicularios, Ordinumque milites aliquot occiderunt: quo metu territi ruſtici qui in caſtris erant, diffugientes, operâ imperfectam à Snoio inſtitutam reliquerunt. Quare cùm cuniculi non ſuccederent, vigeſimo Septembris obſidentes maioribus tormentis turrim Norimbergenſem concutere cœperunt. Sed vigeſimo quarto eiuſdē Germani horribili eruptione facta, tantam ſtragem in Ordinum caſtris ediderunt, vt oppugnatio aliquādiu iterùm ſit intermiſſa. Intereà nouus miles, qui Buſcumducis fruſtrà intrare tentarat, in caſtra Rennebergij venit. Tertio itaque Octobris cuniculi eò producti erant, vt haſtis cominùs

Dauentriam Regi adhuc à Germanis ſeruatam Ordines obſident.

Erumpens oppidani fortiter, ſemel & iterùm.

1578 minùs ſub terra res ageretur. Oppidani iniectis materiis venenoſos fumos excitarunt, qui hoſtem cuniculos deſerere compulerunt. Poſtridie, etſi inducię in caſtris eſſent, tamen horribilis iterùm ſubterranea pugna commiſſa eſt: victores oppidani os cuniculi ianuis ferreis obſtruxerunt. Hollandi audientes periculoſam obſidionem, atque veteranos ſuos paulatim cadere, ſuas copias in Hollandiam reuocarunt. Ægerrimè ferebat id Rennebergius, Hollandos ſcilicet, limitibus ſuis ciuitatis Campenſis occupatione iam tutis, communem cauſam deſerere. Die 12. & 13. Octobris iterùm in cuniculis pugnatum eſt; victores iterùm oppidani. Poſteà Rennebergij milites per cuniculos in turrim Norimbergenſem venientes Germanos ibi compotantes inueniunt: qui exilientes maiora aliquot tormenta explodunt, multóſque hoſtium qui in cuniculis erant occidũt, ceteri fugiebant. Interea mors Domini Ioannis Auſtriaci in caſtra venit. In Diœceſi Colonienſi milites cõſcribebantur, qui obſeſſis ſubuenirent: ſtabat in anchoris Coloniæ nauis armis onuſta, quibus iſti milites inſtruerentur: ſed ab hoſtibus, præciſis rudentibus, nauis abducitur. Paulò pòſt quoq; copiæ iſtæ auxiliares inermes cęduntur. Quod cùm Rennebergius intellexiſſet, vndecimo menſis Nouembris muros ſternere, & vi vrbem aggredi cœpit. Quare cùm latæ ruinæ iam ſtratæ eſſent, & hoſtis foris oppugnationem pararet, intus verò pulueris tormentarij commeatuſque eſſet penuria, auxilium iam nullum ſperaretur, ciues tumultuarentur; Germani deditionis conditiones Rennebergio propoſuerunt, quas ille, reclamante licet Corenputtio, paululùm tantùm mutatas, decimo nono Nouembris acceptauit, vrbemque in Ordinum fidem recepit. Ita Dauentrienſes ſe tandem tradiderunt, Amersfortij etiam tardiùs, vt ineunte anno ſequenti narrabimus. Interea, quod dicere cœperamus, diu & multùm Gandauenſibus ſedandis inſudatum eſt. Nam præter varios Ordinum & ciuitatum vicinarum ad eos miſſos Legatos, etiam 11. Nouembris ab Andegauenſi Dominus Bonniuettus, & ab Angliæ Regina Dauiſonus cum litteris Reginæ 21. Octobris & 6. Nouembris ſcriptis Gandauum venerunt, ſed tantumdem vt priores impetrarunt, perſiſtentibus pertinaciter Gandauenſibus, ſe non teneri Eccleſiaſticos Romanos reſtituere, antequam Malecontenti ab hoſtilibus armis factiſque deſiſtant, & Flandriam relinquant, reliquæ etiam Prouinciæ omnes Pacem Religionis integrè recipiant. Tandem Orangius, Gandauum profectus, his conditionibus 16. Decembris tranſigit: Pax Religionis admittitor. Catholicis Romanis diuerſa templa ad ſuæ Religionis exercitium conceduntor; iiſdemq; Supplicationes ſiue Proceſſiones intra templorum limites, & Euchariſtiæ per plateas ſine pompa geſtatio, permittuntor. Monachi & Monachæ in ſuis Monaſteriis reſtituuntor: interim

Diſcedentes Hollandi, ſoli Rennebergio expugnationem relinquunt.

Auxilia Dauentrienſibus deſtinata, intercipiuntur.

Dauentrienſes tandem Rennebergio ſe dedunt.

Gandenſes perſiſtunt in ſua inſania.

Mona-

„ Monaſteria deſerere cupientibus alimenta ſuppeditantor pro Magiſtra- 1578
„ tus arbitrio; & quatuor Ordines mendicantes, ne ciuibus ſint oneri, ex-
„ cluduntor: Monaſteria quædam vtrique Religioni ad vſum ſcholarum
„ diſtribuuntor. Vtrique Religioni addicti iurarunt Magiſtratui debitam
obedientiam, & Magiſtratus Religionem vtramque in ſuam protectio-
nem recepit. Sed non diuturna hæc pax fuit, vt in Martio anni ſequentis
narrabimus. Ordines patriæ conditionem deploratam Belgij conſide-
rantes, animum Imperatoris ſollicitarũt, vt pacem Belgio à Principe ſuo
exoraret. Fecit id Imperator libenter. Sed & Rex Cæſari omnem ſuam
in pacis compoſitione, ſalua Religione Catholica Romana, & ſua aucto-
ritate, tradit per litteras poteſtatem. Sed de hoc pleniùs anno ſequenti.
Interim ab armis non deſiſtitur. Ordines Thenas ſibi vendicant; Male-
contenti, Gandenſium duo millia peditum, octingentos equites occidũt.
Parmenſis Princeps, occupato Limburgo, ceteriſque vltra Moſam ditio-
nibus, vna Karpena excepta, hanc quoque expugnare, licet hiems eſſet,
decernit, & expugnauit, vt mox pluribus cõmemorabimus ad octauum
Ianuarij anni proximi.

Tamen, veniente illuc Orangio, pax inita, ſed qua non duranit.

Ordines Thenas iterùm ſibi vendicant.

Anno hoc ſeptuageſimo octauo, die vigeſimo ſeptimo Aprilis natus VARIA.
eſt in Hiſpania Philippo Regi ex Anna Auſtriaca coniuge filius Philip-
pus, quem Venceſlaus Cæſaris frater è ſacro Fonte ſuſcepit. Moritur ve-
rò Antuerpiæ 21. Decembris feruente febri Maximilianus Comes Boſ-
ſuuius. Accidit quoque hoc eodem anno, die quarto Auguſti, funeſta il-
la clades Chriſtianorum in Africa Tingitana, qua Sebaſtianus Luſita-
niæ Rex annos natus 24. dum intempeſtiua magnanimitate Mahame-
tum Regem Feſſæ & Marochi reſtituere conatur, iuxta Alcazaram pu-
gnando cæſus eſt: periit item Mahametus ille Rex cui auxiliari venerat,
equo limo hærente ſubmerſus; quin & hoſtis eius Malucus, aliis Abdel-
Melecus, apoplexia inter pręliandum extinctus, cui mox frater Hametus
ſubrogatus eſt. Ceciderunt eo prælio præter dictum Regem Sebaſtia-
num ſexcenti & ampliùs Luſitani Nobiles, Chriſtiani in vniuerſum cir-
citer duodecim millia, quatuor millia à Barbaris capti.

Naſcitur Regi Hiſp. Philippo, Philippus filius.

Triſtis caſus Sebaſtiani Regis Portugallię in Africa.

Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono, Caſimirus, 1579
quem Gandauum veniſſe diximus, Gandauo, poſtquam res Orangius
ibi cõpoſuiſſe viſus eſt, diſceſſit cum familia ſua aulica, & decimoocta-
uo Ianuarij anni milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi noni naue in
Angliam appulit, vbi magnificè à Regina exceptus, equeſtrium Nobi-
lium periſcelide inſignitur: tandem ſecretioribus multis conuentibus ſi-
mul habitis, honorariis magnis, Regiáque penſione donatus dimittitur,
& 14. Februarij, vti mox pleniùs narrabimus, Reginæ nauibus Fliſſin-
gam Zelandiæ aduehitur. Interea Parmenſis, vti dicere cœperamus, miſ-

Caſimirus Gandauo in Angliã nauigat.

ſo

1578 ſo Octauio Gonzaga & Mondragonio, arcem Karpenam obſidebat. Occuparat eam aſtu militari ſuperiori anno Beilius quidam Conſulis Traiectenſis filius, qui Ludouico Naſſouio nuper militarat, Bloemiumque Regium Præfectum laqueo ſtrangularat. Is Arce munita, prædas circumquaque plurimas agebat, agroſque latiſſimè vaſtabat, & villas pagoſque. Inter alios etiam pagum Karpenum cum magnifico, in quo celebre erat Canonicorum collegium, templo incenderat. Ad Arcem ergo hanc caſtrametati Regij, poſtridie Epiphaniæ Domini tribus in locis duodecim maioribus tormentis muros verberarunt, ſtratiſque ruinis latiſſimis, vno aſſultu ſequenti nocte inuadunt, & milites ex vicinis arboribus ſuſpendunt; Beilium verò ad 13. diem poſt captam Arcem reſeruatum, in patibulo ab ipſo ponti ſublicio ſuperſtructo, ſuſpendio necant. Referunt, Bloemium Præfectum Regium, cùm ab eo ſuperiori anno laqueo ſuffocandus eſſet, hunc infra annum ante ſupremi Iudicis tribunal citaſſe, vt iniuſti ſupplicij redderet rationem; atque diuina proinde diſpoſitione factum, vt eodem hoc die ſequentis anni, eodem ſupplicij genere, eodemque loco ſit necatus. Sub idem tempus cudebatur Vnio Vltraiectenſis, quæ & vigeſimo nono Ianuarij abſoluta eſt viginti ſex Articulis, quorum hi præcipui: Primus, Omnes Prouinciæ ſimul ſe deuincient, « tamquam vnica tantùm Prouincia, nihilominùs cuiuſque Prouinciæ « priuilegiis ſeruatis. Secundus, Mutua ope ſe defendent, quocumq; euentu, ſiue ſub nomine Regis, ſiue Religionis prætextu inuaſi. Quartus, Vt « Prouinciis certiùs proſpiciatur, vrbes limitaneæ & aliæ communi conſilio munientur, eius Prouinciæ, in qua ſitæ ſunt, ſumptibus, quorum tamen mediam partem Generalitas ſuppeditabit. Sextus, Communia ſubſidia communi conſilio augebuntur, & minuentur, vt tempus ac res poſtulabit. Septimus, Oppida limitanea quocumque tempore, decreto & « iuſſu Gubernatoris tenebuntur præſidia recipere, quibus Generalitas ſtipendia exſoluet, Præfecti tamen militéſque non tantùm generale, ſed & « ſingulare iuramentum præſtabunt iiſdem oppidis, & hoſpitij militaris merces ciuibus à Generalitate ſoluetur. Octauus, Incolæ tam vrbium « quàm pagorum intra menſem annotabuntur, delectúque luſtrabuntur « ab anno ætatis 18. vſque ad 60. Decimustertius, Quod ad Religionem « attinet, Hollandi & Zelandi pro ſuo arbitrio Religionem exercebunt; re- « liquæ autem Prouinciæ leges Religionis Pacis iam conceptæ ſequentur; « vel ſaltem generali ſingulariue conſenſu ſtatuent ea quæ ad tranquillita- « tem facere videbuntur. Poſt etiam articuli huius latior expoſitio à Fœ- « deratis facta eſt Kalendis Februarij: nempe à dicta hac Vnione nequa- « quam excludendas Prouincias aut vrbes, quæ tantùm Catholicam Ro- « manam Religionem ſeruare volent, verùm eaſdem quoque recipiendas, « dum-

Obſidens Regij Karpenam arcem iuxta Coloniam, & vi capiunt.

Obſeruatũ præſagiũ.

Articuli præcipui Vnionis Vltraiectenſis.

Inter alia, ſingula Prouincia ſtatuere de Religione poterunt, vti videbitur.

» dummodò reliquis Articulis ſe obligent, ſeque vt veri patriæ amatores 1579
» gerant. Decimusſextus, Si inter Prouincias diſſenſio aut controuerſia na-
» ſcatur, ea à reliquis Prouinciis, aut ab earum Deputatis, componetur: ve-
» rùm ſi negotium ad omnes pariter Prouincias attineat, ab ipſis Vicariis
» ſiue Legatis Prouinciarum tranſigetur, qui intra menſem poſt interpel-
» lationem ius dicent, aut citiùs, ſi neceſſitas exiget, & obſeruabitur eorum
» ſententia, non obſtante appellatione, reſtitutione, reuiſione, nullitate, &
» ſine præiudicio eiuſdem. Decimusnonus, Fœderati ſcripto conueniente
» vocati comparere tenebuntur Vltraiecti die conſtituto. Non comparen-
» tes, nec ſcriptis ſuam ſententiam declarantes, decreta huiuſmodi nihilo-
» minùs rata habere debebunt. Vigeſimusprimus, Si qua obſcuritas in his
» Articulis inueniatur, interpretatio penes ipſos Fœderatos erit: ſi autem
» ab eis componi non poſſit, Dominis Vicariis ſeu Pro-præfectis Prouin-
» ciarum res committetur. Subſcripta verò fuit hęc Vnio dicto die 29. Ia-
nuarij Vltraiecti, à Ioanne Naſſouio Geldriæ Gubernatore, & Delegatis
Geldriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Vltraiectenſis ditionis, ac partis Friſiæ,
& à Deputatis Gandenſibus, quarto Februarij. Ab aliis etiam nonnullis
recepta fuit, ſed tardiùs; à pluribus autem reiecta, vti narrabimus, quòd
nimis obſcurè cautum dicerent de Religione (relege Artic. 2. & 13.) tum
quòd non liqueret quis Pro-prefectos illos, quorum ſumma apud eos eſ-
ſet auctoritas, conſtitueret; deinde cuius Gubernatoris nutu Articulo 7.
oppida limitanea præſidia recipere teneantur, Generalis Gubernatoris,
an cuiuſq; Prouinciæ. Cauſabantur & alia. Inter eos qui eam repudiabāt,
erant Amorsfortij, Vltraiectinæ alioqui ditionis. Quare Vltraiectenſes
14. Februarij eos publico edicto hoſtes declarant, & ne quid ad eos infe-
ratur impediunt, ac tandem ſeptimo Martij collectis copiis ad horam
ſecundam pomeridianam, etſi non ſine ſuorum clade, foſſam exteriorem
tranant, vallumque occupant. Accreſcebant hoſtium copiæ, Geldris
Hollandiſque nouas ſubmittentibus. Circa veſperam ſeptem maxima
tormenta ad muros concutiendos in caſtris hoſtium attracta ſunt. Vl-
traiectenſes dedi oppidum poſtulant. Reſpondit Magiſtratus, iudicio
Archiducis Matthiæ & Orangij ſe ſiſtere, ad eos iam Legatum miſiſſe;
petere itaque ne quid hoſtile moliantur. Media nocte Doctor Stegius
Legatus oppidi ad Orangium ad portam magno ſuo periculo venerat, in
vrbem receptus eſt, ciues bono animo eſſe iubet, ingens oritur in vrbe lę-
titia. Is litteras Orangij attulit, quibus Vltraiectenſibus mandabat, om-
nem hoſtilitatis denuntiationem abrogare, vtrimque Legatos amanda-
re, qui coram ſe & Archiduce litem exponant, & ſententiam audiant.
Dum leguntur litteræ, hoſtes in ſuburbium ignem coniiciunt, & ædes
aliquot incendunt, maiúſque tormentum explodunt. Magiſtratus litte-

A quibus hac Vnio recepta, à quibus non.

Amorsfortij hac occaſione ab Vltraiectinis hoſtes declarati.

Obſident Vltraiectini Amorsfortium.

Non obſtantibus litteris Orangij, pergunt hoſtiliter agere.

1579 rarum copiam cum certis hominibus in caſtra mittit: legunt qui huic expeditioni præerant: reſpondent, ſe nolle Orangij mandato refragari, placere vt vtrimque ad ipſum Legati mittantur, interim oppidū ad ſuum imperium aut vi aut deditione velle cogere. Manè expeditis atque diſpoſitis machinis ita ad oppidum fulminabant, ita intonabant, vt circa meridiem portam vnam diſturbauerint. Venit interea Ioannes Naſſauius frater Orangij in caſtra, quæ res magnoperè ciues conturbauit, nihil iam auxilij in litteris Orangij eſſe conſpicientes. Tandem hoſtis, dato ſigno, impreſſionem facit, totiſque viribus muros oppugnat. Ciues accurrunt, fortiter reſiſtunt, fit atrox pugna, multi ex hoſtibus cadunt, ex ciuibus nullus. Attamen, ſcientes ſe aliunde auxilium accipere non poſſe, ſaluis ſuis priuilegiis decimo Martij ſe dedunt, & præſidium accipiunt. Per eoſdem dies Gandauenſes iterùm, & quidem turpiùs quàm anteà, tumultuati ſunt. Etenim contra expreſſum pactum decimoſexto Decembris anni præcedentis initum, nono Martij Eccleſiaſticos omnes vrbe denuò expulerunt, & templa eorum ſpoliarunt. Prætextus huius erat, quòd quidam Monachi concionati eſſent iis in templis, in quibus Sacerdotes ſęculares concionari conſueſſent. Idem factum eſt Aldenardæ & Teneremondæ, quæ vrbes omnino ad arbitrium Gandauenſium regebantur. Exercitus Parmenſis, capta Karpena, Ruremondam redierat: medio Ianuario Regij Moſam traijciunt, capiūt Helmontium & Weertam, poſteà pergunt Turnhoutum, Ranſtam & Endouiam. Aliquoties hîc confligunt cum Caſimiri equitibus, qui circa Arſchotum & vicina loca hiemauerant. Hi cùm Parmenſem cum copioſiſſimo exercitu Arſchotum venire vident, & pecunias dudum ab Ordinibus fruſtrà expectaſſent, diſceſſum cum Parmenſi aliquot mēſium ſtipendio paciſci ſatagunt, ſed fruſtrà. Nihilominùs litteras tuti itineris tandem impetrant, quibus Regis Prouincias intra quindecim dies exeant. Ita Caſimiriani Belgium relinquunt, bellum infauſtum execrantur, atq; ruſticos paſſim expilant. Caſimirus, iam 14. Februarij Fliſſingam, vt diximus, ex Anglia reuerſus, de ſuorum diſceſſu certior factus, eoſdem ſubſequitur, Archiduce Matthia, Principe Orangio, & Concilio Status qui tunc Antuerpiæ erant, omnino inſalutatis. Parmenſis liber & ſecurus ab equitatu illo Germanico, per agros vbique ad mœnia vſque Antuerpienſium excurrit. Præmittit Ioannem Baptiſtam de Monte cum aliquot equitum turmis, & occupatis aliquot caſtellis vrbi vicinis tandem ſecundo Martij ipſo Bacchanaliorum die in Burgerhoutum venit, vbi bona pars exercitus Ordinum hiemabat, cui præerant Lanoius & alij: qui cùm hoſtis aduentum intellexiſſent, ſuos eduxerunt, & acriter cum Regiis pugnarūt duabus circiter horis, multis vtrimque cæſis. Verùm cùm Parmenſis numero

Amorsfortij fortiter reſiſtunt, ſed tandem ſe dedunt.

Gandenſes iterùm Eccleſiaſticos expellunt.

Caſimiriani, diſceſſu à Parmenſi pacto, Belgium relinquūt.

Parmenſis Burgerhoutum iuxta Antuerpiam inuadit.

mero potior eſſet, & Ordinum peditatui deeſſet equitatus, coguntur pugnando ſub vrbis muros relicta munitione retrocedere. Regij à mœnibus Antuerpienſibus vi tormentorum, ſpectantibus Archiduce & Orangio, repelluntur, inde Burgherhoutum cum munitione incendunt, & poſtridie, quòd commeatus inopiam timerent, Antuerpiâ diſcedunt. Inde Parmenſis, occupatis in itinere aliquot caſtellis incenſiſque, Herentalium verſus iter inſtituit. In illud oppidum Lanoius paulò antè venerat, cum militibus aliquot, vt quorſum vergeret Parmenſis inde proſpiceret, & quacumque ratione poſſet, hoſtiles machinationes impediret. Sed proficiſcitur nihilominùs Parmenſis Traiectum ad Moſam, idque omnibus ſuis copiis cingit duodecimo Martij, fruſtrà Lanoio illuc præſidiarios introducere conante. Occaſione Vnionis Vltraiectinæ & eorum quę inde ſunt ſecuta, primò Montignius, deinde Arteſij, ac demum quoque Hannonij ſe Regi ſeorſim clàm certis legibus reconciliarunt; & Montignius quidem mox ſexto Aprilis; cuius reconciliationis hic eſt tenor: Nos Emmanuel Lalaignius, Baro Montignius, &c. fatemur, notumque facimus, nos hodie ſexto Aprilis anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono fœdus pepigiſſe cum Domino la Motte Gubernatore Greuelingæ, nomine Regiæ Maieſtatis, præſentibus conciliatoribus Reuerendiſſ. D. Epiſcopo Atrebatenſi, D. Selleo, & D. Walhuonio, tam pro nobis quàm Domino Hezio, idque auctoritate & poteſtate plena ad hoc nobis conceſſa, pro aliis quoque omnibus militiæ Tribunis, Præfectis, Officialibus & ſtipendiariis tam peditibus quàm equitibus, qui nos ſecuti ſuam operam obedienter præſtiterunt in Flandria aliiſque regionibus menſibus his ſeptem aut octo proximè elapſis, peditibus ſcilicet 8000. & equitibus 400. ad formulam ſequentis ſacramenti; nempe, Iuramus ac promittimus, nos Religionem Catholicam Apoſtolicam Romanam aſſerturos, & conſeruaturos, omnem obedientiam debitam Regi exhibituros, Pacificationem Gandauenſem, Vnionem ſubſequentem, & Edictum perpetuum exactè ſecuturos, atque huius rei cauſa fideliter militaturos contra omnes, qui his refragari aut repugnare volent. Promittimus inſuper obedientiam ſupremo Regis Legato, quemcumque Rex pro ſuo arbitrio conſtituerit, dummodò Prouinciis, quæ ſimul hoc Fœdere coniungi volent ad ſeruandos dictos Articulos, gratus ſit & acceptus. Si tamen Rex ſatis æquam iuſtamque cautionem non præſtet, neque intra tempus ſtatutum efficiat, vt omnes Hiſpani, Itali, Albani, Burgundiones, & alij milites dictis Prouinciis nequaquam grati diſcedant, nec nos tenebimur hæc promiſſa præſtare, nec quidquam etiam aggredi, antequam dicti Hiſpani, & reliqui extranei has Prouincias reliquerint. Hoc autem iuſiurandum à noſtris militibus

1579

Præſidio Burgerhauto pulſo, caſtella etiam aliquot capit.

Parmenſis obſidere parat Traiectum ad Moſam.

Reconciliatio clãdeſtina Montigneij cum Rege.

Promittit obedientiã Legato Regis cuicumque, modò ſit gratus Prouinciis.

Si Hiſpani, & alij non grati non diſcedant, nec ipſe tenebitur promiſſis.

1579 præſtari curabimus; noſq; id ipſum effectum reddere cupientes, Meni- "
nas, Caſletum, aliáque munita loca quæ tenemus, cum omnibus bellicis "
tormentis, commeatibus ac preſidiis in ſuæ Maieſtatis manus tradimus, "
vt iis quod vtile videbitur, peragatur. Et viciſſim Nos Valentinus Par- "
Viciſſim hac & hac promittit la Motte nomine Regis. dieus, Mottæ Dominus, Grauelingæ Gubernator, &c. promittimus Re- "
giæ Maieſtatis nomine, nos ſolututos, & in manus Domini Montignij "
conſtituturos ducenta & quinquaginta florenorum millia; nempe qua- "
draginta millia præſente pecunia, ſexaginta quinque millia intra diem "
ſextum Maij proximi, & reliqua millia intra ſeptimum Iunij ſequentis. "
Et hac ratione Nos Dominus Montignius noſtros milites toto hoc mẽſe "
Aprili & Maio ſequente ſuſtinebimus, eóſque deinde, vt principio men- "
ſis Iunij proximi ſtipendia Regia mereri incipiant, recenſebimus. Nos "
autem Valentinus Mottæ Dominus nomine Regię Maieſtatis illos huic "
militiæ conſcribi, & vnius menſis ſtipendium intra decimumquintum "
diem dicti menſis ſolui curabimus. In teſtimonium veritatis nos litte- "
ras has ſubſignauimus, eiſque noſtrum ſigillum appendi iuſſimus, prę- "
ſentibus præter ſupradictos etiã Domino Burggrauio Gandauenſi Gu- "
bernatore Arteſię, D. Capreſio vrbis Atrebatẽſis Gubernatore, & Domi- "
no Allenes militum Tribuno. Actum in Monte Eligij anno, menſe, & "
Mõtignius in Conuentũ Arteſia & Hannonia declarat quid egerit. die ſupradictis. Poſtridie Montignius Atrebati in celebri Ordinum Ar- "
teſiæ & Deputatorum Hannoniæ, Inſularum, Duaci & Orchiæ conuen- "
tu declarauit ſe huiuſmodi pactionem cum Domino de la Motte iniiſſe, "
ipſumque iuſiurandum eò tantùm tendere, vt obſequium Regiæ Maie- "
ſtati præſtetur, Pacificatio Gandenſis, ipſamque ſubſecuta Vnio & E- "
dictum perpetuum exactiùs ſeruẽtur. Et ſub idem tempus quinto Apri- "
lis oppidum S. Odomari quoque Domino de la Motte ſe iunxit. De- "
nique menſis Maij die vigeſimo tertio, Arteſienſes, Hannonienſes, In- "
Itaque & Arteſienſes, & vicini, Regi conciliantur. ſulenſes, Duacenſes & Orchienſes 28. Articulis Regi ſolemniter recon- "
ciliantur, & à Parmenſi in caſtris ad Traiectum 28. Iunij Articuli con- "
firmantur, etſi non ſint publicati ante menſem Septembrem. Sunt autem "
iſti Articuli præcipui: Rex ſex ſeptimanis poſt Pacis promulgationem "
curabit, vt omnes extranei milites Prouinciis reconciliatis exeant, Arces, "
munitiones, vrbeſque in poteſtatem indigenarum relinquentes. Re- "
conciliatæ Prouinciæ, ſumptibus Regis (ſubſidio tamen ſimul contribu- "
tionum debitarum à Prouinciis ſuppeditato) exercitum abſque vlla mo- "
ra inſtruent ex indigenis, aut Regiæ Maieſtati aliis ſubditis, qui Prouin- "
ciis grati ſint, ad Catholicam Romanam Religionem, & obedientiam "
Regi debitam conſeruãdam actuendam, ſecundùm Pacificationis Gan- "
dauenſis & ſubſecutarum pactionum normam. Princeps Parmenſis "
gubernacula tenebit ſex menſibus, donec Rex intereà alium Guberna- "

torem

„ torem conſtituerit. Reconciliati orant, interceduntque pro Archiduce 1579
„ Matthia, vt in Gubernatione permaneat, dummodò in Prouincias re- *Inter cetera petunt, vt Archidux in Gubernatione permaneat.*
„ conciliatas quamprimùm veniat: ſimiliter & pro Comite Burano, vt li-
„ ber in Belgium reuertatur, atq; in Catholicam Romanam Religionem,
„ Pacificationem Gandenſem, & pacta inde ſecuta iuret. Reliqui Articuli conformes ferè erant Articulis Coloniæ propoſitis, de quibus mox dicemus, cùm quædá de Traiectenſi obſidione hîc ſuo loco priùs narrauerimus. Diximus ſuprà, Parmenſem Traiectum ad Moſam 12. Martij obſidione cinxiſſe. Erant in vrbe mille ſtipendiarij Galli, Angli, Scoti, & circiter mille ducenti ciues bellicoſi ſub duodecim ſignis militaribus; præterea ad duo ruſticorum millia, qui eò cum vxoribus & liberis confugerant, multumque fodiendo negotij Parmenſi fecerunt. Parmenſis ilicò duos pontes Moſæ fluuio impoſuerat, vnum ſupra, alterum infra vrbem; Mondragonius caſtra ſua ad latus Wicæ collocarat. Nec multùm cunctatus Parmenſis, circumcirca vrbem quinquaginta quatuor tormentis loricas, munitiones, propugnacula demolitur, vt perſpiciat, qua potiſſimùm parte tormentorum violentia vti poſſit. Duo itaque loca oppugnanda deſignat; vnum prope portam Bruxellenſem Leodio viciniorem, alterũ prope portam Altam ad flumen, quò etiam Mondragonius ab altera Moſæ parte ſuas bombardas dirigebat. Simul ac muri tormentis diruti, apparuit oppugnatoribus nouum vallum intrà ex aduerſo confectum. Nihilominùs duo hæc labefactata loca eodem die expugnare conſtanter Regij moliuntur, & tam veteres muros quàm noua valla à manè vſque ad veſperam die nono Aprilis horrendum in modum globorum impetu pulſant. Vna mœnium pars diruta ad Bruxellenſem ſiue Leodienſem portam datur expugnanda veteri Legioni ſiue Tertiæ à Liga cognominatæ, quæ inſigni prælio nauali contra Turcam interfuerat; huic aliquot Germanorum & Walonum vexilla ſociantur. Altera traditur Tertiæ Lombardicæ, adiunctis etiam Germanis & Walonibus. Fit vtroque loco admodum cruenta pugna. Acceſſit & hoc, quòd & extra vrbem & intra dum pugnatur, incuria militum ignis fortuitus in vaſa pulueris tormentarij inciderit, quo factum eſt, vt & plurimi horrendùm ambuſti cernerentur. Tandem ſub veſperam poſt frequentes impetus, reliqui ſuperſtites ab oppugnatione deſiſtunt. Cæſorum & vulneratorũ vtrimque fuit ingens numerus, ſed maior Regiorum. Poſt hæc Parmenſis ad portam Bruxellenſem propugnaculum altum forma plana conſtruit: huic impoſitis æneis tormentis rectà in vrbem per magnam plateam iacúlatur, obſeſſiſque calamitatem atrocem infert. Erat ante hanc portam ſepimentum quoddam militare, aggere & foſſa benè munitum: vnde per quinque hebdomadas maxima ſtrages frequente varioque im-

Numerus præſidiariorum Traiecti ad Moſam à Parmẽſi obſeſſi.

Validè Traiectum quaſſatur.

Hinc inuaditur duobus locis.

Cæſorum & vulneratorum vtrimque ingens numerus.

1579 petu edebatur, ita vt indies vtrimque minimùm viginti caderent. Huius ſepimenti ſuperandi cauſa diuerſas cuniculorum, ferri, ignium machinas adhibuerunt Regij: tandem poſt multas ſuffoſſiones ſubterraneum acceſſum impediunt obſeſſis: potiti deinde ſepimento loricas inuadunt, mœniáq; ſuperant, ita vt cominùs deinde manus conſerere poſſint. Sub idem tempus vigeſimo octauo Maij, ipſo Aſcenſionis Domini, Antuerpię in publica Supplicatione, quam & Archidux Matthias ſua præſentia condecorabat, ſubitus tumultus à Religionis dictæ Reformatæ aſſeclis concitatus eſt. Cauſa tumultus erat, quòd Catholici Supplicationem ſolito more per plateas celebrare inſtituebant. Ventum erat ad locum qui dicitur *het Meulengat*: vbi cùm excubitores mandato Præfectorum id prohiberent, volentes vt intra templi ambitum ſua Catholici peragerẽt, Italus quidam Catholicus ſtricto gladio viam aperire voluit: mox excubitores, ſclopetis diſploſis, virum & mulierem ſternunt: hoc tumultu in templum confugitur tanto impetu, ſtupore ac timore, vt alteri alteros peſſumdarent: mox ad arma conclamatur tota ciuitate, multitudo omnis Catholicorum templo includitur, fores ab armatis obſidẽtur. Orangius deinde accurrit cum ſuis ſtipatoribus, turbamque ſedare velle viſus eſt, ſed vndique ingentes clamores de Sacerdotibus vrbe expellendis audiebantur. Quare poſtquam Archiducem perturbatum ex templo deduxiſſet, Sacerdotes verò exire prohiberentur, tandem à populo trium horarum ſpatium impetrauit, ne quid interea in illos committeretur, donec Senatus & Tribuni ſtatuiſſent deliberaſſéntque. Deliberandi ſpatio vix elapſo, populus concurrit, poteſtatémque Sacerdotes vrbe expellendi poſcit. Orangio & Magiſtratu, vt videbatur, id abnuente, mox pro ſuo imperio omnes Eccleſiaſticos, Canonicos, Monachos, numero circiter ducentos viginti (ſi verus eſt calculus Metrij) qui ad celebrãdam hanc Proceſſionem conuenerant, è templo ad aggerem ſiue Actam cereuiſiariam deducit, & duobus circiter ab vrbe milliaribus auectos detinet, donec tãdem poſt quatuordecim dies, 12. Iunij Eccleſiaſtici quidam reſtituuntur, ſed Monachi & Canonici excluduntur, Archiduce Matthia rem indigniſſimè ferente, & nequidquam ſe diſcedere velle aſſerente. Hoc Antuerpiæ factum, & Mechliniæ quoque ortum diſſidium, itemque eodem tempore feriis Pentecoſtalibus imaginum Vltraiecti è templis deturbatio, Malecontentorum cauſam mirè promouebant, pluréſque ſe iis exinde iunxerunt, Comes Egmondanus, Freſinius, Bourſius, alij, vt paulò pòſt narrabimus. Iam ab initio Maij Coloniam conuenerant Pacis Belgicæ ſtatuendæ cauſa, à Cæſare, Electores Treuirenſis & Colonienſis, Comes Swartzenburgius, alij; à Rege Hiſpaniæ, Carolus Arragonius Dux Terræ nouæ, Dominus de Vaux, Fonckius, Aſſonleuillius:

Cominùs tandem manus cõferunt.

Tumultus in Proceſſione Antuerpiæ, ipſo Archiduce Matthia præſente.

Poſcit populus pellere Sacerdotes, & mox pellit.

Similia Mechliniæ & Vltraiecti commiſſa, mirè promouent cauſam Malecontentorum. Adſunt Coloniæ varij Legati pro Pace Belgij ſanciendæ.

lius: à Summo Pontifice, Caſtaignetus Nuntius Apoſtolicus: ab Archiduce Matthia & Ordinibus, Dux Arſchotanus, Abbas D. Gertrudis, & Marollius, Gaſpar Schetzius Grobbendonckæ Dominus, Meetkerkius, Milanus, Albada, alij. Ordinum Legati menſe Maio cum Cæſareis Legatis egerunt, ſuaque mandata ſpatio ſex hebdomadarum limitata cum commentariis ſiue inſtructionibus vnà datis exhibuerunt; quæ Principibus Electoribus & ceteris Cęſareis Legatis parum placuerunt. Interim actum eſt de induciis tantiſper ſanciendis, ſed recuſarunt Regij Legati, cauſas prætexentes, primò, quòd Ordinum auctoritas Legatis mandata non ſatis abſoluta perfectáque eſſet: deinde, quòd Articuli exhibiti nullâ pacis ſpem darent: poſtremò, quòd ciuitatis Traiectenſis obſidio tot cædibus & ſumptibus hucuſq; perducta, non eſſet iam intermittenda. Articuli ab Ordinum Legatis propoſiti, fuerunt viginti duo, relati à Metrio vernaculo, ſed in eodem Latinitati donato, craſſa incuria dicam an dolo malo, omiſſi: imò pro iis Articuli Cęſarei de Religione ſtolidiſſimè ſubſtituti. In Articulis illis Ordinum, quod ad regimen patriæ attinet, pleraq; ſunt eadẽ quæ Arteſienſes ſuperiùs ſtipulati ſunt, & quæ Legati Cæſarei mox etiã offerent; ſed Articulus vigeſimus primus (qui credo negotium pacis maximè impediuit) his erat verbis conceptus: Et quia propter negotiationes vicinorum diuerſas Religiones colentium, diutinam abſentiam Regis, & ſecutas turbas, tanta in Religione mutatio facta eſt, vt non poſſit in priſtinum ſtatum reſtitui ſine euidenti metu maiorum periculorum; Rex ad humilem petitionem ſuorum ſubditorum, & ne inteſtina mala creſcant cum maiori diſcrimine Romanæ Religionis, patietur & permittet exercitium Reformatæ Religionis, & Auguſtanæ, in vrbibus & locis vbi nunc publicè habentur. Ordines quoque ſimiliter in iiſdem vrbibus & locis ſtatim poſt publicatam pacem reſtitui facient exercitium Catholicæ Romanæ Religionis, adiiciendo legitimos Contractus irrefragabiliter ſeruandos. Ad hæc poſt publicatam pacem, & cùm milites vtrimque fuerint dimiſſi, & omnia pacata, conuenient Ordines & in præſentia Delegatorum Regis ſtudebunt prædictæ Reformatæ Religionis exercitium conſtringere ad certas vrbes & loca ſecundùm cuiuſque Prouinciæ exigentiam, nihilominùs manentibus Hollandis & Zelandis eorumque Fœderatis in terminis Pacificationis Gandenſis. Item Ordines diligentiam adhibebunt, vt in Hollandia & Zelandia quibuſdam locis exercitium Catholicæ Romanæ Religionis permittatur, quoad tẽporum lapſu per vlteriora Ordinum Comitia pleniùs huic rei prouideatur, ſi primis Comitiis omnia confici non poterunt. Sic Articulus ille de verbo ad verbum tranſlatus. Itaque variæ reſponſiones & defenſiones ſuper hoc & aliis Ordinum Articulis actitatæ ſunt. poſteà

1579

Fruſtrà tamen petuntur inducia obſidionis Traiectenſis.

Articuli exhibiti Colonia ab Ordinibus.

Petunt inprimis nouam Religionem, vbi nunc eſt, continuari.

Interim diligẽtiam adhiberẽt, vt in Hollãdia quoque quibuſdam locis Catholica exerceretur.

1579 etiam Dux Terra-nouanus nomine Regis ſuos Articulos offert. Denique decimo octauo Iulij, Cæſaris Legati Pacificationis formam, aſſentiente ſatis Terra-nouano, Ordinum Legatis tradũt, Articulis viginti politicis, & duobus de Religione comprehenſam, quorum hi præcipui.

Articuli Pacificationis per Legatos Imperatoris propoſiti.

Primus, Pacificatio Gandauenſis 8. Nouembris anno 1576. inita, illamq; Bruxellæ 9. Ianuarij anno 1577. ſubſecuta Vnio, & Edictum Perpetuum eodem anno 17. Februarij die publicatum, nec non Regis approbatio, omnibus ex partibus Articuliſq; ſeruabuntur, atque executioni mandabuntur. Secundus, Ante & poſt Pacificationem tam communiter quàm particulariter commiſſa, omnia præſenti Pacificatione condonabuntur perpetuò, tamquam non facta. Quartus, Exteri omnes milites, Hiſpani, Itali, Germani, Galli, Burgundiones, Angli, Scoti, & reliqui peregrini, harum turbarum occaſione introducti, ilicò facta pacis promulgatione, intra tempus communi conſilio ſtatuendum pariter regiones relinquẽt. Sextus, Exactiones, impoſitiones, aliáque vectigalia belli gerendi ergô inuenta, hinc inde ceſſabunt. Si tamen communi commodo inſeruiendo quædam grauamina videantur continuanda, Rex paratus erit in eiuſmodi deliberationibus conſilio petitionibuſque Ordinum ſeſe accommodare. Decimus, Nulli ad Gubernationem vrbium, Arciúmve, Capitanatum, Status conſilium, aut alias functiones publicas admittentur, niſi natiui patriæ incolæ. Duodecimus, Comes Buranus intra trimeſtris ſpatium, poſtquam cum Principe Orangio tranſigenda tranſacta fuerint, libertati patriæq; reſtituetur. Decimusquintus, Suprema Maieſtas, auctoritas & obedientia Regi quam primùm à ſubditis iterùm deferetur, prout ſecundùm ſpiritualia & ciuilia Iura, patriæ priuilegia, vſus & conſuetudines, nec non iuxta Gandenſem Pacificationem, Vnionem, Perpetuum Edictum, & præſentem Tractatum, æquum eſt, & antiquitus ſemper factitatum fuit. Decimusſextus, Rex eliget pro Generali harum Prouinciarum gubernatione, Principem vel Principiſſam ſui ſanguinis Ordinibus placentem, qui vel quæ eas dotes habeant, quæ tanto oneri ſufficiant, per quas & ſubditis meritò ſit ſatisfactum. Decimusſeptimus, Huic Generali Pro-regi tradentur, abſque omni dilatione, Prouinciæ, vrbes, munitiones, nec non Regis patrimonialia bona, commeatus bellicus, naues, & alia omnia ad ipſum pertinentia; qui deinde loca omnia à præſidiariis cuſtodiri ſolita, conſenſu Ordinum, tradet Belgis naturalibus. Decimusoctauus, Interea Rex concedet ex gratia, & huius Pacificationis ergô, vt omnia ex ipſius patrimonio hucuſque collecta, & ad belli vſum conuerſa, irrepetita maneant, ea tamen lege, ne in poſterum tale quid ampliùs committatur. Vigeſimus, Hac Pacificatione etiam Angliæ Regina & Dux ab Anjou comprehendentur. Sequuntur Articuli

Inprimis vtrimque omnes exteri milites Belgio excederẽt.

Nulli ad Præfecturas admitterentur, niſi nati Belgæ.

Rex Gubernatorẽ det ſui ſanguinis, & Ordinibus gratum.

culi duo de Religione. Primus, Religionem quod concernit (quæ piis & Christianis omnibus Principibus quàm maximè cordi esse debet) prætermittere Rex nullo modo potest (insistendo vestigiis suorum maiorum Catholicorum Regum) quin omnino petat & iubeat, vt in hereditariis suis Prouinciis maneat & exerceatur Catholica Apostolica Romana Religio, ab initio ibi semper obseruata, in qua tot annis Prouinciæ floruerunt, quam & ipse Rex suique maiores in sua inauguratione iurarunt. Quæ Religio (aliis omnibus exclusis) ibi liberè & sine impedimento exercebitur; sicut & Ordines olim se obligarunt, & solemniter in Generali Vnione, perpetuo Edicto, & variis litteris ad Regem tam post has turbas quàm anteà addixerunt, sicut etiam adhuc non ita pridem ad Cæs. Maiestatem scripserunt, ita vt sine notabili dedecore, ignominia, & omnimoda confusione politici status contra propria sua scripta facere non possint. Sed quod ad Hollandiam, Zelandiam & Bomelam attinet, relinquitur hoc dispositioni Pacificationis Gandensis, saluo tamen, quòd in vrbibus & locis earumdem Prouinciarum, vbi Catholica Rom. Religio tempore dictæ Pacificationis adhuc exercebatur, iterùm interea restituatur. Secundus, Interim subditis qui in aliis Prouinciis à Catholica Rom. Religione defecerunt, concedit quoq; sua Catholica Maiestas per suos Regios Commissarios intuitu præsentis status Belgij, quatenus in ijs Prouinciis (sine vlla coactione, molestia aut vexatione Edictorum super Religione publicatorum, quæ tantisper suspendentur) habitare poterunt & manere, quousque cum consilio Ordinum legitimè & competenter in loco securo, vbi suffragia libera esse poterunt, per Regem aut eius Legatum seu Gubernatorem generalem conuocandorum, aliter super moderatione eorumdem Edictorum fuerit statutum: saluo tamen, vt ijdem interea à scandalo, seditione, & omni vsu & exercitio alterius Religionis abstineant. Atque interea etiam liberè fruentur omnibus suis bonis tam mobilibus quàm immobilibus, iuribus & actionibus, & poterunt etiam eadem bona aliò transferre, vendere vel alienare prout eis videbitur. Et quidem si bona sua seruare velint, poterunt in sua absentia constituere ad ea administranda Catholicos receptores quales velint. Prætereà toties quoties velint poterunt redire in easdem Prouincias, modò viuât Catholicè & vt Catholicos decet; & permittetur bona fide vnicuique talis reditus & potestas sua bona per se administrandi, mox vbi talis eius animus à Pastore, Officiario & Magistratu loci fuerit cognitus & probatus. Hactenus Articuli Pacificationis quæ Coloniæ frustrà tentata fuit ab initio Maij vsque ad 13. Nouembris. Etenim cùm Prouinciarum Belgicarum deliberatio lentiùs procederet, (verba sunt boni alioqui Patriotæ) Legati Cæsaris Ordinum Legatis dicto die 13. Nouembris scri-

1579

Attamen nulla Religio publicè exerceretur, nisi Catholica Romana, & quare.

Nihilominùs in Hollandia & Fœderatis seruaretur pax Gandensis.

Aliis quoque locis suspendantur Edicta, donec, &c.

Nihilominùs vt omnes euntes & redeuntes viuant Catholicè.

1579 ſcripto ſuum diſceſſum declararunt, ſimul propenſas ſuas voluntates & labores ſumptuſq; Belgij reconciliandi cauſa factos commemorant: quod verò ad ſperatum finem non peruenerint, Ordinibus imputant, & ſui diſceſſus multas cauſas allegant, totumque negotium Deo committunt. Ordinum Legati multis rationibus & argumentis ſuos Dominos defendunt, longáſque moras excuſant, rogántque vt adhuc aliquot ſaltē dies expectare velint: verùm ne quidquam. Tandem 25. Nouembris litteræ Imperatoris, vt maneant, & Ordinum ſententiam præſtolentur, allatæ fuerunt; verùm ſerò cùm Commiſſarij diſceſſiſſent, ſoluſque Swartzenburgius manſiſſet, qui acceptā Ordinum ſententiam ad Imperatorem miſit. Poſthęc Ordinum Legati domum vocantur; quorū quinque, nempe Dux Arſchotanus, duo Abbates, Bucho Ayta, & Grobbendoncæ Dominus Colonię manēt, Regiq; ſe reconciliant. Sed ad obſidionem Traiectenſem redeamus. Peruenerat, vt diximus, Parmenſis ſupra ipſa mœnia. Quare coëgerant Ordines initio menſis Iunij Hoochſtrati circiter octo millium exercitū, puluerem tormentarium, & cōmeatum, maioreſq; expectabāt copias; pecuniam verò omnibus in vrbibus ac pagis per domos liberandis Traiectenſibus magna velut demiſſione colligebant. Antuerpiani quoque aliquot millia florenorum Egmondano numerarant, quibus legioni ſuæ diſtributis, eam quoque ad liberandum Traiectū duceret: ſed aliud ille meditabatur. Etenim profectus Anghiano Bruxellam quarto Iunij ab iis, qui conſilij eius erant conſcij, ſummo manè porta Opbruſelana excipitur, ordinariis vigilibus eum vt cum Ordinibus facientem alioque tendentem ſine contradictione admittentibus. Captis cuſtodibus, ſuos portæ præficit, rectaque cum legione ad forum maius profectus, illud occupat. Sed dum mittit qui Palatium occuparent, ijque à Templij Præfecti vrbis militibus impedirentur, ciues quoque ad arma proruunt, ſub ſignis ſuis conueniunt, portas & propugnacula recuperant, & Egmondanum cum ſuis in foro obſident: vbi tota die ac nocte ieiuni pęnè detinebantur. Poſtridie miſſus Lieſueldius Orangio à conſiliis, effecit, vt ſaluis rebus omnibus Egmondius eadem qua intrarat porta diſcedens vrbē deſereret; qui deinde Ninouam Flandriæ oppidum patrimonium ſuum à duabus Gandenſium cohortibus inſeſſum, ciuibus aliquot iuuantibus ante auroram aggreſſus, tranſcenſis muris, cæſiſque qui reſiſtebant, occupat. Et quidem præſidiarij Gandenſes in forum conglobati iis quæ ſors offerebat ſe munierant, fortiterque reſiſtebant; ſed circa meridiem pro ſe vitam fortunáſq; pacti, ſub ſignis & ſonantibus tympanis exiere, qui de temerè relicto oppido accuſati, Regi deinde ac Parmenſi nomina dedere. Interea Traiectenſes extremè premebantur, iamque ex mille præſidiariis vix quadringenti belli potentes

Quare Pacificatio Colonienſis non habuerit ſucceſſum.

Quinque ex Legatis Ordinum Colonia Regi ſe cōciliant.

Maximi apparatus liberando Traiecto ab obſidione.

Comes Egmondanus fruſtrà Bruxellam occupare conatur.

Dimiſſus Bruxellâ Ninouam pro Rege occupat.

tes ſupererant. Quare deſeri ſe conſpicientes, de cõditionibus quas Parmenſis honeſtiſſimas dudum iis fruſtrà obtulerat, agere iam ſe velle dicunt. Simulat Parmenſis ſe contentum, ea maximè de cauſa, quòd in minori oppido nouam eos parare defenſionem didiciſſet. Qua ab vtraque parte ſimulatione factum eſt, vt vrbis præſidiarij, deditionis leges indies expectantes, conditionum protractione cuſtodias paulò negligentiùs obirent. Quod cùm pauci Hiſpani ac Germani exploraſſent, Parmenſis vigeſimo nono Iunij nocte intempeſta diuerſis locis ad muros ac vallum ſcalas apponi iuſſit. Vbi cùm Regij excubias aliquot locis dormientes obtruncaſſent, in vrbem tranſcendunt, ac propinqua effracta porta partem exercitus intromittunt: conclamatur tota vrbe ad arma; pugnatur omnibus viis, pueris etiam ac feminis ex ædium feneſtris omnia telorum genera in Regios deuoluentibus. Cadunt ab vtraque parte nõ pauci, ſed maximè ex oppidanis. Omnes enim viæ ac plateæ munitæ ſe defendebant. Sed tandem aliquot expugnatis, miſerrima fit cædes, ſexui nec ætati parcitum eſt, donec Parmenſe omnibus qui arma poſuiſſent vitam pollicente, pugnæ factus eſſet finis; præſidiariis quoque, poſtquã per tres horas, omnibus vrbis viis acriter ſe defendiſſent, arma cum ciuibus ponentibus, ac deditionem facientibus. Tum ad prędam diſcurſum, ac ditiores ciues magna pecuniæ ſumma nihilominùs vitam redimere coacti ſunt. Repertus Moncada transfuga Hiſpanus ſtatim iuſſu Parmenſis ad patibulum iugulatur. Sebaſtianus Gallus Nouij Legatus Parmenſi oblatus, ob virtutem bellicam, ac quòd Regi Philippo non eſſet ſubditus, vita donatus eſt, ſed paulò pòſt è vulneribus obiit. Dorpius, Tollenarius, cum aliis duobus Prędectis capti à gregariis militibus, ignoti, perſoluta mediocri pecuniæ ſumma, ſunt dimiſſi. Periere obſidionis tempore ferro in vrbe ſupra duo hominum millia, alia duo millia peſtis abſumpſit: è Regiis circiter duo millia deſiderati ſunt, inter quos Dominus Hiergius, morte patris tum recèns Comes Barlaymontij factus, machinarum bellicarum Præfectus, moſqueti globo dudum, dum locum commodum ſuis machinis diſponendis luſtrat, traiectus; Fabianus quoque Farneſius, Mauriqueſius, Cugnaus, Grimoaldus, Gouſmannus, Paciecus, Simonettus, alij qui cruenta illa oppugnatione nono Aprilis periere. Dudum Siluæducenſes inter ſe tumultuabantur, & fruſtrà aliquoties Orangius illuc præſidium introducere conatus erat. Pax tamen Religionis dicta illic erat recepta, & reſtituta Gladiatorum ſodalitas, in quã potiſſimùm iuuenes, qui præteritis tumultibus ſolum verterant, & Orangio militarant, nomina dabant. Hi omnes erant ſectæ Caluinianæ, & vrgebant, vt ciuitas Vnioni Vltraiectenſium, de qua anteà dictum eſt, ſubſcriberet. Hinc nata eſt inter incolas diffidentia. Cùm autem Caluiniani

1579

Traiectenſes extremè preſſi, de deditione agere ſe velle dicũt.

Dum pertrahuntur conditiones, in excubiis negligentiores obruuntur.

Tribus horis cruentè tota vrbe pugnatur; hinc in prædam itum.

Numerus Traiectì gladio & peſte deſideratorũ.

Ex Regiis caſi circiter bis mille, inter quos & Hiergius.

Siluaducenſes inter ſe de Vnione Vltraiectenſi digladiantur.

1579 niani eò rem perduxiſſẽt, vt inuitis Optimatibus primo Iulij Vnionis illius publicatio tentaretur, Catholici eos impediunt, & ad forum armati armatis occurrunt. Ad manus ventum eſt, in ſanguinem ciuilem ſęuiunt ſclopeta & gladij. Tandem ob captum Traiectum minantur Caluiniani, niſi ſaltem mox admittatur prę ſidium, ſe velle vrbem deſerere. Super quo cùm aliquoties deliberatum eſſet, nondum præſidium recipere viſum eſt, ac tandem, quia hoc Caluiniani minabantur, octauo Iulij, ſingulis qui vellent cum ſuis bonis tutò diſcedere permiſſum eſt, ſicq; Caluiniani plerique vrbe diſceſſerunt, aut vt alij interpretabantur, Catholici eos vrbe diſcedere compulerunt. Idem tentarunt Brugenſes ſecundo die eiuſdem menſis Iulij, ſed non ſimili euentu. Cùm enim Senatus, Optimatibus agri liberi & populo Vnionem Vltraiectenſem proponerent, magnus in vrbe ortus eſt tumultus. Intellexerant iam Catholici Vltraiectenſium iconomachiam feriis Pentecoſtalibus, vti commemorauimus, commiſſam: quam vt ipſi vrbi ſuæ auerterent, à Conſule Chiliarcham Hieronymum Mollium Dominum Watermalium ſibi dari poſtularunt. Conſul etſi tergiuerſaretur, veritus tamen maiorem tumultũ, Watermalium Chiliarcham renuntiat. Qui confeſtim Magiſtratum hunc acceptãs, quatuor ciuium ſigna exauctorauit, octodecim virorum Magiſtratum abrogauit, alium eius loco ſubſtituit, inſigniora quædam vrbis loca occupauit, & Miniſtros nouę Religionis eiecit. Feruebant initia: ſed cùm poſteà Catholici cunctanter agerent, Magiſtratus, qui ab arbitrio Gandauenſium pendebat, exauctoratas quatuor ciuium ſodalitates conuocauit, eorumque Duces Fleiſchmannum, Winckelmannum, Remeum & Autermannum, portam & pontem aſininum, macellum in platea lapidea, & alia quædam loca iuſſit occupare. Quod cùm viderent Optimates agri liberi, ceteriq; Catholici, ipſi quoque ad arma proruunt. Stant acies oppoſitæ: mittuntur ab vtraque parte qui auxiliares copias adducant. Dominus de la Motte cum ſuis Ronſelariam, quæ dimidio abeſt milliari, Catholicis auxilio venerat. Sed præuerterunt eum octo ſigna Scotorum & centum quinquaginta equites, qui ſummo manè intromiſſi, Catholicos ſuis ſtationibus depulerunt, quoſdam è primariis auctoribus captiuos in cuſtodiam dederunt, Magiſtratum agri liberi abrogarunt, Eccleſiaſticos eiecerunt. Malecontenti cùm paulò tardiùs quàm oportuerat, veniſſent, re infecta reuerſi ſunt. Sub idem tempus Martinus Schenkius à Nideck ad Moſæ ripam infra Venlonam in caſtro Blijenbekano ſtationem pro Rege habebat. Is occaſionem nactus, aliquot ex ſuis militibus Rhenum traducit, & ſumma celeritate Doetekemium occupauit: ſed quia locus munitus non erat, & vicinæ ciuitates, antequam muniri potuit, eum obſidione cinxerunt, tam Schenckius ipſe quàm

Tandem poſt cruentã pugnã, pars vna vrbe diſcedit, ſeu pellitur.

Brugenſes quoque tumultuantur eamdẽ ob cauſam.

Primò, Catholici ſuperiores, inde ab aliis obtruuntur.

Schenckius fruſtrà Doetekemiũ Regi aſſerere nititur.

quàm milites in hoſtium manus deuenerunt, donec paulò pòſt lytro annumerato dimiſſi ſunt. Gandauenſes, vti diximus, nono Martij contra datam fidem ſecundò Eccleſiaſticos eiecerant. Furor ille tota æſtate ſæuiit, cuius auctor primarius erat Embieſius, qui templa, Monaſteria & Abbatias militibus ſpolianda deuaſtandáq; cùm dediſſet, etiam immobilia Monaſteriorum bona amicis & ſociis viliſſimo pretio ſua auctoritate diuendidit: quoſdam, etſi ſuę ſectæ, tamen modeſtiores, indicta cauſa vrbe eiecit. Noæum Tribunum militarem ita tractauit, vt is metu, beneficio noctis vrbe deceſſerit; tandem 28. Iulij magnam militum manum clàm in ciuitatem introduxit, Prętorem & Senatores Magiſtratum deponere compulit, nouoſque ſuæ factionis homines creauit, & ſeipſum ſecundò Conſulem proclamari iuſſit. Horum omnium rationes reddere volens, ſcriptum quoddam typis excuſum in populum diſſeminauit. Cùm autem Orangius 24. Iulij Gandauenſibus ſcripſiſſet, ſe Gandauum venire, & Rempub. reformare decreuiſſe, hinc variæ natæ ſunt ciuium opiniones & ſententiæ: Rihouij tamen ſtudio & trium Membrorũ conſenſu decretum eſt, vt Orangius in vrbem reciperetur, ſi in quinque conditiones priùs iurauerit: quæ cùm typis editę ſint, & nil niſi meras factiones contineant, nihil hîc opus eſt recenſere. Paulò antè, eodem menſe Iulio, cùm Gandauenſes ab Ordinibus vrgerentur, vt tributa ipſis imperata penderent, rationem typis euulgarunt eorum omnium, quæ à 25. Auguſti anni 1577. vſq; ad diem illum pro defenſione cõmunis cauſæ, vt dicebant, penſitarant; quæ ſummam decies & quater centenorum, & viginti quatuor millium florenorũ conficiebant, pręter ea quæ Malecontentis nouẽ menſibus ſoluere coacti erant. Scire autem cupiebant, quem in vſum hæc omnia collata eſſent. Nam ſi tres aliæ partes Flandriæ ſuas portiones etiam exoluerint, oſtendunt ſolam Flandriam trigeſies centena millia florenorum dependiſſe. Quòd ſi reliquæ Prouinciæ, quibus coniunctim incumbit duplum dare (ſola enim Flandria trientẽ omnis tributi exſoluit) ſuas etiam indictiones numerauerint, conficietur ſumma nonaginta vaſorum auri, ſeu nonagies centenorum millium florenorum. Sed Orangius his omnibus Gandenſium prætenſionibus contemptis, Kalendis Auguſti Gandauum venit. Quod cùm Embieſius intellexiſſet, iram eius veritus, fugam capeſſere voluit, & iam nauim conſcenderat. Sed à nonnullis perſuaſus manſit, & Magiſtratu diſcedens modeſtiorem ſe præbere viſus eſt. Ceterùm cùm multos haberet inimicos, metuens ne tandem ſuæ adminiſtrationis rationem reddere cogeretur, Gãdauo diſceſſit, & cum Petro Datheno Caluinianorum pſalmiſta, homine ſeditioſo ad Caſimirum in Palatinatum Rheni receſſit. Orangius interim cùm Gandauenſem Rempublicam vtcumque reformaſſe

1579

Turbarũ Gandenſiũ auctor inprimis Embieſius.

Alijibi Orangium recipere volunt, alij non.

Gandenſes magnificè iactant à ſe collata; eorum petunt rationes.

Orangius Gãdauum venit, mox etiam Brugas.

1579 viſus eſſet, Brugáſque profectus ibidem ciues in ordinem redegiſſet, Gubernatorem deinde Flandriæ ſe geſſit. Is cùm adhuc Gandaui eſſet, Malecontenti vrbem illam dolo occupare fruſtrà tentarunt: miſſis enim aliquot equitum centuriis ſub ſpecie amicorum in vrbem, aliqui eorum recipi cupiebant hoſpitibus ſuis ſatisfacturi. Ad quod cùm ciues annuiſſent, & iam portis appropinquarent, Orangius eius rei fit certior. Qui cùm ſe illis partibus equitatum non habere ſciret, nec vllos equites expectaret, confeſtim miſit qui portas claudi mandaret. Qui nuntius ſi paulò tardiùs aduenisſet, iam hoſtis vrbem occupaſſet. Detectis verò inſidiis, in ſua redierunt. At verò per eoſdem dies Aloſtum feliciori euentu occuparunt, Ronzęum quoque, amplum & celebre municipium: Baeſrodam verò Aloſto finitimam exuſſerunt, poſtquam armata manu occupaſſent, & præſidiarios illic Gandauenſes plures trucidaſſent. Metuebant Ordines Parmenſem Bruxellas venturum, eamque vrbem obſeſſurum: quare Lanoius Francus Ordinum Tribunus eum obſeruabat, & in omnem euentum duodecim Gallorum ſigna in promptu habebat; quem, ſi quid Parmenſis moliretur, in vrbem introduceret. Sed Parmenſis poſt captum Traiectum per aliquot menſes exercitum quietum continebat, nec victoriam magno Ordinum bono proſecutus eſt, tum quòd eius exercitus tempore obſidionis Traiectenſis valdè eſſet diminutus, & ipſe in morbum nō leuem incidiſſet, tum propter ea quæ cum Arteſienſibus tranſegerat de externo milite dimittendo. Decimooctauo Auguſti Groningæ rurſus tumultuatum eſt. Venerat eò paulò antè Conſiliarius Rorda. Miſſus erat is à Legatis Coloniæ pro pace eo tempore congregatis ad Groningenſes cum conditionibus pacis Coloniæ conceptis, quas ſuprà poſuimus, vt eas Magiſtratui populóque exhiberet. Qui cùm Groningam veniſſet, ſtatim à Magiſtratu nouę Religioni addicto apprehenditur. Rogatur, quæ ſit eius audacia, vt eam pacis nundinationem obtrudere audeat hoſtibus, quæ ne ab iis qui neutri parti ſtuderent, approbaretur: eam nec ipſos Colonienſes ferre poſſe, qui Typographum horum Articulorum impreſſorem publico in foro cum omnibus ſuis libellis exuſſerint. Obſtupefactus Rorda, & impudens hominum mendacium admiratus, rogat quo die id factum eſſet: nominant diem, nominant horam. At, inquit Rorda, eo tempore Coloniæ fui & poſteà, & ne quid tale ſomniatum audiui. Illi in ſua impudentia perſeuerantes, eum in vincula coniecerunt. Eo tempore Magiſtratus à populo intolerabiles exactiones poſtulabat. Quare dicto die decimooctauo Auguſti populus partim ob hanc cauſam, partim ob ſcelus in Rordam perpetratum ad arma ruunt, Curiam inuadunt, Magiſtratum pulſant, cogere volunt vt pacem Coloniæ factam amplectatur, Rordámque liberum dimittat. Sed

Malecontenti fruſtrà Gandauum intercipere tentant.

Occupant interim Aloſtum & Ronzaũ ſeu Rhotnacum.

Quare Parmenſis poſt occupatũ Traiectum, aliquandiu quieuerit.

Recapitulatio de tumultu quodam Groningæ ob pacem Colonienſem.

dum

dum alij alterius factionis ciues armati ad forum veniunt, res est compo- 1579
sita. Rordam Senatus Rennebergio mittit, qui eum Pipenpoio arcis *Ciues armati concurrentes tandem pacisciuntur.*
Stauerensis Præfecto transmisit. Interea Legati Coloniæ congregati eos-
dem Articulos secundò Groningensibus miserunt cum graui admoni-
tione vt eos acceptarent, & Rordam è vinculis liberum restitueret. Dum
hæc agũtur, Rennebergij Secretarius è Gallia Belgica venit, & pacem in-
ter Malecontentos & Regem pactam, & omnibus pænè Rennebergij *Sollicitatur Rennebergius vt & ipse pacem Colonienſem recipiat.*
cognatis & amicis signatam adfert. Monetur à diuersis, huic vt ipse quo-
que subscribat. Ille quid ageret initio dubius, tandem cùm conditiones
illius pacis æquas iudicaret, de illis amplectendis cogitauit. Dissimulans
nihilominùs illud, cum aula sua è Vollenhoo in Monasterium Essense,
quod est in agro Groningensium suburbanum, profectus est, & tandem
mẽse Decembri, rebus priùs compositis, Groningam ingressus est. Men-
se Iulio Comes de Reulx, intercurrente opera Domini Petri Lupi Car-
melitarum Ordinis Prouincialis, Mechliniam in fidem Regis Hispania- *Mechlinia se tradit fidei Regis.*
rum receperat; & Dominus Bourſius ab Ordinibus, quorum adminis-
strationis iam eum tædebat, ad Regem defecerat. Itaque reconciliatis
Mechlinienſibus Parmensis aliquot militum turmas misit, quæ Heren-
talium & Teneramondam vsque excurrentes, omnes agros depopulabã-
tur, Willebrouckum, quod situm est ad Scaldim in capite nouæ nauiga-
tionis Bruxellensis, occuparũt, omniáq; emissaria, quibus aquę ad vsum
nauigantium retinentur & emittuntur, conuulserunt. Hinc etiam men-
se Septembri Hispani propugnaculum illud Willebrouckanum munie-
runt: quod vt Ordines impedirent, exercitum eò miserunt, sed ita ab Hi- *Vvillebrouckum à Regijs occupatum iterùm deseritur.*
spanis excepti sunt, vt fusi fugatique redire cogerentur. Fuit in ea muni-
tione præsidium Germanicum relictum, qui paulò pòst 19. Septembris
metu potiùs, vt ferebatur, quàm iusta de causa illud deseruerunt, & Or-
dinibus magnis sumptibus ad defensionem dictæ nauigationis muniẽ-
dum reliquerunt. Hannonienses interea, Artesij, & confœderati Galli, in
quibus non erant Cameracenses nec Tornacenses, pacem cum Rege du-
dum clàm, vt diximus, initam iam mense Septembri promulgant. Ni-
hilominùs vigesimo secundo Octobris Balfurius Scotorum Tribunus
ope Brissaultij Consulis Brugensis, & ductu cuiusdam cereuisiarij Me-
nenensis, qui se multa indigna à Malecontentis passum asserebat, muni-
tionem & pagum Meningam, primam sub Montignio Malecontentorũ *Meninga Malecontentis eripitur, cùm ipsi frustrà Cortracũ tentant.*
sedem, occupauit, ea ipsa hora, qua Malecontenti ductoribus Domino
de Erpes & Alleyno Cortraco frustrà insidiabantur. Tentabant hi fos-
sarum Cortracensium profunditatem, cùm Prætor vrbis procubitorem
alta voce interrogat, an nondum aliquid audiret? volens signum aliquod
captæ Menenæ. Respondente procubitore, Nondum. Hora tamen, in-

1579 quit Prætor, hæc eſt. Audiebat hæc omnia Alleynius,& nata eſt illi ſuſpicio ſuam expeditionem detectam eſſe, militeſque paululùm ab vrbe deduxit,conſilium captans quid factu opus eſſet. Intereà fragor tormentorum,& tumultus captæ Menenæ auditur: Alleynius Menenam properat vt laborantibus opem ferret; ſed iam municipium, antequam veniret, erat occupatum. Paulò pòſt Lanoius Warwijckum etiam iiſdem Malecontentis,ſed non ſine multo ſuorum ſanguine,ademit. Quin etſi ita ſe haberent, Malecontenti tamen Parmenſem vrgebant,vt Hiſpanos, Italos,Burgundos,alioſque exteros iuxta pacis initæ conditiones dimitteret. Iudicabant quidem eorum poſtulata nonnulli Catholici intempeſtiua, dum Malecontenti eo tempore magis vincerentur quàm vincerent:Parmenſis tamen ne quam occaſionem illis daret,Hiſpanos,alioſq; externos milites illis non gratos, vt promiſerat, paulatim dimittere parat,ac tandem menſe Ianuario maiorem partem dimittit. Scriptum ſolemne de Pace Colonienſi,de Tributis, de exauctoratione Regis Hiſpaniarum,de meliori Prouinciarum adminiſtratione, à 28. Septembris typis euulgarat Orangius,vt veluti maturè de ſingulis ij,quorum intereſſet, ſententias conciperent. Quod ad pacem attinet,docere conatur, non recipiendam pacem niſi quæ libertatem Religionis contineat, tum quæ firma ſit; eam verò ab Hiſpaniæ Rege non poſſe expectari. nam etſi maximè velit,tamen Pontificem &Inquiſitionem nequaquam eam permiſſuros. Secundò, Tributa expeditiùs quàm hactenus ſoluēda,ſi quod neceſſarium iam vident, armis tueri ſe velint. Tertiò, Si Princeps mutandus ſit,neminem aptiorem videri Duce Alenſonio Regis Galliarum fratre, cui & ſciat Reginam Angliæ fauere. Quartò, Si ipſum Orangium adhuc velint Belgij Legatum, deinceps Deputatis Statuum neceſſariò maiorem concedendam eſſe auctoritatem: non quòd eis velit permitti poteſtatem nouas exactiones inſtituendi, ſed tantùm conſtituendi ordinem modumque in exactionibus communi conſenſu permiſſis & permittendis vtiliter colligendis atque expendendis; ne toties impediantur negotia maximi ponderis frigida illa excuſatione, Non habemus ad hoc à Dominis noſtris mandatum. Porrò ſibi ſaltem concredantur ciuitates & Arces limitaneæ,vt in eas quocumque tempore poſſit præſidiarios introducere,& rurſum,cùm videbitur,reuocare,abſq; vllius contradictione; aliter enim bellum ritè adminiſtrari non poſſe.

Pulſi etiã VVarvvijcko Malecontenti.

Vrgent nihilominùs Parmenſẽ, vt exteros ſibi non gratos dimittat.

Scripto Orangius mira perſuadere populo nititur.

Inter alia, ſibi & Deputatis maiorem auctoritatem neceſſariò dandam.

1580 Proponit itaque illa eadem anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo ineunte, die nono Ianuarij, Antuerpiæ in celeberrimo Ordinum Conuentu,docetque etiam expreſſiùs,neceſſarium eſſe vt communibus ſumptibus exercitus quatuor millium equitum, & duodecim millium peditum omni tempore alatur,qui,vbi& quando neceſſarium erit,hoſti-

bus

bus obijciatur, ideóque commune etiam debere esse ærarium, peccariq; grauiter, quòd singulæ tantùm Prouinciæ singula habent æraria. Die etiam 13. eiusdem Ianuarij prolixè de recipiendo Alensonio agit; sed non est in illum cõsensus datus ante 12. Augusti, vt tunc dicemus. Alia etiam quæ tunc pro sua & Deputatorum auctoritate augenda petierat, similiter in illud tempus pro maiori parte sunt reiecta. Interea neutra pars ab armis cessabat. Parmensis eodem mense Ianuario oppidum Hannoniæ Mortaigne, quod à tribus signis Scotorum & Anglorum in fide Ordinum tenebatur, armata manu expugnauit. Deinde & Fanum S. Amandi, quod similiter ab Anglis tenebatur, in fidem Regis recepit. Inde Tornacum versus mouit, & omnes vicinos agros depopulatus est, dira toti illi oræ minatus, ni imperata singulis tributa deinceps soluerent. Qui aduersæ erant partis, suis quoque rebus non defuerunt. Inchius Cameracensis Præfectus metuens vires Parmensis, cùm sibi non sufficeret, nec ignoraret, si obsideretur, auxilia sibi difficulter ab Ordinibus missum iri, cum Alensonio transegit, & aliquot Gallorum peditum equitumq; centurias in vrbem recepit, omnesque qui Gallo iurare nollent, inter quos primus fuit Episcopus vrbis, vrbe expulit. Sub idem tempus Bruxellenses ope sociorum adiuti, astu quodam Niuellam recuperant 27. Ianuarij, & Dominum de Glymes secum captiuum adducunt. Geldri quoq; per eosdem dies castrum Blienbecanum obsederunt; sed cùm intellexissent, Parmensem Schenckio auxilia mittere, re infecta obsidionem soluerunt. Die 21. Ianuarij Cornelia Laleinia soror Rennebergij cum coniuge suo Barone de Monceau Groningam venit, fratriq; reconciliationem cum Rege Hispaniæ attulit. Rustici interea Drentani, equitum Ordinum violentiam diutiùs ferre cùm nec possent nec vellent, armati magnis globis conuenientes, Dodonem à Laer & Rijnswoudam cum suis Drentâ eiecerunt. Frisij plures clandestina consilia Rennebergij suspecta habebant. Quare Leovvardienses Kalend. Februarij, dispositis in suburbio duobus militum signis, qui à tergo castrum obseruarent, ipsi à fronte, præmissis qui in vrbe erant, Monachis, gerras extruunt, & castrum obsident. Schagen Præfectus territus mox castrum dedidit. Rennebergius, audito hoc tumultu, Ballium Secretarium suum eò misit, vt populum compesceret: eum in finem dederat ei chartas sigillo & subscriptione sua munitas, mundas tamen seu vacuas, vt ipse quæ è re essent, inscriberet. Sed in vrbem venientem Secretarium capiunt, captúmque in vacuis illis chartis mandatum ad Oyenbrugij arcis Harlingensis Satrapæ Vicarium scribere cogunt, vt Arcem obsessam in manus obsidentium condonaret; quod cùm Vicarius accepisset, non expectans secundum mandatum, statim hostibus Arcem tradidit. Venerat iam Campos

1580

Orangiue quæ priùs scripto, nũc viua voce proponit.

Parmensis Mortaigne, & S. Amandi, Ordinibus eripit.

Ordines Niuellam recuperãt.

Frisij Rennebergium habent suspectum.

Erepta Rennebergio arces Leovvardiensis & Harlingensis.

1580 Transiſelaniæ oppidum Orangius, vbi dudum ciues inter ſe diſſidebãt. Geuſiis non ſufficiebat, quòd publicum & tranquillum ſuæ Religionis habebant exercitium, ſed Romanam Catholicam expulſam volebant. Quare ad finem ſuperioris anni Franciſcanos oppido expellere conati erant, ſed ſtrenuè eos defenderant Catholici. Ægrè ferebant hoc illi, plurimumque laborabant, vt immiſſo in vrbem præſidio, coniunctis viribus Catholicos opprimerent; id contrà ne fieret, Catholici aduigilabant. Atque hinc quotidiana diſſidia. Orangius itaque metuens ne hæc ciuitas Hollandorum propugnaculum à ſe deficeret, eò profectus, præſidium ſub vmbra ſui ſatellitij introduxit, atque ita Catholicæ Religionis exercitium ibidem extinxit. Eiuſdem quoque Orangij mandato Pipenpoius arcem Stauerenſem Ordinum militibus dedit, qui eam deinde euerterunt. Eiuſdem menſis Februarij die 27. Malecontenti Cortraco in Flandria hac ratione potiuntur: Gardinius quidam à Gubernatore Cortracenſi conductus erat, vt litteras ad Meningæ Præfectum deferret, quibus tres peditum Scotorum cohortes petebat, duas enim quas habebat non ſufficere, quòd extra muros Malecontentos, intra Papiſtas timeret. Gardinius Meningam ſeu proficiſcens, ſeu proficiſci ſe fingens, Viuam municipium ſeu ſponte ſeu captus ad Montignium venit, tres accipit ab eo Wallonum cohortes, iunctis non paucis Scotis Regi militantibus. Intromittuntur tamquam amici Meningâ venientes ſummo manè (populus enim augeri præſidium nolebat) per Arcem: qua in poteſtatem redacta, in oppidum irrumpunt. Sed foro propinqui, ciues ac præſidiarios in armis paratos magno reperiunt numero. Inita pugna, dubio Marte per integram acerrimè certatur horam, donec recentibus cum copiis ſuperueniente Montignio ac Richeburgio, victi Cortracenſes, ſupra quadringentos deſiderauere viros, Malecontenti non vltra ſexaginta. Exuſta eſt pugnæ tẽpore in foro domus inſignis, cui Quercus erat inſigne. Pottelbergius cum aliquot aliis in carcerem ſunt coniecti: qui verò tamquã Regi ſtudentes nexi ſedebant, vt Voutrevaius cum ſociis, liberantur, nouoque Magiſtratui præficiuntur. Oppidani duobus diebus in prædam dati inſignem fortunarum fecere iacturam, Orangiacarum partium homines inſuper vitam libertatemque magno redimere ſunt coacti. Sed in Friſiam remigremus. Iam fama allata erat, Orangium non ſolùm Campos veniſſe, ſed & Groningam cogitare. Non ignorans ergo Rennebergius ſibi inſidias vndique ſtrui, iam tempus adeſſe ratus, poſtpoſita omni ſimulatione Regi ſe fidelem declarandi, merumque vrbis imperium, antequam Orangius cum frequenti ſuo aduentet ſatellitio, ad ſe pertrahendi, 3. Martij tota nocte conſilia captans, familiam armat, milites clàm introductos ſuis iungit, ciueſque Catholicos adeſſe iubet. Vbi cùm illi

Catholici Campus diu valẽt, donec Orãgius aſtu eos opprimit.

Hiſtoria captæ ciuitatis Cortracenſis à Malecontentis.

Tamquam amici admiſſi, pugnãdo porrò vrbe potiuntur.

Orangiani ſpoliati inſuper vitã redimere coguntur.

Rennebergius parat ſe vt Groningam Regi aſſeruat.

nuntia-

nuntiatum eſſet, crepuſculum adeſſe, ciuiúmque excubias, relictis ſtatio- 1580
nibus, domum abijſſe, manè quinta hora cum ſuis, qui candidis faſciis brachio læuo erant inſigniti, prorumpit, in forum equitat, ipſe ductor, gladium ſtrictum rotans, exclamat: Adeſte, adeſte ciues, hodie verus ſum veſter Gubernator: ſatagamus nunc quæ ad Regiæ Maieſtatis commodum, & noſtram conducant ſalutem. Claſſica diuerſis in locis canuntur, pulſantur tympana, captę vrbis imaginem fuiſſe dixiſſes. Geuſij rei inſolentia ſtupefacti, armati prodeunt, & ſub Hildebrando congregati cum furore in Rennebergium ferũtur: ſed cùm fortè quidam ex aſſeclis Rennebergij in Hildebrandum collimans eiacularetur, eum traiecit atque proſtrauit: cadente duce & anteſignano ceteri diffugiebant, qui vbicumque inueniri poterant, capti ſunt, & in vincula detruſi. Mox Senatus nouitiæ Religionis exauctoratur, & Catholicus conſtituitur: reconciliatio à Parmenſi miſſa proclamatur, & iureiurando confirmatur. Quod factum cùm hoſtium expectationem admodũ eluſiſſet, attoniti primùm ſpem abijciunt: Korenputtius tamen ratus aliquam adhuc ſpem ſupereſſe, mox partem copiarũ Olthouij in ſuburbia ducit, inde Vlitij, Schagenij & Wedæ ſigna euocat. Aelke, Onſta, & Aſinius Eutius cum ſuis quoque Groningam verſus conuolant, vrbemque cingunt, ſperantes fore in vrbe, qui ſeditionem mouerent, ſed profundum erat in vrbe ſilẽtium. Vicinæ Prouinciæ, huius rei fama percepta, cùm in homines iram ſuam effundere non poſſent, in ſtatuas & Sanctorum imagines 7. & 8. eiuſdem Martij eam effuderunt. Sæuitum eſt in templa Monaſteriaque Dauentriæ, Swollæ, Campis, in territorio quoq; Groningenſi, in oppidis & pagis, quò potuit eorũ vis penetrare. In diœceſi Vltraiectenſi, erectis ſignis, mulctaque indicta omnibus tam Catholicis quàm aliis, qui præclaræ huic pugnæ non intereſſent, in ſingulas Eccleſias quæ nondum vaſtatæ erant, irruunt, & quidquid ſupellectilis Eccleſiaſticæ relictum erat, frangunt, in ignem coniiciunt, aut rapiunt. Catholici qui intereſſe noluerant, mulctati, ſannis præterea & contumeliis excipiebantur. Oppida tamen nonnulla Tranſiſelaniæ, vt Haſletum, Steenwichium, Oldenzalia, & in Diœceſi Vltraiecti Montfortium, ab hoc impetu fuerunt libera. Non latebant Regem in Hiſpaniis ſuperiora Orangij conſilia, & in ſuæ Maieſtatis contumeliam machinationes. Indignatus itaq; ſe à proprio cliente, & ab eo qui beneficio patris & ſuo ad tantos honores euectus erat, tam indigna pati, eum tandem Edicto, à Parmenſi 15. Martij Traiecti ad Moſam publicato, vt perduellem & hoſtem publicum proſcribit, & in illius caput, his qui eum è medio tollerent, aut eorum heredibus, viginti quinque millia coronatorum decernit. Orangius hac ſententia ſe iniuſtè premi iudicans, Apologiam econtrà 17. Decembris edidit. Extat vtrumq; ſcri-

Hildebrandus Dux aduerſæ partis trajicitur; hinc ſocij dilapſi.

Groningenſes Regi iurant.

Ea occaſione in vicinis locis rurſum in templa ſæuitur.

Orangius vt perduellis à Rege proſcribitur.

Edit econtrà Orangius ſuam Apologiã.

1580 ſcriptum; qui volet, legat; & inprimis iudicet Lector ex tot Annalium iſtorum ab anno 1560. decurſu. Interea Lanoius, militum in Flandria pro Ordinibus Præfectus, intelligit Comitem Egmondanum cum vxore, ſocru, fratre Carolo Noyellæ Domino, aliiſq; Nobilibus, eſſe Niniuis oppidulo inter Aloſtum & Geertsbergam non ſatis munito: cõſtituitq; eo, mœnibus nocte conſcenſis, potiri. Itaque 20. Martij Dominus Tourſius & Mortaignius cum aliquot cohortibus vadoſa foſſarum loca tranſeunt, muros ſcandunt, & vnam portarum occupant: qua aperta, equites, inter quos & Orangij turmæ, intromittunt, reſiſtentes quoſque interficiunt, Comitem Egmondanum cum ſuis apprehendunt: ipſe quidem Comes in Rammekanam Zelandiæ arcem ductus, non niſi poſt quinquẽnium laxatus eſt; feminæ & Carolus frater natu minimus citiùs dimittuntur. Sexto Aprilis circa veſperam toto Belgio ingens fuit terræ motus: qui Coloniâ Lutetiam vſque, & vlteriùs in Angliam Eboracum vſque peruaſit: ipſum mare concuſſum, & tamquam ab imo eleuatum, cùm tamen tranquillum nulla aura commoueretur: tellus bis tanto tremore quaſſata eſt, vt ſupellex in ædibus expoſita loco moueretur; ferebãtur etiam turrium quidam lapides labefacti & excuſſi. Mechliniam, quæ in meditullio Brabantiæ eſt, Regi reconciliatam ſuprà retulimus: ea res multum Ordinibus viciniſque vrbibus adferebat incommodum. Varia itaque captarunt Ordines cõſilia, vt hanc vrbem ſibi denuò ſubijcerent. Ad hoc magnam ſpem præbebat, quòd præſidiarios non haberent, præter paucos equites in ſuburbio Neckerſpolio. Nam exauctorato cum ſuis militibus Bourſio, poſteà induci non potuerunt, vt aliud præſidium, licet illud Parmenſis ſæpè offerret, admitterent. Prætereà in vrbe habebant Ordines homines ſibi addictos, tum & nautæ & alij quidam murmurabant, quòd commercia ceſſarent. Tentanda tandem res erat. Data fuit hæc expeditio Noritio Anglici præſidij Liræ Tribuno. Iuncti ſunt Templius Gubernator Bruxellenſis & Famarſius. Hi cum ſuis 9. Aprilis manè ante ortum diem Mechliniam conuenerunt, & dum Angli ab vna parte vrbem adoriuntur, Templius ab altera ſcalis admotis portam Bruxellenſem occupauit, & per muros in vrbem ſuos tranſmiſit, excubitoribus, quorum plures conſcij expeditionis credebantur, antequam alij ſucceſſiſſent, domum digreſſis. Iam vallum pẽnè vſque ad portam Hagiam complerant, cùm ſuperuenientes qui per ſtatas vices valli orbem circumeunt, mirati vigiles abiiſſe, hoſtiq́ue vrbem prodidiſſe, arma conclamant. Concurritur tota vrbe ad defenſionem, exceptis coniuratis. Cucurrit inter primos & Nicolaus Vanderlanius ad vallum portæ Bruxellanæ, nil præ feſtinatione ferens præter gladium lateralem pro dextra, ac orbicularem clypeum pro ſiniſtra, venienſque ad vallum miratur

Egmondanus Ninuæ oppreſſus in Zelandiam abducitur.

Ingens terræmotus toto Belgio.

Cauſæ cur Mechlinia iterùm veneris in Ordinum poteſtatem.

Milites Ordinum admotis ſcalis Mechliniam inuadunt.

Obijciens ſe inter primos Vanderlanius grauiter vulneratur.

ratur nullos ſe reperire vigiles, nec cuſtodes. Subitò igitur in vnum coactis circiter viginti viris, pugnã cum iis qui intrarant init, mittens interim ad maximũ forum, vbi Carolus Bouuekerckius Tribus congregabat pro auxilio. Sed cùm nemo ſubueniret, iamq; cum paucis quarta circiter horæ parte impediiſſet, ne eò loci plures intrarent, vndique à ſclopetariis petitus, tandem in dextro femore paululùm ſub imo ventre globo traiicitur, qui ſiniſtrum penetrabat clunem, vnde tantum fluxit ſanguinis, vt non ampliùs ſtare poſſet, ſed famuli humero innixus ad domũ Lanceloti Gottingniſij, aduocato chirurgo, decumbere ſit coactus. Interea plures ſcalis intrarant, ac inſtructa acie ad forum Frumẽtarium peruenerant. Sed obuiàm habentes armatas Tribus, proboſque ciues non paucos, magna vi repelluntur, ac aliquot cæſis captiſque, Signifero è manibus ſignum abripitur; clademq; inſignem hîc accepiſſent (è foro enim Frumentario ad forum Anſerinum cedere coacti fuerant) niſi coniurati quidam ciues & milites portæ Bruxellanæ ſeras vecteſque, fabri ferrarij vſi maioribus malleis, aliiſq; inſtrumentis, confregiſſent, apertaq; porta Noritium cum Anglis, ac Templium cum pedite equiteque intromiſiſſent. Nec tamen hac de cauſa acerrimè duobus locis pugnare eſt deſitũ. Ab hora enim quarta matutina vſque ad octauam fortiter fideles ciues reſtitere. Tandem extrema fit pugna ad ſummum forum, intromiſſiq; viginti Regij equites Epirotæ porta Neckerſpolia, à Fontis ponte ad vſq; forum Frumẽtarium per medios delati hoſtes, indeq; ad pontem magnũ, poſtremò ad ſummum forum nuntiarunt Roſſignolij Domino vrbis Gubernatori, ſe tardiùs in auxilium vocatos, hoſtem enim vrbis dominum eſſe. Quare ille cum Epirotis ac ciuibus nonnullis porta Neckerſpolia effugit. Venerat cum eo ad portam vſque Frater Petrus Carmelitarum Prior Prouincialis, qui recordatus ſe aliquoties è ſuggeſtu dixiſſe, cum ciuibus mori velle, impetrato à Roſſignolio ferreo thorace, caſſide ac hallebarda, ad maius tendit forum, reperienſque Noritium cum paucis ante ſummi Senatus Prætorium depugnãtem, eo inuaſo, hallebarda, etſi probè armatum, in genua vnico ictu coniicit, reſurgentemque repetitis ictibus mactaſſet, niſi integra ferè cohors accurrens hominem quadratum animique excelſi eodem loco confeciſſent. Cecidere inuaſores ducenti, è ciuibus circiter octoginta. Expugnato ſummo foro, Geuſij occupant portas, diſpoſitiſque præſidiis, ac ciuibus domum compulſis, ad prædam diſcurrêre; quam tam auarè ac crudeliter exercuere, vt etiam Hiſpanos ſuperarent, durauitque direptio menſe integro: & cùm fortunę eſſent direptæ, ad vitæ & libertatis redemptionem ciues cogebantur, fuereque qui bis, imò & ter redimere ſe debebant. Barbariei finem fecit ſeditio inter Anglos & Wallones ob prædam orta, his nec illis prioribus

1580

Nonnihil retrocedere cogunt. tur inuaſores.

Pugnatur continuis quatuor horis.

Cadit inter ceteros fortiter pugnans Prior Carmelitarũ.

Hinc direptiones & extorſiones per integrum menſem.

vrbe

1580 vrbe diſcedere volentibus. Tandem forum Antuerpienſium ciuium præſidio muniendum fuit, donec vtraque pars, certo campanæ ictu, per duas diuerſas portas exirent, tanta tumultuatione, vt Angli, ſuorum aliquot deſideratis, quodam modo expulſi fuerint 6. Maij. Famarſius vrbis Gubernator relictus eſt. Percommodè accidit hæc inſolentia Anglorum Regiis. Lanoius ſupremus militiæ Ordinum in Flandria Prefectus Engelmunſterum caſtrum ad riuum Mandram ſitum à Malecontentis inſeſſum obſidebat: collegerat mediocrẽ exercitũ, & Anglos Mechliniâ venturos quotidie fruſtrà expectabat. Poſitis iam caſtris, & omnibus ad Arcem verberãdam paratis, oblata eſt illi occaſio Inſulas vrbẽ occupãdi: quam ne neglexiſſe videretur, cum parte equitatus & peditatus eò cõtendit, relicto in caſtris Marquetto. Sed cùm ſe imbecilliorem deprehenderet, quàm vt tantillis copiis tantam expeditionem feliciter perficere poſſet, maximè quòd Vicecomes Gandauenſis, qui & Marchio Rijsborgius tunc dictus, cum 15. turmis equitum Epirotarum, vulgò Albanenſium, & aliquot peditum centuriis, ei occurreret, mutato cõſilio in caſtra ſua reuerti ſtatuit. Sed cùm eis Liſam ſeu Leyam fluuium eſſet, nec exercitum commodè traijcere poſſet, ambages quærit, donec ad Mandræ ac Leyæ cõfluentem peruenit, vbi traijciens ſub veſperum in pagum Waccanam copias duxit. At Rijsborgius Cortraci ſuos traducens Lanoium anteuertit. Cùm autem Lanoij miles ex itinere feſſus ea nocte in caſtra venire non poſſet, data eſt ei facultas in dicto pago pernoctandi. Lanoius verò ſollicitus, ne quid detrimenti caſtra à Rijsborgio acciperent, citatis equis Ingelmunſterum contendit, eoque ſub noctem appulit, ſtatimque pontem, quo Mandra fluuius ſternitur, interſcindere iuſſit. Sed quibus id mandatum erat, ſuis viribus confiſi, mandato non paruerunt. Rijsborgius non ignorans copiarum partem Lanoij ea nocte Waccanæ ſubſiſtere, ſuos accelerare iubet, Ingelmunſterumque veniens, pontem primo impetu occupat 10. Maij, & in Lanoij caſtra irruit. Scoti repentino hoſtium aduentu territi, poſt primum impetum omnes fugerunt, Galli Flandrique partim cæſi, partim fugati ſunt. Lanoius vel Anglos Mechliniâ, vel ſuos Gallos Waccanâ in ſingula momenta expectans, fortiter hoſti reſtitit, donec tandem caperetur, captuſq; à Rijsborgio Regi donaretur. Captus eſt & Marquettus cum multis Nobilibus, ac cum iis octodecim ſigna militaria, & omnes bellicus apparatus. Tillignius Lanoij filius cum paucis Gandauum euaſit. Tradit quidã, periiſſe Flandros Francoſque vltra ſexcentos: maxima tamen clades reputabatur captiuitas Lanoij, multis Hugenoticis præliis Francicis clari Ducis. Is Regi traditus, arcique Limburgenſi incluſus, in Belgio vſque in annum 1585. cum magno ſuorum dolore detentus fuit, actum demum cõmuta-

Ea vix tãdem compeſcuntur à ciuibus Antuerpienſibus.

Ordines obſident Ingelmunſter à Malecontentis inſeſſum.

Adeſt Rijſborgius vt obſeſſos liberet.

Expugnatis caſtris; capti & caſi pluriimi, relata ſigna 18.

mutatione Comitis Egmondani dimiſſus. Intereà Bartolus Entis à 1580
4. Martij Groningam fatigabat, ac iam iuſtis Hollandorum ac Friſiorũ copiis inſtructus, Rẽnebergium Groningam reuerſum, extructis ad ſingulas portas munitionibus obſidebat, promotiſque paulatim copiis vrgere magis incipiebat, etſi ciues ac præſidiarij quotidie erumpentes non parum obſidentibus damni inferrent, ita vt tandem 27. Maij Bartolus locum collocandorum tormentorum idoneum circumſpiciens, intráq; moſquetorum iactum temerè prodiens, & ipſe globo frontem traiectus ex equo mortuus ceciderit. Duce Friſij deſtituti, etſi vni è Præfectis rerũ ſummam, dum Orangius alium mitteret, tradidiſſent, non tamen obſidio, vt à Bartolo erat inſtituta, procedebat. Intereà ad famam obſeſſæ Groningæ excitatus Terrę-nouę Dux, Coloniæ adhuc agens, aurũ Martino Scheinckio Nobili Geldro & Iacobo Coudenhouio Flandro, vt equites, quos conſcripſerant, in vnum cogerent, numerauit. Iodoco quoque Rijnefeldij Voohdio, Vltraiectino, vt duas Germanorum peditum cohortes octingentorum virorum eis iungeret, ſimiliter aurum præſentauit. Qui è ditione Iuliacenſi ac Cliuenſi egreſſi, reperiunt præterea ſingulis cum cohortibus Germanorum Ioannem Pirartum, ac Henricum Deldium, qui ſe eis cum aliquot aliis Præfectis iungentes, circiter bis mille quingentos pedites ac ſexcentos equites effecerunt. Interim Orangius loco Bartoli Entis Friſiis Præfectum miſerat Hohenlonij Comitem ſororis ſuæ filium, dederátque ei recèns conſcriptos equites bis mille quingentos ac peditum quinq; millia, cum quibus neceſſariò erat Scheinckio ceteriſque confligendum, antequam Rennebergio ac Groninganis auxilium ferre poſſent. Ingenti igitur animo contra Hohenlonium quem ſibi occurrere ſciebant, proficiſcuntur, eumque in Hardenbergenſi myriceto reperientes, 17. die menſis Iunij intentiſſimo ſolis ardore aggredi ſtatuunt, cùm tamen duobus diebus ac noctibus ex equis vix deſcendiſſent, nec pedites ſequi deſtitiſſent. Erat inter Regios ac Hohenlonium exiguus torrẽs, ripis depreſſis, ac proinde tranſitu facilis. Cùm igitur confligere ſtatuiſſent, hoc vtuntur ſtratagemate. Pedites laſſitudine pugnæ inutiles conſidere ac quieſcere iubent, terræ infixis eo ordine haſtis ac ſi in acie ſtetiſſent, à lateribus conſtituentes ſclopetarios promptiores, eorumque calones, incenſos funiculos tormentarios manibus tenentes, edentes interim & bibentes quod habebant. Equites verò in duas diſtributi acies, à Scheinkio ac Coudenhouio ad pugnam animati, ac ex equis parum cibi potuſque ſumentes, mox tubis ſonantibus, ac tympanis ſtrepentibus, cùm galeas à Deo auxilium petentes depoſuiſſent, ac ad cęlum cum manibus tetendiſſent, pedites verò in genua ſe conieciſſent; Eia commilitones, inquit Hohenlonius, bono eſtote animo, iam manus nudáque

Lanoius captus tãdem commutatione Egmondani liberatur.

Ordines Groningã obſidẽdam curant.

Agit Dux Terræ-nouæ vt Groningam liberet.

Regij quodam ſtratagemate Orangianos aggrediuntur.

Hohẽloius irridet eos, velut ſibi ſupplices.

1580 dáque nobis offerunt capita. Sed adſtans Præfectorum vnus reddit: Id autem ſine lancearum ac gladiorum concurſu non fiet. His factis Scheinckius ac Coudenhouius, repoſitis galeis, datóque ſigno torrẽtem tranſeunt, ac Hohenlonij equitatum inuadunt, ſtatimque perrumpunt: vbi Coudẽhouius diuerſis lanceis ex equo deturbatus, ac parum ſaucius, in alium mox releuatur. Cumque ex arte reflexis equis alteram aggrederentur impreſſionem, Hohenloniani, quòd pro maiori parte diſpalati, ſe tam citò coniungere nequirent, maiorem verentes cladem, in diuerſas partes fugam arripiunt, equitibuſque Regiis pedites ſuos concidendos relinquunt. Videns Rijnefeldius ceteriſque Præfecti Regiorum peditum hoſtem fugere, vltra vires in pedes ſe erigentes, contra Hohenlonij peditatum contendunt, fiſi equitum ſuorum victoria. Sed Hohenlonij peditatus, equites peditéſque Regios expectare non auſus, proiectis armis in varias ſimiliter partes fugam iniit. Periiſſe traduntur hac pugna ex Ordinum militibus mille quingenti, ex Regiis quinquaginta quinque tantùm. Ex Ordinum exercitu Wingardius, Signifer Niueldius, Vfkẽs, multi Præfecti & Nobiles occubuere. Niueldius alter Centurio cum Renoyo atque aliquot vicariis capti ſunt; ex Regiis nullus alicuius auctoritatis cecidit, nec captus vllus. Regij interim Coeuordam occupant, cuius arcem ab Ordinibus reſtaurari cœptam Euerardus Entius Satrapa perfecit. Inde Groningam mouent; quod vbi illi qui eam obſidebant intellexiſſent, relictis omnibus fugerunt. Aſinius Entius cum Bormannio & Vogelio munitionem in Delfzijl ſuſcipit defendendam, alij aliò ſe recipiunt. Regij victores cum triumpho Groningam ingrediuntur. Dum hæc in Friſia fiunt, Diſtha Brabantiæ hoc modo in poteſtatem Ordinum cedit 8. Iunij. Hiſpanus quidam transfuga nomine Alonſus, tunc Orangij partes ſequebatur. Is coniuratione, vti ferebatur, inita cum quibuſdam malæ fidei ciuibus Dieſtenſibus, clàm aliquot Gallorum copias cogit, & admotis ad mœnia ſcalis Gallos intempeſta nocte muros conſcendere iubet, portámq; Sichemenſem aperire, ad quam ipſe cum equitatu Herentalenſi præſtolabatur. Germani præſidiarij eo die aut rari aut nulli excubabant. Quare ingreſſi Galli ſeu ope coniuratorum ciuium, ſeu à nullo impediti, portam non difficulter aperuere, & copias quæ foris erant, in oppidum intromiſerunt, Diſtemiumque in ſuam poteſtatem redegerunt. Duæ Wallonum centuriæ, abiectis armis fuga ſibi ſalutem quęrebãt. At tria Germanorum vexilla è legione Comitis Ladronij, qui iam quatuordecim annos in Belgio Regi militauerãt, ad extremum vſq; ſpiritum cum omnium hoſtium admiratione tam fortiter pugnarunt, vt quo loco quiſque viuus certaret, eumdem occumbens tegeret. Ceciderunt cum illis plurimi ex inuaſoribus, inter quos & nonnulli celebres cẽturio-

Orangiani cladem à Regiis accipiunt.

Deſiderati Orangiani 1500. ex Regiis tantùm 55.

Regij occupant etiam Coeuordã; inde Groningam cum triũpho ingrediuntur.

Diſtha cedit Ordinibus, etſi diu reſiſtẽtibus ſtrenuè Germãis.

turiones. Sichema quoque & Arſchotum oppidula pęnè deſolata eodem tempore in poteſtatem Ordinum venerunt. Eodem menſe Iunio Villerſij Baro Ordinum nomine Bouchainium Hannoniæ oppidum iuſto cuſtodiens præſidio, vt Noircarmium Sellæ Baronem & Odomarēſium Præfectum caperet aut trucidaret, ſimulat ſe Regi velle conciliari conditionibus nobilium Arteſienſium ac Hannoniorum, additiſque magnis promiſſis, Sellęum Duaco octingentis cum viris optimè armatis Bouchainium venientem, aperta ex promiſſo recipit porta. Sed cum quadringentis ingreſſo Sellæo, cataracta deorſum adacta, ceteros excludit: mox maiora minoráq; tormenta opportunis locis in hunc euentum collocata, in eos qui intus ac foris erant, ingenti Regiorum cum clade exonerantur, cadúntque ſupra ducentos, totidē ferè cum Sellęo capti, ceteri excluſi celeri fuga Duacum ſe recepere. Sellęus Rammekam Zelandiæ atcē miſſus, ibi anno 1584. in carcere obiit. Eodem ferè tempore ipſa nocte D. Ioannis, Bruxellenſes ſimili proditione Montignium ac Richeburgium in poteſtatem redigere cogitarant. Clàm enim, vt cum nouē equitum turmis ac tribus peditum legionibus venirent, quidam coniuratorum ſpecie iuſſerant, aperturos ſe eis portam Viluordianam. Intereà Orangianum Concilium idoneis locis ita neceſſaria omnia conſtituerat, vt ſi intraſſent, cæſi aut capti omnes fuiſſent. Sed in tam vaſta, populóq; omnium opinionum tum abundante vrbe, hęc clàm manere non poterant. Pauci enim egreſſi, Ducibus, quid intus paratum eſſet, detexere: quod tum pro certo credidere, cùm à Parmēſi admoniti de Bouchainiana proditione ac Sellęi clade litteras accepiſſent. Quare mox frena vertentes, agro priùs Bruxellano ac Viluordiano inſigniter vaſtato, quo venerant itinere Cortracum rediere. Diximus antè, Scheinkium cum ſuis Groningam triumphabundum ingreſſum. Hîc mox poſt vnius aut alterius diei quietem Rennebergius cum parte copiarum ad obſidionem munitionis in Delfzijl profectus eſt: priùs tamen locum *Den opſlach* vulgò dictum intercipiendum eſſe viſum eſt: ad quem defendendum miſſa ſunt ab Ordinibus duo ſigna: quibus cæſis, Regij propugnaculum occuparunt 7. Iulij; qui in eo erant, præſtito iuramento ſe trimeſtri ſpatio Ordinibus non militaturos, dimiſſi, ad Holachium ſeu Hohenlonium profecti, ab eo Steenwichum miſſi ſunt. Rennebergius Collum (hoc loci nomen eſt) contendens, Dockomium capere geſtiebat: ſed Ordines oppidum hoc munierant, & fortiſſimum præſidium impoſuerant: quare poſt primum aſſultum Rennebergius ſuos Collum reduxit. Etenim Entius quoque Coeuordæ Satrapa, dum Meppelium reædificat, ab Ordinibus cęditur, fugatúrque. Intereà præſidiarij, qui in Delfzijl erant, magna laborabant rerum penuria. Hollandi eò naues quaſdam bellicas

1580

Villerſius multos Regios proditoriè Bouchainij trucidat.

Idem moliuntur Bruxellenſes in Regios, ſed fruſtrà.

Itaque Regij agrum vicinum inſigniter populantur.

Rennebergius pro Rege obſidet Delfzijl.

1580 mittunt. Holachius quinquaginta naues cogit, eáſque omni apparatu bellico, omniſque commeatu onuſtas, ad obſeſſis auxiliandum velificare iubet: ipſe quoque illuc proficiſcitur. Sed & Hollandiæ Archithalaſſus Duuenuordius eiuſque Vicarius ſubſidio venerunt die Iulij 23. Sed cùm omnia itinera, ipſéque portus ita eſſet obſeſſus, vt nuſquam aditus pateret, nauibus in altum reductis, ſpem ſuccurrendi abiecerunt. Cumque obſeſſi, aliquamdiu pullo vexillo erecto, calamitatem ſuam fruſtrà ſignificaſſent, tandem cum hoſte paciſcuntur: depoſitis armis albis virgulis exirent; tribus menſibus ab omni militia conquieſcerent; Capitaneos omnes in Rennebergij poteſtatem traderent. His confirmatis, Delfzijl 29. Iulij in Regiorum manus venit. Auguſti 4. Holachius ſuas copias iterùm cogit: euocarat aliquot peditum ſigna, quæ iuxta caſtrum Nienoort cõſederunt. Non ignorans hoc Rennebergius, eò magna cum celeritate contendit, manúſque cum illis conſerens cladem intulit: mox Holachius auctus nouis Anglorum & Gallorum copiis Rennebergium inſequitur; qui Groningam reuerſus, mœnibus ſe continebat. Vrgebant confœderati, vt Holachius vrbem obſideret; ſciebant enim nõ magnam in ea eſſe frumenti copiam. Sed quia in exercitu quoque Holachij penuria eſſe dicebatur, & eruptiones hoſtium formidabat, Coeuordam Holachius mouet, vbi dum Arcem luſtrat, qua parte munita minùs eſſet, Ricoldus Tribunus capitur, & Naſſouius Comes in læuo crure globo ferreo grauiter ſauciatur, tamen 15. Auguſti Arcem deditione receperunt. Commemorauimus ſuprà, Ducem Alenſonium ſeu Andegauenſem ab Orangio vehementer Ordinibus & plebi fuiſſe commendatum, velut cui vni omnium quàm tutiſſimè, reiecto Philippo Hiſpaniarum Rege, Belgium poſſit committi. Conſenſerant in eum Ordines menſe Iunio; ſed dum conditiones, quibus reciperetur, difficiliùs quæ omnibus placerent, concipiuntur, demum 12. Auguſti in Conuentu Ordinum Antuerpię ad eum ablegantur in Franciam Aldegondius, Dohainius, Heſſelius, Prouinſius, Tayardus, Caron & Vosbergius, qui Pleſſilij Turonũ 29. Septembris Articulis viginti ſeptem cum eo tranſegerunt; quorum hi ſunt præcipui: Primus, Eligũt Belgarum Ordines Franciſcum Valeſium Ducem Andegauenſem & Alenſonium Regis Franciæ vnicum fratrem in ſuum Principem, nominibus, titulis, & iure ſupremi dominij, vt præcedẽtes Principes Belgij eas Prouincias poſſederũt. Secundus, Succedet ipſi legitima eius maſcula proles, & caſu quo plures habeat liberos maſculos, eligent ex iis Ordines quẽ velint. Quintus, Obſeruabit is omnia Belgij priuilegia antiqua & conſuetudines, etiã Vnionem Vltraiectinam, qua parte præſẽti Tractatui nõ aduerſatur. Sextus, Ratas habebit omnes Ordinationes ab Archiduce Matthia & Ordinibus factas, tã in generali

Hollandicæ naues ſuccurrere loco fruſtrà conantur.

Ita in manus Regiorum Delfzijl deditur.

Obtinet Holachius deditione Coeuordã.

Decernuntur Legati ab Ordinibus ad Alenſonium, ſeu Andegauenſem.

Articuli præcipui, quibus Alenſonio Belgium traderetur.

quam

» quã particulari. Septimus, Conuocabit ipſe Ordines Gener ales vt mini- 1580
» mũ ſemel in anno; poterunt autem ipſi cõuenire ſeu congregari, quotieſ-
» cũq; iis placuerit. Octauus, Reſidebit idem in Beligo, niſi aliud neceſſitas
» poſtulet; & longiori tempore ſe abſentans, ſubrogabit in ſuum locum na-
» tum Belgam, Ordinibus gratum, & cum eorum conſenſu. Nonus, Ha- *Inter cetera, vtetur ſolis Conſiliarijs Belgis ſibi datis.*
» bebit ſua Celſitudo Conſiliarios Belgas natos, quales Prouinciæ ordina-
» bunt, vel iam ordinarunt, ſine aſſiſtentia exterorum, Francorum, vel alio-
» rum, niſi fortè vnius aut alterius qui grati ſint Prouinciis, & cum conſen-
» ſu earumdem, ad quas perpetuò pertinebit nominatio. Vndecimus, In
» eligendis officiariis ad Gubernationem Prouinciarum & munitionum,
» & ſupremis Bailliuis ſeu Prætoribus, tres ipſi à Prouinciis proponentur,
» ex quibus vnum eliget. Duodecimus, Sua Celſitudo promittet obſeruare *Obſeruabit etiam Religionẽ, vt nũc eſt, aut vt per Ordines diſponetur.*
» Religionem & pacem Religionis in Prouinciis Belgicis eo modo vt nũc
» ſunt, vel vt per Ordines cuiuſque Prouincię poſteà diſponentur. Deci-
» musquintus, Curabit S.C. vt Rex Franciæ eum eiuſque heredes ſuis opi-
» bus & potentia iuuent contra hoſtes Prouinciarum, ſiue Regem Hiſpa-
» niarũ, ſiue alios. Decimusoctauus, S.C. obligabit ſe bellum geſturum &
» Prouincias defenſurum iis opibus quas à fratre Rege & à ſeipſo habebit,
» quibus iungent Ordines quotannis ſummam duorum millionum &
» quadringentorum millium florenorum: ex quibus ante omnia ſatisfiet
» Belgis militibus, & præſidiariis competenti numero. Vigeſimus, Non *Non poterit exteros præſidiarios in vrbibus conſtituere, ſine earum conſenſu.*
» poterit S. C. Francos aut alios exteros præſidiarios in vrbibus aut muni-
» tionibus conſtituere ſine conſenſu Prouinciæ in qua loca illa ſunt: &
» quod ad natos Belgas attinet, illos conſtituet cum præuia deliberatione
» dictorum Conſiliariorum. Vigeſimus primus, Sed ad neceſſariam refo-
» cillationem militum ordinabuntur à Prouinciis commoda loca, in qui-
» bus, cùm opus erit, hiemare poſſint. Vigeſimus tertius, Non poterit fœdus
» vllum inire cum Hiſpaniarum Rege, aut Prouinciis nondum iis vnitis,
» niſi cum deliberatione, conſenſu & voluntate earumdem Prouinciarum.
» Vigeſimus ſextus, Caſu quo S.C. eiúſve poſteri in aliquo Articulo huius *Caſu quo in vllo Articulo delinquet, nulla ei debebitur ampliùs obedientia.*
» Tractatus delinquent, tunc ipſo facto Ordines liberi erunt & ſoluti ab
» omni fidelitate & obedientia, poterúntq; alium eligere ſibi Principem,
» vel alia quam probarint ratione rebus ſuis prouidere. Hi Articuli ita
vtrimque fuerunt ſignati dicto die 29. Septembris, promiſſo tamẽ, quoſ-
dam pleniùs declarandos, ne quis prauus intellectus ſuboriatur. Sub idẽ
tempus typis prodiit Epiſtola quædam velut Orangij Principis vltimo
Iulij Antuerpia per mare ad Andegauẽſem miſſa, & à Regiis intercepta, *Epiſtola quædam, vt ferebatur, Orangij, tunc temporis intercepta.*
» in qua hæc inter cetera: Quod ad negotium Religionis attinet, notum
» eſt & manifeſtum, in materia Status ſeu Politiæ, Principem qui magna
» moliatur, non debere vllo modo de ea eſſe ſollicitum: idque propterea,

1580 quòd vtvt res etiam peſſimè cadat, ſẽper in promptu habeat aliquas oc- «
caſiones eam mutandi & temperandi, temporibuſque & rebus accom- «
modandi. Et nonnullis interiectis: Ita vt nihil reliquum ſit quàm prom- «
ptè manum operi admouere; tantùm opus erit in initio militem ſub diſ- «
ciplina continere, & paulatim dimittendo Belgas, callidè Francos alioſq; «
exteros fidos inſerere; quod facile erit, nunc hoc nũc alio prætextu, poſt «
quam ibi tantæ ſint diuerſitates Religionum. Et eamdem ego viam ſe- «
cutus ſum in Hollandia & Zelandia, iunctis ſimul aliis mediis, quæ ſuo «
tempore V.C. coràm libenter omnia aperiam. Hæc in illa Epiſtola ſeu «
litteris: de quibus hunc in modum Aiſingerus Auſtriacus in Leone Bel-

Sententia Aiſingeri Auſtriaci de dicta epiſtola.

gico: Etſi, inquit, Parmenſis litterarum harum inſpectionem omnibus qui vellent, etiam Edicto publico conceſſiſſet, negat tamen Orangius in Annexis ſuæ Apologiæ has à ſe ſcriptas. Sic ille. Nos Lectori iudicium itaque relinquimus. Intereà Archidux Matthias, videns Ordines iam tunc menſe Iunio in Alenſonij Principatum conſenſiſſe, die 22. Iulij in Ordinum conſeſſu Antuerpiæ Gubernationis titulum ſponte abdicarat,

Archidux Matthias ſponte Gubernationẽ deponit, grauiter Ordines admonens.

his ferè verbis, vt volunt, vſus: Vocatum ſe non ambientem ad Belgij « gubernacula, feciſſe pro ætate quæcumque poſſet; ſed neſcire ſe quorum « peruerſis conſiliis omnia peſſum eant. Partem quidem eorum nõ alium « Regem nec Religionem quàm Catholicam petere, ſed alios Francum fa- « tigare, quoſdam Rempublicam Venetorum, illos Helueticorum circũ- « ſpectare, vt imitentur: poſtremò eſſe qui nouos Dominos nouis cum di- « uinis humaniſque cupiant legibus. Hæc videre ſe diutiùs non poſſe, fer- « re multò minùs. Sed videant in quos caſus vitam fortunáſq; conijciant: « negotium illis eſſe cum potentiſſimo totius Europæ Rege, qui etſi cen- « ties, imò millies victus, reſurgere ſempérq; acriùs inſurgere poterit. Hæc, « inquit, à iuuene vobis propoſita ad animũ admittite, & ampliùs ſocium « eſſe nolentem honeſtè dimittite. Reſtituo vobis, quidquid in me dicto « ſacramento conferre potuiſtis poteſtatis auctoritatiſque; iis vtimini vt « Deo ac Regi aliquando rationes reddendas agnoſcatis. Sic Archidux. Et « quidem cupiebat magna Concilij pars eum honeſto commeatu, comi-

Multo tẽpore manet, antequam honorarium ei decernitur.

tatu, ac munere honorario proſequi, & ad Belgarum fines deducere, ſed variis artibus impedientibus aliis, nihil decerni potuit; manſitque dum neceſſaria parantur vſque in menſem Martium anni ſequẽtis. Tum enim ex Francia redeuntes Legati receptum Alenſonium demonſtrant (etſi non ante Februarium anni octogeſimi ſecundi ipſe in Belgium venerit) atque exinde Ordines Archiduci de humana gubernatione gratias agẽtes, è tribus ciuitatibus vnam legere iubent, vbi poſthac priuatus honeſtiſſimè degeret, donec eum pro merito ac dignitate remuneraſſent. At ille aulicam noſcens ſimulationem, nil ſe petere dixit, quàm vt prudenter

ter rectéque agerent; rebúſque conſtitutis, itineri ſe dat. Domeſtici Nobiles Belgæ ac alij nonnulli voluntarij eum Duſſeldorpium, vbi Cliuiæ agebat Dux, comitantes valedixere: à quo deinde multis diebus honorificè exceptus, muneribúſque excultus eſt, ac à nobili comitatu ad Coloniēſes deductus; qui eadem ratione eum honorarunt, comitatiq; ſunt, donec ad vlteriores limites peruenisſet. Tandem in Alſatiam ac Tirolim profectus, poſtremò Pragam Boëmiæ caput ad fratrem Cęſarem Rudolphum eſt reuerſus. Sed ad narrationem eorum quæ armis intereà geſta ſunt veniamus. Dudum Parmenſis extructis munitionibus Cameracum premebat; at videns, Cameracenſes auxiliares Francos (quod & ſuperiùs attigimus) admiſiſſe, tum vt ſe de Villerſio vindicaret, poſt captum Dominum Selleum, Bouchainium menſe Auguſto copias duxit, ac nocte diéque acriter oppugnare Villerſium cœpit; qui iuſtam ruinam ad inuaſionem factam videns, Ordinéſque exercitum in promptu non habere vt ſe liberent, ea conditione 5. Septembris deditionem fecit, vt cum familia, armis ac impedimentis liber Cameracum cum inermi præſidio abiret. Foderant præſidiarij Villerſij iuſſu, ignaris ciuibus, diuerſis platearum locis foſſas, eáſque puluere bellico replerant. Diuerſis quoque in ędificiis incendiarias puppas puluere tormentario plenas abſconderant, eáque arte diſpoſuerant, vt cùm Cameracum intraſſent, tunc primùm concepto igne, homines ædéſque conſumerent. Sed volente aliter Deo, tantùm duobus locis excitatus eſt ignis, tamen circiter centum abſumpſit domos, paucóſque ambuſſit homines. Quod ad Friſicum bellum attinet, nuper cùm Rennebergius in obſidione Delfziilana eſſet, Hohenlonius munitionem, *den Opſlach* vulgò dictam, recuperarat, propugnacula firmarat, ſex peditum ſigna in ea deduxerat, commeatúq; inſtruxerat. Rennebergius, cùm ſua plurimùm intereſſet, hoſtíſne an ipſe eo loco potiretur, eò attractis maioribus tormentis copias aliquantas adduxit, munitionémque oppugnare cœpit, ita vt præſidiarij trepidantes mox ſe dederent. Inde in Slochteren profectus, Naſſouij & Michæ pedites inuenit; qui audito Regiorum aduentu, recipiunt ſe in Bortangam locum anguſtum & paludoſum: quò Regij eos inſequentes, eo loci Holachij quoque copias inuenerunt. Inſtructis aciebus grauiſſimum hîc commiſſum eſt prælium: initio vtrimque multi ceciderunt, tandem vi-ctores Regij in hoſtium aciem cruentam impreſſionem facientes, inſignem illi cladem intulerunt. Periere circiter mille, cum ſex militaribus ſignis: plurimi locis vliginoſis immerſi miſerè mactabantur. Acta ſunt hæc 3. Septembris, cùm Rennebergius nona deinde eiuſdem menſis Coeuordam iterùm oppugnauit, ac vigeſimo die eiuſdem Septembris recuperauit: qui in Arce erant, plerique relictis Ordinibus partes Regis ſecuti ſunt.

1580

Tandem Belgio decedit.

Ingreſſis Francis Cameracum, Parmenſis ad Bouchainium mouet.

Deditur Bouchainium à Villerſio, nec tunc ceſſante à fraude.

Rennebergius in Friſia recuperat den Opſlach.

Victoria alia Regiorum ad Bortangã, mille circiter ex hoſte deſideratis.

Coeuorda quoq; Regi ſe iterùm dedit.

1580 sunt. Hos felices Rennebergij succeſſus cùm Holachiani, qui ad obſidionem Lingenſem miſſi erant, audiuiſſent, relictis caſtris inde diſceſſerunt. Rebus Coeuordæ conſtitutis, Oldenzaliam Rennebergius mouet, quæ metropolis eſt Twentiæ. Erat ibi relictus ab Holachio oppidi Prę-fectus Baro quidam Auſtriacus Eck, adoleſcens imberbis, ſed prę-ſidium è veteranis erat conſtitutum. Cohors enim Domini de Svvitem, Viſcherus item Amſtelodamenſis cum ſuo peditatu, & Ellenbornius Vicarius Gorij cum aliquot equitibus oppidum cuſtodiebant. Et quidem cùm Rennebergius illud magno furore oppugnaſſet, multóſque hac ratione è ſuis deſideraret, obſidionem pęnè ſoluere decreuerat: ſed ecce oppidani intereà deteriora metuentes, præſidiarios in eas anguſtias redegerant, vt oppido exire parati eſſent: moxque ad Rennebergium miſerunt, eique oppidum 24. Septembris certis conditionibus dediderunt: inter ceteras Præſidiarij cum omnibus impedimentis dimiſſi ſunt, poſtquam iureiurando promiſiſſent, ſe trimeſtri ſpatio contra Regem non militaturos. Inde Rennebergius exercitum Suollam tranſportat, quæ non ita dudũ in partes Ordinum tranſierat. Cùm enim vrbs hæc anteà nullum præſidium habuiſſet, cauerant multo tempore ciues, ne alterutram partem offenderent. Ceterùm cùm Regij ductore Schenckio Rhenum traieciſſet, & Groningam cogitarent, Caluiniani metu, & Catholici ſpe incitati arma corripuerant, vt de vrbis dominio certarent; multa enim Catholici à Caluinianis indigna ſe pati aſſerebant. Hac occaſione ciues in duas factiones diuiſi fuerant. Caluiniani ductore Vigero Centurione forum, templum S. Michaëlis, portam Campenſem, & Rubram turrim occuparant, & confeſtim miſerant, qui Dauentrienſium & Campenſium opẽ implorarent. Itaque decimoſeptimo Iunij duo ſigna ciuium Dauentrienſium & aliquot manipulos è præſidio Campenſi in vrbem receperant. Econtrà ruſtici plerique, qui in vrbem magno numero ob tyrannidem equitum Germanorum commigrarant, partes Catholicorum ſequebantur. Tandem, quia Schenckius iter ſuum aliò inſtituebat, Catholici ſuccubuerant: multi vrbe eiecti, & eorum ædes direptæ erant. Quo tempore multæ quoque villæ in Maſtenbroeck, & caſtrum quoq; Geelmudenſe à Suollanis incendio abſumptum eſt. Rennebergius ergo vt Suollenſes in Ordinem redigeret, vrbem vndique ineunte Octobri obſedit. Miſerunt eò confœderati maius præſidium cum Percino Michæ Vicario, & Centurione Creſſoniero, qui omnes ferè à Rennebergio capti ſunt. Verùm cùm Rennebergius intereà certior factus eſſet, noua ſibi auxilia ductore Struffio mitti, quæ iam Rhenum traiecerant, ſed vndique ab hoſte circumcluſa vix perrumpere poſſe viderentur, relicta tantiſper obſidione Suollana, eis obuiàm proficiſcitur. Intereà Hegemannus

Similiter poſt aliquantam oppugnationem Oldenzalia.

Cruenta Suollenſiũ inter ſe diſcordia.

Tandem Catholici ſuccũbunt, multiq; vrbe pelluntur.

Rennebergius, relicta obſidione Suollana, ſubſidiariis ſuis occurrit.

nus Anholtum, eò quòd Dominus oppidi pro Rege faceret, diripuit atq; exuſſit. 1580 Coniunctis Friſiorum & Geldrorum (ſic enim Struthij copiæ appellabantur) legionibus, ne quid à tergo relinquerent, Doetechemum in Comitatu Zutphanienſi oppidulum obſederunt: ſed quia Friſij extra patriam, in cuius ſalutem ſe militare dicebant, diuturniorem moram facere noluerunt; contrà Geldri, relicta ſua patria, Friſios ſequi recuſarunt; orta eſt inter illos contentio: re tamen compoſita, ſimul relicto Doetechemo in Tranſiſulaniam ire parati ſunt. Denique Rennebergius mutato cõſilio, videlicet ne hoſtem à tergo relinqueret, relicta Suolla, Steinwicum 18. Octobris obſidere parat. *Regij Steenvvicum obſident.* Habebat in caſtris quatuordecim ſigna Friſiorum, quorũ ſummus Vicarius Mommius eodem die ictus è mœnibus globo occubuit, cuius in locum Ioannes Baptiſta Taxius ſurrogatur: habebat nouem ſigna Geldrorum, quinque etiam tyronum nuper adlectorum, & aliquot equitum cohortes. In oppido ſexcenti erãt pedites præſidiarij, præter equites non adeò multos: his præerant Olthouius, Korenputtius, Platius & Berenbroekius. Non procul à Steinwico maritimus locus eſt inſtar portus, qui *Kuynder* ab incolis appellatur. *Obtinent munitionẽ de Kuynder dictam, caſis præſidiaria.* Erant hîc in præſidio Confœderatorum cohortes duæ, quas Eſcheda & Langius ducebant. Miſſi ſunt huc ex Regiis Gemen & Snater, veterani militum Duces, qui intempeſta nocte vallum ſuperarunt, hoſtes interfecerunt, & Eſchedam captum abduxerunt, Langio ſcapha elabente. Vigeſimo ſeptimo Octobris Rennebergius ipſe in caſtra ad Steenwicum venit, miſſóque Feciali, dedi oppidum poſtulauit. Sed militum Præfecti reſpondent ſe alium non agnoſcere Dominum quàm Principem Orangium & Ordines Generales. *Ipſe Rennebergius in caſtra ad Steenvvicum venit.* Friſij in Septem-ſiluas, quas *Seuenvvolden* vocant, quatuor peditum centurias miſerant, quæ excurſiones hoſtium impedirent: quod cùm in caſtra relatum eſſet, miſſi ſunt eò cum ſuis cohortibus Oyenbruggius, Gemen, & Snater, qui Friſios fuderunt. Inde Regij Sloten oppidulum maritimum occupant, vbi Doco Martenam comprehendunt. Paulò pòſt oſtium Lemmeræ, non minimi in Friſia fluminis, Ordinibus eripiunt. *Reinerus Dekema Staueram pro Rege intercipit.* Reinerus quoque Dekema Staueram intercipit, arcemque reparat, & in Mackum propugnaculo ædificato, ad portas vſque Harlingæ, Franekeræ, atque Bolſvverdæ excurrit, hoſtiumque agros deprædatur. Friſij, vt excurſiones has impedirẽt, mare in agros, perforatis aggeribus, immittere ſtuduerunt; ſed quia æſtas fuerat ſicca, nec ventus illis faueret, irritus erat conatus. Intereà Confœderati Steenvvicanis ſubſidia parare incipiunt, contractis tumultuariis aliquot cohortibus, eas in Monaſterium, quod Campus S. Ioannis appellatur, mittunt, quorum ſupremus ductor erat Hegemannus. Regij 17. Nouembris aliquot centurias hoſtes oppugnatum mittunt; velitatur, pugnatur

1580 aliquamdiu. Tandem Regij, ſuperato vallo, in Monaſterium irruunt,
Caduntur, qui Steenvvicanis ſubſidio erãt miſſi. hoſtes cædunt, capiunt, ſternunt: tres Centuriones, captis ſimul vexillis, ſecum captiuos in caſtra cum triumpho, vexillis ad caudas equorum alligatis, inſpectantibus Steenwicanis, ducunt. Inuenerant in Monaſterio magnam pulueris tormentarij copiam, ſibi non inutilem. Poſtridie itaque attractis tribus machinis æneis, tectum & pinnas portæ vrbis Steenvvicanæ, quæ à Xenodochio nomen habet, verberare cœperunt. Multi rati hoſtes oppugnationem parare, omnia ad defenſionem comparant; Korenputtius tamen aliud moliri hoſtem clamat, quòd ſummitates tantùm portæ feriret. Deiecto itaque portæ faſtigio, cùm ædium tecta ſe oſtentarent, ignitos globos Regij eiaculabantur. Non aduertebant id obſeſſi, donec quatuor aut quinque locis luculentiſſima flamma ex ædium tectis aſſurgeret. Oritur ingens clamor, toto oppido trepidatur: præſidiarij immoti in mœnibus ſtant, ciues incendium reſtinguere totis viribus annituntur. Deformato grauiſſimo incendio oppido, Rennebergius iterùm Fecialem mittit, qui veniam illis & gratiam Regis offerret, ſi ſe dederent. Per triduum in oppido tumultuatum eſt, ſententiis inter ſe diuiſis, tandem decretum, cum hoſte ad colloquium non conueniendum, fruſtrà reclamante maiori parte ciuium; quos Stentoria voce ſua terruit Korenputtius: cumque ſilentium impoſuiſſet omnibus, lanio quidam lugubri voce, Et quid, inquit, omnibus conſumptis tandem erit? reſpondens truculentus homo: Tunc & te, & tuos, inquit, vorabimus. Ita Rennebergius vſque ad Februarium anni ſequentis Steenvvicæ aſſedit, nec tamẽ ea potitus eſt, vt ſub initium dicti anni pluribus narrabimus. Eiuſdem menſis Nouembris die 8. Guilielmus Hornius Dominus de Heze Gubernator pridem Bruxellenſis, læſæ Maieſtatis atque proditionis accuſatus & conuictus, Querceti Hannoniæ oppido, vulgò Queſnoy, capite truncatus eſt. Erat hic Domini Gaesbeci filius, qui primus omnium, captis Bruxellæ Proceribus menſe Septembri anni ſeptuageſimi ſexti, vt dictum eſt, ſecundi belli Belgici claſſicum cecinerat: ſed cùm apud Ordines eas quas venabatur dignitates conſequi non poterat, ſeu vt alij volunt, cùm apud eos fidem Catholicam peſſumdari vidiſſet, ad Regios defecerat; rurſúmque cùm à Regiis non eo quo volebat honore haberetur, ad Ordines tranſire deſtinabat. Pactum igitur cum Alenſonio & Ordinibus inierat, vt certa quædam loca, quæ Regij tenebant, ipſis traderet. Habebat in hoc opere complicem iuniorem Warauxium Dominum Tiam Gubernatorem Caſſelenſem. Sed detecto ipſorum conſilio, Warauxius fugit; Heſius ab ipſo Marchione Rijsburgio captus, & Parmenſi traditus eſt. Eodem menſe Nouembri Antuerpiæ ac Bruxellæ, aliiſque itẽ locis, Catholici, acceptis à Magiſtratu Caluiniano ſchedulis, cauſam

Oppugnat Rennebergius Steenvvicum.

Ignitis globis magna pars oppidi incendio deformatur.

Dominus de Heze proditionis reus capite plectitur.

Eius qualitates, & vita curſus.

exilij

exilij tamen non exprimentibus, certo die, adiecta pœna, exire patriâ magno numero ſunt iuſſi; inter quos fuere, Cancellarius, Procurator Brabantiæ, Ærarij Belgici Præfectus, ac Secreti Concilij aliquot: inſuperque publico Edicto cautum, vt quicumque tribus continuis annis in hiſce vrbibus non habuiſſent familiam, rebus omnibus ablatis, aliò migrarẽt. Paulò antè 25. Octobris præſidium Tornacenſe intempeſta nocte vrbe egreſſum oppidum Hannoniæ Condæum, appoſitis ſcalis, pauciſq; vigilibus interfectis ſub auroram occuparat, ac diripuerat, ditioribus ciuibus captis, ac libertatem magno redimere coactis. Et quidem poſtero die diſceſſerant, quòd oppidum parum munitum, tormentiſque carens, defendi non poſſe cernerent; ſed Regij vicinique Hannones vndique Tornacenſes inſecuti, tandem ſunt aſſecuti, ac prædæ captiuorúmque maiorem partem recuperauere. Antuerpiani hoc tempore quoque pro Brabantia Orangiana nouum Nationale Concilium, quod vernacula vocabant lingua *Lant-raet*, inſtituerunt, conflatum è diuerſarum ciuitatum viris, Nobilibus, mercatoribus, & ſellariis, numero viginti quatuor, penes quos ſumma eſſet belli auctoritas; quod & alij ſunt imitati. Quin menſe Decembri Caluiniani in Diœceſi Vltraiectenſi erectis ſignis in pagos quoque irruerunt, effractíſque templorum foribus in Soeſt, Baern, Lueſden, Iſſelt, quidquid Eccleſiaſticæ ſupellectilis reliquum erat, diripuerũt, fregerunt, dilacerarunt; campanas è turribus deiectas abſtulerunt, & in tormenta bellica Flandrorum exemplo conflarunt. Eodem hoc menſe Decembri magnis plauſibus excepta prodiit Orangij Apologia contra ſuperiorem Regis Proſcriptionem ab eo edita, in ſolemni Ordinum conſeſſu 17. Decembris mirè collaudata, & ſemel atque iterùm typis excuſa: plures tamen exiſtimarunt parum eum ad rem reſpondiſſe. Inter cetera, quòd Rex obiecerat, eum, cùm vaſallus ſeu cliens eſſet, ſine conſilio ſui Domini non debuiſſe nuptias cum Saxonica inire, non ſatis fuiſſe dicebant, conuitia multa & pudenda, (quæ nec in priuatum facilè probari poſſent) in Principem ſuum femineo impetu effudiſſe; at probandum ante omnia, eas nuptias ſibi incõſulto ſuo patrono fuiſſe permiſſas. Nempe id ex Annalibus Flandriæ liquet, multis annis Flandriam cruentiſſimo bello à Rege Francorum fuiſſe fatigatam, ob id tantùm, quòd Guido eius Prouinciæ Comes ſub annum Domini 1296. Rege illo, cuius cliens ſeu vaſallus tum erat, inconſulto, filiam ſuam filio Angliæ Regis deſpõdiſſet: quid ergo ſi filium? Et quod caput controuerſiæ eſt, non ſatis eſſe aſſerere, ſe ab Henrico II. Francorum Rege didiciſſe, iam ante exortas turbas Albanum Regis Hiſpaniarum nomine ſanguinaria cõſilia ad opprimendos hæreticos agitaſſe: probandum id erat; nec Orangio in hac cauſa vt in propria credendum; maximè quòd & ipſe in dicta Apologia fatea-

1580

Catholici multi Antuerpiæ & Bruxellæ, indicta cauſa, iubentur exulare.

Tornacenſibus Condæi oppidi præda iterũ eripitur.

Antuerpiæ nouum Cõcilium dictũ Nationale.

Apologia Orangij contra Regiam proſcriptionẽ.

Diuerſa diuerſorũ de ea opiniones.

1580 fateatur, ſe iam tum à puero Reformatæ quam vocat Religioni fauiſſe. Tum illud præſertim in quæſtionem venit, vtra pars facto aliquo publico & notorio cauſam turbarum dederit: de quo ex toto decurſu horum Annalium cenſeo iudicandum. Sed ad alia pergamus. Eodem menſe Decembri Montfortius Hattemenſis Geldriæ oppidi Satrapa, contractu cum Regiis inito, noctu milites aliquot à Schenckio miſſos in Arcem recepit: manè, eruptione in oppidulum facta, portam occupauit, & Hegemannum apud Ordines militiæ Præfectum cum Præfecto Haen & duobus Nobilibus in diuerſoriis comprehenſos in Arcem abduxit. Ceterùm cùm militum numerus minor eſſet, quàm qui ex pacto promiſſus erat, ciues portas recuperarunt, militeſque vnà cum Satrapa in Arce obſederunt, ex omnibus vndique locis auxilia conuocantes, attractiſque ad caſtrum tormentis grauioribus, maximo conatu muros per aliquot dies verberarunt. Qui in Arce erant, fortiter ſe defendebant; ſed quia ſperata ſubſidia necà Rennebergio, qui tunc in obſidione Steenwicana erat, nec à Schenckio mitterētur, vanis Hegemanni captiui pollicitationibus corrupti milites turpiter Arcem 18. Decembris dediderunt, Satrapámq; turpiùs prodiderunt: qui cum patre, matre & ſororibus captus, Arnhemium miſſus, & immaniter tortus, tandem cum patre octogenario in publico foro, fruſtrà Parmenſi, Domino Anholtio & aliis, ne interficerentur, deprecantibus, capite plexus, & in quatuor partes ſectus eſt: in cuius ſanguinis vindictam aliquot ciues poſteà à Regiis ſunt iugulati. Hoc anno finē accepit diſceptatio de iure Regni Luſitanici: de quo in hūc modum Mariana Hiſpanus in ſuo Auctario: Triſti cæde Sebaſtiani Regis fine anni ſeptuageſimi octaui in Luſitania renuntiata, continuò Henricus Cardinalis cæſi Regis magnus patruus ſceptra capeſſit, extrema ætate ſenex ac valetudinarius. Breue imperium fuit menſium ſeptemdecim. Prolis cura de vxore iungenda à Proceribus actum. Id quoniam fore fruſtrà credebatur, multi Regnum ambire cœperunt: Rex Philippus matre Eliſabetha, Philibertus Sabaudus Beatrice natus; Emanuelis Regis vtraque filia erat, Eliſabetha maior. Parmæ Princeps, Mariæ coniugis, liberorúmque maſculorum ex ea ius vrgebat, Dux Brigantinus Catharinæ vxoris; erant Maria & Catharina neptes eiuſdem Emanuelis ex Eduardo filio, Maria maior, Catharina ſuperſtes. Antonius Occati Prior in idem certamen ingreſſus filius Ludouici, ex eo Emanuelis nepos, natalium vitium ſublatum excuſabat, patris cum matre coniugio. Vanum tamen id plerique exiſtimabant, neque rei tantæ idonei teſtes erant. Ancipiti cauſæ multa à Iureconſultis de legitimo iure diſputata; omnibus riualibus argumenta fautoréſque ſuppetebant. Erat Philippo deſtinatum à ſene patruo obtinere, vt ipſum potiſſimùm ſucceſſorē deſignaret. Verùm

Fatetur Orangius ſe iam tum à puero nouitia Religioni fauiſſe.

Hattemū oppidum & Arx à Regiis intercipiuntur.

Recuperatur ab Ordinibus, & Satrapa capite plectitur.

Breuiter de iure ſucceſſionis Luſitanicæ, ex Mariana.

Omnibus riualibus argumenta fautoreſq; ſuppetunt.

inter

inter has molitiones Henricus Rex obiit Almerini pridie Kal. Februarij huius anni octogeſimi. Denique eius obitu res ad bellum deducebatur, quoniam Luſitanos quidquam pro ſano facturos conſenſu non ſperabatur. Copiarum Dux quęrendus erat. Albanus Vzedæ vinctus tenebatur, quòd contra Regis mandatũ Frederico filio vxorem dediſſet, reiecta altera, cui fidem iunior dediſſe ferebatur in Reginæ obſequio verſanti. Eum è cuſtodia liberatum in Luſitaniam mittere viſum eſt. Rex ipſe Imeritam & Pacem Auguſtam acceſſit ad fines eius Regni. Modicæ copiæ erant, vix duodecim millia pedites, equites mille quingenti, verùm multis bellis exerciti, Hiſpaniæ militiæ flos. His copiis, Albanique diligentia ſemel ad Oliſiponem menſe Auguſto, & paulò pòſt ad Portum vrbem, Antonio victo, qui ſe fauore plebis Regem dixerat, Prouincia pacata eſt; quo tempore Philippus Rex ad Pacem Auguſtam decubuit, ſalute à Medicis deſperata. Et vix ipſe erat reſtitutus, cùm vxorem Reginam Annam Auſtriacam eo loci mors oppreſſit ad ſeptimum Kal. Nouembris. Ex ea quatuor filios ſuſceperat, Ferdinandum & Carolum qui iam obierant, Iacobum, qui paulò pòſt deceſſit, & Philippum tunc valetudinarium infantem, nunc ſuperſtitem Hiſpaniarum Monarcham, prętereà Mariam breuis æui. Hæc Mariana. Ad finem menſis Decembris obiit quoque Gerardus à Groesbeeck Epiſcopus Leodienſis & Cardinalis, poſtquam illi Eccleſię 16. annos magna cum laude præfuiſſet; cui die 30. menſis ſequentis ſuffectus eſt Erneſtus Alberti Bauarorum ſeu Boiorum Ducis filius.

1580

Mirum quid de Albani vinculis ſeu carcere.

Cedit Luſitania Regi Philippo.

Moritur Anna Auſtriaca Regis Philippi vxor.

Itẽ Groeſbeeck Epiſcopus & Cardinalis Leodienſis.

Adhuc Rennebergius in obſidione Steenvvicana hærebat. Noritz Ordinibus militans 15. Decembris in Cataractam nigram (vulgò *Svvarteſluys*) venerat, eamque à Rennebergio relictam vel neglectam (Stuperus enim poſt conflictum campi S. Ioannis, de quo anno præcedenti diximus, eam deſeruerat) occupauerat. Inde cum 23. cohortibus Meppelium venerat, tribus tãtùm vexillis in Cataracta præſidio relictis. Quod cùm Rennebergius intellexiſſet, confeſtim peditum cohortes vndecim, & ſex turmas equitum ad Cataractam miſit, vt eã recuperaret: qui quidem & per glaciem & per aggeres fortiter imprimentes acriter dimicarant, ſed qui in propugnaculo erant, non minùs ſtrenuè ſe defenderant, donec Noritz Meppelio cum maioribus copiis reuerſus Regios pedem referre cogit. Multi vtrimque deſiderati, ſed cùm Regij cum impetu cederent, glacies ſubſederat, multique ſubmerſi perierant. Sed & vltimo die anni elapſi, Noritz cum ſuis caſtra Regiorum à tergo, & oppidani à fronte oppugnarant: diu pugnatum eſt, non ſine vtriuſque partis detrimento: Regij tamen & caſtra ſua defenderant, & hoſtes repulerãt. Plurimum diligentiæ, laboris atque impenſarum Ordines, vt oppidum hoc

1581

Variæ velitationes ſeu pugnæ, ſedente Rẽnebergio ad Steenvvicum.

ab

1581 ab obſidione liberarent, inſumpſere; nec minore contentione Regij, vt ciues fame atque inedia ad deditionem adigerent, aduigilarunt. Interea Snoius pagum Bloczijl munit, & præſidium munitioni imponit. Steenvvicani quotidie ignibus incenſis ſuam ſociis neceſſitatem ſignificabãt, ſed Noritz eos ſolis litteris conſolabatur. Quare obſeſſi Conradum Theodori, & Olthouij Vicarium, in Ordinum caſtra mittunt, qui Præfectis viam modúmque præſcriberent, quomodo in oppidum perrumperent. Conradus per litteras ſignificat obſeſſis, manè ſummo in armis ſint, & eruptione facta, auxiliariis copiis occurrant. Magnus ea nocte apparatus ſtrepitúſque in oppido, nec minor in caſtris Ordinum. Rennebergius non ignarus hoſtem aliquid moliri, ſuos etiam iubet eſſe paratos. Tota nocte in armis excubabant vtrimque, donec manè penitùs obriguiſſent. Sed Noritz in Giethoren veniens, ibidem manſit, difficile eſſe viam ferro ſibi facere animaduertens. Ianuarij 12. obſeſſi, facta per domos inquiſitione, commeatum omnem in album retulerunt. Deinde aliquot diebus, litteris libelliſque famoſis mittendis remittendiſque pugnatum eſt: & Thomas Epirota Anglorum Præfectum Noritz ad duellum prouocauit: ſed ille Vicarium ſuum, conditionibus aliquot intermediis, miſit. Hi cùm aliquoties incruentis ictibus concurriſſẽt, quieuerunt, datiſque dextris, cùm ſimul compotaſſent, ad ſuos vterq; reuerſus eſt. Vigeſimo deinceps quarto Ianuarij Rennebergius Ordinum exercitum iterùm in campo S. Ioannis obſedit. Primo congreſſu multos capit, inde attractis duabus machinis, Monaſterium conuellere cœpit: obſeſſi ſeſe defendunt: ſed cùm ad magnam neceſſitatem veniſſent, miſſus eſt Dominus de Nienoort, & Adrianus Menningius cum duodecim ſignis, vt obſeſſis opem ferrent: qui cùm in Bloczijl veniſſẽt, intellexere, Rennebergium relicto Monaſterio in caſtra ſua rediiſſe, vbi miles tumultuabatur. Quarto Februarij Noritz ad Aquilonẽ in ſilua Steenvvicana, & Hiddigenſi monte, caſtra metatur. Habebat in caſtris 46. ſigna peditum, equitum verò ſex: Rennebergius eos fruſtrà oppugnabat. Nullum per hos dies pęnè momentum erat, quo non excurſiones eruptioneſq; fierent; in quibus nihil tamẽ hiſtoria dignum cõtigit, niſi quòd ex Regiis Snater Centurio veteranus exercitatiſſimus, occiſus eſt, ex obſeſſis autem Conradus Theodori filius non minùs apud ſuos celebris bipẽni ſit interfectus. Sexto huius menſis & 7. obſeſſis fame pęnè enectis (ciuibus enim multis moriẽtibus, militibus 6. panis librę ſingulis ſeptimanis dabantur) omnia ciuium ſecreta ſcrutatur Korenputtius, corraditq; quidquid edulij inuentum eſt, illud in vſum militũ recondens. Decimoquarto Februarij Noritz nuntiũ in oppidũ miſit, cum mandato, vt Aam fluuium tribus pontibus ſternerent, mediúmq; tam latũ facerent, vt curribus

Snoius pro Ordinibus pagũ Bloczijl munit.

Noritz auxiliaturus Steenvvicanis hæret in Giethoren.

Rennebergius Orangianos in campi ſancti Ioannis Monaſterio obſidet.

Redit Rennebergius ad caſtra Steenvvicana, militem ibi tumultuante.

Copiæ Ordinum ad ſoluendam obſidionem propiùs accedunt.

ribus per eum commeatum importare poſſet. Fecerunt id oppidani, pontéſque propugnaculis munierunt. Intereà Ordinum milites ſuas munitiones quotidie verſus oppidum & pontes hos promouebant, non ſine quotidiana velitatione & multorum cæde: & ecce 17. eiuſdem Februarij, cùm denſiſſimæ circumquaque niues, perpetua pluuia poſt diuturnum gelu liqueſcerent, in tantum aquæ vis adaucta eſt, vt Regij ſtationes deſerere, & ex paluſtribus locis in ſicciora ſeſe recipere cogerétur, nec equitatu vti poſſét. Hanc opportunitatem nacti Ordinum milites, qui in omnem euétum cum omnis generis commeatu in propinquo caſtra metabantur, per ſtagnantes aquas, profundiſſimúmque lutum & pontem ſuper Aam factum, in oppidum, qua parte à Regiis deſertum erat, irrumpunt, & quæ neceſſaria erant ad diuturniorem obſidionem ſuſtinendam bis abundè in Regiorum conſpectu important. Quo viſo, Rennebergius 23. Februarij obſidionem ſoluit. Durarat obſidio quatuor continuis brumalibus menſibus, multiſque ab vtraque parte viri militares ſunt deſiderati. Diſcedente cum copiis Rennebergio in ditionem Groninganam, ſtatim Noritz in poteſtatem redigit Oldenerctum, Cunderam, Lemmeram, Slotemium, ac quidquid iis in locis Regij tenuerant. Menſe Martio Aldegondius, Ohainius, ceteriſque Legati in Franciam dudum ab Ordinibus ad Alenſonium miſſi, Burdegalis cum eo ſecundò tranſegerant, Antuerpiámque reuerſi cum obſignatis tabulis ac litteris, quid egiſſent in Ordinum conſeſſu prolixè expoſuere. Cùm laudati munera acceptiſſent, ad excipiendum nouum Ducem neceſſaria parari cœpere. Sub idē tempus Flandri Orangiani, coactis Bellioli copiis, à Maruillanis trāſitum in Atrebates profecturi petunt. Erat Maruillæ cohors Regiorum vna, quæ ſe leui materia ſubitario opere munierat; ſed expugnata cæſaque cohorte, municipium diripitur, & vnà cum templo & his qui eò confugerant concrematur. Inde profecti ad pagum Watræum, templū inſigniter munitum fruſtrà oppugnant: cumque maiora accerſiſſent tormenta, nuntiatur Montignium cum tribus peditū equitúmq; millibus magnis paſſibus appropinquare. Quare deſerto Watræo, Dixmudam iter conuertunt, vbi cum equitatu eos aſſecutus Montignius, maiorem occidit partem, multiſque impedimentis eſt potitus. Vigeſimo Aprilis captus eſt Bruxellis molitor, qui litteras ad Catholicos intra extráque vrbem portarat, & 22. eiuſdem menſis, hoc eſt biduo pòſt, excitatus eſt ibidem ingens tumultus. Erat in vrbe Religioſus ordinis Prædicatorum, natione Flander, nomine Antonius Ruyskensfelt, qui frequenti auditorio Catholicè concionatus, ſummo à Caluinianis odio habebatur, ſæpiúſque à Templio vrbis Prefecto petierant, vrbe pelleretur, latrantem eum appellantes moloſſum. Cumq; importuni non deſiſterent, veriti Catholici, ne

1581

Solutis niuibus Regij ad loca ſicciora recedere coguntur.

Deſerit Rennebergius Steenvvicam.

Redeunt Antuerpiam qui cum Alenſonio tranſegerant.

Pugna aliquot leuiores in Flandria.

Ingens tumultus Bruxellæ pro quodā Ruyskenſfelt.

1581 tandem quod petebant obtinerent, hoc die mox poſt meridiem magno numero ad Præfecti ædes conueniunt, vt Ruyskensfeldio tutò ibi manere liceat, petituri. Quo Caluiniani conſpecto, arreptis armis in publicum prouolant, & Catholicos illos vrbe meritò pellendos clamitãt. Catholici econtrà maiori numero conuenientes, ſe ab iis communi patria pelli nolle reſponderunt, ita vt per vniuerſam vrbem armati ac in duas partes diuiſi ciues ſine dubio pugnam commiſiſſent, niſi quietiorum ac in auctoritate conſtitutorum virorum interceſſione fuiſſet impeditum; qui, vtraque parte vtcumque placata, vt poſitis armis ad ſua quiſque rediret, effecere. Terruerant enim Catholicos, quòd Templius Præfectus cum præſidiariis ſe Caluinianis iungere pararet. Sole ad occaſum tendente, pœnale proponitur Edictum, vt homines ſacri cuiuſcumque conditionis poſtero die vrbe decederent, quiſque aliquem celaſſet, arbitrariã ſubiret pœnam. Ita exiit Antonius Ruyskensfeldius cum omnibus Dominicanis ſeu Prædicatoribus, & Carmelitis, multiſque aliis. De Paſtoribus ſeu Parochiarum Curatoribus ſtatutum, ne ædibus ſuis exirent, tãdémque ad arcem Viluordianam, qui reperti ſunt, captiui ſunt miſſi. Denique 1. Maij alterum Edictum publicatur, quo exercitia Catholica omnia ſuſpenduntur ad tempus (vt dicebant) ſed magis volebant, vt ſemper. Mirum, concinnatores eius Edicti tam impudenter, quaſi ex Archiuis publicis, auſos inſultare Sacramẽto Miraculoſo. Illud iamtum ab initio ſumma ſemper in veneratione fuiſſe, ex Archiuis tam profanis quàm ſacris demonſtratum videre poterit, qui volet, in Identij libello nuper edito. Tunc omnium templorum ac ſacellorum imagines Bruxellæ confractæ, ornamenta ablata, ac pro parte direpta, Catholicis domi gementibus, quòd tantum admiſiſſent præſidium, vt de perfidia Orangiana vlciſci ſe non poſſent. Quibus Antuerpiam allatis, non pauci qui tabulas ſacras artificioſiſſimè depictas iure maiorum in templis ſuas dicebant, ſimiles verentes furias, annuente ſeu conniuente Magiſtratu, locis mouent, domúmque deferunt. Contubernia etiam nouemdecim pridie Pentecoſtes nouemdecim ſua altaria auferunt, relictis ibi in D. Mariæ templo vnà cum exercitio Catholicæ Religionis adhuc Altaribus viginti duobus vſque ad primum Iulij. Initio Maij quoque Iprenſes, opera Iacobi Renchij Armenteriani, cui cohortem peditum dederant, ac aliquot ciuium, occuparunt munitam arcem Douxlieu, haud procul Maruillâ ſitam, præſidiariis ad prædam egreſſis, munierúntque arcem firmiſſimo præſidio, omnibúſq; rebus neceſſariis, ex ea excurſiones, quas Regij Inſulani in agrum Iprenſem ac vicinos faciebant, repreſſuri. Duodecimo Maij arx Stauerana apud Friſios per duos menſes à Niortio obſeſſa, oppugnatáque, cùm Regij non ferrent auxilium, inopia com-

Catholici & Caluiniani vtrimque armati, tãdem pacãtur.

Edicitur, vt homines ſacri poſtridie vrbe decedant.

Alterum Edictum, quo Catholica exercitia in vniuerſum Bruxellæ prohibentur.

Antuerpienſes & ipſi Catholicos opprimere incipiunt.

Arx Stauerana in Friſia Regiis eripitur.

mea-

meatus deditionem facere eſt coacta, manente Prefecto Decquema cum Sub-præfectis captiuo, preſidiariis cum pugione ac enſe laterali in tutum deductis. Arx Hollandicum recepit præſidium. Circa Nonas Iunij Gandenſes in omnem occaſionem intenti, nil omittebant, vt vrbem Inſulenſem in poteſtatem redigerent: quod cùm ſe vi efficere non poſſe videret, in partes tractis ciuibus aliquot Caluinianis, ſummo manè, multis cum ſcalis ac pontibus è canabinis funibus factis ad vrbem venientes, ſomnolentos vigiles oppreſſuros ſe ſperarant. Quare traiecta pontibus foſſa, ſcalas muris apponunt, ac aſcendere incipiunt. Sed cùm foſſis pontes imponerent, vigiles fallere non potuere: qui conſpecto eorum conatu, ſummo cum ſilentio accerſito auxilio maiore, aſcenſores omni telorum genere è muris deturbant, & ſcalis, pontibus, aliiſque inſtrumentis relictis in fugam agunt: ita Gandenſes, antequam à maiorum tormentorum globis diſcerperentur, omnia deſerentes abeunt, nonnullis in vrbis foſſis deſideratis, pluribuſque ſauciatis. Tum per vrbem quæſtione inſtituta, repertus eſt, ac in foro ſtrangulatus Ioannes Drumius auctor præcipuus, cum paucis aliis; ac in partes ſecti, vbi conſcendere Gandenſes fuerant conati, fuere ſuſpenſi. Alij coniurationis inſcij, ſed quòd Orangianis fauere crederentur, ſeruatis fortunis in exilium miſſi ſunt. Eodem menſe & Montibus Hannoniæ vltimo ſupplicio affectus eſt Ioannes Gillæus Ærarij ſcriba, conuictus quòd Bruxellanos ſcriptis litteris præmonuiſſet, Parmenſem contra eos aliquid moliri, ac proinde cuſtodias diligenter obirent. Vigeſimo octauo Iunij Hautepenniæ Baro, circa horam noctis ſecundam, terra aquáque iuſtis cum copiis venit ad Arcem oppidi Bredæ, intromiſſuſque à præſidiariis Arcis nonnullis, (quòd hos Regi lucrarat, vt volunt, Carolus Gaurius Freſini Baro, diu Rammekini in Zelandia captiuus, ſed ad hanc Arcem precibus fratris Domini d'Inchy ab Orangio miſſus) ſtatim ad forum tendit; vbi florem oppidanæ iuuentutis cum præſidiariis ad pugnam paratos inueniens, cùm vltra horas tres acerrimè depugnaſſent, tandem Hautepennij equitatu irrumpente, ciues forum deſeruere, Regiiſque oppidi poſſeſſionem, neceſſitate coacti, reliquere, deſideratis ſupra centum quinquaginta viris. Ciues tribus diebus ſpoliati, inſuper vitam libertatémque magno redimere ſunt coacti. Hautepennius in oppidi Præfectura manens, Freſinium cum Arcis preſidiariis illis ad Parmenſem remunerandos miſit. Antuerpiani Bredæ amiſſione irritati, Kalendis Iulij Edicto iubent, exteri omnes qui mercaturam non exerceant, ſtatim vrbe diſcedant; ad hæc ne aliquo loco publicè nec priuatim Miſſa, vllumque aliud Catholicum exercitium fiat ſub pœna centum coronatorum; tantùm duobus in Sacellis, D. Mariæ ad cœmeterium & altero Gratiæ dictis, Baptiſmus & ſolemnizatio Matrimo-

1581

Gandenſes fruſtrà tentant ciuitatem Inſulenſem.

Complices coniurationis ſupplicijs affecti; ſuſpecti quoque pulſi.

Montibus quoq; Hannoniæ quidam ſuſpenditur.

Hautepennius Bredam partim aſtu, partim armis Regi vindicat.

Ea occaſione Antuerpienſes Miſſam omnino prohibent.

1581 trimonij, ritu Catholico ad tempus permiſſa. Tum aliquot ciuium Prę-
fectis datum negotium, vt quidquid in templis reſtaret imaginum alta-
riúmque ſubmouerent: quod 24. Iulij egregiè perfecerunt; initóque Cal-
uiniani cum Lutheranis fœdere, inuicem contra hoſtes ſuæ Religionis
iurauere. Eodem menſe Iulio Confœderati nouum exercitum in Fri-
ſiam ſub caſtrorum Prefecto Noritz Anglo miſerunt, cui Snoius ſe con-
iunxit, eorumque mandato 9. Iulij Schullius cum lectiſſimis copiis Mo-
Ordines in Friſia Monickenzijl expugnat. nickenzijl expugnauit: qua occaſione Rennebergici coacti ſunt ex Griet-
kirchen Groningam caſtra tranſportare, & in Monaſterio Auweerdenſi
primùm, deinde in Seelvvert ſeſe munire. Interea Rennebergius arden-
tiſſima febre correptus, tandem 19. Iulij Groningæ in ætatis flore extin-
ctus eſt: Comes, Latinè Græcéq; doctiſſimus, & in multis artibus exer-
citatus, perſæpè Muſicis ſe oblectabat, pariſque gloria virtutes politicę &
ſcientiæ in eo eminebant. Regi fuit fidelis, niſi quòd Hiſpanis parum eſ-
ſet amicus. In eius locum Verdugius pro tempore Gubernator Friſiæ
ſuffectus eſt. Vigeſimo ſexto Iulij in Haga Comitis Edictum publica-
tum eſt hoc titulo: Edictum Ordinum Generalium Prouinciarum Vni- «
Edictum Ordinum quòd Rex exciderit iure ſuarũ Prouinciarum. tarum, per quod, ex rationibus in eodem Edicto prolixè recitatis, declara- «
tur, Regem Hiſpaniæ excidiſſe Præfecturis & Dominiis dictarum Pro- «
uinciarum inferiorum; & prohibetur, ne quis deinceps eius nomine aut «
Inſigniis in dictis Prouinciis vtatur. Datum in Haga-Comitis 26. Iu- «
lij 1581. Querelæ præcipuæ quas adferunt, ſunt Edicta ſanguinaria con- «
tra hæreticos, vt volunt, reclamantibus Prouinciarum priuilegiis multis
annis vſurpata, tum & alia de tyrannide Hiſpanica aliquoties ſuperiùs
relata. Sed quid Regij ad ea reſpondeant, dictum eſt ſimiliter aliquoties,
Quid ad illud reſpõderint, qui Regi ſtudebant. tum proximè quoque anno ſuperiori menſe Decembri, quando de Apo-
logia Orangiana actum eſt. Sed inprimis illud nunc multis præpoſterũ
viſum eſt, Regem Hiſpaniæ non priùs ab iis coram Imperatore aut ali-
quo vicino Rege fuiſſe accuſatum, ſed ipſos Ordines in hoc Edicto ſimul
eſſe Actores & Iudices. Nihilominùs Orangiani ob abdicatum Regem,
nouumque quem proximè expectabant Alenſonium liberatorem, lætos
dies agebant: quin ab ipſo Orangio initio Auguſti Ordines Generales in
Curiæ Hagienſis ampliſſima aula ſplendido conuiuio excepti ſunt, ibiq;
Hiſtoriola lepida. quotieſcumque aliquoties pro noui Principis Alenſonij ſalute biberet,
antiquumque eiuraret, toties campana è ligno facta, habenſque linguam
ligneam, quæ in menſę capite pendebat, pulſabatur: in quod alij lude-
bant, ea quæ agerent, non plus roboris viriúmque habitura, quàm cam-
pana illa lignea haberet firmitatis ac ſonitus. Exinde omnes qui munia
publica à Rege obtinuerant, allatis eius Diplomatibus, vt diſcinderen-
tur, tradere cogebantur, nouáque à Fœderatis Ordinibus recipere: quod

haud

haud pauci fecere; multi tamen quoque ſeruatis Regiis, ad conciliatas Regi Prouincias aut ad caſtra Parmenſis ſe contulere. Pridie Kal. Auguſti Rijnefeldius Oldenzalâ, vbi præerat, Ghoram profectus, cùm præſidiarij pro maxima parte prædatum exiiſſent, facilè oppidulum occupauerat, acceptiſque nouis copiis, à Dauentrienſibus anteà munitum, multò etiam munitius reddit. Quo illi audito, cum iuſta ciuium manu, aliquotque militibus eò profecti, Regios obſident. Multum enim vrbi ſuæ nocebant, quòd ad portas vſque Dauentrienſes excurrẽtes omnia in prędam verterent. Obſeſſus igitur Rynefeldius trium dierum à Præfectis ac militibus exeundi facultatem petens, leuaturum ſe obſidionem pollicetur; noctéque cum paucis emiſſus, ad Martinum Schenckium ac alios Regiorum equitũ Præfectos venit: numerat ſingulis equitibus dalerum, Præfectis prædæ partem promittens, vt ſecum eant, ac Dauentrienſes Ghorâ pellant; expectare enim ſe Oldenzalâ circa veſperam alios peditès. Re obtenta, venientibúſque peditibus, Ghoram ſimul proficiſcuntur. Munierant ſe Dauentrienſes, vt opprimi ab equite non poſſent. Obſeſſi igitur ſunt obſeſſores: qui quia commeatũ tantum habebant, quantus indies Dauentriâ adferebatur, tertio die deditionem facere coacti ſunt. Capti Conſules ac multi primarij ciues, virique aliquot Nobiles, qui poſteà magno libertatem redemere. Rijnefeldius equitibus gratiis actis, ac iuſto Ghoræ relicto præſidio, Oldenzalam eſt reuerſus. Hac æſtate Brabantini rationem quamdam Buſcumducis inuadendi inſtituerant, præcipuo auctore ac directore Ioanne Iunio Conſule Antuerpienſi: ſed rumores ante tempus emanantes, & maximè, vt volunt, equitum mora, huic negotio obſtiterant. Non tamen fruſtrà omnino iter ingreſſi ſunt. Nam ciuem quemdam Eindouienſem in via offendentes, ſtatu oppiduli plenè cognito, Eindouiam petunt, & 9. Auguſti ſubitò capiunt: nacti etiam Arcis Præfectum aſtu euocatum, mortem & atrocia multa minantur; denique præſidiarij Arcem dedunt. Strenuè aliquamdiu reſtiterunt aliquot peditum Regiorum cohortes qui in vicino excubabant, & vna equitum turma, ſed numero victi tandem ceſſerunt. Inde victores vlteriùs progreſſi, Helmontẽ occupãt; ſed Arce potiri nequeunt, etſi Hohenlous auxilio veniſſet: propugnacula tamen aliquot minora circa Buſcumducis occuparunt. Ordinum militibus Campiniam relinquentibus, quaſi occurſuris Alenſonio, ne ei à Parmenſi impedimẽtum fieret, Hautepennius & Mansfeldius Eindouiam rurſus oppugnarunt, & tandem ineunte Octobri deditione receperunt. Intereà Franciſcus Andegauorum & Alenſonij Dux, Regis Franciæ frater, iuſto exercitu viginti quinque millium tum peditum tum equitum inſtructus, ordinariis Regni equitum turmis grauis armaturę iunctis, rectà Cameracum, dudũ

1581

Multi, relicto Ordinibus, ad Regem ſe conferunt.

Rijnefeldius Ghorã pro Rege occupat, moxq; obſidetur.

Obſeſſores, ipſi obſeſſi tertio die ſe dedunt.

Conſœderati ſiniſtrà inſidiantur Euſcoducenſibus.

Occupant tamen Eindouiam; ſed quam mox Regij recuperãt.

Adeſt Alenſonius ex Francia cum exercitu 25. millium.

1581 à Parmenſi obſeſſum, variarumque rerum inopia preſſum contendit, venitque in conſpectum 16. Auguſti. Eo die quidam Galli Nobiles iuniores obſeſſam vrbem intrare conati ſunt, violenta per agmina hoſtium impreſſione: verùm fortuna etſi audentes parum iuuante, Vicecomes Tourainius, & Comes Vantadoreſius, & alij nonnulli capti ſunt. Parmenſis collectis omnibus ſuis copiis 17. Auguſti ante ipſam vrbem in acie ſtantem exercitum exhibuit ſex horis continuis. Videbatur Gallos ab ingreſſu arcere atque prohibere velle: verùm poſtquam Alenſonium ordinarij Regis Francici equitatus virtute ſimul armatum, numeróque ſuperiorem vidit, inconſultum cenſens prælio decertare, præmiſſis tormentis & impedimentis Bouchainium verſus, incenſis quibus vrbem preſſerat munitionibus, exercitum Valencenas verſus duxit, & non longè ab vrbe caſtra collocauit. Ita Alenſonius Cameracum obſidione liberauit, commeatúmque & alia neceſſaria inuexit: ipſe 18. Auguſti vrbẽ eques ingreſſus ſummo cum triumpho excipitur. Hinc die vigeſimo primùm in templo D. Virginis, poſteà in Curia ciuitatis iuramentum præſtitit, promiſitque ſe ciuitatem & habitatores protecturum & gubernaturum ad normam veterum priuilegiorum, & poſt hæc aureos argenteóſque nummos in plebem ſpargi iuſſit. Poſt aliquot dies inde diſcedit, & caſtrum Cambreſium obſidione cingit, ducentis viginti nouem vicibus tormentorum impetu verberat, & tandem ſub initium Septembris Arcem deditione accipit: trecenti præſidiarij liberi exeunt armati, funibus tamen bombardicis non accenſis. Intereà dum Alenſonius his locis militiæ intentus hæret, Ordines Confœderatorum & Orangius precibus inſtant, vt cum ſuo exercitu agmina hoſtium perrumpat, & in intimum Belgium veniat, quandoquidem paratas copias in Flandria habebãt, quibus ei obuiàm venirent; habebant præterea in Brabantia Gardeum cum Gallica & Stuardum cum Scotica legione ad id paratos. Verùm Dux prætendens quòd hiems inſtaret, præcipuáque pars ſui exercitus ex voluntariis & equitibus Galliæ Regis æra merentibus conſtaret, Ordinum poſtulata non præſtitit; ſed voluntariis & equitibus illis in Franciam remiſſis, reliquas copias per Caletum Duynkerkam verſus iter inſtituere iuſſit. Nec ceſſabat Mars in Friſia. Franciſcus Verdugius Hiſpanus, ſed apud Belgas ab adoleſcentia Regi militans, ductáque in vxorem filia notha Mansfeldij, tum facinoribus bellicis clarus, poſt mortem Rennebergij, vt diximus, Regiis in Friſia copiis erat Præfectus: caſtra habebat in Northorn. Confœderati exercitum ſuum quoque Duce Noritz Anglo quantum poterant contraxerant, iamque de ſumma rei decertandum decreuerant. Noritz 16. Septembris per Cataractam nouam vulgo *Nienzijl* in Regios ducit. Inſtruxerat Verdugius aciem, in cuius medium

Liberat Alenſonius Cameracum, diu à Parmẽſi obſeſſum.

Potitur quoque caſtro Cambreſiano.

Nec tamen audet perrumpere caſtra Parmenſis.

Verdugius Friſiæ Gubernator poſt Rennebergiũ.

medium Rennebergicos, quorum ductor nunc erat Monceau, & Vicarius Rijnſwouda, cum Friſiis ſub Vicario Billij Taxio militantibus, conſtituerat; ex ſuis, qui Galli erant, alas confecit. Precibus ad Deum fuſis, quas ob genuflexiones hoſtis ſubſannaſſe fertur, dato claſſico, Regij pugnæ initium fecere: concurrunt primùm equites, inde pedites: aliquamdiu velitarunt: ſed cùm acies eſſent iam coniunctę, acerrimè dimicatum eſt. Confœderati inferiores, equitibus pedem retrahentibus, & peditum ordinibus perturbatis, certatim fugerunt. Regij confeſtim tormenta eorum omnia interceperunt, inde hoſtes ad propugnaculum in Nienzijl inſecuti, paucis elapſis, pleroſque trucidarunt. Periere hac pugna (vt Meteren quoque fatetur) pænè medietas peditum, equites plures, Præfecti quatuordecim, capti non pauciores, multa ſigna militaria ablata, & qui euaſerant, plerique erant inermes: ex Regiis nemo alicuius nominis deſideratus, ſolus Wolfangus Prenger vulneratus fuit; ex Confœderatis præter occiſos & captos, etiam Noritz ipſe manum dextram glande traiectã ferebat, Comes Naſſouius glandes aliquot thorace auerterat, tactus quidem, ſed illæſus: Strategus quoque Nisbetſus enſe læſus in capite, vulnere immedicabili interiit. Parta hac inſigni victoria, Verdugius propugnaculum in Nienzijl obſidione cinxit. Sed cùm Confœderati viderent, ſpẽ nullam eſſe illud armis defendendi, aggeribus perforatis agros inundarunt, ita vt Verdugius poſt tertiam hebdomadam obſidionem ſoluere compulſus ſit. Eiuſdem menſis Septembris die 7. Torquinus Tornacẽſium Præfectorum vnus cum quadringentis Anglis ac Wallonibus vrbe egreſſus ad oppidum, quod à D. Giſleno in Hannonia nomen habet, non longè Tornaco, Montibus, ac Valencenis diſſitum, ſub ſolis occaſum auxilio duarum nauium flumine intrat, occiſiſque qui reſiſtebant, diripit. Cuius facti fama cùm vndique peruolaret, Hannonij, coactis in vnum copiis direptores obſidẽt, ac erepto fluminis vſu diuerſione aquæ, collocatiſque ad oppugnationem tormentis, de defenſione Tornacenſes deſperantes, pacti milites, ſine armis impedimentiſque Tornacum reuerterentur, ac Torquinus captiuus maneret, perdito oppido, præda ac armis Tornacum irriſi magno cum dedecore ſunt reuerſi. Kalendis Octobris Parmenſis, ſciens quantum intereſſet premendis Flandris, & ſuis Hannoniis, Arteſiis, Duacenſibus, Inſulanis, eorumque agris defendendis, vrbem potẽtiſſimam Tornacum ſubitò obſidet, cùm Princeps Eſpinoius oppidi Gubernator abeſſet. Moxque vrbem viginti tribus tormentis maioribus horrendum in modum verberare, muroſque labefactare, vrbémque tentare incipit; ſed multi inſultus ſtrenuè ab obſeſſis ſunt repulſi. Intereà Orangius, Eſpinoius & Ordines Fœderati omnibus modis ſubſidia equitum & peditum in vrbem mittere ſtudebant, ſed fruſtrà;

1581

Vtrimque magna in Friſia copiæ.

Cruenta ad Nienzijl pugna, vbi Regij victores.

Perfoſſis tamen aggeribus Verdugius diſcedere cogitur.

Tornacenſes oppidũ S. Giſleni occupant; ſed mox cum dedecore relinquere coguntur.

Obſidet Parmenſis vrbem potentiſſimã Tornacũ.

1581 viribus enim longè minores Parmenſis exercitum aggredi non audebãt. Itaque differre conſultiſſimum putant, donec Alenſonij agmina Caleto per maris littora Duynkerkam veniant, & ſubſidio vnà cum aliis mittantur: ſed nec hoc ſucceſſit, Alenſonio Kalendis Nouembris, ſpe nuptiarum cum Regina, in Angliam profecto; vbi & hæſit vſque ad Kal. Februarij anni proximi. Quare tandem ſub finem Nouembris Preſtonus Scotus militum Tribunus operâ Eſpinoij excitus, Tornacenſibus conſolandis miſſus eſt. Is cum ducentis Scotis obſcura nocte Meningâ profectus, nõ ſentientibus Regiis, parte caſtrorum, vbi nix erat altiſſima, Tornacum intrauit, ac quantum quiſque humeris valuerat, pulueris tormentarij intulit. Verùm poſt egregium hoc facinus, & horum in oppidum Tornacenſe ingreſſum, Tornacenſes animum prorſus abiecerunt; poſtquam ſubſidiariorum illorum nonnulli ciuibus narrarant, ſe cum aliis fruſtrà prope Duynkerkam fuiſſe, vt Alenſonio eiuſque exercitui obuiàm proficiſcerentur, & ſe exiſtimare eum cum ſuis nondum aduenturum. Huiuſmodi itaque rumore ſparſo, deſperare cœperunt Tornacenſes de auxilio Alenſonij, in quo ſpem collocarant, auréſque faciliores Parmenſi præbuere, qui conditiones ſatis æquas eis obtulerat, quandoquidem ſuus exercitus multis quoque incommodis laborabat; hiems erat dura, cęlum pluuium, & non pauci viri celebres in obſidione perierant, Dominus Glayonius iunior, Dominus Vaulzius, nuperà Rege Hiſpaniarum Buſquoi Comes creatus, Dominus Bourſius, qui, officio Ordinibus antè præſtito in occupanda arce Antuerpiana, poſteà ab eis defecerat, & alij aliquot Præfecti. Dominus Billius quoque vulneratus erat. Tandem itaque Tornacenſes 29. Nouembris cũ Parmenſi tranſegerunt, cùm 28. eiuſdem, hoc eſt pridie, Antuerpiani ac Flandri pulſaſſent campanas, maiora tormenta exoneraſſent, ignes triumphales publicè excitaſſẽt, Orangij artibus tum Gandaui agentis; qui famam ſparſerat, Alenſonium Ducem cum Eliſabetha Angliæ Regina ſponſalia 22. Nouembris celebraſſe, & Tornacenſes à Scotis, vi vrbem intrantibus, neceſſariarum rerum copia abundè recreatos. Leges deditionis hæ erant: Eſpinoij vxor cum omni familia & ſupellectile in tutum abito: præſidiarij ciues exteriq; cum armis ac vexillis diſcedunto; impedimenta nauibus per Scaldim, aut terra plauſtris auehunto. Qui in vrbe manere cupient, dicto Regi nouo ſacramento, ſuſceptáque Religione Catholica, ac collatis mulctę nomine centum florenorum millibus, liberum eſto: qui manere nolint, tres menſes vendendis fortunis habento, aut alias curatoribus Catholicis ſua committũto Eſtrellius Eſpinoij Legatus, Arce exceſſurus, pecuniam ſtipendij loco ſibi à ciuibus debitam priùs recipito. Ita factum eſt, vt non ante 5. Decembris Regij plenè vrbe potirentur. In feruore huius turbulentiſſimi

Fruſtrà rogant Ordines Alenſonium, vt iunctis copiis Tornacum liberet.

Scoti ducẽti Tornacũ perrũpunt.

Nomina magis illuſtrium Regiorum, qui ad Tornacum cæſi aut vulnerati.

Tranſigũt Tornacenſes cum Parmenſi hiſce legibus.

simi anni Archidux Matthias, qui, vt diximus, dudum anno superioti Prçfecturam Belgicam depoſuerat, & hactenus commeatum ſe dignum expectarat, demum 29. Octobris Antuerpiâ in Germaniam diſceſſit, apparatu, quem anno ſuperiori deſcripſimus. Nono Decembris Hautepēnius nocte Bredâ cum copiis profectus, Bergas ad Zomonam ſummo manè, cùm maris receſſiſſet æſtus, peruenit; ac figuli cuiuſdam paucorũque ciuium operâ per aquæ cataractam trecentos induxit viros. Sed prçſidiarij Franci Anglíque, re percepta, auxiliantibus ciuibus, antequam plures ſubſequi poſſent, clauſa vi cataracta, Hautepennium cum ceteris excludunt, initoque cum trecentis prælio vltra 60. interficiunt, nonnullos capiunt, reliqui mœnia tranſilientes, euaſerunt; ſicq; Hautepennius re infecta Bredam reuertit. Procuraſſe ferebatur negotium Marchio Bergarum Dominus, Wauvvana arce eo tempore haud procul oppido ſe tenens, & nullius partis ſe ferens. Capti in oppido plures, duo tantùm vitam amiſere, figulus gladio, faber lignarius laqueo; corpora in quatuor partes ſecta coniurationis pependere loco. Decimoquinto Decembris Confœderatorum Concilium Levvardiæ cùm Regis nomen vigore ſui Edicti, de quo ſuprà in Iulio egimus, omnes, etiam Conſiliarios eiurare feciſſent, Ralda Conſiliarius magni nominis in ipſo actu exſpirauit; reuerentia, inquit Metranus, an metu Regis, incertum.

1581

Archidux Matthias demum Antuerpiâ in Germaniam redit.

Hautepennius ſiuſtrà tentat Bergopſomam.

Conſiliarius Friſiæ eiuraturus Regẽ jubitò expirat.

Sub finem anni præſentis (vt etiam Externa aliqua attexamus) Kalendis Decembris Edmundus Campianus Societatis Ieſu Sacerdos (cuius inter alia extat libellus, in quo decem rationibus Religionis Romanæ dogmata adſtruit) pro eadem Religione Londini, nolẽs feminam agnoſcere Eccleſiæ caput, martyrium ſubit. Eodem quoq; hoc anno Magnus Moſcouiæ Dux, cùm incredibilem Poloni in bello celeritatem & felicitatem videret, ne ad Nouogardiam, Moſcouiámque, atque alia prçcipua ſuæ ditionis oppida, exercitum duceret Polonus, de pace cum eo ineunda cogitare cœpit. Erat Polonus adhuc in obſidione Pleſcouienſi, media hieme, quòd mirum ſanè in illis frigidiſſimis locis videbatur. Miſit ergo Dux internuntium ad Polonum, qui vt pacis cum eo faciendæ gratiæ Legatos Zapolſciam mitteret, quò propediem eſſent venturi ſui, magnopere contendebat. Miſerat & idem Dux litteras & Legatum ad Summum Pontificem Romanum, ab eo petens, vt arbitrum & interceſſorem ſe interponeret: qui confeſtim ad Moſcum & Poloniæ Regem Antonium Poſſeuinum Societatis Ieſu Presbyterum miſit; qui ad Chriſtianam pacem vtrumque paternè hortaretur. Rex itaq; magnificam Legationem Zapolſciam mittit; vbi & pax tandem 15. Ianuarij anni ſequentis compoſita eſt. Inter cetera, Polonus perpetuò Liuoniam obtineat. Hoc eodem anno, exeunte Octobri, in Hiſpaniis ſumptum eſt ſupplicium

VARIA.

Campianus in Anglia martyr.

Polonus & Moſcus paciſcuntur, arbitro conſtituto Pontifice.

cium de Ioanne Caſtiliano, qui Regi Philippo erat à libellis Belgicis, quòd Orangio arcana Regis ſæpiùs prodidiſſet.

1582 *Regij Arcibus aliquot in Friſia potiuntur.*

Anno 1582. primo die Ianuarij Verdugius Friſiæ Præfectus munitiſſimam arcem Weerderbroeck obſedit; vbi dum apparatum ad oppugnãdum facit, qui in Arce erant, trepidantes noctu clàm erumpunt, atque ita quarto pòſt die Arcem vacuã obſidenti relinquunt. Idem & præſidiarij Suanenburgij & Tervvilt fecerunt. Verdugius his victoriis potitus, de obſidendo Lochemio oppidulo Comitatus Zutphanienſis cogitabat: ſed non multò pòſt Ordines Geldriæ Duce Hegemanno Hardervvicano, Bronchorſtium recuperare conati, illud arctiſſimè obſederunt, & per ſeptem dies magna violentia oppugnarunt, cùm hi qui in præſidio erant Regij fortiſſimè ſeſe defendentes, hoſtem à mœnibus reiecerunt. Qua in pugna ipſe quoque Hegemannus in pectore ſauciatus, Zutphaniam ductus paulò pòſt obiit. Confeſtim etiam Martinus Schenckius ad oppidulum ſuas copias mouens, obſeſſis nouo milite & commeatu ſuccurrit, atque Ordinum milites, multis cæſis captiſque, profligauit. Idibus Ianuarij vbique ruſticis, quod dudum per ſupplices orarant libellos, permittitur, contra militares extorſiones arma induant, ſeque defendant. Octauo Februarij Alenſonius ex Anglia ſoluens, Vliſſingam Zelandiæ 10. eiuſdem circiter quintam horam pomeridianam appulit, comitatus præter Gallicos ſuos Proceres, etiam Liceſtriæ Duce, aliiſque Nobilibus Anglis, ac mediocribus peditum equitúmque copiis. Proceſſerant ei mari obuiàm Orangius & Eſpinoius cum Ordinum Legatis ad duo milliaria, ſalutaueréque ſe mutuò ingenti tormentorum, tympanorum, ac tubarum reboatu. Vliſſingæ, Middelburgi, ac quocumque venere, incredibili ſplendore ac ſumptu fuere excepti. Decimooctauo eiuſdem Februarij ſummo manè Armudâ vela dantes, in Lilloo pernoctarunt; & poſtridie, 19. eiuſdem Antuerpiam peruenere; deſcendentéſq; ad locum *'tKiel* dictum, ab omnibus Orangianorum Ordinum Legatis Alenſonius receptus, in conditiones Burdegali conceptas ſolemniter iurauit in theatro magnifico ad hoc erecto, ſicque ſolemnibus cerimoniis veſtitu Ducali indutus, à ciuium legionibus per portam Cæſaream, & ſpatioſiores deinde vrbis plateas, ſplendidiſſimis arcuum triumphalium & aliorum pegmatum apparatibus inſtructas, denique ad Abbatiam D. Michaëlis, vbi ei erat parata aula, perductus eſt. Inter eundum hinc inde aurea argenteáque moneta ſpargebatur, quæ ab vno latere Alenſonij habebat effigiẽ, ab altero Solem aërem nubilum purgantem, cum ſubſcriptione; FOVET ET DISCVTIT. Inter alia, in Arcu ad portam Cæſaream, quæ & diui Georgij, hi erant verſus inſcripti:

Ruſticis vbiq; permittitur, vt contra extorſiones militum arma induant.

Alenſonius ex Anglia in Zelandiã venit.

Antuerpiæ inauguratur Alenſonius Dux Brabãtiæ.

Abſtulit vt Regni Dominus moderamina Sauli,

Præ-

1582

Præfecitque ſuo Regem Dauida popello;
Sic modò depulſis patriá Regnóque tyrannis,
Dux generoſe, tuo voluit nos Marte tueri.

Verſus fatidici, ſed contrario euentu.

Ita hi verſus: ſed quàm infelici omine, docebit ſequens variis locis narratio. Mox poſt inaugurationem inſtabant apud nouum Ducem Catholici pro abrogando decreto contra exercitia Religionis ſuæ ſuperiori anno promulgata: obnitebãtur fortiter Caluiniani, dicentes, Ducẽ regere vrbem debere, eo ſtatu, quo eam reperiſſet. Catholici contrà allegabant, id fieri debere potiùs ad illam formam in qua vrbs fuiſſet, cùm Burdigalis in Francia cum eo tranſigeretur. Tandem 15. Martij Edictum promulgatur, in quo iſta inter cetera: Quandoquidem templum diui Michaëlis ſuæ Celſitudini, & quibus ſua Celſ. concedit, ad Romanæ Religionis exercitium, patefactum eſt; idcircò Prætor, Conſules & Magiſtratus vrbis Antuerpienſis turbas ac tumultus auertere, & ciues in pace cõſeruare cupientes, decernunt, vt qui exercitium Romanæ Religionis ſectari volent, priùs Regem Hiſpaniarum cum omnibus ſuis abnegent, & reſpectiuè fidelitatem iurent ſuæ Celſitudini, ac ciuitati Antuerpienſi in manibus Commiſſariorum ad hoc in dicti templi D. Michaëlis portibus ordinandorum, neque antequam id præſtiterint templum ingrediantur, ſub pœna precedentibus Conſtitutionibus conſtituta. Ita Edictum. Sed plures Miſſa carere aliquamdiu quàm iuramentum illud præſtare voluerunt. Nihilominùs paulatim, cùm obſeruari non ita ſtrictè ſe viderent (neque enim poteraut in tanto numero) confidenter paſſim omnes accurrebant, ita vt ſæpè Eccleſia eos non caperet. Quare 11. Aprilis ſub pœna ducentorum florenorum iterùm Edictum illud renouatur; ac tandem 13. Iunij inhabitatores ad vnum omnes coram ſui Vici Magiſtro citantur, vt ſub exilij pœna iuſiurandum illud intra tres dies præſtent. Decimoſeptimo Martij Regij haud procul Ipris ad deditionem cogunt munitionem * Douxlieu Inſulanis infeſtiſſimam: præſidiarij plerique, omnibus relictis, in tutum abire permiſſi ſunt, ſed transfugæ reperti Inſulis ſtrangulati ſunt. Decimooctauo Martij, qui dies natalis erat Alenſonio, magni apparatus Antuerpiæ fiebant ad exhibendos pomeridiano tempore ludos militares, & id genus alia. Apparabatur & cœna opipara, ad quam Orangius & alij erant vocati. Prandebat Orangius in aula ſua eo loco vbi Arx fuerat. Sub prandium aulam intrauerat quidam adoleſcens nomine Ioannes Iaurengius, in Bilbao Cantabriæ oppido natus, iam verò in familiam Gaſparis Anaſtri Cantabri, antè prediuitis Mercatoris, nunc fatiſcentis, adſcitus. Pranſus erat Orangius; acceſſit adoleſcens, & libellum offert ſupplicem: quo acceptando & explicando dum occupatur Orangius, Ioannes expeditè ſclopetum paruum in

Permiſſum Catholicis Religionis exercitiũ, ſed vt priùs Regẽ eiurent.

Quin omnes ſub pœna exilij, eiurato Rege, Alenſonio iurare coguntur.

* Soeteſte-de

Ludi ſolẽnes Natali Alenſonij Antuerpiæ decreti.

Orangius eodem die ſclopeto caput traijcitur.

1582 in faciem eius explodit: globulus ſub mento intrans caput traiicit, & ſub dextra aure rurſus exiuit, vtrâque maxillâ perforatâ, dente vno aut altero labefactato, linguâ tamen intactâ. Collabaſcentem medium corripit Holachius Comes. Et dum adoleſcens manu ſanguinolenta (præ nimio enim iniecto puluere crepans ſclopetus pollicem illi abripuerat) pugionem euaginatum in cor adigere conatur, ab adſtante ſatellite bipenni transfoditur. Mox alij accurrentes multis eum vulneribus confoſſum interfecerunt. Magna erat in vrbe trepidatio. Quidam Alenſonium inſimulabant, & Bartholomæana feſta Pariſienſia repetebant, quò Alenſonius, ſublato Orangio, totius Beglicæ imperio pleniùs potiretur. Cadauer adoleſcentis ex aula tractum lauatur, & à ſanguine mũdatum ex pegmate ſuſpenditur, ſi quis fortè eum viuum cognouiſſet. Agnitus mox eſt; & ex qua familia prodiiſſet, ad Proceres delatum. Confeſtim ad ædes Anaſtri curſitatum, tota familia capta; tortus capſularius Antonius Venerus; captus deinde & Antonius Timmermanus Religioſus Dominicanus, qui Iauregnij confeſſionem excepiſſe dicebatur. Quæ dum fiunt, portæ clauſæ detinebantur. Alenſonius interim & Franci à furenti populo ad necem quærebantur, arma ipſis tamquam ſuſpectis adempta; adeoque tumultuatum eſt, vt Alenſonius præ nimia trepidatione fleuiſſe dicatur, & opem Orangij imploraſſe. Qui confeſtim, etſi propter obligatum vulnus loqui non poſſet, ad Chiliarchas vrbis litteras dedit, quibus nec Alenſonium nec ſuos facinoris conſcios teſtabatur. Seruate, inquit, optimum Principem, Principem inquam veſtrum: & ſi hinc migrauero, ne alium vobis quærite. Quod Orangij teſtimonium tantum apud populum valuit, vt de Alenſonio omnis concepta ſuſpicio euanuerit: qui poſteà quotidie Orangium inuiſit, donec is 11. Maij iterùm in publicum ſanus prodiit. De Antonio Venero capſulario Anaſtri & dicto Timmermanno Dominicano ſumptum ſupplicium: capite plexi, & in quatuor partes ſecti, vnà cum cadauere Iaurengij diuerſis locis è turribus portiſq; pependerũt. Vigeſimo ſeptimo Martij Verdugius in Friſia inſignem prope Keppel Geldriæ Arcem de Ordinum militibus Anglis victoriam reportauit. Primo Aprilis Galli aliquot proditione Lenſium Arteſiæ oppidum occuparant: quod Parmenſis coronâ (ne quis elaberetur) mox cinxit, ipſoſque Gallos poſt paucos dies ad deditionem coëgit; qui relicta omni præda, ad ſuos abire permiſſi ſunt. Eodem quoq; tempore Alenſoniani, plicatiles ſcalas ſecum ferentes, Namurcenſem ciuitatem atque Arcem 3. eiuſdem Aprilis clàm inuadere tentarunt. Barlaymontius vrbis Præfectus aberat. Sed viſis hoſtium copiis inſidiæ detectæ ſunt; ſtrepitúque in vrbe concitato, Galli relictis curribus, ſcalis, ceteriſque impedimentis, fugam adornarunt. Inſecuti Regij plures ex iis

Multis vulneribus auctor facinoris occiditur.

Alenſonius velut conſcius accuſatus ab Orangio excuſatur.

Conſcij duo capite plexi, & in 4. partes ſecti.

Lenſium Arteſiæ à Fœderatis capti mox à Regijs recuperatur.

cepe-

ceperunt. Quarto Aprilis Geldriæ vrbis Præfectus Heluetius Martinum Schenckium, virum licet iuuenem, tamen militarem & hoſtium terriculamentum, in Santhenſi Cliuiæ oppido libero & neutri parti addicto, 150. equitibus ſtipatus cepit, & Geldriam captiuum abduxit. Defenderat ſe aliquamdiu ſtrenuè Schenckius, ſperans ciues & Magiſtratum non admiſſuros, vt in ciuitate libera quis ab externo caperetur. Sed cùm eos conniuere vidiſſet, ſeſe dedidit, id ſibi moleſtum non fore dicēs, ſi in campo vel pugna & non in ciuitate libera, vbi ſe tutum meritò putabat, captus fuiſſet. Detentus in cuſtodia biennium & ampliùs fuit. Iam Arteſij & Hannones animaduertentes, ſe tam à Francis quàm patriotis peti, à Ianuario præterito conſenſerant copias ſubſidiarias Hiſpanorum & Italorum in Belgium redire: iamque aliquæ aduenerant, cùm 8. Aprilis Parmenſis ſimulauit ſe Menenas munitionem Flandriæ Regiis infeſtam obſidere & oppugnare velle. Is cùm eò exercitum duceret, Audenardenſes tria præſidiariorum ſigna, ſiue ad defendendam hanc munitionem, ſiue ad aliam expeditionem periclitandam emiſerant. Itaq; Parmenſis tria iam tantùm reliqua in vrbe ſigna eſſe ſciens, ſumma celeritate à Menenis exercitum ad mœnia Audenardenſia ducit, vrbemque ita cingit, vt non facilè ſubſidium illuc mitti poſſit; & vt tutiorem obſidionem moliretur, Gaueram arcem medio itinere ſitam vi expugnat. Inde maiora tormenta ad vrbem concutiendam trahi, & omnia ad expugnationem neceſſaria iubet comportari. Non deſunt ſibi interim Alenſoniani; collectis vndique prę ſidiis, Fumaio & Templio Mechlinienſium atque Bruxellenſium Prę fectis ductoribus, Aloſtum oppidum Flandriæ in Brabantiæ finibus 23. Aprilis occupant. Quindecim ante dies Regij magnam in oppidum annonam comportarant, multa circumiacentium Catholicorum bona huc erāt aduecta, & quadraginta pęnè Eccleſiaſtici viri ex vicinis locis confluxerant. De clade huius oppidi ſic Metranus: Cæſi tam præſidiarij quàm ciues circiter ducenti, inter quos ſeptemdecim Sacerdotes, qui prope primarium templum trucidati fuerunt; ex Alenſonianis deſiderati circiter 25. capti Gubernator vrbis Moucronius & alij, inter ceteros etiam Abbas Ninouenſis, qui ſe duoſque ſuos Monachos quatuor florenorum millibus deinde redemit. Eam infamiam vt Regij pro parte abſtergerent, proxima nocte arcem Gaesbekanam interceperunt: mentiti enim ſe Aloſtanos eſſe præſidiarios, & captæ vrbis prædam in Arcem velle conuehere, recepti alios expulerunt, & Arcem in ſuam poteſtatem redegerunt. Poſtridie Kalend. Maij Orangius à vulnere ſanus primùm in publicum prodiit, cùm triduo pòſt eius vxor dicta Carolotta Borbonia Antuerpiæ obiit. Circa medium Maij Parmenſis Audenardam oppugnare totis viribus, eiuſque mœnia con-

1582

Schenckiū ex Santhis Cliuiæ oppido captiuum Geuſij abducunt.

Itali & Hiſpani in Belgium redire permiſſi.

Parmenſis obſidet Audenardam.

Alia parte Fœderati Aloſtum capiunt magna cæde edita.

Potiuntur Regij arce Gaesbekana.

1582 uellere incipit. Stratis ruinis, faſcibus & virgultis foſſas oppleuerunt,
Audenardenſes magna vi oppugnãtur. ponteſque Hiſpani ſtrauerunt: primoque impetu munitiſſimum occuparunt propugnaculum. Gandenſes quidem obſeſſis opem ferre voluerunt, ſed ab Epirotis equitibus (Albaneſos vocant) cæſi ſunt & fugati: tamen Parmenſis ante 5. Iulij, vt dicemus, Audenarda non eſt potitus. Interea dum Parmenſis Audenardam obſidet, Alenſoniani, cùm hoſtem caſtris expellere non poſſent, diuerſas vrbes inuadere machinati erant, Rochepotius Cottracum, Antuerpienſes Arſchotum, ſed fruſtrà. Borchius interim vrbis Audenardenſis Præfectus, nihil quod ad defenſionem pertinebat, omittit; quin aquam fluminis interlabentis in agros emittit, & circumquaque campos ex parte ſtagnare facit, ita vt Gandauenſes exiguis ſcaphis nonnumquam ad obſeſſos delati, ipſis animos adderent. Tandem cuniculis ad portam actis, iiſque apertis, Parmenſis porta potitus eſt. Et ne quis Belgarum ob Alenſonio præſtitum iuramẽtum deſperaret, quaſi gratiæ nullus apud Regem relictus eſſet locus, publicè promulgari iubet, Regem illud iuſiurandum tamquam vi extortũ libenter ignoſcere, modò deinceps fideles ſe præſtare polliceantur. Denique Audenardenſes diuturnæ obſidionis pertæſi, cùm nulla ipſis ſubſidia mitterentur, 5. Iulij iiſdem conditionibus quibus anteà Tornacenſes, in poteſtatem Regis conceſſerunt. Decimoquarto Iulij Alenſonius Antuerpiâ in Zelandiam profectus, paulò pòſt Sluſas, indeque Brugas contendit: ac poſt multas variáſque Ordinum diſputationes, Concilium Arcanum, mutatis perſonis, fuit reſtitutum; Aldegondio, ſine Præſidis nomine, ſigilli maioris Cuſtode conſtituto. Inſigni ac magnifica pompa Alenſonius Brugis fuit receptus, vrbe paſſim feſtos dies agente; ſed ceſſantibus nonnihil conuiuiis, Amurathes Egmondius captus, adhibitis cuſtodibus, in hoſpitio ſuo detinetur: capti ante eum Salſedus Hiſpanus & Franciſcus Baſta Italus; tortique, eum accuſaſſe dicebantur, quaſi ſimul cum iis Alenſonium & Orangium veneno tollere Parmenſi addixiſſet. Baſta ſeipſum in vinculis interemit, Egmondius Sluſam miſſus eſt, Salſedus Pariſios, vbi tandem quatuor equis diſcerptus fuit. Interea Regij ferè Ipras aſtu occupauerant. Sed negotio non ſuccedente, Honſcotam, Poperingam ac Steenvoordam ſpoliantes diſcedunt. Fine Iulij Bruxellæ præſidiarij ob non ſoluta ſtipendia in ſeditionem verſi, Præfectos & aliquot è Magiſtratu capiunt: quod ciues indignè ferẽtes, magno numero raptis armis forum maius occupant. Quo præſidiarij intellecto, ira feruidi ad forum tendunt; commiſſumque fuiſſet crudele prælium magno vrbis cum periculo, niſi reperta ſtipendij parte, viri probi precando & ciues & milites placaſſent. Secundo Auguſti Regij hac ratione Liram Brabantiæ oppidulum munitiſſimum, tribus tantùm milliari-

Fruſtrà Gandenſes iis ſuccurrere nituntur.

Tandem ſe dedit Audenarda iiſdem legibus quibus Tornacum.

Egmõdius, alijq; duo proditionis accuſati.

liaribus Antuerpiâ, & totidem Mechliniâ distans, occupant. Præerat oppido Ordinum fœderatorum nomine Heetfeldius, præsidio aliquot cohortium Scoticarum: cuius vnius Præfectus, nomine Semple, quòd frustrà diu stipendia debita postulasset, Regi idcircò potiùs cum suis seruire desiderans, ipsis Kalendis Augusti sub Solis occasum ab Heetfeldio cum cohorte emissus fuerat, quòd certam opimámque prædam è Regiis paraturum se assereret. Sub Solis ortum reuertens cum aliquot plaustris, multisque simulatis captiuis portam aperiri petit, fingens præterea hostem instare suis vestigiis; negat tam summo manè se facturum Heetfeldius. Sed Scoti nonnulli qui Liræ remanserant, etsi, vt ferebatur, proditionis ignari, claues extorquentes, portam aperiunt, ac Sempleum cum omni comitatu intromittunt. Erant autem ij pedites equitésque Louanio euocati: qui post exigui temporis pugnam oppidum Regij iuris faciunt: maior enim pars Scotorum Sempleo se iungebat. Lira direpta est, ciuesque ad libertatis redemptionem compulsi. Heetfeldius cum paucis per fossas elapsus Antuerpiam venit. Antuerpiani mox D. Bernardi Monasterium demoliuntur, ne fortè, vt dicebant, hostis eo etiam potiatur: insuper in ipsa vrbe turmas aliquot equitum instruunt. Interea Alensonius exercitum è Francis conflatum, ducibus Comite Rochepotio ac Laualio, in Flandria littorali habens, ægrè tandem impetrarat, vt Duynkerkani, Dixmudenses, Furnenses, ac Winoxbergij præsidia admitterent: cùm reliquus exercitus ad fossas Winoxbergæ federet, Parmensis eos inuisens 3. Augusti ad pugnam prouocabat. Erant etiam auctæ Francorum copiæ cohortibus aliquot Scotorum ac Anglorum, quas Orangius miserat. Sed nec his aucti in æquum prodire locum consultum putabant. Quare leuibus tantùm præliis certatum fuit, deteriori pro maiori parte Francorum fortuna, etsi Regij ex oppido maioribus tormentis infestarentur. Postridie summo manè Franci motis Winoxbergâ castris, Brugas versus tendunt. Habebat Rochepotius circiter nouem millia peditum, ac duo millia equitum; quibus paulò antè accesserant quingenti equites Germani. Hi cùm nonnihil refecti essent, Alensonius ad castra venit, & cum vniuersis copiis Gandauum versus mouet. Intrauit Alensonius Gandauum 20. Augusti, Regia exceptus magnificentia: nullis enim parcitum fuit sumptibus eius honorandi causa. Vigesimo tertio eiusdem, dicto hinc inde sacramento, in foro Veneris nũcupato, in Flandriæ Comitem inauguratus fuit, omnibus obseruatis cęrimoniis consuetis. Aderãt enim quatuor, vt vocant, Flandriæ Membra: priuilegia fuere lecta, eorum obseruatio iureiurando confirmata, deinde aurea argenteáque moneta in populum sparsa, nexique carceribus liberati. Sed ecce dum bellos agunt Gandenses homunculos, Parmensis cum exercitu nocte dieque iter fa-

1582

Stratagema, quo Lira in potestatem Regiorum venit.

Potiuntur scilicet Lira operâ Scotorum.

D. Bernardi Abbatiam Antuerpiani demoliuntur.

Pugnant Regij & Alensoniani ad VVinoxbergã.

Inauguratur Alensonius Gãdani.

1582 ciebat, vt inopinato aduentu Francorum copias circa Gaueram ſedentes opprimeret. Sed ab exploratoribus admonitos, inſtructis aciebus Gandauum verſus iter facere reperit. Inuadit poſtremos, variiſq; locis Martem ciens, prælia ab aurora ad quartam vſque pomeridianam horam 28. Auguſti protrahit, deteriore ſemper Francorum conditione, donec ad foſſas Gandenſes delati, maiorum tormentorum ingentibus globis, quibus vrbs abundat, Regij fuiſſent repulſi. Cecidere è Regiis circiter ducẽti, è Francis ſupra octingentos, Alenſonio & Orangio pugnam de vallo ſpectantibus. Metranus pauciores Francos cæſos vult, ſed ſibi non ſatis conſtat, dum dicit Parmenſem plura potuiſſe, ſi maiorem adhibuiſſet diligentiam; & nihilominùs fatetur, eum ſub ipſis mœnibus duas & ampliùs horas manſiſſe in procinctu, noua ſemper prælia tentantem. Vltimo Auguſti Alenſonius, Gandaui Gubernatore relicto Eſpinoij Principe, Antuerpiam contendit, iteráque Teneramondam faciens, cùm hîc triduo ſuos recreaſſet, iuſto relicto in oppido præſidio, Antuerpiam 2. Septembris vnà cum Orangio ingreditur. Secuta eſt Gandauo maior exercitus pars, ceteris variis locis in præſidia diſtributis. Hos circum Antuerpiam Dambruggæ ac Burgerhouti caſtrametari voluit. Duos ampliùs menſes Verdugius Lochemum, exiguum ſed munitum Comitatus Zutphaniæ oppidum, obſidione preſſerat. Sed fortiſſimè reſiſtentibus præſidiariis parum profecerat, niſi quòd pulueris bellici & commeatus inopia laborare inciperent. Qua de re Orangius certior factus, Holackium & Nienortium iuſto peditum equitúmq; exercitu ac rerum neceſſariarũ copia inſtructos Lochemum miſerat. Verdugius, ſuis in proximum collem ſubductis, timorẽ ſimulans, proficiſcendi Orangianis ad oppidum facultatem dare videbatur. Quod Holackius exiſtimans, nec ſatis ex arte poſteriori prouidens aciei, cùm collis radices pars copiarum præteriiſſet, omnibus copiis Verdugius poſtremos inuadens, ac primos terrore replens, omnes in fugam agit. Holackius ægrè elapſus omnia perdidit impedimenta ac commeatum, capti plures Præfecti, cæſi milites ſupra mille; tres filij Sherenbergij cum aliis aliquot Nobilibus Geldris in obſeſſam ciuitatem, reliqui Dauentriam confugerunt. Exinde ad oppidi obſidionem redit Verdugius. Alenſonius his intellectis, ſtatim eò mittit decem equitum turmas, partim Francos partim Anglos, ex iis qui circum Antuerpiam agebant, addit bis mille quingentos Gaſcones pedites, Duce Amora, recenter mari aduectos, cum Noritij, Stuwardij ac Folkij Anglorum Scotorumque cohortibus. Miſerat & paulò antè Parmenſis Verdugio noua auxilia, Duce Carolo Mansfeldio, Petri Erneſti filio, ac Hautepennio, ceſſerátque Verdugius Mansfeldio ſummam exercitus Præfecturam. Sed is, adueniente hoſte, quaſi vt Verdugio vicinior eſſet, ſtatio-

Pugnatur circa Gaueram, deteriori Alenſoniorũ conditione.

Alenſonius per Teneramondam Antuerpiã cedit.

Verdugius Lochemũ diu obſidet.

Holackius ſubuenturus Lochemio cladẽ accipit.

Ingentia vtriſque veniunt auxilia.

ſtatione relicta, flumen tranſit. Holackius igitur eodem quo exierat Mansfeldius loco caſtra molitur. Dimicatur ſtrenuè prope propugnaculum quoddam à latere oppidi, multi vtrimque cæduntur. Holackius inter duo Regiorum propugnacula extruit aliud, cuius defenſione pontem facit, per quem commodè in vrbem miles ingredi cœpit; conſtruit deinde & aliud ad pontis munitionem. Proinde Mansfeldius & alij oppidum iam ſatis de neceſſariis poſſe prouideri cernentes, metuenteſq; ne à tergo ab hoſtibus cingantur, caſtra amouere ſtatuunt, aciem diſponũt, & ab obſidione 23. Septembris recedunt, propugnaculáque omnia deſerunt. Verdugius Grollam, Mansfeldius & Hautepennius in Brabantiam proficiſcuntur. Periit hac obſidione inter ceteros Dominus Anholtius Philippo Regi addictiſſimus, dum excubias luſtrat, globo è mœnibus ictus. Initio Octobris tumultuatum eſt Viluordiæ, vbi viginti & octo Francorum cohortes in præſidio erant. Hi enim publicè Catholica vtentes Religione, fecere vt iis ſe ciues iungerent. Quod cùm Caluiniani proclamatores prohibere ciuibus conarentur, oppido ab iis pulſi, Bruxellam commigrarunt. Eodem ferè tempore Alenſoniani deditione occuparũt arces Gaesbecanam, Roeſeam, ac Eeckhouiam; in Geldria quoque recuperarunt Ordines Bronchorſtium ac Keppelium. Intereà Antuerpiæ congregati Fœderati Ordines inter ſe conuenire non poterant de noui Principis aulico ſtatu, multò minùs de Concilio Statuum, nec non Secreto, & Ærarij, ac Mechliniano ſeu Parlamento conſtituendis. Vnaquęque enim Prouincia ſuo in Concilio lites ſine prouocatione terminari volebat, Principiſque Fiſcum annuoſque redditus à ſe curari, ac proinde tot non eſſe opus dicentes Conciliorum ſumptibus. Tandem Alenſonius Ordinum Legatos Antuerpiæ his verbis inter cetera fertur allocutus: Scio me à vobis in Principem lectum inauguratúmque, non vt pro animi libidine imperarem, ſed libertatem, priuilegia, immunitateſq; Belgarum conſeruarem: gratias debeo & habeo, relaturus etiam ſi velitis. Neque enim huc veni vt nolentes cõgerem, ſed volentes petẽteſque. Petetis autem, ſi ſecundùm cõditionum Burdigalenſium leges, primùm omnium promiſſam auri argentique ſummam in peditum equitumque auxilia exhibueritis. In vos viri prudentes deſcendite, & iſtud non præſtitum ingenuè fatebimini. Examinate ceteras leges, & inuenietis vos tutores, nos pupillos; vos legum latores, nos circumſcriptos earum executores. Tanta igitur præditi poteſtate, quare non in vnum ſentitis? publica priuatis præponitis? bello neceſſaria flagranti ſollicitudine curatis? Non enim nobis res eſt, neq; bellum ſuſcepimus cum imbecillo aut imbelli regulo, ſed cum potentiſſimo ac opulentiſſimo non ſolùm Europæ, ſed terrarum orbis Hiſpanico imperio; quod etſi bis, ter, quatérve clade

1582

Soluunt tandem Regij ſeu relinquunt obſidionem Lochemenſem.

Catholici Viluordiæ operâ Frãcorum pellunt Caluinianos concionatores.

Non conueniunt Fœderati de conſtituenda Noui Principatus forma.

Orationis Alenſonij ad Ordines quædam.

Queritur, ſcilicet Ordines tutores, ſe pupillum.

1582 affectum, resurgere, ac acriùs sæuiusque quàm anteà hostes inuadere po- "
test, solétque. Silente Franco, cùm Legati Ordinum parum per patria lin- "
gua collocuti essent, simul omnes in pedes surgentes, ceteris petentibus Consul Antuerpianus Iunius respondit, in optimam se partem accipere monitionem, experturámque suam Celsitudinem post paucos dies non verbis, sed re sequi Ordines consilium velle. Itaque post octo dies eius Quęstori numerant ducenta aureorum liliorum millia. Vigesimo quinto Octobris Templius Bruxellensis Gubernator Louanium occupare sperans, educta Bruxellensium, Mechlinien siũ, ac Viluordien sium prę sidiariorum parte maxima, intempesta nocte Louanium contendit. Sed Louanienses paulò antè à Catholicis clàm præmoniti, ad repellendum Templium parata habebant remedia. Et quidem appositis ante solis ortum, vbi fossæ aquam non habent, ad mœnia scalis, aliquot transcenderant, sed qui statim cæsi aut capti, Anglos & Francos, ne idem tentarent, terruere. Quare relicta in fossis machinarum maxima parte, ad sua quisque præsidia rediere. Eodem mense Octobri cùm Galli ex Cameraco Clusam inter Cameracum & Duacum sitam munire cœpissẽt, Parmensis tormẽtorum bellicorum vi eos ad deditionem coëgit. Castrum quoque Cambresium similiter deditur, cum armis exeuntibus ducentis prę sidiariis. Hinc Kalendis Nouembris Ninouam Flandriæ Parmensis adortus est, vt Bruxellenses paulatim premeret, eamque etsi hoc tempore vno tantùm loco oppugnabilem, actis cuniculis, ac tormentorum violẽtia murorum parte deiecta, eò redegit, vt quadringenti circiter Franci prę sidiarij de defensione desperantes, 14. eiusdẽ Nouembris deditionem facerent. Paulò pòst quoq; arcem Likerkanam & Bochoutiam in potestatem redegit, prę sidiariis sine armis exeuntibus. Munitionem Londerselliam vi expugnauit, nec non arcem Gaesbecanam Septembri præcedenti Regiis ereptam recuperauit. Decimoseptimo Nouembris Verdugius in Transisulania Steenwijckam, ob quam bis acriter certatum fuerat, vt superioribus annis narrauimus, astu militari capit, operâ cuiusdam rustici, qui vadum quoddam in oppidi fossa esse nuntiauit, quod eo tempore, quo alueus profundior fodiebatur, relictum fuerat, idque rusticus hic obseruarat. Et quamuis aquis vadum illud esset tectum, tamen prę eunte rustico milites Verdugij illud tranant, admotisque scalis muros conscendunt, & occisis excubitoribus sociis portam aperiunt. Ita Verdugius oppido potitus est, vbi præsidiarij plus minùs trecenti cæsi, ciues pecunia mulctati. Iam Parmensis, occupatis vicinis, quæ diximus, locis, Bruxellam à longè premebat; verùm quia vrbs commeatu aliisq; rebus necessariis, & duobus Anglorum & Gallorum millibus, quatuorq; equitum turmis, præter vetus præsidium munita erat, parum profecit. Itaque

Numerãt Ordines Alensonio ducenta aureorum millia.

Templius frustrà Louanium tentat.

Parmensis Ninouam capit, & castella aliquot vicina.

Verdugius Steẽvvijcam Regi vindicat.

Parmensis Bruxellam à longè premit, sed parum commodo.

in Wasiam Flandriæ regionem opimam, tunc adhuc integram, partem exercitus in hiberna disponere tentat, sed Alensonius per suos Francos itinera omnia præcluserat, & præripuerat: sicque Parmensis, deserta Bruxella, suis in varia præsidia distributis, ipse cum Aula Tornacum se contulit, expectaturus quid Alensonius moliretur. Graui inopia hac hieme laborauit vterque exercitus, dilapsisque colonis, plerique pagi Brabantiæ & Flandriæ ad extremam erant vastitatem redacti. De ipsis etiam Alensonianis, etsi opimam tenerēt Wasiam, & per Antuerpiam ex Hollandia & Zelandia omnia abundanter habere debuisse viderentur, hæc Metranus: Fuit, inquit, hac eadem hieme etiam in Alensonij exercitu ingens egestas atque miseria, morbo epidemico grassante, & Gallos præcipuè infestante; quorum multi ob annonæ caritatem, & difficilem stipendij solutionem, inedia ac morbo perierunt, multi stipem alimentáque mendicarunt. Hæc ille. Decimotertio Decembris Antuerpiæ, omnibusque locis quæ Francum receperant, publicatum fuit, vt die mensis eiusdem decimoquinto ab omnibus celebraretur Festum Natiuitatis Iesu Christi, scriberetúrque is ab omnibus vigesimus quintus, semel sublatis decē diebus, vt annus ciuilis Astronomico deinceps (de quo mox pleniùs) perpetuò responderet; nullo tamen cum detrimento contractum, nec rerum conductarum. Siquidem hoc anno mense Octobri id vniuersis Christianis Gregorius XIII. Romanus Pontifex præceperat, nimirum vt Saluatoris Natalis, quem, attestantibus priscis Auctoribus, Brumale solstitium certo mysterio consecrarat, eodem quàm proximè reuocaretur. Eò enim erat deuentum mille quingentorum & octoginta à Christi Natiuitate annorum curriculo, vt Brumale solstitium non vigesimo quarto aut quinto Decembris incideret, sed decimo quarto aut quinto eiusdem
» mensis. Sanè Suetonius de Iulio Cæsare cap. 40. hæc inter cetera: Con-
» uersus hinc ad ordinandum Reipublicæ statum Fastos correxit, iam pri-
» dem vitio Pontificum per intercalandi licentiam adeò turbatos, vt neq;
» messium feriæ æstati, neque vindemiarum Autumno competerent: an-
» numque ad cursum Solis accommodauit, vt trecētorum sexaginta quin-
» que dierum esset, & intercalario mense sublato, vnus dies quarto quoq;
» anno intercalaretur. Hęc ille. Et quid? Si hæc eo tempore necessaria visa fuere, conseruandis falsorum deorum statis festis, an non operæpretium fuit curare, vt Saluatoris nostri nox Natalis quàm proximè ad locum suum reuocaretur? Ob hanc igitur causam, & alias quas hîc referre longum esset, correctio hæc Kalendarij hoc anno, præterquam à Catholicis omnibus, etiam ab Orangianis aliquot, Brabantis, Flandris, Hollandis recepta fuit; reliquis tantum auctoritati Pontificis tribuere nolentibus. Hac æstate Antonius Lusitanus, Anglorum Francorúmque ope, col-

1582

Graui inopia hac hieme laborat vterque exercitus.

Kalendarium Gregorianum Antuerpiæ aliisq; locis Alensonianis recipitur.

Pleniùs de hac restitutione Kalendarij.

Restitutū Kalendarium, vt nox Natalis Christi quàm proximè respondeat Solstitio.

1582 collecta classe, mense Iulio mari se committit, fortunam quamcumque tentaturus. Præerat classi Legati nomine à Franco datus Italus Florentinus, Petrus Strozza, Hispaniæ Regi infensissimus. Fiunt tandē obuiàm classi Hispanicæ, cui Marchio sanctæ Crucis præerat, dudum de eorum aduentu præmonitus. Pugnatur aliquamdiu acriter maioribus tormentis. Demum iniectis harpagonibus, cominùs inter se cōgressæ naues maiores minoresque post duarum ferè horarum acerrimam pugnam superiores Hispani, 26. Iulij maiorem hostilium nauium partem capiunt, aliquot deprimunt, ceteræ fuga se seruauere; in quibus Antonius & Strozza ad insulam Terceram delati, subita inuasione Insulam, & præcipuam munitionem eius obtinuere, nec plenè victi sunt ante Iulium anni sequentis; de quo porrò tunc erit dicendi locus. De bello Colonienſi, quod hoc anno prima sua initia habuit, dicemus simul anno sequenti. Obiit hoc anno 12. Decembris Dux Albanus Vlissiponæ in Portugallia, maior septuagenario. Addo & hoc; sicut anno superiori Campianum, Scheruinum, & Briantum, ita & hoc Paynum constantes athletas sustulit è medio Anglicana persecutio.

Pugna naualis Antonij Lusitani cum Marchione S. Crucis.

Moritur Dux Albanus.

1583 Anno 1583. malè habebat Alensonium, tum quòd tam restrictam videret se apud Belgas obtinere auctoritatem, tum inprimis, quòd non expedirentur bellorum sumptus promissi, suiq; Franci milites, vt diximus, extremè egerent. Itaque consilio suorum Nobilium domesticorum, maximè iuniorum (vt volunt) statuit vno eodemque tempore loca omnia, vbi Franci essent in præsidio, plenè suo subiugare imperio. Et quidem vt Antuerpiam, vbi Aulam habebat, perpetuam sibi faceret Regiam, primùm loca aliquot vicina simul sibi subijcere parat, & mox initio Ianuarij Endouiam versus Boniuetum cum parte exercitus mittit: qui cuiusdam operâ, qui Endouiæ situm optimè nouerat, vrbeculam nocte inuadit 7. Ianuarij: cæsi circiter 50. Epirotæ equites, vulgò dicti Albanenses, reliqui præsidiarij qui in Arcem confugerant, breui quoq; deditionē facere compulsi sunt. Paulò pòst etiam Helmonda, Horsta, & alia quædam vicina loca capiuntur. Instabat dies quo simul plura oppida (vt diximus, & mox plenius explicabimus) Antuerpiam, Brugas, Duynkerkā, Dixmudam, Teneramundam, plenè sui iuris facere constituerat Alensonius: erat autem is dies 17. Ianuarij. Itaque ad 15. Ianuarij ad suburbia Antuerpiana iusserat adesse ex hibernis suas copias, quatuor millia Heluetiorum, pluresque peditum & equitum Gallorum turmas, præter eos qui longo antè tempore ibidem loci manserant; multos præterea Nobiles in vrbem & in suum Palatium ventitare, secretoq; arma parare mandarat, si quo astu aut vi, vt ferebatur, nocte portam Croneborgicam suo Palatio vicinam occupare, & sic reliquum militem in vrbem inducere possent.

Alensonius parat pleniorem sibi parare auctoritatem.

Copias adesse iubet ad suburbia Antuerpiensia.

poſſent. Verùm cùm 16. Ianuarij ſiniſter rumor de Francis in vrbe ſpar- 1583
geretur, Petrus Aloſtanus tunc temporis Antuerpiæ Conſul id Alenſo- *Siniſter rumor de Francis Antuerpia.*
nio eodem veſpere ſignificans, rogat, vt ad ciuium ſecuritatem & quieté liceat catenas platearum maturiùs tendere, & lucernas præ ſingulis foribus, vt in huiuſmodi moris eſt, ſuſpendere. Ægrè tulit Alenſonius ciues ſibi à ſuis metuere; annuit tamen petitis. Sed poſtridie, hoc eſt 17. eiuſdem Ianuarij, manè vocatis ad ſe Conſulibus & Tribunis vrbis, adhibito etiam Orangio, multis verbis iterùm repetit, ſuſpicionem huiuſmodi immeritò & non ſine magna ſui iniuria ciues habere, itaque euellẽdam eam eſſe; ita vt ſiniſtra iſta ſuſpicio magna ex parte euaneſcere videretur. *Nihilominùs Alenſonius Antuerpiam plenè ſibi ſubycere parat.*
Interim paulò pòſt nuntiat Alenſonius, ſumpto cibo, ſe velle extra vrbem caſtra inuiſere; quod nemo ei negare poterat. Itaque hoc prætextu eius domeſtici, paulò antequam ipſe veniret, catenas ſeu repagula platearum, quæ ad duas portas ducebant, aperiri ſoluique mandarunt, dicentes ſe ignorare per vtram portam exire vellet. Cui aduenienti, vt cum debito honore portæ aperirentur, Tribuni ciuium, Iacobus à Falia Rubræ portæ, Adrianus Vierendelius Kipdorpiæ adſtabant, paucis admodum ciuibus comitati, eò quòd hora prima, prandij tempus eſſet, plurimique prandendi cauſa domum abiiſſent, eiuſque vici habitatores, & Kipdorpiæ portæ vicini incolæ tunc alio loco excubias agerent. Alenſonius ducentis circiter Nobilibus equitibus, tum aliis, omnibuſque ſui corporis cuſtodibus Heluetiis & Gallis comitatus, dicta hora ad portam Kipdor- *Occupant Franci põtem portæ Kipdorpiæ.*
piam venit: hîc nonnulli ſuorum prope & ſupra pontem conſiſtunt, locúmque ſeruant Duci & Proceribus tranſituris: obuiàm veniunt nonnullæ equitum turmæ, honoris, vt videbatur, exhibendi cauſa. Simulac verò Dux Alenſonius cum Duce Montpenſerio, Comite Lauallio, & aliis ſecundum pontem verſatilem tranſiit, vbi ciues excubitores aperto capite ſtabant, quidam Francus Nobilis ex compreſſione ſibi crus fractũ exclamat, (quod quidem fingebat, vt tali ſymbolo ſignóque reliquos ad arma conuocaret) cui cùm quidam ciues, inter alios Keyſerius quidam, opitulari vellent, Keyſerius ab eodem vulneratur: ocyùs quoque ciues *Cæduntur, pellũtur q; excubitores ciues.*
excubitores alij ab Alenſonij aulicis cæduntur, inter quos & Adrianus Vierendelius Tribunus, multi tamen euadunt. Inde ducenti illi equites aulici maximo cum impetu in vrbem reuertuntur; ſimulque totus exercitus verſus vrbem tendere viſus eſt, feſtinantérque ingrediuntur ſeptemdecim Francorum peditum cohortes, ſignis erectis, & quatuor equitum turmæ. Primi vtrimque mœnia portæ vicina occupant, & verſus portã Cæſaream tormentis bellicis potiti ea contra vrbem vertunt; alij per plateam Kipdorpiam inſtructa acie vſque ad pontem à Vineis cognominatum, alij per plateam nouam oblongam, vſq; ad Mercatorum Ba- *Ingens vis militum irruens, panè potitur ciuitate.*

ſilicam

1583 ſilicam (Burſam vocant) quidam etiam ad alias plateas D. Annæ, & verſus forum boarium penetrarant, vociferantes, Trucidate, ſed viuat Miſſa, vrbs capta eſt. Ciues, ſimulac ſe tam hoſtiliter obrui viderunt, quidã ocyùs cum armis ex ædibus erumpunt, & primi, numero admodum pauci, magnis Francorum cateruis ſe obiiciunt, paruo quidem ſed denſo agmine eos vlteriùs tendere prohibentes, tenſis paulatim vbique catenis, & ex ædium feneſtris & tectis paſſim omnis generis telis in eos coniectis. Egregia hîc facinora à ciuibus fuere perpetrata. Inter primos, vt ferunt, piſtor quidam nudus, ſolo linteolo ab vmbilico vſque ad genua tectus, (is eſt hîc habitus pinſentium) ab opere ſuo proſiliens, arrepta ſeu pala, ſeu minori lancea, quam fors offerebat, equitem Francum ſternit, equumque ipſe celeriter conſcendit, effugitq; cùm eum hoſtes perſequerentur: & inprimis ex ædibus portæ Kipdorpiæ vicinis multi ſtrenui ciues ex feneſtris & tectis magna ſclopetorũ frequentia ingredientes Francos, & paulò pòſt alios etiam fugam ſpectantes in ipſa porta ſternunt, ita vt mox cæſorum cadauera portam obſtruerent, tandémque cęſorum ſeu vulneratorum aceruus ſeſquihominis ſtaturam excedens omnem introitum exitúmq; per portam impediret. Pugna durauit vix horam. Orangius tumultu excitus, dum inter Georgianã & Kipdorpiam ciues Francos trucidantes fruſtrà placare nititur, mox in aulam Arcis reuerſus eſt. Ex ciuibus tunc periere fortiter pugnantes (vt Senatus publico ſcripto typis euulgato declarat) circiter octoginta, præter vulneratos, nominatim Vierendelius, Thas, Michaut, & Iaſpar pileorum confector. Franci tum cæſi tum in foſſis vrbis ſubmerſi, & ad ſepulturam numerati ampliùs mille quingenti, inter quos etiam nonnulli primarij Proceres & Nobiles fuere. Ita illud ſcriptum. Nominantur ab aliis Comes Agnianus & filius; Comes Caſtelruſſus Marſchalci Bironis filius; Dominus* Sayſeuallius Viluordæ Gubernator, filius Domini Mirambeau, & Dominus de Thian Gubernator Aloſti. Stragis Chronicon, reddens hunc annũ 1583. portæ Kipdorpiæ inſculptum legitur his verbis: AVXILIVM SVIS DEVS. Obſeruarunt etiam nonnulli numerum cæſorum ſimiliter hũc annum exprimere, hoc eſt 1583. Alenſonius quidem multis poſtridie & die tertia egit vt ſe purgaret, ſed fruſtrà, maximè quòd ſimul mox nuntiarentur, quæ eodem die & pridie aliis in locis Franci moliti fuerant. Nempe 16. Ianuarij Duynkerkę tumultu concitato, prętextu, vt dicebãt, prædę ſibi à nautis ereptæ, præſidiarios paucos Belgas exire oppido compulerant; itemque Dixmudam, Teneramondam, Winoxbergam ſui iuris fecerant. Tentarant idem Brugis hac ratione. Decimoquarto Ianuarij quinque Francorum cohortes ibi pręſidiariæ blandis verbis impetrarant, vt ſex aliæ haud procul vrbe agentes Meningam profecturæ per vr-

Sed ecce inter primos ſe obijciens nudus piſtor, metũ iis iniicit.

Mox accurrentibus vndiq; ciuibus, Franci retrocedere coguntur.

Franci cæſi ampliùs 1500. ciues 80.

**an Lauallius?*

Fruſtrà Alenſonius purgare ſe nititur Antuerpienſibus.

bem

bem tranſeuntes neceſſaria ibi poſſint coëmere; admiſſi in foro hęrent, 1583
nec poſt biduum de abitu loquuntur, ſed potiùs ſe ibi per dies aliquot re- *Nempe eodem die quoque occupare voluerat Brugas.*
ficere velle declarant. Magiſtratus, re cognita, die 17. eiuſdem Ianuarij, obſcuro ſimul (vt quidam volunt) accepto nuntio de pridiano tumultu Duynkerkano, clàm Tribus ac Collegia ciuium armare ſe iubet, viáſque omnes ad forum ducentes ſecretò obſidere. Hinc honeſtè Præfectos cohortium præcipuos, vt in domum Prætoriam veniant, rogari curant: quærunt blandis verbis, quando nouæ illæ cohortes ſint diſceſſuræ. Qui cùm alia atque alia adferentes, dicerent ſe diſcedere vrbe non poſſe, priuſquam nouum à Duce accepiſſent reſponſum, interminauit Magiſtratus; imò eos vi aut amicitia diſceſſuros; vniuerſos enim ciues eſſe in armis, ipſóſque ex æde Prætoria non dimittendos, niſi exaratis ad milites litteris, eos quamprimùm abire iuſſiſſent. Ita liberati Brugenſes à Francis. Præfecti detenti & ſtrictè examinati, faſſi ſunt diem hunc etiam aliis vrbibus occupãdis ab Alenſonio fuiſſe conſtitutum. Veſpere huius ſolem- *Littera Alenſonij ad Magiſtratum Antuerpienſem.*
nis diei 17. Ianuarij Alenſonius in arce Berchemiana prope Antuerpiam mãſit, & duos ciues Antuerpianos caſu extra vrbem repertos, Landtmetrium & Scholerium, vnà cum domeſtico Nobili in vrbem cum litteris multa obſcurè inuoluentibus (mox eius alteras clariores producemus)
» mittit. In fine hæc erant: Scire cupit ſua Celſitudo, quo eum loco Ant-
» uerpiani ſint habituri, antequam de rebus ſuis quidquam ſtatuat. Subſcriptum, In caſtris Berchemianis 17. Ianuarij, Franciſcus. & inferiùs, Du Pin. Antuerpienſes nihil ad hæc reſpondent, negotium autem omne Ordinum Generalium ſententiæ committunt: hi tandem quarto poſtquam diſceſſerat die, Delegatos & commeatum mittendos decernunt. Alenſonius intereà inopia preſſus Bernardinam Abbatiam verſus iter *Alenſonius inopiâ preſſus Teneramondam verſus tendit.*
inſtituerat, hîc Scaldim traijcere, & Teneramondam venire meditans. Verùm Antuerpienſes nauibus armatis eò celeriter miſſis, traiectum impediunt: mox quoque Noritius cum Anglorum & Scotorum 23. cohortibus in regionem Waſiam mittitur, vt iter impediat. Itaque Alenſonius, commeatu vndique præcluſo, Dufflæ Netam flumen maxima cum difficultate 19. Ianuarij traiicit, inde Rymenantum vltra Dilam proficiſcitur, & Viluordâ Teneramondam venire tentat. Intereà dum Dufflæ hę- *Littera eius ad Tẽplium Gubernatorem Bruxellenſem.*
ret, ſcribit 20. eiuſdem Ianuarij ad Oliuerium Templium Bruxellæ Gu-
» bernatorem in hanc ſententiam: Templi, Rerum indignitas ab Ant-
» uerpianis mihi illata, nullo perſonę meę nec exiſtimationis habito reſpe-
» ctu, eò me perduxit, vt die huius menſis decimoſeptimo vrbe eorum
» egreſſus, ad caſtra Borgherhoutij, recenſendis militibus ſim profectus; ac
» mox ſeditione inter ciues portæ cuſtodes Francóſque orta, ceteriſque
» Borgherhoutij agentibus in ſuorum auxilium conuolantibus, ciuibuſq;

ſe

1583 ſe iis opponentibus, ea ſubſecuta eſt in vrbis porta confuſio, quæ mihi « plurimùm diſplicet, tibiq́ue ex rumore cognitam non dubito: certio- « rem verò te fieri volui, vt certò ſcias, ea de cauſa affectum, quem in hunc « vſque diem Belgis geſſi, nil eſſe diminutum, non dubitans quoque te in « fide mihi ab initio data, & hucuſque conſtanter ſeruata, perſeueraturum. «

Petit ſibi pretio commeatum ſubmitti.

Quare cùm ego & exercitus auro non carentes, commeatus inopia valdè « laboremus, peto ex vrbe Bruxellana iuſto nobis pretio terra aquaq́; ſub- « miniſtrentur. Cauſas verò, quare in hanc deuenerim neceſſitatem, pau- « lò pòſt declarabo. E caſtris Duffelanis, 20. Ianuarij. Franciſcus. & infe- « riùs, Du Pin. Templius, his litteris Magiſtratui ac Concilio Militari communicatis, commeatum ex vrbe Francis vendi poſſe publicè edixit, & abundè commeatus eſt allatus. Ita Alenſonius Teneramondam cum copiis ſuis venit, manſitq́ue, donec tandem 28. Martij, ſatagente inprimis Belieurio Frãcorum Regis Legato (qui 7. Februarij huius tumultus cauſa Antuerpiam venerat) certæ leges publicatæ ſunt, quibus Alenſonius Duynkerkam proficiſceretur, ibi vt plenè de tota controuerſia decerneretur: quò tamen profectus non eſt ante 7. Aprilis. Intereà Parmenſis rebus ſuis nõ defuit: mox enim 20. Ianuarij ſcripſit Gandenſibus, quandoquidem iam perfidiam Alenſonij ſatis perſpexiſſẽt, redirent ad mentem: ipſis, omnibúſq; qui vellent, honeſtis legibus gratiam Regis eſſe paratam. Et in eumdẽ ſenſum 22. eiuſdem Ianuarij ad Ordines Antuerpiæ congregatos litterę allatę ſunt, ſcriptę à Proceribus Belgicis, Richẽborgio, Montignio, & Raſſengemio: quibus etſi nonnulli in initio commoueri viderentur, tamen edictum eſt paulò pòſt, ne quis ampliùs de reconciliatione cum Rege ſermonem inferret. Parmenſis igitur eodem adhuc menſe Endouiam obſidet, miſſo illuc cum copiis Mansfeldio iuniore: qua tamen potitus non eſt ante 25. Aprilis, vt mox commemorabimus. Intereà 29. Martij ſupplicium capitis luit in quatuor ſectus partes in Haga-Comitis Cornelius Hoghius, peritus artis in ęs ſcalpendi, quòd editis libellis ſe filium nothum Caroli V. Cæſaris ferens, multa à Rege Philippo clàm nonnullis promiſiſſet. Et ſub idem tempus Antuerpiæ quoque eodem ſupplicij genere ſublatus eſt Petrus Dordoignus Hiſpanus, quaſi Principis Orangij interficiendi cauſa ex Hiſpania veniſſe conuictus fuerit. Id temporis Orangius matrimonium, quod dudum cum Ludouica Colligniaca triginta annorũ vidua Domini Telignij, Pariſiis anno 1572. trucidati, & Admirallij filia ibidem tunc etiam interfecti, tractarat, adſecutus, eamdem 11. Aprilis mari aduectam Antuerpiæ excepit. Duodecimo Aprilis poſt meridiem, data inuicem fide, nuptias celebrauere, ſonantibus omnibus campanis, exoneratiſque tormentis. Tametſi enim multis hæc noua affinitas Orangij cum Gallis diſpliceret, tamen hoc ho-

Tandem venit Teneramondam ad ſuos.

Littera Parmenſis ad Antuerpienſes & Gãdenſes, ſed ſine fructu.

Duo ſupplicijs affecti, vnus Haga-Comitis, alter Antuerpiæ, dicti proditores.

Celebrat Orangius nuptias cum Colligniaca Antuerpiæ.

noris

noris ei adhuc datum fuit. Aderant Montpenſerij Dux, Comes Laual- 1583
lius, Comes Hohenlonius, Suartzenburgius, & alij. Decimoquinto eiuſdem Aprilis, cùm plenè Francis eſſet perſolutum, Dixmudâ, etſi ægrè, diſceſſere; venitque eò à Flandriæ Ordinibus miſſus Watervlietius iuſta peditum equitumque cum manu, magno Iprenſium gaudio, qui multis damnis à Francis fuerant affecti. Intereà Boniuetus cum Francis ſuis Endouiæ obſeſſus, extrema tentans, auxilium expectabat. Nominatur Ordinum exercitus Dux Bironius, Lauallius equitum Magiſter. Cogũt in vnum quidquid ex Brabantia & vicina Flandria curruum & equorum poſſunt, (ruſtici enim paſſim ſolum verterãt) maiora tormenta Antuerpiæ nauibus impoſita Liram verſus vehunt: interim ad munitionem Vierſeliam caſtra ponunt, quòd Angli Scotique, ab antiquo Francorum hoſtes, non libenter copiis Bironij Lauallijque ſe iungerent. Et quamuis tandem Angli, Scoti, Heluetij ac Belgæ vnis conueniſſent in caſtris, honeſtiſque Vierſeliam conditionibus in deditionem accepiſſent, Endouię tamen obſidionem perrumpere, perſuaderi non potuerunt. Quare tandẽ 25. Aprilis Boniuetus fame coactus, pactus cum armis, vexillis ac impedimentis, quò vellet abiret, ſed certo tempore contra Regem Hiſpaniarum non militaret, deditionem fecit, ac cum præſidio exiens ad Bironij caſtra peruenit. Bironius capta Vierſelia, ac aliquot aliis circum Liram munitionibus, cum quindecim peditum ac duobus equitum millibus, Wouwam haud procul Bergis ad Zomonam ſitam arcem obſidet, factáque tormentis continua impreſſione, vix tamen mœnia, quà milites inſultum facere poſſent, labefactare potuerunt. Nihilominùs præſidiarij 150. Itali (cum quibus erant & multi ruſtici) metu perculſi 10. Maij Arcem dediderunt, ea conditione, vt gladio tantùm & pugione armatis exeundi libertas concederetur. Huius deditionis cauſa, vt nimis tempeſtiuæ, præſidij Præfectus proditionis apud Parmenſem accuſatus capite plexus eſt. Sub idem tempus Ordines Antuerpiæ congregati, miſſis ad Secretum Bruxellæ Concilium tabulis, iuſſere, poſthac à tractandis populi negotiis abſtinerent, donec conſtitiſſet, qua ratione Dux Francus & Ordines eſſent conuenturi. Noluit parêre Concilium, allegantes ſe à Duce Diplomata ſua, non ab Ordinibus accepiſſe, proinde quamdiu is Brabantiæ non eſſet declaratus hoſtis, aut Ducatus excidiſſe iuribus, tamdiu ſe illi, non illis obedituros; eademque Franco Duynkerkam ſcribentes, litteras, in officio perſiſterent, obtinuere. Ordinibus verò ſcripſit, abſtinerent ab iis quæ ſuæ eſſent poteſtatis ac auctoritatis. Mansfeldius, Endouia capta, intereà dum Bironius Wouwanam arcem oppugnat, Turnhoutum, Hoochſtratum, Loenhoutum, & Vierſeliam recuperat, inde Dieſtam oppidum obſidione cingit, & 27. Maij poſt 12. obſidionis dies dedi-

Parant Fœderati opem ferre obſeſſa Endouiæ.

Initiere Vierſeliam arcem occupant.

Endouia Regiis ſe dedit.

Diſſenſio inter Ordines, & Concilium Secretum Bruxellæ.

Parmenſis arcibus aliquot, deinde & Dieſta potitur.

1583 deditione accipit,ciuibus, quòd aliquoties repugnantes ſpoliati eſſent, pugnam recuſantibus, ac proinde præſidiariis non ita multis de defenſione deſperantibus. Permiſſum,milites cum armis ac impedimẽtis,quò vellent,abirent;gratia ciuibus facta:ijſdémque conditionibus mox quoque Sichemium vicinum oppidulum Regiis ſe tradit. Dockerus Dieſtemij oppidi Prẹfectus paulò pòſt cum prẹſidiariis Burgerhoutũ veniens, Antuerpiámque intrans, in cuſtodiam eſt ductus, accuſatus quòd ſine ceterorum Prẹfectorum cognitione ac conſenſu cum Parmenſi trãſegiſſet, quodque diminutum militum numerum cohortes habuiſſent. Sed poſt integri anni detentionem dimiſſus,cauſæ ſuæ ęquitatem edito libello defendere eſt conatus. Paulò antè Orangius repletas Antuerpiæ arcis foſſas,quà vrbem ſpectabant,denuò effodi curarat,ac ab vtraq; via, qua à platea Cronenburgia ad Arcem itur,certa quædam interualla effodi & diſtingui fecerat. Spargebatur hæc fieri metandis ibi nouis plateis & domibus. Sed populus hæc non curans, dicénſque Orangium Arcem ſibi munimentum,vrbi verò iugum iterùm moliri,22.Maij magno numero ad locum concurrentes,viri,feminæ, iuuenes, metata ab Orangio opera diſiecere,Arcem vrbi,vt anteà fuerat,iungentes,confuſo clamore palàm Orangium proditorem vocantes. Peſſimè enim tunc Orangius apud plures audiebat,vt nimiùm Francis addictus,& quaſi illis partem Belgij mediterraneam ſubiugaturus, ipſe vt Hollandis & Zelandis imperaret. Capta Dieſta & Sichemia,Regij ad Weſterloum arcem loco valdè munito ad Netham fluuium ſitam veniunt. Vbi cùm ruſtici quidam à prẹſidiariis ſæpè malè habiti, vallem Regiis demõſtraſſent,medio ferè milliari diſtantem,in quam aquæ Arcem ambientes facilè deriuari poſſent, horum indicio foſſa defoditur,& aqua omnis ita deducitur, vt velut ſicco pede ad ipſos vſque Arcis muros aditus pateret. Quare cùm iam tormentis muri quati inciperent, Vlietius præſidiariorũ Præfectus obſeſſoribus Arcem dedidit 5.Iunij: ea de cauſa Antuerpiæ captus, grauiter accuſatur, ſed & ipſe tandem liber euaſit. Hinc Parmenſis Herentalſium 6.Iunij obſidere parat. Verùm cùm Bironium cum copiis Francorum & Anglorum in vicino municipio Roſendalio munire ſe cernit, quò commeatum illi præcludat, 26. Iunij exercitus Regius, ipſo Parmenſi Liræ agente,Roſendaliam verſus Herentalſio mouet,pugnámque quẹrit. Sed Bironius,incenſa Roſendalia,Anglis Scotiſq; non fidens,Steenbergam, indéque Bergam ad Scaldim ſeu Zomonam cum Francis, Heluetiis ac Belgis contendit, Anglis Scotiſque vno milliari ab eo ſeparatis;quos Regij inuadentes, totóque die acriter velitantes, tandem in fugam egere, nocturnis tenebris pugnã dirimentibus. Quin & ſummo manè eos iterùm aggreſſi ſunt,ſed Franci & Heluetij tandem in auxilium venere, ac

Præfectus Dieſtenſis traditi oppidi reus Antuerpiæ agitur.

Populus Antuerpienſis tumultuatur contra Orangium.

Obtinet Parmenſis munitam arcem VVeſterloo.

Tendit cõtra copias Fœderatorum in Roſendale.

ne

ne eos plenè conficerent, impediere. in æquum tamen locum Bironius copias educere, pleniq́ue prælij copiam facere, consultum non duxit. Cecidere ex octingentis Anglis Scotisq́ue circiter pars dimidia, sauciis non numeratis, è Regiis ferè centum quinquaginta. Circa noctem Bironius copias omnes ad fossas Berganas reduxit. Vigesimo septimo Iunij Antuerpiæ, Tribuum Collegiorúmque Concilia etiamnum congregata, super ea quæ Orangius ac Brabantiæ Ordines de recipiendo iterùm Duce Alensonio proposuerant, tandem responderunt, se nihil absoluti dicere posse, nisi simul visis auditisq́; omnium Fœderatarum Prouinciarum sententiis: idemq́ue responderunt Bruxellenses. Catholici enim Regem Catholicum veterem Principem animis requirebant; & pars quidem Caluinianorum Francum, sed pars altera neutrum, Respublicas Helueticas publicè in Concilio proponentes; & Hollandorum Zelandorúmq; pars maxima eò etiam dissimulanter tendere videbatur. Quare Alensonius res Belgarum pro animi sui sententia ab Orangio ceteriśque fautoribus componi non posse videns, animo æger in Franciam redire statuit, specie vt Cameracum defendat ac muniat, cui inuadendo vicina hostiũ præsidia inhiarent, vtque vrgentibus aliis negotiis prospiciat. Itaque Duynkerkæ familiam, supellectilem, sarcinas nauibus imponi iubet, & inde discedens 28. eiusdem Iunij Caletum petit, relicto Duynkerkæ Gubernatore Chamoysio cum quingentis circiter præsidiariis militibus, reliquis copiis eum deducentibus. Montigneius, Motta, & alij Præfecti quos cum suis copiis Parmensis in Flandria habebat, rebus multò antè, vt ferebatur, præparatis, Neoportum tunc capere decreuerant, clandestinâ conscíorum operâ: verùm postquam Alensonium discessisse intellexissent, copiis omnibus ocyùs contractis, Duynkerkam vltimo die Iunij obsident, portus promontoria occupant, portúmq; catenis, nauium malis & aggeribus claudunt. Eo tempore pars exercitus Regij adhuc circa Herentalsium sedebat. Quare audiens Parmensis non sufficere quæ ad Duynkerkam erant, ad expugnandum oppidum copias, deserto Herentalsio, eò cum magno militum numero celeriter profectus, acriter nocte diéque oppugnat. Agebant Ordines Fœderati de suppetiis ferendis, sed inter se non conueniebant. Quare Chamoysius Francus Duynkerkæ Gubernator, nusquam auxilium prodire cõspiciens, 16. Iulij deditionem facit, pactus cum armis impedimentisq́; ipse suiq́ue milites liberè Caletum nauigarent. Ciues vitam fortunásque mediocri pecuniaria solutione redemere. Rebus Duynkerkæ constitutis, Parmensis oppidi Consulem cum aliis aliquot Neoportum, quinque milliaribus infra Duynkerkam similiter ad mare situm oppidum, mittit, nuntiatum, si spatio tridui Regi portas aperuerint, omnia eis salua integráque mansura, exponen-

1583

Cruenta pugna Parmensis & Bironij circa Rosendale.

Varia consilia de cõstituenda Rep. apud Fœderatos.

Alensonius tandem Duynkerkâ in Franciam discedit.

Parmensis Duynkerkam obsidet.

Eadem post 16. dies ei deditur.

1583 tes quàm beneuolè ac humaniter Regij ſecum agerent. Sed reſponderunt Neoportuenſes, id ſe facere non poſſe. Quare mox eò Parmenſis cum exercitu mouet, occupatóque portu terrâ premit. Quo viſo, ac quòd inter ſe non eſſent concordes, ſecuti eorum conſilium qui vim non expectandam ſuadebant, 23. Iulij portas Regi aperuere, pacti ciuibus vitam fortunáſque ſaluas, mediante certa pecuniæ mulcta: milites cum Præfecto Coſtero libertatem eundi quò vellent impetrauere, ſed ſine armis ac impedimentis, albas manu geſtantes virgas. Captiui manſere Miniſtri Caluiniani, ac ædium ſacrarum quæſtores, parte tamen habitu militari euadente. Interea Orangius Oſtendam vicinam ad mare, præſidiis & commeatu munit, nihilominùs Parmenſis eam obſidet. Quo Gandenſes cognito, vt ſtatim Chimaus Flandriæ tunc Gubernator dictus, Brugas proficiſcatur, vrbis conſeruandæ cauſa, efficiunt. Eò veniens, Meningam Scotis ſcribit, lectis vt litteris, ſtatim, deſerto eo oppidulo, Brugas ſe conferant. Paruere Scoti, cùm Inſulenſes mox locum magna cum lætitia occupauere. Sæpè enim ac diu Scotos pecuniâ corrumpere, vt oppidulum munitum traderent, fruſtrà erãt conati, magna enim eorum agris intulerant damna. Exiere octingenti Scoti, ac cum iis Rihouius Gandenſis cum quatuor equitum turmis, quos ſecutæ ſunt & duæ Flandrorum peditum cohortes, ſimulq; Brugas intrantes, Catholicos plurimos tamquam Parmenſi ſtudentes vrbe eiecerunt. Orangius quoque ſpecie maritimæ Flandriæ conſeruandæ, ſed, vt plures interpretabantur, offenſus iis quæ ab Antuerpienſibus eum paſſum ſuprà commemorauimus, & quòd Francum reducere non poſſet, 22. Iulij Antuerpiâ in Zelandiam cum aulica ſua familia profectus eſt, in proximum annum Aldegõdium Conſulem Antuerpianis commendans. Interea Parmenſis fruſtrà ad Oſtendam aliquamdiu ſedet, prçſidiaris ſtrenuè ſe defendentibus. Quare nondum omnem Flandriæ maritimam oram neceſſariò occupandam cenſens, mediterranea oppida vicina Vurnam, Dixmudam & Winoxbergam intra paucos dies occupauit, omnia tria ante Kalendas Auguſti. Inde Ipras vnam ex primariis Flandriæ vrbibus mouẽs, cùm de aperiendis portis audire nollent, inſupérque litteras à Parmenſi miſſas patibulo affixiſſent, & tubicini ac tympaniſtæ eas adferentibus, ſi redirent, mortem minati eſſent, duas munitiones contra totidem vrbis portas magno foſſorum numero inſtituit: vnam verſus portam Brugenſem, vbi leproſorum fuerat domicilium; alteram quâ Roulam ac Meningam iter eſt. Præerat iuſto cum præſidio Ipris Marquettæ Dominus, qui vrbe eiectis Catholicis multis, quaſi Parmenſi ſtudentibus, ſæpiùs erumpens cum Regiis velitabatur. Quarto Auguſti Bruxellenſes præſidiarij Breinam Hannoniæ profecti, intempeſta nocte, appoſitis oppiduli muro ſcalis, in-

Item potitur Parmẽſis Neoportu.

Meningam à Scotis relictam Inſulenſes læti occupant.

Orangius cum familia in Zelandiam diſcedit.

Parmenſis erectis munitionibus, Ipram premere incipit.

intrant, diripiunt, repertos ciues & agricolas cum maiori minoreq; pecore abducunt, agrum vndequaque vastant; tandemque incenso oppidulo Bruxellam cum præda reuertũtur. Vice versa 12. Augusti Regij, qui Bredę ac vicinis locis in præsidio erant, iunctis copiis de nocte profecti, summo manè admotis scalis oppidum Steenbergam occupant, repertosque cum armis interficiunt, ex eaque deinde multoties nauibus prædas agũt. 1583

Dudum egerat Orangius, vt cum consensu Prouinciarum Heluetij & Franci, quibus Bironius præerat, manere possent; verùm id frustrà fuit: nam populus nimiam de Francis diffidentiam sumpserat. Itaque decretum fuit vt discederent, vsque in insulam Biervlietanam deducti: vnde Bironius cum suis 27. Augusti soluens in Franciam rediit. Interea Chimaus Slusas proficiscitur, ac à maioris Arcis Præfecto insigni epulo exceptus, nihilominùs eumdem ablatis mensis Brugas in vincula duci iussit. Fama erat, eum à Parmensi inductum non solùm arces Slusanas & oppidum, sed & vrbem Brugensem Regi tradere statuisse. Sub idem quoq; tempus Gandenses Magistratum renouantes, reuocatum Embysium, præterito Rihouio, quem odisse cœperant, primarium Consulem nominant: qui mox è ciuium voluntate carcere liberat ciuem quemdã illuc coniectum, quòd liberiùs scripsisset locutúsque esset contra Rihouium. Quin & Antuerpienses tantis Parmensis successibus exacerbati, plures adhuc Catholicos in exilium agunt, multáque Nobilium diuitumque mercatorum in agris munitiores domos euertunt, nihil, quòd ad obsidendas vrbes hostem quoquomodò iuuare posset, circa vrbem relinquentes. Decimonono Septembris quatuor Hollandicorum peditum cohortes Herentalsio Bruxellam profecturæ, cùm inter Antuerpiam & Liram, loco *Ruggevelt* dicto peruenissent, Lirani de aduentu certiores facti, præsidij parte educta, inita pugna vincunt, cæsa magna parte, & inter hos Ranstio. Dortius ac Dorpius cum nonnullis aliis Liram perducti. Qui euasere, Antuerpiam cladis nuntium pertulere. Vigesimo tertio Septembris Taxis & Centurio de Bois Zutphaniam Regi asseruerunt. Positis enim in agro suburbano insidiis, cùm scirent maiorem præsidij partem ad prædam exiisse, misêre qui domunculam portæ vicinam, in qua interdiu excubitores sedere solent, interciperent, reliqui signum obseruabant. Manè itaque cùm porta aperiretur, qui in domuncula erant erumpentes, impetu in excubitores facto, eos aut fugant, aut occidunt, datoque signo sociis, qui in suburbio erant, communibus viribus in vrbem ruunt, eaq; potiuntur: ciues pleriq; adhuc dormientes, antequã quid ageretur cognoscerent, vnà cum vrbe in potestatem Regis venerunt, mulctatique certa pecuniæ summa præsidium receperunt. Et quidẽ mox Hollandi hostiũ excursiones & exactiones in Veluam impe-

Bironius cum Francis in vniuersũ Belgio excedere iubetur.

Gandenses reuocatum Embysium Consulem nominant.

Antuerpiẽses multas domos suburbanas ipsi euertunt.

Regij Zutphaniam astu militari occupant.

1583 dituri, propugnaculum vltra Iſalam conſtruunt; ſed illud paulò pòſt preſidiarij, inundantibus aquis obruti, relinquere coacti ſunt: quod deinde Regij occuparunt, inde maxima damna, vt ſuo loco narrabimus, Veluæ lociſque vicinis inferentes. Sub idem tempus Caluinianus Bruxellæ Magiſtratus, non obſtante auxilio nuper Antuerpiâ ſubmiſſo, videns Catholicos indies fieri animoſiores, maioremque eorum eſſe numerum quàm exiſtimarant, vim aliquando verentes, multos iterùm vrbe pellunt. Miſſam dici, magna conſtituta pœna rurſum vetant: quin & Beginagium, nobile liberarum feminarum Deo ſeruientium hoſpitium, venum publicè exponunt, ac per partes vendunt, demolirique emptores quæ emerint permittunt, & inſigne Deo conſecratum templum venditis lapidibus diruunt; eò magis timentes, quòd paulò antè vnius cohortis præſidiariæ Præfectus, nomine Ionas, ad Parmenſem, quòd diu fruſtrà ab Ordinibus debita ſollicitaſſet ſtipendia, defeciſſet, iamque in manus Regiorum nauem Antuerpiâ Bruxellam homines vehentem, ac tum temporis ſupra octoginta habentem, tradidiſſet. Erat inter captiuos Signifer cohortis adoleſcentum Antuerpianorum, à quo ingens pondus auri acceperũt. Vigeſimo primo Octobris Seruatius Steenlandius, aliquamdiu Gandaui in carcere detentus, tandémque in libertatem dignitatémq; reſtitutus, ditionis Waſianæ Balliuus, dudum ſecretè Regis recuperata gratia, occupãdæ arcis Rupelmõdanæ rationem inuenit, vt eam deinde opportuno tempore Parmenſi traderet. Adiuncta enim ſibi fidiſſima legionis ſuæ cohorte, Arcem aperiri iubet, certos adducere dicens captiuos Ordinum Flandriæ iuſſu hîc cuſtodiendos. Pauci præſidiarij doli ignari, eum vt ditionis Præfectum admittunt: quo facto, ſtatim vt Flandriæ Ordinibus vrbique Gandenſi ſacramentum dicant, aut cum impedimentis inermes abeant, iubet. Attoniti (Franci enim erant) pars iurantes manſere, pars abiere: Steenlandius ſumma cum diligentia Arcem muniri, & de commeatu omnibuſque rebus neceſſariis prouideri curat. Habebat ſua caſtra Parmenſis Ekeloi medio inter Brugas & Gandauum itinere: cuius militum pars cùm in Waſiam ingredi inciperent, Antuerpienſes, traiecto Scalde, ad amnis ripam iuſtam erexere munitionem, eamq; ciuium cohorti trecentorum virorum cuſtodiendam dedere, qui ſingulis diebus recedentes alteri cohorti cuſtodiam relinquebant. Quin etiam 25. Octobris molẽ eo loci Scaldi obiectam, variis locis perfodêre, agroſq; quàm latiſſimè aqua ſalſa æſtuantis maris inundauere, reſiſtentibus quãtum poterant ruſticis, quorum fortunæ corrumpebantur, habitationibus eiiciebantur: cecidereque hac de cauſa vtrimque aliquot. Sed non ita nocere potuere, vt iis qui Rupelmondam occuparant, Parmenſis neceſſarium non mitteret præſidium, quod Steenlandius 29. Octobris admiſit; ſed

Magna dãna Veluæ, lociſq; vicinis, ijdẽ inferunt.

Bruxellenſes Beginagium vendunt, templumq; diruunt.

Steenlandius arcem Rupelmõdanam occupat.

Caſtra Parmenſis Ekeloi inter Brugas & Gãdauum.

Parmenſis Rupelmõda & Waſia potitur.

ſed tres naues ab eo armatæ deficientes, facta velificatione Antuerpiam veniunt, vrbiq́ue nomina dantes, iunctis aliis duabus, portum obſident Rupelmondanum, ac cùm aliud non poſſent, igne in proximos ſæuiunt pagos, ac inter alios exurunt Burchtum medio ferè Antuerpiam ac Rupelmondam ſitum itinere. Eo tempore Parmenſis Ekeloi, vt diximus, caſtra habens, latè terrorem ſui nominis circumferebat, occupauitq́; eodem menſe Octobri Cataractam Gandenſem, vulgò *'tSas*; vnde in Zelandiam breuiſſimus traiectus eſt, itemq́ue ſe ei tradiderunt Axellani & Hulſtenſes; mox & arcibus, Beuerana, Temſicquana, ac Zuindrechtia potitur. Interim Gandenſes egregiè tumultuabantur: iamq́ue Ioannes Embyſius, qui nuper ex Frãcia ad ſupremum Conſulatum vocatus mox diſplicuerat, ideóque in Palatinatum ad Rhenum ſeceſſerat, à pluribus iterùm rogatus Gandauum redierat. Quod cernens Rihouius eius æmulus, indignéque ferens, à publico abſtinens, clàm Teneramondam ſe confert, moxque in carcerem duci iubet Trieſtum, Heymannum & Zomerum Gandauo venientes, qui in mandatis habebant, Rihouium, ſi qua ratione poſſent, etiam Teneramondana Gubernatione mouerent. Malè enim Rihouio eo tempore Gandenſes volebant, quòd vehementer Orangio ſtudens, enixè (ſed fruſtrà) laboraſſet nouis conditionibus Francus reuocaretur; quod ne fieret, Embyſius omnibus ſẽper viribus impedierat. At verò Embyſius Conſul iterùm factus, mox ſpei populi Gandauenſis ſatisfacere volens, Meetkerkio iuuante, cùm ingentes turbæ quotidie orirentur, viginti & vltra, tamquã tumultuantis vulgi inſtigatores, & Waſianæ ditionis traditores, ipſis Kalend. Nouembris apprehendi curat, intet quos præcipui fuere, Bokeleus, Rymius, Corteuillius, & Blaſerus: verùm iidẽ paulatim Embyſio iterùm ſunt recõciliati operâ Champignij, ibi in liberiori cuſtodia adhuc verſantis. Orangius timens ne, perdita iam ditione Waſiana, Gandenſes tãdem ſe Regi reconciliarent, Comitem mittit Hohenlonium, vulgò Holackium, ex inſula Zuytbeuelandia iuſtis cum copiis nauigio vectis in Flandriam, ad locum in ditione Waſiana dictum *Ter Neus* haud procul Cataracta Gandenſi, inſtitutáq; munitione ac ſemiperfecta, molem eo loci mari obiectam perfodere parabat; ſed monitus à peritis, periculum videri, Antuerpianos hac ratione æſtus marini commoditatem amiſſuros, quòd dictus maris æſtus, relicta Brabantia Antuerpiáque, per eos hiatus Flandriam Tornacumque eſſet ob decliuitatem inundaturus, propoſito abſtinuit, cõtentus iuſtam Terneuſæ abſoluiſſe munitionem, déque rebus neceſſariis prouidiſſe. Parmenſis, conſilio Hohenlonij intellecto, partem exercitus Terneuſam ad diſſipandum opus mittit: qui ſe ſerò venire vidẽtes redierunt, terra aquaq́ue Gandenſibus, Antuerpianis ac Teneramondanis ingentia damna infe-

1583

Capit Parmẽſis 'tSas; moxq́; ſe ei Axel & Hulſt tradunt.

Gandenſes variè inter ſe tumultuantur.

Holackius munitionẽ Ter Neus Regiis opponit.

Regij magna damna Antuerpienſibus & Gandenſibus inferunt.

1583 inferentes. Subid tempus diuerſis locis Ordinum præſidiarij in ſeditionem verſi debita flagitabant ſtipẽdia: & quidem primùm Bergis ad Zomonam Franci, Angli, Scoti ac Wallones oppido pepulerunt Prefectum Batuotium cum cohortium Præfectis viginti & vno, ac quatuor turmarum Præfectis, nullis contenti promiſſis, niſi debiti ſex menſes repreſentarentur. Hinc idem factum Aloſti ob menſium octo ſtipendia Anglis Scotiſque debita: qui pulſo Præfecto Sohæo Leodienſi, præbere aures Parmenſi incipiebant offerenti dictorum menſium ſtipendia. Sohæus gnarus milites cum Parmenſi tractare, negantibus ſtipendia Gandenſibus, Antuerpiam ad Brabantiæ Ordines peruẽnit. Qui cùm reſponderẽt, Flandrię Ordinum eſſe ſolutionem, exaſperati milites cum Parmenſi tranſegere, recipientes paratos quatuor mẽſes, reliquos paulò pòſt. Atque ita receptum ſine Nouembris Aloſtum, Likerka, aliæq; omnes munitiones à Scotis inſeſſæ. Bergani verò non ſolui ſibi videntes, naues Hollandorum ac Zelandorum Antuerpiam nauigãtes aut inde redeuntes in portu detinebant. Verentes igitur Antuerpiani, ne & ipſi cum Parmenſi vt Aloſtani conuenirent, octoginta aureorum millia colligentes, Berganis quatuor ſoluêre menſes, reliquos mox numeraturi, ac deinceps in ſingulos menſes ſtipendia repręſentaturi: hac ratione tandem 8. Decembris admiſſis veteribus Prefectis, in fide Bergani perſtitere. Eodem menſe Nouembri Arnhemi in Geldria Comes Sherenbergius cum omni familia captus eſt, quòd clàm cum Rege in gratiam rediiſſe, velléque ei tradere Prouinciam diceretur, eſtque Hagam Hollandiæ perductus, ſed poſteà liber dimiſſus. Ineunte Decembri omnium Confœderatarum Prouinciarum Legatos Orangius Hagam Hollandiæ magno labore conuocarat, perſuaderéque variis rationibus nitebatur, Ducem Alenſonium Francum reuocarent, nil aliud, vt ferebatur, quærens, quàm vt Alenſonio ſine liberis diſcedente, Regi Francorum tradita Flandria ac Brabantia, ipſe quietus in Hollandia ac Zelandia regnaret. Hannoniam enim ac Arteſiam neceſſariò ſic Flandriam ac Brabantiam ſecuturos; ingens enim tum oriturum inter Francos ac Hiſpanos bellum, quod in ſumma quiete Orangius de longè eſſet ſpectaturus. Verùm quoniam Prouinciarum Legati non tanto quàm ſperarat conueniſſent numero, aliud nihil effici potuit, quàm vt Dominus de Mouillerie & Aſſeliers in Franciam ad Ducem irent, conditionéſque nouas conciperent, quæ poſteà in ampliori conuentu examinari abſoluiq́ue poſſint. Sed in ſecreto cordis receſſu plerique credebantur Francum nullo modo petere; omnéſque Rempublicam nouam liberam moliebantur, & quod in tam diuerſis naturis, legibus, linguis, priuilegiis ac inſtitutis, nulla Prouincia alteri animoſitare cedente fieri non poſſe prudentiores ratiocinabãtur, plerique

Tumultuantibus pro ſtipendiis Scotis, Parmenſis Aloſte potitur.

Comes Sherenbergius capitur quaſi Regi reconciliatus.

Ernſtrà ſuadet Orangius Alenſonii reuocandi.

Varia tunc iterum de conſtituenda Repub. conſilia.

rique tamen ſe facturos ſibi perſuadebant, Regulos ſe hoc ſtatu permanſuros quiſque animo fingentes. 1583

Vigeſimo quinto Decembris nocte Natalis Chriſti exiens Bredâ maior prę̃ſidij pars ad pagum venere Lilloum, haud procul Antuerpiâ, cuius portum Hollandi munierant, reperienteſque populum in templo, vt Proclamatorem Caluinianum audiret, eum cum toto auditorio Bredam perduxere, ſtrangulatóque Proclamatore cum Scolteto, plebem, ſeruatis ditioribus, dimiſere. Huius facti cauſa Præſidiarij Lilloani, paulò pòſt in carcerem coniecere præcipuos pagi Strabroekij incolas, iis imputantes, quòd ſe in tempore de aduentu Bredanorum non admonuiſſent: qua in re nulla eorum erat culpa, quòd nocte iter feciſſent. Poſthæc autem præſidiarij munitionis, templum pagi ac præcipuas ædes iuſſu Ordinum ſunt demoliti, nouáq; munitioni adiecere propugnacula, & in ea paulò pòſt, operâ Conſulis Aldegondij, educto Anglorum ac Brabantorum præſidio, Hollandos Orangius collocauit, qui eam etiam dedita Antuerpia ad belli huius finem defendũt.

Regij Bredani ex Lilloo capiuos aliquot abducunt.

Hac occaſione pagus Likoo fortiùs munitur.

In externis, ad finem anni ſuperioris ortum erat bellum inter vrbem Coloniẽſem, & Truchſium Epiſcopum, volentem vxorem ducere, & Epiſcopatum nihilominùs retinere. Hoc igitur anno à Pontifice & Cæſare exauctoratus eſt, & Erneſtus Bauarus, electione Colonienſium ſucceſſor ei datus; qui Hiſpanorum Italorúmque auxilio, illum & Caſimirum ſuppetias ferentem deſiſtere à premenda Colonienſi vrbe coëgit. Caſimirus incẽſo Tuitio in Palatinatum rediit, Truchſius Bonnę ſe muniuit. Sæuire pergit Regina Angliæ, nec modò in Catholicos, ſed & in Puritanos (rigidi ſunt Caluiniani) quòd dici propriè non poſſe aſſererẽt, feminam eſſe Eccleſiæ caput; vtpote cui nec loqui in Eccleſia Paulus permittat. Nec caruit Scotia ſuis etiam tragœdiis: ex iis qui in Regem conſpiraſſe dicebantur, Vicecomes Ruffenus capite plexus eſt. Iam Philippus in Luſitania Rex erat inauguratus, & Albertum Auſtriacum Cardinalem Regno illi regendo prę̃fecerat; manebat tamen adhuc Tercera inſula in fide Antonij: propugnatores habebat ex variis nationibus ad ſex armatorum millia. At nihilo ſegniùs Marchio S. Crucis 22. Iulij rurſum in eum mouet, pleníſque velis in portum inuectus, nihilque hoſtilium tormentorum globos ex alto incidentes moratus (Terceræ enim portus præruptam altámque habet cautem) claſſem hoſtilem expugnat, capitque. Ægrè Antonius elabitur: Strozza Italus eius Legatus quamdiu poteſt reſiſtit. Sed cùm victoribus animi creſcerent, tandem expugnato oppido Arceque, Strozza cum multa Nobilitate capitur, & cum nonnullis capite plectitur. Antonius infelicis expeditionis nuntius cum tribus nauibus in Angliam inglorius appellit.

EXTERNA

Erneſtus Bauarus Coloniæ Truchſio vxorioſub-rogatur.

Antonius Luſitanus Tercera pellitur.

Decimoſeptimo Ianuarij anni 1584. Antuerpiæ publicatur, quot- 1584

annis

1584 annis hic dies ſacer habeatur, ob victoriam anno ſuperiori contra Francos obtentam, cùm poſtridie Aldegondius Antuerpienſium Conſul ab exploratoribus edoctus, exiguum Liræ eſſe præſidium (maior enim pars euocata exierat, ſed in eorum locum quatuor turmæ equitum in itinere erant) euocato Bruxellâ ac Mechliniâ auxilio, aſſumptiſque Antuerpiâ duobus virorum millibus, ac tribus equitum turmis, nocte Liram proficiſcitur, ſperans auxilio ciuium Caluinianorum ſe facilè portam vnam obtenturum. Sed cùm non longè à Lira abeſſet, fit certior, quatuor equitum Epirotarum (vulgò Albaneſi vocantur) turmas ſe ad portam expectare. Siſtit itaque cum Antuerpianis gradum, pręmiſſiſq; exploratum ſuis equitibus, Epirotæ laxis in eos frenis deferuntur, primóq; incurſu non paucis ex equis deiectis, reliquos in fugam agunt: quo Aldegondius viſo, trepidus Antuerpiam reuertitur, deſideratis circiter cętum equitibus, captis ſexaginta, ac inter hos Gisberto Leonino, qui ſtatim è vulnere Liræ obiit. Intereà Antuerpiani cernentes, quòd ditio Waſiana & quatuor Præfecturæ vicinæ ſe Regi conciliaſſent, Parmenſiſque hac ratione eadem opera ipſos Gandauenſéſque eſſet preſſurus, traiecto Scalde in Flandricæ oræ pagis Zaftingæ & vicinis locis munitiones conſtruxerant, perfoſſis aggerum molibus Scaldi obiectis; ſed cùm Regij capto Borchto pago Antuerpiæ vicino, nihilominùs commercia Antuerpienſium cum Mechlinienſibus, Bruxellenſibus, Teneramondanis & Gandenſibus redderent infeſta, Ordines armatis nauibus Regios fine Ianuarij pellere conantur, ſed fruſtrà. Quare perforatis ſimul in Hoboken è regione pagi Borchti aggeribus, ne Regij eum etiam locum occuparent infuſo flumine agros ſtagnare fecerunt. Dudum Iprarum vrbs Flandrię nobilis (vt ſuperiori Septembri commemorare cœpimus) extructis à Parmenſe circumquaque validis munitionibus, fame laborare cœperat. Itaque menſe Februario ineunte Brugenſes commeatum cum armato milite iis ſubmittere conati ſunt. Verùm Regij per exploratores certiores facti, ſubſidiariis circa Winoxbergam obuiàm procedunt, omnémque, cæſis auxiliaribus ferè ducentis, annonam intercipiunt. Quo nuntio accepto, Brugenſes actutùm alios octoginta currus commeatu onerarunt, centúmque & quinquaginta corbes etiam annona inſtructos addiderunt, quos totidem ruſtici dorſo baiularent: accitis deinde quadringętis equitibus, & quingentis peditibus Scotis, eamdem fortunam periclitari iuſſerunt. Sed Regij cùm per exploratores didiciſſent ſubſidium hoc in procinctu eſſe, relictis tantiſper duabus munitionibus, forti animo obuiàm illis proceſſerunt; commiſſoq; prælio 16. Februarij (locus dictus eſt *Spaengaertsbrugge*) quingentos circiter tum equites tum pedites proſtrauerunt, ceteros in fugam egerunt, omnemque commeatum, exceptis paucis,

Dies deuictorũ Frãcorum ſacer Antuerpiæ conſecratur.

Aldegondius fruſtrà Liram tentat.

Regij capiũt Borchtum è regione Antuerpiæ.

Iprù fame laborãtibus fruſtrà Brugenſes ſuccurrere nituntur.

Tentant idem ſecũdò, ſed ſimiliter ſine fructu.

paucis, qui vix ad vnum diem vrbi obſeſſæ ſufficiebant corbibus, iterùm hoſti præripuerunt, & viginti tantùm ex ſuis deſideratis in munitiones ſuas ſunt reuerſi: quæ cauſa fuit, vt tandem 10. Aprilis, vt dicemus, Iprenſes Regi ſe tradiderint. Eodem tempore ſimiliter à Parmenſi erectis munitionibus, captiſque idoneis locis preſſi Gandauenſes, multarum rerum inopia laborare incipiebant, tamen hactenus per Wettræam vtcumque commeatum Antuerpiâ acceperant, donec menſe Martio, conſtructo munitóque Montigneus Wettrææ per amnem ponte cauſa fuit, vt nil Antuerpiâ alicuius momenti amplius acciperent. Quare tandem ſe vndique clauſos Gandenſes conſpicientes, breuique ob populi frequẽtiam inopia coactos, vel inuitos, ad quas velit Rex, pacis conditiones venturos, de vrbe Regi concilianda loquentibus aures prębere, audiréq; ab his cõditiones quas Regis nomine Parmenſis proponebat, incipiunt. Erant enim plures clàm inſtructi de Regis voluntate à Champignio, etiamnũ Gandaui in honeſta ac libera cuſtodia detento. Erant autem conditiones præcipuæ, tantùm vt Religio Catholica, Regiſque auctoritas, quod ſemper promiſerant, maneret integra. Quæ Brugas ac ad Franconates eodem menſe Martio delata, coactis Tribubus, Collegiis, ac ampliſſima frequentia Magiſtratus, tandem 11. Martij decernunt, ſe quod Gandenſes feciſſent, facturos; etſi Franci ac Orangiani enixiſſimè laborarent, vt æquis iterùm conditionibus Francus in Principem receptus cum exercitu auxilio veniret, aut certè expedita re pecuniaria iuſtus conſcriberetur exercitus, nullóque admiſſo Principe liberè viueretur. Hæc vt præcipuè Brugenſibus ac Franconatibus perſuaderentur, mittit ad eos Orangius, Delfis cum Hollandiæ Ordinibus conſultans, Syndicum Vander-Werke, qui Brugas veniens in frequentiſſimo conſeſſu prolixiſſimè orans, cùm ſibi perſuaſiſſet, aliis etiam ſe perſuaſiſſe exiſtimabat. Sed cùm Brugenſes ſcriptis orationem exhiberi poſtularent, vt ea quæ prolixè dixerat, propiùs examinare poſſent, non eſſe ſibi otium reſpondiſſe fertur; Concilióque exiens ſtatim Sluſam, indéque naui in Hollandiam ad Orangium eſt reuerſus. Brugenſibus ac Franconatibus Concilio exeuntibus, populus magno numero congregatus, ingentibus vocibus ſæpiùs pacem ingeminat. Hoc igitur rerum apud Flandros ſtatu, poſt aliquot dies Gandenſes, Brugenſes, ac Franconates Legatos ad Parmenſem Tornaci Aulam habentem, vt de conditionibus ageretur, conceptæq; ſingulis ad examinandum mitterentur, nominant, quos tamen ante omnia Antuerpiam 19. Martij miſerunt. Vrbem intrantibus vetitum fuit, ne cui vrbis Gandenſis vel Brugenſis præterquam in Concilio aperirent ſtatum. Die 20. ſummo manè in Concilium admiſſi, præſentibus Brabantiæ Ordinibus, verbis ſcriptiſque docent quid Gandenſes, Brugenſes, ac Fran-

1584

Gandenſes quoq; paulatim à Regiis premuntur.

Parmenſis hoc flagitat tãtùm, Catholica Religio Regiq; auctoritas ſint integra.

Orangius, miſſo Oratore, Brugenſes confirmare fruſtrà nititur.

Mittuntur à Brugenſibus & Gandenſibus, qui cum Parmẽſi agãt.

Fran-

1584 Franconates de pace cum Rege ineunda in animis haberent, petẽtes, iungere ſe vellent. Recuſant Antuerpiani, libellúmque, dictatore Aldegondio Conſule, typis edunt, quo omnes à pace cum Rege facienda auertere conantur. Nihilominùs Gandaui publicatur liberum ciuibus omnibus commercium, liberáque negotiatio cum Cortracenis, Inſulenſibus, Tornacenſibus, reliquiſque Regi reconciliatis, maioriſque ſecuritatis cauſa Strategus quidam Hiſpanus Sigura nomine Gandauum venit, qui tamquam obſes ab Embyſio Conſule hoſpitio excipitur: venit etiam eò Manuynus Audenardæ Gubernator. Hi ope Domini Champaignij impetrarant, vt Embyſius 24. Martij nautarum Præfecto iuberet, minoribus quibuſdam nauibus & pontonibus ſcalas, perticas, aſſeres & crates imponi & in Scaldim vehi curaret. Obſiſtunt nonnulli Senatorum, maximè populo dolum ſubeſſe paſſim muſſitante; reſpondit Embyſius, nauibus opus eſſe, ſe ſcire quid ſibi ſit agendum, multum hinc commodi acceſſurum ciuitati: (agebatur autem, vt euentus docuit, vt his ſubſidiis Teneramondam Regij occuparent;) verùm populo obnitente naues ea nocte retentæ auehi non potuerunt. Poſtridie Senatores in Curiam cõueniunt; vbi cùm hac de re diſceptaretur, Embyſius præcipuam ſuam cohortem eò venire, ipſámque Curiam militibus cingi, catenas quoq; tendi iubet. Sed mox quidam è Curia proſiliens, cohortis ductori bipennem è manibus extorquet, ciuéſque ad arma vocat. Tum populus quibus promptiſſimè poteſt armis aduolat, cohortem, apprehenſis Præfectis, diſſipat; denique tota ciuitas armatur: Embyſius Conſul Conſulatu & militum Tribunatu dimouetur, & in carcerem coniicitur, maximè quòd eodem die litteræ à Montignio ad eum & Seguram ſcriptæ eſſent interceptæ; quibus Montignius ſignificabat ſe ſummopere mirari pontones & reliqua non eſſe miſſa; exploraſſe enim iam ſe foſſarum Teneramondę profunditatem, itémque Præfectum militum ibidem in ſuam ſententiam pertraxiſſe: erat is Seton Scotus, paulò pòſt à Rihouio oppidi Teneramondani Præfecto huius rei cauſa morte mulctatus. Nihilominùs Legati Gandenſium, Brugenſium, & Franconatum ad Parmenſem Tornacum profecti ſunt Carolo Vtenhouio Conſule in locũ Embyſij Gandaui conſtituto, manſerúntque ibi, vti dicemus, vſque ad 15. Maij. Interea Iperanis octo menſium arcta obſidione fatigatis, cùm ſecundò fruſtrà eſſent miſſa, vt diximus, auxilia, aliáque non pararentur, tandem Præfectus Marquettus rerum neceſſariarum inopia coactus, preſidiariiſq; plurimis peſte abſumptis, decimo Aprilis his legibus cum Parmenſe tranſigit: Ciues vitam fortunáſque ſeruanto, ſolutis pro redemptione centum « florenorum millibus, dimidia parte ſtatim, reliqua ad ſtatuẽdum diem. « Summa hac comprehenditor redemptio Marquetti. Hæc vt perſol- «

Liberum interea cõmercium cum Regiis.

Agitur de Teneramonda Regi vindicanda, ſed non ſuccedit.

Embyſius Conſul Gandauẽſis, hac de cauſa in vincula conijcitur.

Iprẽſes poſt 8. mẽſium obſidionem Regi ſe dedunt.

luantur

» uantur Parmenſis quatuor ciues obſides accipito, Wildęum, Langeſpęū, 1584
» Baldenſem, ac Magiſtrum Hartmannum. Præſidiarij Flandri cum gla-
» dio laterali tantùm ac pugione, exteri cum tormentis manualibus etiam
» in tutum deducuntor. Priuilegia integra manento, ſed vnica tantùm
» exerceatur Catholica Romana Religio. Qui velint, liberè in vrbe ma-
» nento; qui non, tres menſes diſponendi de fortunis habento. Subſigna-
runt pro Rege, Alexander (ſcilicet Parmenſis,) de Werp & Vaſſeur; pro
Iperanis Vtenhouius Bailliuus, Renis, Gotſchalcus, ac vrbis Penſiona-
rius. Duodecimo Aprilis Gandaui eſt tumultuatum, his cum Rege cō-
ciliari volentibus, aliis nolentibus: qua vſus occaſione Rihouius, acceptis
Bruxellâ aliquot peditum cohortibus ac equitum turmis, Gandauum
properat, auxilio futurus qui pacem nolebant. Sed intelligens eſſe in iti-
nere Regios iuſta cum manu, non auſus vltrà tendere, Teneramondam
rediit, remiſſis Bruxellam copiis. Gandaui verò cùm eſſet intellectum,
quid præ manibus habuiſſet Rihouius, capti aliquot huius conſilij con-
ſcij vrbe ſunt pulſi. Pacis enim tractatio iam erat plenè concepta, &
» Gandauum tranſmiſſa in hanc formam: Condonat ac obliuiſcitur in æ-
» ternum Rex omnia rebellionis tempore acta; veteráque priuilegia, vt an-
» te turbas fuerunt, ſarta tecta manebunt. Nullæ vrbes nec oppida præſi-
» dium accipient, niſi volente petentéque Magiſtratu. Fugitiui ad ſua re-
» dibunt, receptis etiam venditis agris. Libertatem conſcientiæ, & abſque
» nouo prauóque exemplo diuerſarum Religionum exercitium habebūt.
» Qui conditionibus parêre recuſabunt, rebus omnibus exportatis, quò
» velint, migrent. Prouinciale Flandriæ Concilium integro Conſiliario-
» rum numero maneto. De ſtatu Concilij Franconatum, impletis his con-
» ditionibus decernetur. Contractus, Teſtamentáque odio diuerſarum
» Religionum facta, irrita ſunto. Rex has conditiones infra quatuor men-
» ſes confirmabit. Et quidem quæ de Religione erant concepta, pleriſque
Gandaui ſatis placebant; vt tamen aliqua interpretatione iuuarētur, Par-
» menſi ſupplicem miſêre libellum. Sed is reſpondit hoc modo: Intelle-
» cta libelli veſtri petitione, declaro in mea non eſſe poteſtate Articulorum
» extendere conceptum, naturam, nec verborum ſubſtātiam vltra id quod
» habent & ſonant. Actum Tornaci 24. Aprilis. Nempe Articuli iam in
Hiſpaniam erant miſſi. Sed ecce 15. Maij cùm Deputati Tornaco Gan-
dauum rediiſſent, & Articulos publicè probari petiiſſent, orta in populo
ſeditione cauſa Religionis Caluiniſticæ non palàm admiſſæ, reſtitutio-
nis quoque ſacrorum bonorum, pacis ſuaſores prȩcipui in carcerem con-
iecti ſunt. Seditioſorum caput erat Hangerelus, publicè auctorem ſe non
admittendæ pacis profeſſus: quo duce Orangiani ac Caluiniani fiſi,
17. eiuſdem Maij Legatos Antuerpiam mittunt auxiliū petituros, decer-

Inter cetera, ſalua ſint Priuilegia, ſed Religio tantùm exerceatur Catholica.

Tumultuatum Gandaui, his Regi conciliari volētibus, aliis nolētibus.

Pacis conditiones, cōcepta, & Gandauū tranſmiſſa.

Miſſa ea à Parmenſi in Hiſpaniam.

Præcipui pacis ſuaſores Gandaui in carcerem miſſi.

1584 nētes fœdus cum Generalitate concorditer ſeruādum ad extremū vſque. Ita ab Antuerpienſibus & Bruxellenſibus ſex peditum cohortes ac duas equitū turmas 20. Maij ſubſidio acceperunt, & pacis negotium Gandaui prorſus euerterunt. Verùm his non obſtantibus Brugenſes, Caroli Croiaci Chimaij Principis auctoritate ſecretóque auxilio fulti, nihilominùs oblatas conciliationis conditiones ſuprà recitatas cum Franconatibus receperunt, publicatáque eſt pax in vrbe Brugenſi 25. Maij ingenti cum gaudio, Orangianis & Caluinianis mille modis Chimaium execrātibus, ac ſpecie Religionis Reformatæ ſe ab eo deceptos clamitantibus. Toto hoc menſe Maio & præcedenti Hollandi Zutphaniam obſidione cingi curarant, vt hoſtiles Regiorum excurſiones in Veluam auerterent. Miſerant autem obſidionis faciendæ cauſa Comitem Hohenlonium cum reliquiis militaribus Truchſeſij, & Edeli Brunſwicenſis illegitimi. Sed Brunſwicenſis Burgæ prope Dotechemum nocte feſti Paſchatis à Regiis præuentus, multis ſuorum cæſis, captus fuit, & non multò pòſt è vulnere mortuus. Hohenlonius interim Lochemum & alia circumiacentia loca præſidiis munit; aggeres, quibus propugnaculum in Velua è regione Zutphaniæ coërceat, iacit. Sed Verdugo cum copiis auxiliaribus à Parmenſi miſſis, Arenbergij & aliorum legionibus, Zutphaniam commeatum ſufficientem tandem 20. Iunij inuexit, & ſexcentis militibus præſidium auxit. Addit Metrius: Hollandi nihilominùs propugnaculum maximè neceſſarium rati, pertinaciter obſidionem continuant, ſed fruſtrà: quæ quidem eorum obſtinata voluntas cauſa fuiſſe dicitur perditæ primò totius Flandriæ, deinde Antuerpiæ, & totius Brabantiæ. Sic ille: ſed de re tota ex ſequentibus Lector iudicare poterit. Interim 10. Iunij in Francia moritur in caſtro Theodorici (vulgò *Thierry*) Franciſcus Alenſonius quadrageſimo morbi die, mœrore conſumptus, quòd tam ignominiosè Antuerpiâ eiectus, ſuſceptum Belgarum Principis ac Liberatoris titulum, nec ſuo nec fratris Franciæ Regis auro potentiáve defendere potuerit: cùm paulò pòſt Orangius ſe modum viamque commodiorem inueniſſe ratus Regios exercitus ſine ferro extinguendi, Delfis 20. Iunij publicandum curat, ne quis Prouincialium Ordinibus ſubiectorum ſub grauibus pœnis cum Regiis negotietur, eíſve annonam vllam vel commeatum aduehat. Idémque 22. eiuſdem menſis & Antuerpiæ promulgatum eſt. Sed quia mercatoribus non minùs Regiorum pecunia, quàm Regiis illorum mercibus opus eſſet, Edictum hoc paulò poſt cædem Orangij (de qua mox) reſciſſum eſt. Quinto Iulij pars exercitus Parmenſis, qui in ditione erat Waſiana, ante Solis ortum à parte ruinoſæ Abbatiæ D. Bernardi iuxta Antuerpiam Scaldim traiiciunt, (armata hoſtium naue circa Burchtum perfoſſa, præſidiariiſque partim cę-

Brugenſes, agēte Chimaio, dictas conditiones pacis recipiunt.

Magna interim contentione ad Zutphaniam res agitur.

Moritur Alenſonius in Francia.

Pars exercitus Parmenſis verſus Lilloo tendit.

ſis,

ſis, partim captis) ac ſeptem circiter millia tum peditum tum equitum 1584
ductoribus Mondragonio ac Liqueſio ad Lilloum obſidendum tẽdunt, Antuerpianis mox eò mittentibus cohortem adoleſcentum, ac deinde etiam ſtrenuiſſimos præſidiarios alios; eo enim expugnato, nullum Antuerpianis cum Hollandis ſupereſſe commercium. In ditione quoque Waſiana non quieſcentes expugnant munitiones Anthonishoecam ac Teruentum haud procul *Liefkenshoeck* è regione Lilloi, præſidiariis partim cæſis, ſtrangulatis aut aqua merſis; quod paulò antè eadem ratione cum quadraginta Regiis militibus Antuerpiani egiſſent. Inde 10. Iulij ante Solis ortum ipſam munitionẽ *Liefkenshoeck* tormentis oppugnant, ac circa eiuſdem occaſum expugnant, interfecto Ioanne Petino Prefecto cum Legato, magnáque præſidij parte, reliquis nando effugientibus. Et eodem decimo die Iulij Guilielmus Naſſouius, Orangij Princeps, horum tumultuum Belgicorum choregus, Delfis Hollandiæ cum Lewardicæ ciuitatis Legatis lautè pranſus, cùm è cœnaculo ad ſecretius tenderet cubiculum, à Balthaſare Girardo, in Comitatu Burgũdiæ honeſto loco nato, ac à tergo comitatum ſequente, breuioris tormenti globulis catenula ferrea iunctis traijcitur, vtroque globo per tergum ac vitalia ventrem tranſeunte, vnde in terram cadens nullum intellectus ſignum præbuit, ſed poſt ſemihoram expirauit. Seruierat Balthaſar aliquamdiu Orangio ſimulanter in familia, indéque bona eius cum venia ad Alenſonij ſe tranſtulerat famulatum: quo Belgas deſerente, in Franciam eum ſecutus, poſt mortem à Rege eiuſque matre eſt lectus, qui litteras ad Orangium de Alenſonij morte perferret, ac propterea nemini ſuſpectus; etſi & ab initio, vt poſtea eſt faſſus, ſemper certo animi decreto conſtituiſſet Orangium quoquo modo è medio tollere. Hac occaſione quoque per poſticum, vbi celerem equum paratum habebat, pænè euaſerat, ſed concurrentibus ſubitò omnibus captus eſt, & palmis, pugnis, calcibus egregiè verberatus, Magiſtratui Delfenſi traditus. Rogatus in itinere, quare Orangium interfeciſſet, Mortuus ne eſt? inquit. Cùm annuiſſent, reddit: Agnoſco me feciſſe. Rogatus iterùm ac ſæpiùs, quare feciſſet, numquam ab eo aliud extorquere potuerunt; niſi iubẽte ac impellente Deo, & ſi factum nòn eſſet, ſe etiamnum conaturum, gaudereque ſe dixit tãdem Goliathum, iuuante Deo, ſua manu confectum. His ſimilibuſque eum conſtanter inhærentem verbis in carceris partem teterrimam ſpurciſſimámque conijciunt, nullo cibi nec potus exhibito ſolatio. Poſtero die ſummo manè certi deputantur ex Ordinum Concilio, Magiſtratu, Tribubus ac Conſiſtorio Caluiniano examinatores, qui duobus aſſumptis tortoribus, in magis decoro conſidentes carceris loco, Balthaſarem adduci iubent, interrogant variis de rebus, ac præcipuè de auctoribus, conſciis,

Obtinent Regij Liefkenshoeck.

Orangius Delfis ſclopeto traiectus poſt ſemihoram expirat.

Auctor cadis quis, & quomodo tantum facinus auſus.

Gaudere ſe dicit tãdem Goliath ſua manu cecidiſſe.

1584 & promiſſo præmio. Sed nil aliud reſpondit, quàm quod pridie dixerat,
Proteſtatur, ſe ſolius Dei inſtinctu facinus aggreſſum. ſe nullius hominis inſtinctu, ſed ſolius Dei motu & veræ Religionis cauſa feciſſe, eumdem Deum teſtem aduocans. Vbi cùm vnus examinatorum redderet: Tu ne Deum teſtem vocas, qui non credis eſſe Deum, aut aliam vitam poſt iſtam? reſpondit Balthaſar: Mox in tormentis videbitis an non credam, nec fidam Deo; & an non aliam quàm hãc caducam expectem vitam. Hæc & ſimilia generosè eloquentem, veſtes ponere iubent. Quo facto, equuleo impoſitus, vrináque veteri repletus, ventri inſultat tortor: admonent ceſſaturum, ſi vera fateatur. At nil reſpondens,
Admouetur exquiſitiſſimis tormentis. labia nullo edito ſono alacris mouebat. Quare ſe hac ratione nihil proficere cernentes examinatores, equuleo eductum, ex duobus manuum pollicibus ex penſili trabe ſuſpendunt, centum plumbi libras pollicibus pedum alligantes: addunt pendenti flagra ac virgas, vt ex vniuerſo corpore affatim ſanguis deflueret. Verùm quidquid rogabant, nil præter labia, vt priùs, ſine ſono alacriter mouebat. Aliud igitur experturi, penſili trabe deponunt, ac ſub vtriuſque manus digitorum ac pollicum vnguibus longas profundiſſimè infigunt acus; addunt ſub vtriuſque brachij axillis anſerina oua toſta, brachia comprimunt, donec exuſtis axillis, ſãguis abundanter efflueret; ſed Balthaſar idem erat qui priùs. Quare ma-
Item aliis; ſed nihil mouetur. gicis artibus hæc eum tolerare dicentes, 12. Iulij, aduocato tonſore, crines ei è corpore omnes nouacula tolli iubent: deinde foco candenti eum admouent nouis calceis aruina probè infectis indutum: contrahitur crudũ pingueque corium paulatim, vt tandem pedes eius vnà cum calceis è lineari forma in circularem ſeu globarem verterentur; ruiſſetq; in terram, niſi ſuſtentatus aliis etiam punctionibus & vellicationibus fuiſſet reſer-
Laſſantur tortores torquendo. uatus, donec laſſati tortores operam detrectare inciperent. Nihilominùs ſæui examinatores eum pluribus adhuc diebus ad tormenta in carcerem compingi volebant. Sed ſummum Concilium, populi verentes tumultum, die eiuſdem Iulij 13. miſſo in carcerem nuntio, ſe in poſterum diem
Auctor cadis latus ad mortem ſeparat. ad mortem pararet iuſſere. Totam illam noctem Balthaſar in genua aut pectus decumbens, cum lacrymis Deum exorabat, conſtans vt permanere poſſet; interrogantibuſque aliquoties cuſtodibus, cur tantam ſibi calamitatem paraſſet, lætè reſpondebat, Deum iuſſiſſe: ita vt mirari nõ poſſent animi eius excelſitatem. Manè die 14. Iulij offerunt Caluinianum admonitorem: ſed ille eum reſpuens, adeſſe ſibi dicebat alium conſolatorem; quo fretus, læto animo non dubitaret mortem etſi ſæuiſſimam expectare. Nec defuit ſpei euentus. Inſtabat hora diei vndecima. Erat in ſummo foro Delfenſi ſcena ædificata lignea ampliſſima. In hac ſtabat ſcamnum oblongum latumque, & ab altero latere aliud, in quo ferreum plauſtrum ignitis carbonibus plenum. Aſtabant duo carnifices

ferreum

ferreum forcipem amplum, in quo liba cancellata, vulgò *VVafelen*, coqui 1584
ſolent, alioſque minores forcipes tenentes; quibus in igni relictis donec canderent, adductus Balthaſar, à carnificibus ſuſtentatus, quòd contracti pedum nerui eum ſtare non permitterent, palo alligatur, labia continuò ſine ſono, velut in Deo abſorptus, mouens. Tum iuſſus, manum qua Orangium traiecerat, laminæ candenti inferiori alacriter imponit, carnifex ſuperiori adducta ſumma vi eam includit, carnemque cum neruis partémque oſſium ita depaſcit, vt fumus nidorque pænè forum compleret. Aperto forcipe, ſibi ac populo Crucis ſignum, trunco facit, nilque vultu mutatus, nec gemitum vllum edẽs, tacitus ſecum precari pergebat. Tum brachia, crura, femora, tergum, ſcapuli ac pectus ignitis minoribus forcipibus miſerè lacerantur, eo nullum ſignum doloris exhibente, ita vt omnes ſummopere mirarentur. Hinc cùm tormento, quo Orangium occiderat, caput eius inſigniter verberaſſent, illud deinde ferreis malleis ruptum hinc inde diſiecerunt. Denique Balthaſarem in ſolitis precibus perſiſtẽtem, carnifices maiori ſcamno imponunt, ac ventre, cultello quo porci iugulantur, ſenſim aperto, cor raptum eductumq; in faciem conijciunt, inteſtina igne comburunt; in quatuor partes ſectum cadauer, quatuor portis ſuſpendunt, caput haſtæ infigunt. Hoc certamen Balthaſaris Gerardi Burgũdi, 27. annorum iuuenis, vt à fide digno viro Delfenſi nobis eſt relatum. Scriptum tunc typis Delfis editum, quamuis eum dixiſſe tradat, mortem Orangij ſe, inſtigatoribus Mansfeldio & Aſſonuillio, perpetraſſe (cuius tamen nullum veſtigium profertur) tamen de eius con-

Manu trũca, ſibi & populo ſignũ Crucis facit.

Variè diſcerptus nullũ edit doloris ſignum.

„ſtantia aliiſque iam dictis & ipſum fatetur his verbis: Pœnitentiæ aut
„doloris nullum ſignum Balthaſar edidit; ſe paratum eſſe, cędem illam, ſi
„commiſſa non eſſet, adhuc committere affirmabat; quandoquidem pro-
„bi bonique ſubditi officium ſit, mandata ſuperiorum exequi. Die Sabba-
„ti, 14. Iulij, Delfis publicè in forum aduehitur, & ſecundùm ſententiæ te-
„norem executio perficitur: reus miram patientiam præfert, quam in pri-
„mis à Deo ſibi concedi petierat: concionatores diuini verbi audire recu-
„ſat: dum manus exuritur, & caro auellitur, nihil clamoris aut lamenta-
„tionis edit: manu vſta viſus eſt Crucis ſignum aliquo modo formare, &
„populo benedicere: corpus in quatuor partes diſſectum, quatuor locis
„ſuſpenditur: caput haſtæ præpilatæ imponitur. Hæc ibi totidem verbis. Sed ad ſeriem Annalium redeamus. Intereà dum hæc Delfis à die Iulij decimo vſque decimumquartum fiunt, (exequiis Orangij demum tertio Auguſti in templo Delfenſi primario maxima pompa celebratis) Regij die vndecimo eiuſdem Iulij, pridie expugnato Liefkenshoeckio, ad occupandam Noort-Doelam ſe parant. Sed Præfectus Ferumius fruſtrà ſe vim expectaturum videns, rebus omnibus

Confirmãtur prædicta etiam ex Scripto tunc publicè edito.

Nempe & hic dicitur, manu vſta viſus formaſſe Crucis ſignum.

1584 nauibus impoſitis, incenſáque munitione Antuerpiam proficiſcitur, adeò vt hoc tempore Fœderati Ordines nihil ad Scaldim in ditione Waſiana tenerent præter Terneuſam. Qua de cauſa iidem Ordines videntes Orangium cæſum, ſuáque omnia in peius ruere, Lilloumque obſeſſum ſine capite ſe difficulter defenſuros, Bruxellam mittunt Ohainium ac Meganckium, vt Lieſveltium Brabantiæ Cancellarium Antuerpiam adducerent, communi conſilio Reipublicæ conſulturum. Venit Lieſveltius. Petunt Ordines in Franciam honeſto cum comitatu proficiſcatur, Regi Belgicas Prouincias oblaturus, quòd mortuo Alenſonio, Orangioque cæſo, commodiorem non haberent vicinum Principem; conditiones verò quàm modeſtiſſimè & prudentiſſimè moderaretur. At Lieſveltius, vt fertur, è tempore reſpondit, nulla ſibi ratione iſta placere, ſed potiùs cum Rege Hiſpaniæ æquiſſimis conditionibus, qui eas nemini hactenus negarat, in gratiam redeundum: ſed nequaquam reſponſio hæc pluribus, & inprimis non Hollandis placuit. Vnde & Fœderatæ Prouinciæ vſque ad annum ſequentem ſine capite fluctuarunt, niſi quòd Hollandi & Zelandi Mauritium Orangij filium, 18. annorum adoleſcẽtem, in ſpeciem ſibi Gubernatorem nominaſſent. Decimoquinto Iulij Regij ad Scaldim occupant arcem ac munitionem Zuindrechtam, præſidiariis Antuerpianis eam deſerentibus. Decimoſeptimo eiuſdem menſis Ordines præſidium quod in oppido Herentalſio habebant, euocant cum maioribus tormentis: ſed cùm circiter milliare cum dimidio iter feciſſent, alij ab Ordinibus veniunt nuntij, redire eos Herentalſium iubentes. Sed ad oppidum venientibus, ciues captis armis clauſiſque portis ingreſſum negant; miſerant enim ad Parmenſem pro præſidio: quod in itinere eſſe Ordinum milites intelligẽtes, deſertis maioribus aliquot tormentis, citato paſſu partim Mechliniam partim Antuerpiam contendunt, Regiis nullo ſumptu nec moleſtia oppidum recuperãtibus, quod Louanienſibus, Bredanis, ac Buſcoducenſibus magna intulerat damna. Antuerpienſes vt aliqua ratione imperij dignitatem tuerentur, cùm armis hoſtem pellere non poſſent, publicandis quotidie Edictis mirè ſe ſuoſque fatigabant. Inter cetera 18. Iulij imperant, ne quis vrbe ſine conſenſu exeat, niſi fortunas ſuas publicari malit. Plus tamen metus, quàm Edicti valuit auctoritas, quinquaginta ampliùs non minimi cenſus viris cum familiis clàm erepentibus, & ad loca tutiora ſe recipientibus. Vigeſimo primo Iulij publicatur, menſtruæ ſingulis ciuibus impoſitæ contributiones ſoluantur, niſi eas exequi miniſtros publicos malint. Hîc non pauci vltra vires ſe cenſeri querentes, ſupplicem afferunt libellum, moderationem petentes. Reſpondetur, ſatisfacerent, aut executionem expectarent. Alij per libellos petebant poteſtatem mercatus cauſa

Fœderati nihil ampliùs tenẽt ad Scaldim prater Terneuſã.

Cæſo Orãgio multa Fœderatorum perturbatio.

Herentalenſes Parmenſem vocant.

Antuerpia varia edicta, ne Mercatores ciueſq́ diffluant.

ſa proficiſcendi in Franciam, Angliam ac Ooſtlādiam, ſoluturi iniunctā 1584
taxationem. Reſpondetur, ſoluerent, tum Concilium decreturum, quid de abitu fieri debeat. Olfaciebant enim prudentiores breui calamitoſam vrbis obſidionem. Cœperant Antuerpiani munire Calloo, ſed ſuperuenientes Regij, pulſis Antuerpianis, cœptum opus è ſua ſententia perfecere. Interea Mondragonius (de quo ad 5. Iulij dicere cœpimus) Lilloum premens, ab vtroque aggeris latere tormenta produxerat, cuniculiſque actis, oppugnationem ſucceſſuram ſperabat. Sed Lilloani, repertis cuniculis, opus inutile reddidere, tantúmque aquæ marinæ plena Luna in caſtra Mondragonij deriuarunt, vt cogeretur tormenta & caſtra inde Stabroukum transferre. Interim quarto Auguſti Regij in Minori Brabantia, haud procul Baſſerodâ Scaldim tranſmittentes, caſtra ad Teneramondam ponunt, terra aquáque tam arctè obſident, vt nullus paulò pòſt intrare aut exire poſſet. Vice verſa magnis operibus Antuerpiani muniebant Flandricam è regione vrbis ripam, ſinguliſque diebus tres cohortes viciſſim in præſidium venientes, cuſtodias agebant, cùm Gandenſes paulò antè die 3. Auguſti Embyſium, ſummæ pridem apud eos auctoritatis, publicè carnificis manu, ſenem ſeptuagenarium capite truncarunt, accuſatum, quòd clàm per certos homines ſe Regi cōciliaſſet, promiſiſſétque vi aut amicitia Gandauum ad Regis auctoritatem reducere. Decimo Auguſti occupant ad Scaldim Regij Ordamum, congregatáſque haud procul Ordinum copias inuadentes, multis cæſis, captis, ac in flumen actis, ceteros fugere coëgerunt. Capti ſunt Præfecti Gordonius, Dunius, & alij aliquot; indéque delati Regij ad munitionem Boerenſchanſam dictam, ab Antuerpianis deſertam, cum nonnulla tormentorum & commeatus parte occupant. Ab alia parte continuabant Regij oppugnationem Teneramondæ, venerátque ad caſtra ipſe Parmenſis, tormentiſque facta ruina, expugnant ingens propugnaculum ante portam Bruxellenſem extra oppidum conſtructum: inde ſe præparāt ad expugnationem oppidi: vbi etſi Præfectus Mortaignius, à Rihouio nuper in Hollandiam proficiſcente relictus, vndecim peditum cohortes „ haberet, vim tamen, perdito propugnaculo, ſe laturum diffidens, his cō„ ditionibus 17. Auguſti deditionem facit: Permiſſum præſidiariis cum „ gladio laterali, pugione, quęque tergo ferre poterant, in tutum abirent. „ Qui Regi ſeruire cupiebant, eius militiæ fuere adſcripti, fuere autem cir„ citer centum quinquaginta, ceteri Antuerpiam venerunt, ſe excuſantes „ quòd ciues auxilio eſſe recuſaſſent. Ciuibus gratia facta, ſemel ſolutis ſexaginta florenorum millibus. Inde Regij 19. eiuſdem Auguſti Willebrouckum profecti, ſubito aduentu minorem capiunt munitionem; & cùm vim pararent aduerſus maiorem, etiam illa ſe tradit, quidquid denique

Calloo ab Antuerpianis munire cœptū, Regij capiunt.

Mondragonius obſidionem Lilloo deſerere cogitur.

Embyſius ſummus pridē apud Gādenſes, capite plectitur.

Teneramonda poſt aliquantā oppugnationem Parmenſi ſe dedit.

Capitur à Regiis VVillebrouckum, vicinaq; munitiones.

1584 nique munitiuncularum ad foſſam Bruxellanam Viluordiam vſq; erat. Hinc Regij Viluordiam profecti, oppidum obſidere parant. Arx Grimbergana illi vicina, eiuſque Baro, deſertis Ordinibus, Regiis ſe iungit, ac rebus neceſſariis iuuat. Circa finem Auguſti, videntes Brabantiæ Ordines ſe impares Parmenſi, oppidum Bergarum ad Zomonam Hollandiæ Ordinibus ea conditione tradunt, vt durante bello, ſuo ſumptu defendant. Viluordia interim acriter à Regiis oppugnabatur, munitio ad Fontem facta erat adempta, indéque oppidani ex editioribus locis ingentia accipiebant incommoda; idemque fiebat à parte Mechliniana, ita vt nõ multò pòſt præſidiariis de defenſione deſperantibus, Præfectus Witius ex omnium voluntate ad caſtra Regia profectus, 4. Septembris oppidum his conditionibus traderet: Permiſſum militi cum armis, quæque portare poterat, exire, ſilentibus tamen tubis & tympanis, relictiſque ſignis & maioribus tormentis. Dudum, vt diximus, Gandauenſes vndique à Regiis premebantur: qui cùm viderent à nullo ſe auxilium ampliùs expectare poſſe, Antuerpianis etiam & Bruxellenſibus iam ferè vndiq; clauſis, per veteres ſuos Legatos cum Parmenſi tunc Beueræ agente 17. Septembris his inter alias conditionibus tranſigunt: Omnes Hiſpanorum Regi tamquam Flandriæ Comiti ſe ſubmittunto, ſic tamen vt priuilegia omnia ante hos tumultus vſitata ſeruentur. Eccleſiaſtici, Religioſi, & quicumque vrbem per turbas reliquerunt, bona facultatéſque omnes recipiunto; fructus tamen collecti non reſtituantur, niſi conſtet eos in vſus priuatos conuerſos. Nuncupatæ reformatæ Religioni addictis & aliis, dummodò ſine offendiculo viuant, in vrbe manere duobus annis, & de facultatibus pro arbitrio diſponere liberum eſto. Ob delicta autem grauia in ciuitate perpetrata, Parmenſis, qui duodecim ſibi tradi pro ſuo arbitratu puniendos poſtulauerat, ſex tantùm poſcit; ex his quoque tribus vitam concedit, tandem & omnibus ſex, tantùm vt carcere & ære, vt ei placuerit, puniantur. Et ſimiliter pro trecentis coronatorum millibus toti ciuitati mulctæ loco indictis, ducentà tantùm millia numerari, quò magis liberalitate Gandauenſes Regi deuinciat, Parmenſis indulget. Reſtituent Gandenſes in libertatem Champaignij Baronem, Crucis Dominum, Ægidium Borlutum ac Ioannem Dammium; ſua Celſitudo verò curabit intra quatuor menſes has cõditiones etiam à Regia Maieſtate ratas haberi. Actum Beueræ 17. Septembris. Subſignatum: Alexander. ac infrà: Verreycken. Fueruntq; hę conditiones præſentibus Regiis Legatis publicatæ 19. eiuſdem Septembris, ipſeque Champaignius vrbis Gubernator conſtitutus, & Galli præſidiarij adducti; & non multò pòſt Arx reſtitui cœpta. Sed nihil his frangi videri volebant Bruxellenſes & Antuerpienſes. Quare 10. Octobris Regij premendæ

Obſeſſa Viluordia, Baro Grimberganus Regiis ſe iungit.

Deditur Viluordia.

Quin & Gandenſes his legibus cum Parmenſi tranſigunt.

Champaignius Gandaui Gubernator conſtitutus, & Arx reſtitui cœpta.

Antuer-

Antuerpiæ ſe totos accingentes, plura Burchtum maiora tormenta, me- 1584
diocribus nauibus onerariis triginta Gandauo acceptis impoſita, per aggerem ab Antuerpianis, vt diximus, apertum, in Scaldim deducere parat. Quo Antuerpiani intellecto, aliquot armatas naues Burchtum mittunt, impedituri ne Regij Calloum proficiſcerentur. Sed fruſtrà: maiorum enim tormentorum violẽtia ac Regiorum militum robore redire coacti ſunt, deſiderato Præfecto Coc, qui vice Admiralis titulum habebat, ac Ioanne Quirino. Decimoquinto Octobris ſeditio Antuerpiæ oritur, quòd præcipui aliquot ciues ac mercatores Cancellarium Lieſveltium adiiſſent, rogantes, Brabantię Ordines doceret, maximum virorum proborum numerum ad pacem inclinare, oraréque enixè, eam in rem velit eniti. Idem ſcripſiſſe Bruxellanos Antuerpiam, ſuadereque pacem fieri, niſi in extremas calamitates cadere malint. Quòd ſi animi ad pacem non inclinent, dent his qui petunt, ablatis fortunis, eundi quò velint facultatem. His Magiſtratus auditis, quòd plebs cum his ſentiens ad pacem inclinaret, portas vrbis claudi, ciuéſque omnes cum armis conſtitutas dudum occupare ſtationes iubet. Mox noctę ſin carceres duci iubent pacis petitores, inter ceteros Ioãnem de Pape, Ioachimum ac Gabrielem Stuytelinx fratres, Robertum ab Haeften, Iacobum la Faillium, Dicquium olim vrbis Scribam, Petrum Malinæum cum fratre, Abrahamum Shertogium: abſentes aliquot ciues huius etiam ſententiæ, conſtituta pœna, certo tempore redire iuſſi. La Faillius in ſex millia florenorum condemnatus eſt, & tantumdem fratres Stuytelingij; Haeftius in duo millia, fratres Malinæi in mille ducentos, tantumdem Shertogius; veniámque rogarent. Papenbroeckius, qui honorificentiſſimo anteà fuerat loco, omnibus orbatur in perpetuum honoribus & muniis. Vigeſimo ſexto Octobris non ſine magno periculo Antuerpiam è Hollandia appellunt aliquot naues commeatu onuſtæ, duæque Anglorum peditum cohortes, expectantes legionis Præfectum Morgamum cum decem cohortibus aliis. Tertio Nouembris Aldegondius Calloo pellere Regios conabatur; ſed munitioni propinquus, cùm prẹmonitos ad ſe excipiendum intelligeret, re infecta Antuerpiam reuerſus eſt, perdita biremi, quam ob celeritatem Volantem diabolum appellabant. Hoc tempore Parmenſis totus in eo erat, vt Scaldi prẹcluſo, omne Hollandorum cum Antuerpianis commercium tolleret. Huius rei cauſa ipſe Beueræ manens duobus ab Antuerpia milliaribus, tormenta plurima maiora Gandauo & ex aliis locis in pagum Melſam Beueræ vicinum, commeatum in arcem Beuerenſem, materiam inſtrumentáque ponti conficiendo in templum Calloi vehi iuſſit: ſexcenti prætereà foſſores rebus omnibus paratis alueum foderunt, per quem amnis à Stekena quatuor ferè milliaribus Calloum

Regij premẽdæ Antuerpiæ ſe totos accingunt.

Pacis petitores Antuerpiæ abducuntur in carcerẽ.

Enormiter mulctãtur, quidam ad ſex florenorũ millia.

Aldegondius Conſul fruſtrà Regios Calloo pellere nititur.

Præcludere aggrediuntur Regij Scaldim fluuium.

vſque

1584 vſque deriuatus fluxit: qua fluuij commoditate omnia facillimè Gandauo in caſtra deferri potuerunt. In oppoſita ripa quoque Regij aggeré Cauwenſteinium variè munierunt, metuétes, ne aggeribus Berendrechtæ perfoſſis, ſaltem per agros inundatos Hollandi Lilloo commeatum Antuerpiam inferre poſſint. Præerat tunc omnibus ad Scaldim quas Ordines tenebant munitionibus, Tillignius Francus, qui 20. eiuſdé Nouembris cum vna biremi hora noctis nona Antuerpiâ ſoluens in Zelandiam tendebat. Sed incidens circa Calloum in Regias aliquot naues ac biremes, nocte dieque in amne vagantes, cum omnibus ſociis & impedimentis capitur. Inuenta fuit cum eo præda opima (ſecretò enim Franciam cogitare dicebatur) & ſcripta complura arcana. Poſtridie quoque mediocris Hollandica claſſis, benè armata omnique commeatus genere referta, intra Calloum, Liefkenshoeckium & Ordamum, à Regiis expugnata capitur. His tamen non obſtantibus, Antuerpiani ac Mechliniani multis oneratis plauſtris, Bruxellanos pro exiguo tempore recreauere; ſed dum redeunt, multos tapetes aliáque pretioſa iiſdem curribus Bruxellâ reuehentes, in Regios incidentes fuſi fugatique ſunt, & omni panno pretioſo exuti. Fine Nouembris, feſto D. Andreæ, Antuerpiæ vociferante populo, typis publicari debuerunt litteræ à Parmenſi 13. Nouembris ad generale vrbis Concilium ſcriptæ, quibus eis pacem offerebat: ſed quia ſimul iunctum erat reſponſum in Aldegondij officina cuſum, quo pro rationibus adferebatur, verbi Caluiniani diuinitas, Pontificis Romani Regiſque tyrannis, & ſimilia, nihilo facta eſt Parmenſis cauſa melior. Quarto Decembris prę ſidiarij Bruxellani in ſeditionem verſi dicebant, partem Magiſtratus cum Parmenſi de tradenda vrbe conueniſſe. Quare pars Aulam, pars forum cum Aede prætoria occupat. Capiunt Prę ſidem Nicolai, ante rebellionem Rectorem Fratrum, Bloierum Scabinum, Bombergium, & quoſdam alios: inde deſerto Templio, Electum ſibi legunt, dictóſque captiuos inſigniter pecuniâ mulctatos dimittunt: omnes etiam ciues, vt Antuerpiæ, menſtruis premunt contributionibus, & ſi qui ſolutionem paululùm diſtuliſſent, ſtatim nouem aut decem milites domum inuadentes edebant & bibebant, donec miſeri rebus etiam maximè neceſſariis venditis ſoluiſſent. Eademque erat rerum facies Mechliniæ. Sub idem tempus Parmenſis intelligens, Rectores Antuerpię nõ ſatis inter ſe conuenire, quòd plures in officiis continuari nollent, alij vellent, iterùm ad eos per tubicinem litteras mittit, eiuſdem cum ſuperioribus tenoris, niſi quòd rationes in illorum reſponſo allatas ſimul dilueret, ac pro fide Regia, quamcumque peterent, ſponſionem offerret. Scriptæ erant Calloi 11. Decembris. Sed reſpondendum curat Aldegondius, vt priùs, verbique Caluiniani diuinitatem inprimis ſartam tectam debe-

Tillignius Francus à Regiis capitur.

Acceptæ & aliæ clades.

Fruſtrà Parmenſis Antuerpienſibus per litteras pacem offert.

Egregiè bacchãtur præſidiarij Bruxellæ in ciues.

Iterùm Parmenſis Antuerpienſibus pacem offert.

debere esse contestatur. Decimo octauo Decembris tres equitum turmæ 1584
ab Hohenloo Bergis Burgerholtum missæ, sequentibus duabus Antuerpianorum turmis ac peditum Anglorum legione, Mechliniam proficiscuntur: quibus cùm iuncta esset maior præsidij Mechliniani pars, simul Bruxellam contendunt, experturi ánne aliqua ratione vrbem rerum omnium inopia laborantem iuuare possent. Sed incidentes in turmas aliquot Regiorum equitum ductore Conradino Italo, in insidiis sedentes, vix tentata pugna, pars Mechliniam, pars diuersis viis Antuerpiam fugêre. Multi cæsi captique, ac inter hos Præfectus Craneueldius: equites plerique desertis equis in proximas confugientes siluas, opimam prædam Regiis Liram vehendam reliquerunt. Vigesimo quinto Decembris Hollandi & Zelandi classe centum & septuaginta nauium rursum commeatum Antuerpiam inferre volebant; sed naues aliæ captæ, aliæ tormentis quassatæ aut submersæ sunt; paucæ euasere. Vigesimo nono Decembris Antuerpiæ publicatur, qui sine Magistratus consensu vrbem deseruisset, ad certum reuerteretur diem, confiscationis constituta pœna; itemque ne quis cum Regiis scripto aut missis internuntiis vlla ratione communicaret. Hoc anno die duodecimo Nouembris Philippus vnicus Philippi Regis Hispaniarum superstes filius, Madriti magna cum solemnitate & pompa Princeps Hispaniæ renuntiatus est: reddiditque eumdem diem etiam lætiorem trium Iaponum Regulorum præsentia, qui ante paucos annos ad fidem Christi conuersi, nunc per Hispaniam Romam ad præstandam Summo Pontifici obedientiam proficiscebantur.

Turmæ aliquot Fœderatorum Bruxellenses recreaturæ malè mulctantur.

Similiter naues Hollandicæ Antuerpiensibus succursuræ.

Anno 1585. dudum post cædem Orangij Fœderatæ Prouinciæ variè 1585
de imploranda ope potētioris Principis disceptabant, aliis in Anglię Reginam, aliis in Franciæ Regem collimantibus: tandem omnes in Gallum inclinant, quandoquidem post hunc Regem, cui spes prolis non affulgebat, ad Regem Nauarræ & familiam Borboniam Caluinianis addictam corona deuolueretur, tum etiam quòd Gallus multò maiorem haberet commoditatem Belgium contra Hispanos, vtpote in medio constitutus, perpetuò defendēdi, quàm Anglus. Itaque 3. Ianuarij huius anni 1585. Delegati Prouinciarum, plena potestate fulti, Brielâ soluunt; & Diepam nauigantes, exorta tempestate Boloniam reiecti, inde terrestri itinere ad Regem profecti sunt; sed Siluanecti manere iussi, non ante 12. Februarij ad audientiam Regiam admissi sunt. Interea Comes Hohenlonius, aliàs Holackius, contractis clàm ex Velua, ditione Vltraiectensi, & finitimis locis quàm maximis copiis, 19. Ianuarij per dēsissimas tenebras agmen quatuor millium tum peditum tum equitum ducens, haud procul Silua-ducis vno ex primariis Brabantiæ oppidis, in insidiis sedet:

Fœderati ad Francum cur potiùs mittant quàm ad Anglā.

Holackius Siluamducis prodictione intercipere nititur.

1585 ſedet: ducentos equites Germanos & aliquot ſclopetariorum manipulos propiùs ad portam Vuchtanam mittit,& ex his aliquot, ductore Cleerhagio (qui Caluinianos aliquot ciues ſibi deuinxerat) nocte ædiculam portæ contiguam,in qua interdiu vigiles ſedent, occupare curat. Manè facto intra ſeptimam & octauam porta recluditur; emittuntur more ſolito exploratores num tuta ſint omnia, cùm ſubitò qui in dicta ædicula deliteſcebant erumpentes magno impetu, exploratores excubitoreſque qui aderant occidunt,aut in fugam agunt,& in vrbem ruunt. Aſcendunt mox turrim portæ imminentem, vt impedirent ne cuſtos conſtitutus cataractam in irrumpentes demitteret: cuius rei cauſa ſubornatus proditor eumdem cuſtodem aliquantum remoratus quoque fuerat. Itaque cuſtodem hunc virum grandæuum multis vulneribus confoſſum, ſed adhuc ſpirantem, in angulum quemdam turris detrudentes,ſociis ſignũ dederunt,vt in vrbem accelerarent. Nec mora,confeſtim ingentes copiæ irrumpunt,& tum mœnia vtrimque,tum plateam Regiam vſq; ad *de Poſtelſtraet* compoſito agmine occupant. Erant fortè fortuna tunc temporis in vrbe pauci haſtati equites, Itali & Burgundi, qui pridie cum mercatoribus præſidij cauſa eò venerant. Sed & Haultepennius morbi curãdi cauſa hîc erat,& necdum prorſus conualuerat. Hic itaque inermis primùm,pugione tantùm & ſcuto ſe protegens,equites iſtos hoſtibus obiecit,ciuibuſque vndique confluentibus, & plateas,ne hoſtis vlteriùs progrederetur,omni genere impedimentorum obſtruentibus; ſeptáq; ſclopetis defendentibus inſigniter animum addidit. Interim arma illi & equus adferuntur. Tunc cum Domino de Helmont, Henrico Franciſci primo Scabino, & aliis, equites & ciues in hoſtem diſpertiens, acres impreſſiones aliquot tum in mœnibus tum in platea Regia fieri curauit. Qui iuxta portam erant,horum non ſatis gnari (erant enim longæ hoſtiles acies tria millia ſimul circiter complectentes) triumphum ante victoriam canentes,acclamant ſociis vrbem captam,ſimúlque quidam ad vicinas ædes quaſi ad prædam conuolant. Quod videntes milites qui cataractam ſupra portam cuſtodiebant,prædæ inhiantes portam deſerunt. Tum ſenex ille cataractarum cuſtos, etſi cruoris nimij effuſione pænè exanimis,ſpiritum reſumens, ad oſtium turris arrepens illud occludit, totámq; cataractam demittit. Holachius,qui mutato equo vrbe iterùm exierat,vt reliquas copias adduceret,cùm portam obſtructam videret (etſi trabs vna adhuc pateret, ſiue in clunes equi dilapſa,ſeu qua alia ratione) non ampliùs intrans,foris euentum expectabat. Interea in vrbe magna contentione pugnatur. Sed cùm hoſtis cerneret à tergo nullas mitti ſuppetias, & cataractam demiſſam intelligeret, tandem deſpondentes animum ſub meridiem fugam circumſpectant,ſeſeque multi (quòd impeditior

Cæſis fugatiſq; excubitoribus porta potitur.

Perrumpunt inuaſores vſq; ad plateam Poſtelanã.

Relictus pro mortuo cataractæ cuſtos, tamen cataractam dimittit.

Interea in vrbe magna cõtentione pugnatur.

peditior eſſet per trabem illam quam diximus, egreſſus) è mœnibus demittentes, alij nando euaſerunt, alij limo infixi ſuffocati ſunt, aut ſclopetis ciuium interfecti. Cæſos narrant Siluæducenſes publico ſcripto typis edito ciues tantùm quadraginta, ex hoſtibus verò ampliùs quadringentos, inter quos fuit & frater Truchſeſij deſertoris Colonienſis. Erant hoc tempore, vt diximus, in Francia Fœderatarum Prouinciarum Legati, exſpectabántque vt commodè à Rege audirentur. Intereà Regis Hiſpaniarum ibi Legatus D. Bernardinus Mendoza, Regi Henrico nomine ſui Regis expoſuerat, quantum omnium Principum intereſſet, ſi ſui rebelles à Rege ſocio fouerentur; rogare itaque, & confidere, vt iſta pro ſua prudentia expenderet. Nihilominùs 12. Februarij Legati cum Senliſij Regem ſalutaſſent, ab ipſo patienter auditi ſunt, & poſteà ad Reginam matrem remiſſi. Nauarræus Proteſtanteſque reliqui Legatorum petitioni maximopere fauere dicebantur, & clàm omnem opem polliceri. Alij Proceres & Senatores expoſuerunt, eum nec debere nec poſſe ſalua conſcientia & honore, Belgas hæreticos & rebelles, ſocij Regis ſubditos, in ſuam protectionem accipere. Hinc factum, vt varij de Regis ſententia ſermones circumferrentur. Propendiſſe Regem vt eos ſuſciperet, eò magis creditum eſt, quòd Rex Legatos magnificentiſſimè exceperit, & ſuis aluerit expenſis. Guiſiis tamen aliiſque Catholicis Proceribus contra hæc molientibus, aliáque ſimul grauamina Regni mouentibus, (vnde pridie Kalend. Aprilis Fœdus, Sacrum dictum, Peronæ publicatum eſt, de quo ſub finem anni plura) ſub idem tempus Martio exeunte Legati Fœderatarum Prouinciarũ vacui in Belgium reuerſi ſunt. Intereà 25. Februarij pons obſtruendo Scaldi à Parmenſi dudum ſtrui cœptus, perfectus eſt, opus ſanè inſigne, & dignum quod exactiùs deſcribatur. Erant in vtraque fluminis ripa munitiſſima ædificata propugnacula, in Brabantica Ordammenſe, in Flandrica Calloënſe, à vicinis pagis ſic dicta: ex vtraque munitione pons ſublicius in Scaldim ad quingentos ferè pedes procurrebat, cuius extremæ trabes ſeu mali pedum erant quinquaginta: quod fluminis reliquum erat, mille adhuc pedum, altius erat, quã vt trabes infigi poſſent. Itaque in extremitate vtriuſque ſublicij pontis aliæ munitiones erant multis etiam tormentis armatæ. Inter vtramque hanc munitionem, in ipſa fluuij profunditate, triginta duo maiora nauigia rectà ſerie erant diſpoſita: quorum puppes puppibus, & proræ proris catenis ferreis & maximis rudentibus erant connexæ: ſingulæ naues duabus anchoris, vna ex prora, altera ex puppi proiecta, fixæ ſtabant: fori verò aſſeribus longè conſtrati per pontes ſublicios, in vtramque munitionẽ primariam commodiſſimum tranſitum præbebant, habebántque ſingulæ naues duo maiora tormenta & 30. milites. Tum prætereà ad defen-

1585 *Tandem ſub meridiem Batani terga vertunt, deſideratis ampliùs 400.*

Audèt Francus Legatos Fœderatorum; de quo varij ſermones.

Pons ad Scaldim à Parmenſi abſoluitur.

Memoria poſterorum idem pons breuiter deſcriptus.

1585 ſionem nauium iſtarum,& totius pontis, ne ab hoſtili claſſe diſſoluere-
tur,ab vtraque parte,qua pons Antuerpiam,& qua mare reſpicit, aliud
opus ex quingentis & vltra malis & trabibus quæ haberi poterant maxi-
mis concatenatis, compaginatiſque in duodecim nauibus minoribus
anchoris firmatis natabat,totum pænè flumẽ ſimiliter in latum comple-
ctens, ſpatio inter hanc molem & pontem circiter 1000. pedum inter-
medio,nempe vt impetus aduenientis hoſtilis claſſis, antequam ad pon-
tem veniret,hîc retardaretur. Intereà decimo Martij Bruxellenſes longa
fame preſſi,cùm parum ſpei in Gallico auxilio aut alio eſſe intelligerent,
cum Parmenſi tranſigunt his legibus: Dat ſua Maieſtas omnibus ſine «
vlla exceptione gratiam abſolutam omnium perperàm actorum. Sen- «
tentiæ quoque pronuntiatæ in Cancellaria & alibi tempore rebellionis, «
modò ſecundùm veterem morem latæ ſint,ratæ erunt; ita tamen vt con- «
demnati,ſi eis placuerit, forma reuiſionis, appellationis, aut alio quo- «
cumque modo conſueto, nouam inſtituere poſſint actionem: qua de re «
omnibus Tabulæ reſtitutionis in integrum dabuntur. Quicumque pu- «
blicarum pecuniarum Ducaliúmque redituum adminiſtrationem ha- «
buerint,nullus eis moleſtus erit,modò iuſtis rationibus docuerint ſe pu- «
blicum aurum non in proprium peculium, ſed ordinatione Superiorum «
impendiſſe. Quod attinet ad Priuilegia vrbis & antiquas conſuetudi- «
nes,voluntatis Regiæ erit eas augere, non diminuere, vt vrbis facies ma- «
gis nitcat. Sed quoniam repertum eſt eſſe Bruxellæ,aliiſque locis,pleraſ- «
que conſuetudines,quæ plus vrbi ac ciuibus noceant quàm proſint, ſua «
Celſitudo prima opportunitate,cum cõſilio Legatorum vrbis, in melio- «
rem formam recudet,vt fieri cœptum fuerat anno 1570.rebus eo tempo- «
re commiſſis Cancellariæ Brabantiæ ac Regiis aliquot Legatis. Et vt «
conſtet,Regem ſubditos vrbibus pellere nolle,placet,vt quicumque Ca- «
tholicam Romanæ Eccleſię Religionem ſequi nolunt,duobus continuis «
annis liberè Bruxellæ maneant, modeſtè ac ſine offenſione viuant,inter- «
eà de fortunis pro voluntate diſponant. Vt verò poſthac ciues, omneſq; «
incolæ abſolutè ſe Regiæ auctoritati ſubijciant, Rex eos reget vt fideles «
ſubditos,ſine vlla oppreſſione aut onere militaris præſidij,niſi quantum «
ratio poſtulabit, ipſiſque neceſſarium fatebuntur. Intereà talem conſti- «
tuet inter eos qui vrbem intrabunt diſciplinam, vt ciues iuſtam non ha- «
beant conquerendi cauſam. Et quoniam neceſſe eſt, vt templa partim di- «
ruta, partim omni ſupellectile nudata, reſtituantur; ne talis ignominia «
diu pateat vniuerſo mundo,curabit ſua Celſitudo cum Collegiis ac Tri- «
bubus agatur, quàm minimo ciuium damno templa antiquum ſplen- «
dorem recipiant. Pretioſa autem Regia ſupellex Bruxellæ direpta, ac «
præcipuè ornamenta Sacelli Ducalis omnino reſtituentur,pretiúmve eo- «
rum

Bruxellẽſes fame preſſi cum Parmenſi tranſigũt.

Cauſa tẽpore turbarum deciſa, retractari non poterunt, niſi via Iuris.

Priuilegia quædam vrbis in meliorem formam recudẽtur.

Præſidium non imponetur, niſi quantum ratio poſtulabit.

Reſtitutis templorum ornamẽtis, nulla ampliùs multa imponitur.

„ rum iuſtum: qua in re ſua Celſ. ea vtetur moderatione, vt nullus iure cõ- 1585
„ queri poſſet. Æquum etiam eſſet, Bruxellani ſupellectilem Cardinalis
„ Granuellij, Comitiſque Mansfeldij, aliorumque, quorum opulentas di-
„ ripuere ædes, reſtituerent: ſed quoniã res eſt intricata, relinquitur vtrim-
„ que in iudicio libertas petendi, & negandi. Peteret ſua Celſ. in compen-
„ ſationem huius conciliationis certam pecuniæ ſummam; ſed quoniam
„ de ciuium inopia, & Caluinianorum rapacitate plenè eſt edoctus, nomi-
„ ne Regis eis hanc pecuniam liberaliter remittit. Actum Beueræ decimo
Martij. Signarunt Alexander ac Garnier; & ex parte Bruxellenſium, Mi-
chautius, Venius, Malcotius, Bloyerius, Tayus, Bombergius, Hartius, &
alij adhuc vndecim. Deinde Parmenſi offertur ſcriptum à Præfectis mi-
„ litaribus qui pacificationi interfuerant; ad quod ita reſpondit: Sua Cel- *Reſponſum Parmenſis ad libellum præſidiariorũ Bruxellẽſium.*
„ ſitudo lecto libello à Præfecto Eetveldio, Groſſio, Dachio, Grutero, no-
„ mine Præfecti legionis, omniúmque præſidiariorum Præfectorumque
„ oblato, etiamſi habeat occaſiones vindicandi ſe de animorum eorum
„ acerbitate vſque ad extremum demonſtrata, tamen ea obliuioni liben-
„ ter tradens, eis ſequentia promittit. Primùm, vt liberè cum Gubernatore
„ omnibuſque Prefectis ac familiis omnes equites peditesque vrbe exire
„ poſſint, cum armis & impedimentis, funiculis tamen extinctis, nec expli- *Diſcedent cum armis, ſed omnibus ſignis militaribus ſilentibus.*
„ catis ſignis, & tympanis tubiſque ſilentibus, dabitúrque iuſtum abeun-
„ tibus præſidium. Capti vtrimque milites liberi ſine pretio, perſolutis
„ impenſis liberabuntur; etiam Iorckius Anglus, etſi bello captus non ſit.
„ Tum intelligit ſua Celſ. vt Templius, Pironius, Sohæus ac Eetveldius iu-
„ rent ſe integro anno arma apud Belgas contra Regem non laturos, aut
„ Concilium Ordinum rebellium intraturos, ceteri milites dimidio anno
„ ſub pœna periuris infligi ſolita. Actum item Beueræ eodẽ die 10. Martij.
„ Et quidem 13. eiuſdem Martij Bruxellæ conditiones publicantur; Tem-
plius tamen cum præſidio exire nolebat, niſi à ciuibus ſibi ſuiſq; ſoluere-
tur. Tandem reperta eſt ratio nonnihil numerando, ac de reliquo ſpon-
ſores dando; ita vrbe exeunt 19. Martij, & Dominus Goignius cum ali- *Dominus Goigney cum præſidio Bruxellæ præficitur.*
quot cohortibus Regiis ingreditur. Sub idem tempus, die quinto Mar-
tij, calculo antiquo (hoc eſt die decimoquinto eiuſdem Martij ſtilo no-
uo) Neomagum quoque in Regis venit poteſtatem hac ratione. Dudum
Comes Nuenarius Geldriæ Gubernator omnem mouebat lapidem, vt
præſidium quod in vrbe erat trecentorum tantùm peditum & ducento-
rum equitum, nouis adductis copiis augeret. Tentauerat id fruſtrà ſe-
cundò & tertiò; cumque animaduerteret ciues maius præſidium non fa-
cilè admiſſuros, aliam viam ingreſſus cœpit ſibi ſuſpectos nonnullos re-
legare; erant hi Catholici. Multi ergo Catholici idem metuentes, tãdem
quindecim ex eis conſilium ineunt de ipſo Comite & præſidiariis eij-

1585 ciendis. Recenſentur hi: Dominus de Dornic & Reſſen, Grootfeldius,
Catholici Neomagi laceſſiti, cõtra Gubernatorem conſpirant. Wintgens, Canſius, Wees, Falkenburg, Drijl, Heteren duo, Kerckhof, Bongerts, Dijc, Draco, Vermae, & quidam Ioannes Sartor. Iam dicto die Catholici conſcij, qui tunc excubias vnà cum militibus agebãt, poſt gallicinium ex condicto, præſidiarios qui in mœnibus erant, comprehenſos turribus includunt: armamentarium, & loca in quibus nitratus puluis aſſeruabatur, occupant: forum paucis aliis erat demandatum. Ciues, percepto tumultu, ad forum præcipites currere feſtinant: quibus interceptis in itinere, à Catholicis perſuadetur, præſidiarios proditionem moliri, ſocium militem aduocaſſe, vrbem diripere decreuiſſe; maiorem ciuium partem in armis eſſe, vt hanc violentiam comprimant; ſeſe, vxores atque liberos cum dulci patria tueantur: proinde ſe quoq; protectoribus ſuis iungant, & ſceleratum militem exturbent. Ciues his verbis ac-
Stratagemate pulſis præſidiarius, Regi ſe conciliant. cenſi, communibus viribus in pedites primùm irruunt, eos & aliquot ciues factioſis armis ſpoliant, vrbe eiiciunt: inde & equites (de quibus minor erat ob catenas tranſuerſas, quibus plateæ claudebantur, metus) expellunt; omnibúſque peractis hora pomeridiana ſecunda, exauctorato Senatu Caluiniano, Catholicum Magiſtratum eligunt: mox Legatos ad Parmenſem pro conciliatione mittunt, quibuſque volebant conditionibus impetrant, ac Haultepennium cum mediocri præſidio in vrbem re-
Sequuntur exemplum Neomagẽſium quoq; Doesburgenſes. cipiunt. Neomagenſium ſequuntur exemplum Doesburgenſes, qui ſimiliter aduerſariis electis 19. eiuſdem Martij, ſe ab Ordinibus ſeparant, & paulò pòſt eadẽ cum Neomagenſibus ratione Regi ſe conciliant. Vbi cùm ſimilem rationem etiam machinarentur Arnhemenſes, Comes Nuenarius vnam oppidi portam militari dexteritate occupat: interea ficta impreſſione ciues armatos aliò auocat, ſicque comitantibus agminibus oppidum ingreſſus firmiſſimo id præſidio munit. Et huiuſmodi machinationes & dimicationes minores tunc temporis in Velua & locis vicinis vtrimque plures contigere. Sub finem quoque eiuſdem Martij
La Motte fruſtrà tentat Oſtendam. la Motte Grauelingæ Gubernator Oſtendam Flandriæ oppidum capere machinatur, copiis ſubitò ex omnibus vicinis præſidiis collectis, cepérátque veterem ciuitatem: verùm præſidiarij impreſſionem mox in hoſtem faciunt; naues quoque armatæ ibi excubantes crebris tormẽtorum ictibus eum circa littoris oras infeſtant. Ita la Motte redire coactus eſt, ipſe in manu læſus, deſideratis ex ſuis ampliùs centum. Diximus ſuprà, iam tum 25. Februarij Scaldim à Parmenſi omnino obſtructum. Extre-
Naues incendiariæ Antuerpiæ ad diſturbandum pontẽ Parmenſis. ma igitur Antuerpiani tentaturi, quòd commeatus pęnè deficeret, auctore quodam Iembellio Italo parant naues incendiarias, quibus pontem diſijciant: vna primaria illarum intus puluere bellico, cęmentitiâ ſtructurâ clauſo, plena, exteriùs in concamerato tecto lapidibus molaribus

bus, ſarcophagis, globis ferreis ac lapideis erat onerata. Habebat autem 1583
intra ſe nonaginta dolia pulueris tormentarij, quibus certo loco, iuſtæ lõgitudinis funiculus tormentarius remotiori parte accenſus erat interpoſitus, vt poſt certas horas, quarum rationem ex funiculorum natura inierant, pulueremem attingens, molem omnem obuiam euerteret. Hæc cùm Antuerpiæ parata eſſent, Hollandi & Zelandi prænoniti, die 3. Aprilis Liefkenshoeckium à Regiis inſeſſum inſtructa claſſe obruunt; alij è ſummitate malorum in cõſtitutis munitiunculis omnem defenſionem præſidiariis adimunt, alij intereà vallum ſcandunt, & munitione potiuntur, omnibus propugnatoribus pugnando cæſis. Inde propiùs Calloum nauigantes, expectant incendiarias naues, quas Antuerpienſes 4. eiuſdẽ Aprilis ſecundo vento æſtuq́; ſine gubernatoribus miſerunt (nullus enim in iis niſi ad certam mortem manere poterat) ſed ita gubernacula inſtruxerant, vt ſemper medij amnis tenerent curſum. Interim vna incendiaria maior ponti appropinquabat: quam Regij videntes, quid vna nauis vellet, expectant; viris enim plenam exiſtimabant. Quare Rubaſius ac Billius ceteris feruidiores cum aliquot nauibus contrà ire parant. Sed ad Ordami littus, vi æſtus, incendiaria naui delata, incenditur nitratus puluis. Audiuntur magno omnium ſtupore tonitrua, viſuntur fulgura hominum arte fabricata, & inſtar grandinum volant, molarum ſarcophagorúmque rudera, quibus multi è Regiis peribant, membris miſerè lacerati, inter quos Marchio de Rubais & Dominus Billius, cum quindecim Nobilibus & quinquaginta circiter gregariis, quorum cadauera lacera poſteà partim reperta, partim flumine abſorpta ſunt. Euertit etiam incendiaria nauis Regiæ munitionis naues duas, & alias aliquot inſigniter lacerauit. Sed operarum ac ſociorum naualium diligentia factũ eſt, vt ruina ſtatim repararetur, Hollandiq́ue tentare non auderent munitionem, ſed retrò Liefkenshoeckium reuerterentur, alias expectaturi occaſiones. Septimo Aprilis itaque Antuerpiani tres alias miſêre naues incendiarias: ſed Regij ſemel edocti, cùm appropinquarent, aperta munitionis nauium clauſura, liberum eis dedere tranſitum. Vnde factum eſt, vt cùm aliquantum tranſiiſſent, incenſæ ac in varias partes diſiectæ nemini nocuerint. Initio Maij Antuerpienſes arcem illam naualem, quam Finem belli appellabant, in conſpectum propugnaculi Ordamenſis, quod Regij tuebantur, miſerunt. Verùm cùm eò proximè appulſa eſſet, aquæ penuria vado immota conſedit, multoſque dies eodem loco, nequidquam Antuerpienſibus illam reducere conantibus, perſtitit; donec, vt mox dicetur, à Regiis capta eſt. Interim 7. die eiuſdem Maij Comes Holachius & Iſelſteinius cum triginta nauibus, quę lectiſſimam militum manum & multos foſſores vehebant, ad aggerem Couwenſtei-

Expectant eas Zelandi, intereà Liefkenshoeck expugnantes.

Incendiaria nauis maior maximã quoque cladem Regiis infert.

Caſi ibi inter alios Rubais & Billy.

Arx naualis, dicta Finis belli, ſine fructu vado haret.

1585 nium appulſi ſunt. Erat autem eis ſtatutum, aggerem iſtum perforare, vt nauigia ſaltem minora iuxta Lilloum per ſtagnantes agros (ponte & operibus Parmenſis deſpectis) Antuerpiam remis impellere poſſent, ſicque commeatum in vrbem inferre: quod ipſis factu difficile non fuiſſet, ſi aggere potiri potuiſſent. Sed expoſitis ante auroram in terram militibus, & iam fodere incipientibus, Hiſpani ſuperuenerunt, & manum cum hoſte conſerentes, amplius ducentos trucidarunt, quadraginta comprehenderunt, & maioribus tormentis aliquot naues depreſſerunt. Holachius & Iſelſteinius ſcaphis elapſi ſunt. At non hîc ſubſtitit conatus. Etenim 26. eiuſdem Maij cùm ſub veſperam diei præcedentis Antuerpienſes iterùm aliquot naues incendiarias ad pontem diſſoluendum miſiſſẽt, nocte circa horam tertiam aliam claſſem in aggerem Couwenſteinium mittunt: item ab altera parte Hollandi ſub Lilloum in anchoris ſtabant. Mittunt primùm incenſas aliquot naues in operas Parmenſis; mox cùm centum circiter nauibus veterano milite plenis aggerem adoriuntur, tantámque ſimul globorum copiam ex nauibus in vtrumque aggeris latus eiaculati ſunt, vt Regij in plano atque aperto aggere ſeſe tueri amplius non poſſent; ſed multis è ſuis deſideratis ſtationes deſerere, & ad tutiora ſe loca recipere cogerentur. Intereà hoſtes, appulſis nauibus, in terram deſcendunt, & cùm multos ſaccos, terra, lana, aliiſque materiis plenos aduexiſſent, incredibili celeritate ſepimenta caſtrenſia tumultuario opere extruxerant, vt iam collo tenus ſepimentis munirentur. Nauium deinde ope magis magiſque progreſſi, plus quàm dimidium aggerem occuparunt, quem vndecim in locis perforare cœperunt. Stationes ſuas defendebant ſex horas continuas; quibus ipſi victores Regiorum fortiſſimos ſternebant. Tantam quoque globorum vim in Regios immiſerũt, vt propugnaculis eorum conuulſis, etiam tormenta ferè omnia laceraſint, inutiliáque reddiderint; atque adeò iam Antuerpienſes plenam hãc victoriam exiſtimantes, exoneratione maiorum tormentorum, ac ſonitu omnium vrbis campanarum lætitiam teſtati erant. Sed Parmenſis, audito viſoque periculo, ipſe dextra gladium, ſiniſtra orbicularem clypeum tenens, Calloo per Scaldis pontem ad aggerem Couvvenſteinium pergit, obuios ſecum reducit, inſignitérque animat, ita vt ſtatim ſequẽtibus aliquot Hiſpanis, mox etiam quatuor Wallonum ac tribus peditum Germanorum cohortibus, pugna redintegraretur, tanto animorum ardore ac vehementia, vt nullus, præſente puguanteque ſummo Duce, de fuga, ſed omnes de morte aut victoria cogitarent, cadentibus ab vtraque parte viris fortiſſimis. Maximo impetu in hoſtium munitionem, quam Antuerpienſes moliebantur, irruerunt, & tria tormenta, quæ adhuc integra ad manus erant, in eam direxerunt. Bis Regij munitionem hanc oppugnant,

Holachius aggerem Couvvenſteinium fruſtrà perfodere conatur.

Tentatur idem ſecundò maioribus viribus.

Pluſquam dimidium aggeris per ſex horas Hollandi tenent.

Antuerpiẽſes triũphum canunt ante victoriam.

Accurrente ipſo Parmenſi, & pugnante, Regij tandem vincunt.

pugnant, bis reiecti ſunt: tertiò tandem ſumma contentione pugnantes vallum ſuperarunt; & quidquid in munitione erat, interfectum fuit; reliqui ad naues properantes, multi occiſi ſunt aut ſubmerſi. Qui in nauibus erant cedere nolentes, tamdiu pugnarunt, vt tandem æſtu recedente, naues aqua deſtitutæ è vado emergere non potuerint. Captis itaque triginta tribus nauibus, ingens hoſtium ſtrages edita eſt, ingenſque tormẽtorum & apparatus bellici copia intercepta. Ita poſtquam à tertia matutina vſque ſecundam pomeridianam pugnatum eſſet, Regij aggerem Couvveſteinium receperunt, deſideratis ex ſuis circiter trecentis, ex hoſtibus cæſis plus minus duobus millibus, in quibus & Haulteynus Walachriæ in Zelandia Gubernator, Admiralius Antuerpienſium Iacobus Iacobi, duo Chiliarchæ Anglorum, & quatuordecim alij Centuriones. Vigeſimo ſeptimo Maij aliæ naues onerariæ commeatu plenæ ad propugnaculum Lilloënſe appulſæ ſunt. Putabant enim Hollandi & Zelandi victoriam penes ſuos eſſe, & nauigationem iam ampliùs non fore impeditam: ſed cùm ſeſe eluſos intellexiſſent, ibidem ſubſtiterunt. Poſtridie Comites Arenbergius & Mansfeltius & alij Nobiles, gregariiq; milites, poſtquam relatum eſſet, Antuerpiẽſes cum tribus triremibus & alio maiori nauigio in procinctu eſſe, & arcem illam natatilem, quam Finem belli appellatam diximus (erant ſcilicet trabes inſtar propugnaculi compactę, lateráque tredecim pedes, intextis variis contra tormentorũ ictum materiis, craſſa) exonerare decreuiſſe, quo ſic è vado, vbi nuper hæſerat, Antuerpiam reducere eam poſſent, cum aliquot nauibus obuiàm hoſtibus profecti, commiſſo prælio nauigium illud bellicum & duas triremes ſuperarunt, occiſiſque aut captis qui in iis erant, naues has vnà cum arce iſta lignea in caſtra ſua adduxerunt. Hoc eodem menſe Maio Schenckius à Regiis ad Ordines iterùm deficiens, quaſi non ſatis magna ſui haberetur ratio, die eiuſdem 22. caſtrum ſuum Blijenbekanum, Comiti Nuenario ſeu Meurſio Geldriæ pro Ordinibus Gubernatori tradiderat: quin vt magis ſe ei commendaret, inter cetera vnà cum eodem Comite in pago ditionis Vltraiectinæ *Amerongen* dicto, copias contraxit, quibus excurſiones Regiorum ex Zutphania in Veluam dictámque ditionem Vltraiectinam impedirent. Sed Verdugius collectis viribus, Taxium eò miſit, qui 23. Iunij partem equitum peditumque præmiſit, partem in inſidiis, in vicina quæ pago imminet ſilua, collocauit. Qui in pago erant Nuenariani, cùm hoſtem eminus cernerent, collecti in Ordinem hoſti obuiàm procedunt. Regij paulatim pedem retrahunt, donec Nuenariani iam omnes pago exierant, atque concitatiori in recedentes hoſtes animo ferrentur. Intereà qui in inſidiis erant Regij, è ſilua erumpentes, à tergo hoſtium cuneos cingunt; & qui fugere videbantur, pedem

1585

Pugnatum à tertia matutina vſque ad ſecundam pomeridianam.

Potiuntur Regij arce nauali Antuerpienſium.

Schenckius in Geldria iterùm à Regiis ad Ordines deficit.

Stratagema Regiorum in Velua iuxta Amerũgum.

1585 ſiſtunt: vtrimque claſſicum canitur, ſigna conferuntur, & acerrimè dimicatur: Nuenariani à fronte & tergo cæduntur, donec peditibus pænè omnibus interfectis, & quadringentis equis (ſeſſoribus occiſis) captis, ceteri equites fugam capeſſerent. Nuenarius ſeu Meurſius & Schenckius vix elapſi Vltraiectum venerunt. Villerius vrbis & Prouinciæ Vltraiectinæ Gubernator cum triginta tribus Præfectis multiſque aliis captiui abducti, nobilem Taxio eiuſque adiutoribus, fratribus Sherenbergiis, fecere victoriam: Huius victoriæ fama cùm per vicinas vrbes increbuiſſet, Caluiniani in Catholicos ciues tamquam Regiis nimiùm addictos iram effuderunt: Amſtelerodamenſes 48. è primariis ciuibus vrbe exturbarunt, ceteros dearmarunt: idem & Amersfortiæ & aliis aliquot in locis factum eſt. Vigeſimo nono Iunij Parmenſis iuſto peditum equitúmque ac trium maiorum tormentorum præſidio propugnaculum in ſuburbio Antuerpiano, dicto *Borgerhout*, occupat, hoſtemq; fugientem ad portas vrbis inſecutus eſt. Mox etiam arces, Sterkenhof, Cantecroy, Lanternam & Stollenhof, pauci qui in iis erant præſidiarij dediderunt, qui idcircò ab Antuerpienſibus non admiſſi, deinde à Regiis vſq; Bergas ad Zomonam in tutum deducti ſunt. Tum Regij quidquid circa Antuerpiam erat olerum & viridium herbarum radicitus per ſuos lixas & calones euelli curarunt: erátque in vrbe ſimiliter rerum omnium magna penuria; iamq; duodecies mille menſuræ (virtellas vocant) tum hordei tum panici, quas coctoribus cereuiſiæ magiſtratus eripuerat, & dudū aliis melioribus granis permiſceri permiſerat, pęnè defecerant; ciueſque, quorum alij ſedecim, alij duodecim, alij ſex florenorum millia mutuò dederant, omneſque pro facultatibus prætereà menſtruas contributiones dare coacti fuerant, nihil ampliùs ſe poſſe conferre dicebāt. Primùm itaque plebs Antuerpienſis per feminas ac pueros clamitant: Si pacem gubernatores nō cupiunt, nos eam volumus, & vt habeamus curabimus. Quibus commoti Præfecti quotidie conſultabant, ſed tardè decernebāt; primùm ex ſeptem vrbis legionum Præfectis duo tantùm pacem petiiſſe dicuntur. Legati quoq; Prouinciarum Fœderatarum in Hollandia congregati, ſpe auxilij Anglicani (de quo mox) Antuerpianos lactabant, ſed famelicos ventres non ſaturabant. Acceſſit quòd Hanſaticarum vrbium Legatio eodem tempore Antuerpiam miſſa, aut pacem fieri, aut mercatores Hanſaticos cum ſuis opibus dimitti liberos petebat. Quare tādem 9. Iulij ad Parmenſem mittuntur Aldegondius, Dufflæus, Scoonhouius & Heſſelius, ſed cum onere tantùm pertentandi, an generalem ſimul pacem & libertatem aliquam Religionis, caſtrique & præſidij immunitatē impetrare poſſint. Sic Metrius. Alius hoc modo paulò modeſtiùs: Cùm nono Iulij Legati in caſtra veniſſent, poſtridie in Concilio exponebat Alde-

Regij inſignem reportant victoriam; ſauitum hinc in Catholicos.

Parmenſis Borgerhout iuxta Antuerpiam occupat.

Antuerpienſes reconciliari ſe velle inclamant, primò femine & pueri.

Quidam ſpe auxilij Antuerpienſes lactant, ſed famem nō reſtringūt.

Aldegondius prolixo ſermone Legationis cauſam. Quo finito, Parmenſis ipſe oratione diſerta Legatis ſuo ore reſpondit. Inde petente Aldegondio, vt cum Parmenſi ſolus communicare poſſet, eo conſentiente, cùm per horam ferè ſoli locuti eſſent, (omnibus quid tractaſſent ignorãtibus) ad ſuos Aldegondius reuerſus eſt. Hoc conuentu, quòd Antuerpiani multa peterent, quæ ſalua Eccleſiæ Catholicæ ac Regis auctoritate concedi non poterant, nihil eſt actum; reuerſus tamen Aldegondius, magis ad pacem inclinabat. Sic ille. Sub idem tempus Parmenſis Marchionem del Guaſto, Marchionem de Renti, & Dominos de la Motte & Werpium cum expedita manu tormentiſque bellicis Mechliniam miſerat: qui ſumma cum celeritate Walhem, Neckerſpoel, Blockhuys, Tonxken, aliáque vicina vrbi propugnacula, partim vi partim deditione occuparunt. Sed & nauis quædam Mechlinienſis, quæ Antuerpiam tendebat, à Regiis eſt intercepta, captúſq; eſt in ea Prætor Mechlinienſis de Frein: ac ſimiliter captæ ſunt aliæ naues ab Antuerpienſibus Mechliniam cum commeatu miſſæ, ſimulque in iis ſeptem vel octo tormenta maiora. Denique 19. Iulij Mechlinienſes rerum penuria preſſi, nullúmque auxilium videntes, cum Regiis tranſigunt, approbatiſque à Parmenſi conditionibus, Regis præſidium ſub Præfecto Carolo Giſtellio, Prouenæ Barone, accipiunt. Ciuibus omnium delictorum conceſſa eſt venia: qui Catholico ritu viuere vellent in vrbe manere licuit, aliis permiſſum bona ſua vendere & aliò tranſmigrare, iiſdem ferè legibus quibus id Brugenſibus, Gandenſibus, & Bruxellenſibus fuit conceſſum. Fuerant in vrbe duodecim peditum ſigna, & equitum turma vna: his ſtipendia ſunt à ciuibus numerata, (alia enim ratione pacem admittere noluerant) ipſiq; dimiſſi liberi: ſex tamen ſignorum milites, videntes res Ordinum deploratas, accepto à Parmenſi ſinguli vnius menſis ſtipendio, Regiæ militiæ nomina dederunt. Sequenti nocte, dum Legati Antuerpienſium iterùm in caſtra Parmenſis expectantur, Hollandi atq; Zelandi tria maiora nauigia, clàm maximis ſumptibus apparata, puluere tormentario plena, inſtar eorum quæ iam bis ab Antuerpienſibus in operas Regias miſſa fuerant, æſtu maris ventóque ſecundo in pontem miſerunt. Quorum primum ardens, trabalis illius operis, quod ante pontem in anchoris natabat, partem combuſſit atque ſoluit: ſed ad pontem veniens, ſubducto vno aut altero nauigio, tranſiit; paulò autem pòſt, puluere qui in alueo erat accenſo crepuit, nullo Regiis illato damno. Secundum, antequam ad pontem venit, deſiliit. Tertium quoque eodem quo primum modo, æſtu maris per pontem de induſtria ſolutum à Regiis ire permiſſum, magno ſtrepitu atque reboatu, vi puluerís accenſi diſiectum eſt, nec quemquam læſit. Antuerpiani igitur ſpem omnem ſubſidij abiicientes, 24. Iulij ex Magiſtratu,

1585

Aldegõdius & alij Legati agunt cum Parmenſi, ſed frigidè.

Regij propugnacula Mechliniæ vicina occupant.

Mechlinienſes Regi ſe dedunt.

Hollandi fruſtrà Antuerpienſibus ſuccurrere nituntur.

1585 ſtratu, Tribunis plebis, Decanis opificiorum, Chiliarchis & Centurionibus Legatos viginti cum abſoluta auctoritate de pace & reconciliatione cum Rege agendi miſerunt. Qui cùm mandata ſua verbis primùm Parmenſi expoſuiſſent, certos Articulos pacis in vrbe conceptos, & in tabulas relatos, eidem obtulerunt. Sed remiſſi ſunt à Principe ad Pręſides & Conſiliarios, Pamelium, Aſſonuillium, Richardotum & Burchium, qui diu multumque diſceptarunt; plurimæ ſiquidem difficultates hinc inde exoriebantur. Quibus Conſiliariorum prudentia partim ſublatis, partim mitigatis, certa pacis formula Legatis data eſt: miſſique in vrbem ſunt Legatorum nonnulli, qui eam Magiſtratui offerrent. Hi 10. Auguſti frequentiſſimo Senatu conditiones legendas dederunt: lectæ à nonnullis probatæ, ab aliis repudiatæ ſunt. Vbi cùm de iis altercantur, ciues diuturnæ obſidionis pertæſi, frequentes in forum concurrunt, tumultuariq; incipiunt, & elatis vocibus ſe pacem velle vociferantur. Quod videntes qui in Curia erant, furorem populi verentes, paulò pòſt nuntiari curant, communibus ſententiis in pacem itum eſſe. Populus hoc nuntio accepto lætus confeſtim Alenſonij Ducis inſignia, vbicumque inuenta ſunt, diſiecit, & Regis Hiſpaniarum ſubſtituit; tormenta armamentáq; nauiũ in vrbem comportãt, omniaq; faciunt quæ ad pacis pręludia ſpectabant. Interim 11. Auguſti Parmenſis in Calloo, caſtrorũ loco, ſolemni ritu Vellus aureum accipit; ac tandem 17. eiuſdẽ Auguſti ipſe & Antuerpienſes Articulis pacis 27. (quorum hi præcipui) Beueræ ſubſcribunt: Primò, «
Cùm Antuerpiani, renũtiantes omnibus pactis vſq; huc in pręiudicium «
Regis Hiſpaniarum initis, eiuſdem Maieſtati vt legitimo Duci Brabantiæ «
ſeſe humiliter iterùm ſubmittant; Rex eos benignè ſuſcipit, eiq; placet, vt fœdera, amicitias & contractus olim cum Sacro Imperio, Principibus & Regionibus in negotio mercaturæ initos, per omnia obſeruent, & «
ſi opus ſit, renouent pro vtilitate vrbis. Secundò, Rex omnibus & ſingulis tam in vrbe præſentibus quàm abſentibus ciuibus, etiam incolis ibidem nunc commorantibus, perpetuam omnium antecedentium flagitiorum, etiam criminis læſæ Maieſtatis amneſtiam & omnimodam veniam largitur. Quintò, Omnes ciues abſentes ſiue præſentes, etiam incolæ, qui ante reconciliationem Hannoniæ atque Arteſiæ ibidem habitarunt, abſolutè & tranquillè poſt hanc pacem proclamatam in bonorũ «
ſuorum omnium, vbicumque ea Regi ſubiecta ſunt, poſſeſſionem reuertentur, non obſtantibus cõfiſcationibus, venditionibus & alienationibus «
factis. Interim abſentes, qui hac gratia frui volent, cogentur trimeſtri «
ſpatio poſt horum promulgationem hoſtiles terras deſerere. Sextò, Indulget Rex vniuerſis ciuibus, vt tranquillè ſine vlla conſcientiarum inquiſitione, aut nouo cauſa Religionis iuramento, totum quadriennium «
in

Itaque tãdẽ 20. Legati Antuerpienſiũ ad Parmenſem miſſi.

Diu multumq; de legibus pacis diſceptatur.

Parmenſis in Calloo ſolemniter accipit Aureum vellus.

Articuli præcipui reconciliationis Antuerpienſis.

Inter alia, quadriennium Geuſiis conceſſum, modò ſine ſcandalo.

„ in vrbe permaneant, modò pacificè ſine offendiculo viuant: vt interim 1585
„ ſecum deliberent, ſi iuxta prę ſcriptum antiquæ Catholicæ Romanæ Re-
„ ligionis viuere cupiant. Si nolint, licitum erit illis intereà de bonis ſuis
„ diſponere, ea tranſportare, vendere, alienare, aut per alios ab ipſis conſti-
„ tuendos adminiſtrare: & ſi in Prouinciis Regiis aut extra illas mortem
„ ſine teſtamento obierint, hereditas omnis ad conſanguineos proximos
„ ſiue in recta ſiue in collaterali linea deuoluetur. Septimò, Sic & Rex in
„ poſſeſſionem omnium ſuorum bonorum & iurium redibit. Omnes et- *Omnes ad ſua redibunt, pro publico addictis pretia conſtituentur.*
„ iam Prælati, Collegia, Monaſteria, Templa, Noſocomia, Xenodochia,
„ aliáque pia loca, omnes perſonæ Eccleſiaſticæ & ſęculares, omnia bona
„ ſua, vbicumque locorum ea inueniri poterunt, repetere, ſibi vendicare, &
„ tranquillè vti frui poterunt, etiamſi ea vendita aut alienata eſſent, exce-
„ ptis iis quę vrbis munitionibus, plateis, nundinarum locis, aut aliis rebus
„ publicis applicata ſunt; in quibus arbitri conſtituentur, qui dominis il-
„ lorum fundorum pretia adiudicabunt, aut aliter conſtituent, pro rei vti-
„ litate vel neceſſitate. Decimò, Nullos tamen ærarij aut tributorum ſeu
„ etiam confiſcationum præfectos in ius vocare licebit, aut vlla moleſtia
„ afficere cauſâ illarũ pecuniarum quas demonſtrare poterunt ſe Ordini-
„ bus, eorum Legatis aut Magiſtratibus annumeraſſe. Duodecimò, Om-
„ nes exheredationes ſeu donationes, ex odio diuerſæ Religionis aut belli
„ præſentis vtrimque factæ, nullæ habebuntur. Decimo ſeptimò, Omnia *Omnia Priuilegia vt ante exortum bellum.*
„ Priuilegia immunitateſque quibus ante exortum bellum Antuerpien-
„ ſes gauiſi ſunt, itidem deinde ſarta tecta ſeruabũt. Decimooctauò, Om-
„ nibus ciuibus & incolis habitationem mutare, aut alterius rei cauſa ex *Qui velint, cum omnibus ſuis liberè diſcedant.*
„ vrbe proficiſci volentibus, liberum erit terra marique cum liberis, vxori-
„ bus, familia, bonis mobilibus & mercimoniis, ſine vllo impedimento
„ deprecando, aut ſaluo conductu petendo, abire. Vigeſimoprimò, Cùm
„ verò Antuerpiani demonſtrarint, ſe ſuáq; bona iudiciis ob immenſa ip-
„ ſorum debita eſſe ſubiecta, & detineri poſſe; voluit Princeps, vt ipſorum
„ corpora atque bona anno abhinc integro libera maneant, nec vſquam
„ detineantur, vt interim ratio modúſque inueniatur illos iuuandi, & cre-
„ ditoribus ſatisfaciendi. Vigeſimoquartò, Captiui vtrimque, de quorum
„ lytro conſtitutum nondum eſt, liberi dimittentur; ſumptus tamen atq;
„ impenſas ſoluent, excepto Domino de Telligny, cuius tamen cauſam
„ ſua Celſitudo Regi commendabit, vt liberetur; vti & omnibus com-
„ pertum eſt eum in cauſa patris eius Lanoij feciſſe (nempe is paucis ante
„ hunc tractatum diebus, commutatione Egmondij liber in Franciam ex
„ diutino carcere redierat.) Vigeſimoquintò, Antuerpienſes prædictis
„ conditionibus confeſtim omnem apparatum bellicum Parmenſi tra-
„ dent, qui in vrbem venturus eſt, ibique rerum omnium ordinem cõſti-

tuet,

1585 tuet, duorum millium peditum & cohortium equitum duarum præſi- «
dium ſecum adducet, atq; per vrbem quàm minimo fieri poterit ciuium «
detrimento diſponet. Promiſit verò idem Princeps, ſi Hollandi atque «
Zelandi ad obedientiam ſuæ Maieſtatis reuertantur, tunc vrbem hanc «
nec Arcem nec præſidium vllum habituram. Id ſi minùs contingat, ſua «
Celſitudo (quia tunc vrbs hęc erit limitanea) de conſilio Magiſtratus, at- «
que aliorum qui ad huiuſmodi cauſas aduocari ſolent, rationem inibit «
quomodo vrbem eamdem contra inſidias & ſtudia hoſtium munire «
poterit atque tutari. Vigeſimoſextò, Quantumuis autem ſua Celſ. om- «
ni iure & æquitate bonam impenſarum in hac obſidione factarum par- «
tem à Rep. Antuerpiana repetere poſſet; tamen vt omnibus perſpicuum «
ſit, eamdem non quærere vrbis interitum, Antuerpienſes tantùm quater «
centena millia florenorum numerabunt, quæ inter milites tam longam «
& difficilem obſidionem perpeſſos diſtribuentur; dabitur autem illis ter- «
minus ab æquitate non alienus. Vigeſimoſeptimò, Denique D. de S. Al- «
degonde, poſtquam in ſua opinione ſequendi partes quas hactenus ſecu- «
tus eſt, permaneat, viſum eſt iuramentum ab eo ſtipulari, quòd anno in- «
tegro poſt hanc conuentionem arma contra Regem Hiſpaniarum nulla «
portabit. Actum Beueræ 17. Auguſti. His Articulis, cum aliis minoris «
momenti, eiuſdem menſis die 20. Antuerpiæ de theatro recitatis, venit
armorum Præfectus, quem Heroldum vocant, promiſſa veſte, in qua
inſignia Regis Hiſpaniarum elaborata erant, indutus, vnáq; ſecum tibi-
cines, & pòſt inſigne epinicium Heroldus, protenſa in altum manu, ter,
Viuat Rex Hiſpaniarum, exclamauit; quem totidem vicibus omnis
multitudo, quæ aderat, elatis vocibus eſt inſecuta. Intereà Catholici qui
in vrbe erant, cum quibuſdam Religioſis, qui recèns aduenerant, tem-
plum occupant, & præmiſſo Cantico, Te Deum laudamus, Veſpertinas
preces, Deo gratias agentes, canunt. Tandem 27. dicti menſis Auguſti
Parmenſis, præmiſſis in vrbem 2400. peditibus Germanis & Gallis,
quadringentis verò equitibus, vrbem ſummo cum triumpho ingreſſus
eſt. Annus & menſis hoc diſticho numerali continentur:

VIrgo LegIt ſpICas, AntVVerpIa CoLLa potentIs
PrInCIpIs HIſpanI ſVbIICIt JMperIo.

Pons ad Calloum 2. Septembris dirui cœptus eſt, & die eiuſdem 8. noui Conſules conſtituti, Delfius & Heylvvegius. De Arce nihil actum ante finem Nouembris, vt eo loco dicemus. Sed nunc tempus eſt, vt quid obſidionis huius tempore Fœderatæ Prouinciæ cum Regina Angliæ pepigerint, aperiamus. Dimiſſis ex Francia fine Martij, vt diximus, ſine ſubſidij ſpe Prouinciarum dictarum Legatis, eædem Prouinciæ 6. Iunij ſtatuerant honeſtis conditionibus ſe Reginæ Angliæ tradere, miſerantque

in eam

Quo caſu Antuerpia non fuiſſet habitura Arcem.

Pro impenſis belli ſoluent quater centena florenorũ millia.

Reconciliatio magno gaudio Antuerpiæ publicatur.

Carmen Chronicon reconciliationis Antuerpienſis.

in eam rem 6. Iulij in Angliam Legatos: audiuntur illi à Regina mox 9. eiusdē mensis. Tandem 10. Augusti paciscuntur his potissimùm legibus: 1585

Articuli quibus Fœderati se Reginæ Angliæ tradiderunt.

„ Primò, Angliæ Regina Prouinciis Fœderatis auxilio mittet quatuor millia peditum cum quingentis equitibus (sed numerus quinq; millium peditum, & mille equitum paulò pòst constitutus fuit) sub Gubernatore Generali Reginę nomine, viro claro, Religioni reformatæ addicto, & aliis Præfectis; quibus omnibus belli totius tempore stipendia à Regina soluentur. Secundò, Hæc vt suo tempore Reginæ reddantur, promittent Prouinciæ, se postquam in pace fuerint restitutæ, exsoluturas omnia à sua Maiestate erogata: nempe exposita primo belli anno, primo pacis anno numerabuntur, reliqua intra quatuor annos sequentes. Tertiò, Vt autem huius solutionis cautio certior reddatur, intra mensem post hunc contractum Gubernatoribus à sua Maiestate constituendis in manus tradentur ciuitas Flissinga & arx Rammekena & ciuitas Briela cum suis propugnaculis duobus: quæ quidem loca à Reginæ præsidiariis tenebūtur, donec suæ Maiestati plena satisfactione erogatæ pecuniæ fuerint in oppido Londino redditæ. Si autem Ordinibus consultum præterea videbitur, vt in aliis similiter locis suæ Maiestatis præsidia collocentur, ea ex dictis quinque millibus peditum & mille equitibus constituentur. Quintò, Ordines ex dictis locis præsidiarios suos omnes euocabunt: interim suæ Maiestatis Gubernatores iurisdictionem tantùm habebunt in rebus ad locorum protectionem spectantibus, neque gubernationi ciuili se ingerent, neque in alios vllos quàm in præsidiarios auctoritatem habebunt. Octauò, Præsidiarij Angli exsoluent impositiones sicut alij milites Ordinum; impositiones tamen nequaquam sine Generalis suæ Maiestatis Vicarij consensu augebuntur. Decimò, Postquam suæ Maiestati eiúsve successoribus erogatæ pecuniæ fuerint solutæ, mox oppida & loca cum suis tormentis bellicis & munitionibus omnibus reddentur in manus Ordinum, & nullius alterius. Vndecimò & Duodecimò, Præfecti & Gubernatores suæ Maiestatis præstabunt iuramentum suæ Maiestati & Ordinibus Generalibus, ad conseruationem dictorum locorū, & Religionis Christianæ quæ nunc in Anglia & in Fœderatis Prouinciis exercetur. Decimotertiò, Idem quoque præstabunt officiis militaribus præpositi, & ipsi milites, atque etiam ciues. Decimoseptimò, Suæ Maiestati permittetur, præter dictum suum Gubernatorem introducere duos ex suis subditis in Concilium Status, similiter etiam in Concilium militare, dummodò Gubernatori necesse videatur. Poterunt & duo vrbium Gubernatores in Status Concilium venire, cùm eis operæpretium videbitur, sic tamen vt non reputentur Concilij eiusdem membra. Vigesimò, Idem Gubernator Generalis & Concilium Status rationem habe-

Tradentur Reginæ, Flissinga, Rammekens, & Briela.

Præfecti Angli iurabūt Reginæ simul & Ordinibus.

Legatus Reginæ, & alij duo erunt simul de Cōcilio Status, & belli.

1585 bunt rerum omnium ad ſalutem Reip. ſpectantium: nihil tamen muta- "
bunt in detrimentum priuilegiorum, conſuetudinum, conſtitutionum "
aut decretorum Ordinum, Prouinciarum, Membrorum, tam generatim "
quàm ſingulatim. Vigeſimo quartò, Conſcribentur & ſoluentur extra- "
Maiorâ tamen non agentur, niſi & cum conſenſu Ordinum. nei milites ad Prouinciarum defenſionem neceſſarij à dicto Gubernato- "
re Generali & Concilio Status, cum conſenſu tamen Ordinum Genera- "
lium. Vigeſimoquintò, In locum defunctorum aut mutandorum Gu- "
bernatorum tam Prouinciarum quàm oppidorum & arcium limitanea- "
rum, Ordinum & Prouinciarum Proceres nominabunt duos aut tres; ex "
quibus Gubernator Generalis & Concilium Status vnum eligent. Vi- "
geſimooctauò, Lites & controuerſiæ, ſi quæ fortè orientur inter Prouin- "
cias aut vrbes, quę Iure dirimi nequeant, eæ ad ſuam Maieſtatem aut ad "
Gubernatorem Generalem referentur, vt ſuper iis cum Concilio Status "
deliberetur ac decernatur. Trigeſimoprimò, Gubernator Generalis, "
Præfecti, & alij ſuæ Maieſtatis milites ſolitum iurabunt iuſiurandum "
dictarum Prouinciarum Ordinibus hactenus pręſtitum, ſaluo hominio "
ſiue clientalari obſequio ſuæ Maieſtati debito. Datum 10. Auguſti 1585. "
Nonne-ſuchi. Cuderunt Zelandi occaſione huius Fœderis nummos ex "
omni metallo, ſignatos ex vna parte inſignibus Zelandiæ, ſcilicet leone
Numiſma Emblematicum à Zelandis tùc cuſum. ex vndis emergente, cum inſcriptione, LVCTOR ET EMERGO: & ex al-
tera parte erant inſignia ciuitatum Zelandiæ, cum inſcriptione, AVCTO-
RE DEO, FAVENTE REGINA. Mox aliquot peditum ac equitum co-
hortes ductore Noritzio ex Anglia ſubſidio venerunt; quæ in agrũ miſſę
Noui auxiliares ex Anglia ſubmiſſi. Vltraiectinum, inde à Meurſij Comite in Veluam ſunt perductę, vt mu-
nitionem haud procul Arnhemo ad Iſalæ & Rheni confluentem à Re-
giis ædificatam expugnarent. Reiecti ter Angli: ſed cùm Meurſius ma-
iori apparatu vim pararet, rebus ſaluis, Regij deditionem fecere, menſe
Octobri. Vigeſimooctauo eiuſdem Octobris, Neomagi ciuis proditor
capitur, qui Meurſio introitum erat pollicitus, quòd ædes mœnibus ad
Wahalim ędificatis contiguas haberet. Per has ducto ad flumen ſenſim
cuniculo, Meurſium nocte cum milite introducere ſtatuerat. Sed vici-
nis de continuo ſtrepitu dubitantibus, captus tortuſque omnem conce-
ptæ rei ordinem detexit, punitúſque eſt capite. Quare Meurſius cum
Meurſius è regione Neomagi munitionẽ erigit. milite paratus, aperto Marte obſidere vrbem parat. Erigit munitionem
in ripa Wahalis vrbi obiecta, ad eam altitudinem, vt muri vallum ęqua-
ret. Ex hac maioribus tormentis ciuibus moleſtiſſimus, ad deditionem
eos cogere ſperabat. Sed cùm audiret Haultepennium iuſtas cogere co-
pias, breuiſque ad futurum, munitione de iuſto pręſidio rebuſque neceſſa-
riis prouiſa, Neomagum deſerit menſe Nouembri; cùm 29. Octobris
Sidneio pro Regina Angliæ Fliſſinga & arx Rammekenſis fuiſſent iuxta
fœdus

fœdus tradita. Dudum Friſij qui pro Ordinibus faciebant, cùm Regios Groningæ multa neceſſaria Emdâ recipere ſentirent, inſtructa mediocri claſſe aduerſo flumine Amaſim ingreſſi, haud procul Emdâ in anchoris iuxta portum conſtitere. Quare Etzardus Emdanus Comes indignatus, quòd ſine ſua auctoritate fluminis vſum aduſque vrbis portum ſibi vindicarẽt, clàm admonet Groningæ Verdugium, Delfzili claſſem inſtruat, ſe idem facturum. Cùm parati eſſent, nocte, initio eiuſdem Nouembris portibus exeunt, iunctiſq; nauibus hoſtem aggreſſi, poſt breuem pugnã ſuperant: aliquot merſæ naues, plures captæ, paucæ effugerunt. Fine Nouembris Parmenſis, Rectorum vrbis Antuerpianę voluntate, ex cauſis in Articulis pacificationis relatis, Arcem veteribus fundamẽtis etiamnum integris in priſtinam reſtituit formam, ac de firmo præſidio rebuſque omnibus neceſſariis prouidet. Eodem menſe Nouembri Carolus Comes Mansfeldius, qui cum prȩcipuis Parmenſis legionibus, maximẽ veteranis militibus Hiſpanis, verſus Bommerlervveertam venerat, in hoſtem aliquid tentaturus, Emplæ, & locis vicinis inter Buſcumducis & inſulam Bommelanam cum ſuis manſit. Verùm ruptis à Comite Holackio ſeu Hohenloio aggeribus, & amnibus inundantibus, vndiq; cincti concluſiq́ue in agro admodum humili, ſummo in periculo verſantur. Hohenloius enim, qui feſtinanter miſſas ex oppido Dordraceno & aliis locis naues plures vectorias, celoces & actuarias habebat, hoſtes vndique cinctos maxima fame, egeſtate & neceſſitate premebat, & in aggeribus, templis, lociſq́ue altioribus duræ hiemis tempore, nempe 11. & 12. Decẽbris, abſq; igne permanere cogebat. Verùm mox mutato aëre, gelu ſuperuenit. Quamobrem Hohẽloius metuens ne hiems ſuas naues nimio gelu conſtringeret, & ab hoſte, glaciei commoditate oppugnaretur, cum ſuis abit. Atque ita 12. Decembris Hiſpanorum & aliorum militum agmina periculum euadunt, Buſcoducenſibus opem magno cymbarum numero opem ferentibus, & commeatum & neceſſaria quæuis mox aduehentibus. Eo tempore Parmenſis Bruxellæ triumphum Lęti introitus celebrabat. Qui triſti de ſuorum neceſſitate nũntio accepto, ſumma cum feſtinatione eò proficiſcebatur. Verùm Herentalæ in ipſo itinere certior factus de ſubita hac per gelu liberatione, Bruxellam reuertitur, actiſq́ue Buſcoducenſi ciuitati gratiis, pauperibus octoginta boues, ipſi autem ciuitati phialam auream loco muneris honorarij dono dedit. Decimonono Decembris Comes Lyceſtrius Robertus Dudleius à Regina Angliæ Gubernator Generalis conſtitutus, cum inſigni claſſe & pompa Fliſſingam Zelandiæ appulit: de quo plura anno ſequenti.

1585

Fœderati Amaſi fluuio pelluntur.

Parmenſis de voluntate Antuerpienſiũ Arcem ibi reſtituit.

Regij cum magno periculo inſulã Bommelanam tentant.

Euadunt tamẽ Buſcoducenſium ope.

Comes Lyceſtrius Gubernator pro Regina futurus in Zelandiam appellit.

In variis huius anni hęc videtur prȩcipua. Vigeſimo quarto Februarij in Francia Carolus Borbonius Cardinalis, Dux Guiſius, & alij, Ianuillæ con-

VARIA.

1585 cõuenientes, Fœdus ſanciunt, dictũ Sacrum, iurantq́; promulgato vltimo Martij Peronę ſcripto, inter cetera iſthęc inprimis ſe propugnaturos. Primò, Vt Eccleſia Dei antiquæ integritati atq; nitori reſtituatur, & Catholica Religio vbiq; obſeruetur. Secundò, Vt Nobilitas ſuis priuilegiis ſine vllo impedimento, vt ſolet, in poſterum fruatur. Tertiò, Vt in gratiam & refocillationem ſubditorum nouæ indictiones & vectigalia aboleantur quęcumq; poſt obitum Caroli IX. populo ſunt impoſita. Quartò, Vt pecunia ex præcedẽtium annorum exactionibus collecta, in vſum defẽſionis Regni aut alias res neceſſarias doceatur expẽſa. Hoc initium Fœderis, de quo mox adhuc plura. Vndecimo Martij Carolus Sabaudię Dux Catharinam Regis Hiſpaniarum Philippi natu minorem filiam Saragoſſæ in Hiſpania maxima cum pompa vxorem duxit. Vigeſimo tertio eiuſdẽ menſis tres Iaponiæ Reguli, triennio poſtquam è patria per immenſa pelagi ſpatia nauigaſſent, Romę Gregorio XIII. Pontifici obedientiam obtulerunt, ac poſteà incolumes in patriam reuerſi ſunt. Pontifex deinde 10. Aprilis ad meliorem vitam tranſiit, ſuccedente ei Sixto Quinto. Decimo Maij Comes Nuenarius ſeu Meurſius, copiis ex Geldriæ oppidis & Berka collectis, noctu ſtratagemate militari Noueſium ſeu Nuſſiam oppidum pro Truchſio exauctorato Colonienſi occupat. Repugnantes aliquamdiu ciues, quatuordecim ex eis cæſi ſunt, Conſul Stalius, Fratius, & alij. Sub idem tempus in Francia Principes Fœderis, dicti Sacri, cum Rege, intercedente Regina matre, de conditionibus tranſigere velle videbantur; quo in negotio Rex Archiepiſcopo Lugdunenſi viro diſertiſſimo potiſſimùm vtebatur. Sed interea dum Principes Regis reſponſum nimis dudum, vt ſibi videbatur, expectant, Dux d'Aumalius (qui ſex millia Picardorum in caſtris ad vſum Fœderatorum Catholicorum habebat) ad vrbem Rhemenſem 3. Iunij excurrit, & ſub veſperam in caſtra reuerſus eſt: nec multò pòſt Guiſius Tullum atque Verdunum occupat, impoſitiſq́; præſidiis munit. Nihilominùs ineunte Iulio facta eſt reconciliatio Ducis Guiſij & Confœderatorum pro fide Catholica Romana cum Rege, & 18. eiuſdem Iulij Rex edicto publico prohibet tota Gallia exercitium Religionis prætenſæ Reformatæ, & vt aut obediant, aut Regno exeant intra ſex menſes. Interim Nauarræus Rex Apologiam contra ſcriptum Cardinalis Borbonij edidit, in cuius initio quinque obiecta ſibi crimina, quòd ſcilicet hæreticus, quòd relapſus, quòd perſecutor Eccleſiæ, quòd perturbator Regni, & quòd inimicus eſſet Catholicorum, refellere conatur; deinde Guiſium Ducem vocat hominem externum. (vtpote Valeſij & Borbonij ex ſtirpe Hugonis Capeti ſunt, Guiſij verò ex ſtirpe Caroli Magni, ab aliquot ſęculis corona Francica ſpoliata.) Demum ad monomachiam Guiſium prouocat. Eiuſdem quoque Iunij die

Fœdus in Francia dictum Sacrum.

Filia Regis Hiſpaniæ nubit Duci Sabaudiæ.

Moritur Gregorius Decimus tertius.

Fœderati Franci, occupatis aliquot vrbibus, Regi deinde conciliantur contra Nauarrum.

Nauarræus vocat Guiſium hominem externum, & quare.

die 16. Regio apparatu Dusseldorpij celebratæ sunt nuptiæ Ioannis filij Wilhelmi Ducis Cliuiæ cum Iacoba Marchionis Badensis filia, quibus interfuerunt præter alios plurimos, etiam Imperatoris & Regis Hispaniarum Legati. Hoc eodem anno Philippus Hispaniarum Rex arcem Placentinam, quam triginta ampliùs annos militari præsidio tenuerat, Principi Parmensi Farnesio, ob res præclarè in Belgio gestas, reddidit. 1585

Rex Hispaniarum cedit Parmensi arcem Placentinam.

Anno 1586. ineunte, Regij, ductoribus Mansfeldio, Haultepennio & aliis, Grauiam munitum Geldriæ oppidum tum Buscoducensibus & Neomagensibus infestum obsidere incipiunt. Interea Lycestrius, quem ex Anglia 19. Decembris in Zelandiam appulisse commemorauimus, mense Ianuario Hagam venit, maximisque triumphis exceptus Kalendis Februarij ab Ordinibus Geldriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Traiecti, Frisiæ, Transisulaniæ, in Gubernatorem & Archistrategum accipitur, traditis ei Tabulis, vt vltra auctoritatem à Regina acceptam, etiam omnibus Ordinum ęra merentibus imperet; quin & in rebus politicis tali iure ac potestate vtatur (verba sunt Tabularum) quali Gubernatores generales olim sub Carolo V. Imperatore legitimè sunt vsi, saluis interim Prouinciarum priuilegiis: insuper potestatē habeat colligendi, administrandi, atque exequendi omnes & singulas exactiones suæ Excellentiæ Prouinciarum consensu iam permissas, seu etiam adhuc permittendas. Actum Hagæ Kalend. Februarij 1586. Signatum, Aersens. Regina quidem Angliæ his intellectis succensere visa est, scriptisque litteris 13. eiusdem mensis significauit, vasallum suum nō debere suscipere absolutam Gubernationem, quam ipsa se non voluisse suscipere publico scripto toti mundo significauerat; postea tamen vtcumque placata est, Ordinibus se apud eam excusantibus, litteris missis Amstelerodamo 25. Martij: scilicet absolutam dici Lycestrio datam auctoritatem, ad distinctionem eorum quibus quouis tempore reuocabilis per prouisionem tantùm datur, sic tamen, vt summum imperium & proprietas Prouinciarum penes ipsos Ordines maneat, donec suæ Maiestati placuerit illas accipere. Nihilominùs ob hanc rem ipsius Lycestrij auctoritas apud plures fuit immiuta. Interim Lycestrio mox in manus traditæ fuerunt omnes Prouinciarum contributiones, quæ in annos singulos trigesies quinquies centena florenorum millia tunc conficere dicebantur, præter Reginæ subsidia, Lycestrio autem ipsi in suum vsum centum florenorum millia, hinc pararet in Parmensem exercitum. Mense hoc Martio Carolus Mansfeldius per tres menses Grauiam obsidens, omnia circumquaq; munita loca occuparat, adeò vt nemo exire nec intrare nisi extremo vitæ periculo posset. Quod Hollandi videntes & dolentes, Anglorum suorumque in vnum coactis copiis, ineunte Aprili Grauiam versus tendunt, castráque 1586

Lycestrio etiam maior conceditur auctoritas, quam concesserat.

Aegrè id Regina Angliæ ferre visa.

Explicant Fœderati Reginæ, quid Lycestrio sit à se concessum.

Regij obsident Grauiam.

1586 munito loco ponunt. Sed Mansfeldius, antequam magis ſe munirent, iuſto ad oppidum relicto milite, cum ceteris hoſtes inuadit, ac poſt acrē horæ vnius pugnam in fugam actis, cæſis etiam ampliùs ſexcentis Anglis, impedimenta commeatúmque omnem eripit, circiter ſexaginta tantùm ex ſuis deſideratis. Commiſſa hæc pugna 16. Aprilis. At non hac de cauſa hoſtes animum deſpondent. Hohenloius tormentorum bellicorum violentia caſtrum Batenburgicum capit cum alio quodam munimēto, & Emplam arcem: tum perfoſſo aggere inundat agros, & cymbis commeatum militeſque bis in vrbem vehit. Parmenſis, quamuis ciuitati commeatum ſuppeditatum ſciret, nihilominùs poſtquam bellicis tormentis & oppugnationibus eam ſuperari poſſe intelligit, cum recentibus copiis 12. Maij Bruxellâ eò tendit, vrbemque viginti quatuor tormētis maioribus vltra Moſam flumen, & ab vtroque fluminis angulo verberat, expugnatque adeò validè, vt præſidiarij munimenta pauca ſeruare potuerint: deinde ex compoſito ordinata impreſſione, præſidiariorum animos tentat: qui mox, ciuibus grauem ſibi fore oppugnationem clamantibus, animos deſponderunt: ipſe etiam Gubernator Hemertius cum aliquot Strategis ad tranſigendū cum Parmenſi inductus fuit, nonnullis licet militibus & Strategis contradicentibus. Itaq; Parmenſi Grauia deditur 7. Iunij, ea conditione, vt præſidiariis & ciuibus, qui vellent cum armis, facultatibus, vxoribus, prolibus, quocumque luberet, abire liberum eſſet; ipſiſque naues, quibus Bommelam vſque nauigarent, fuerunt conceſſæ: ciuibus quoque manere volentibus conditiones honeſtæ datæ. Hemertius tandem & duo Præfecti, tamquam qui nimis citò oppidum tradidiſſent, iuſſu Lyceſtrij Vltraiecti capite puniti ſunt, multis in iuuenem Baronem ſtrenuum, nullius alioqui conſpirationis cum hoſte reum, tam rigidè animaduerti non debere fruſtrà ſentientibus. Paulò antè 27. Maij, cùm propter frumenti inopiam (quæ etiam magis anno ſequenti creuit, vt tunc dicemus) frumēta & reliqua vitæ neceſſaria ex longinquis adiacentibus regionibus in Brabantiam armata manu inuehi deberent, acciderat triſte illud, vt cùm quadringenti currus ex Iuliacenſi, Cliuienſi, & Leodienſi ditionibus à mille & ampliùs tum equitibus tum peditibus Antuerpiam deducerentur, non procul ab Antuerpia à Gubernatore Bergarum ſuper Zomonam Willongbio, multis equitum & peditum turmis maxima parte Anglis inſtructo, inuaderentur & ſpoliarētur. Plurimi fuere miſerè trucidati, 180. capti; currus ipſi quadringenti retenti, interceptoribus, quæ auehere non poterant, immanè diſſipantibus & comburentibus; quòd ſcirent maximas præſidiariorum Antuerpienſium copias contra eos appropinquare. Hoc tempore Lyceſtrius quoq; dum Grauiam obſidione liberare cogitaret, Martino Schenckio mandarat inſulam

Fœderati primùm cæſi, poſteà tamen cōmeatum Grauiam inuehunt.

Parmenſis ipſe ad caſtra veniens, Grauiam ad deditionem cogit.

Hemertius Gubernator capite à Lyceſtrio plectitur.

Origo munitionis Schenkianæ.

ſulam Grauenvveertam prope Telonium Cliuenſium ſitam, vbi Rhenus ſe diuidit, inuadere: quod & ille egregiè prę-ſtitit; vbi deinde firmum illud propugnaculum cõſtructum eſt quod ab eodem etiamnũ Schenckianum vocatur. At verò Parmenſis Grauia vrbe potitus, haud difficulter deinde Megam & Batenburgum obtinet: mox Venloam equitibus circumdari iubet, vrbem Geldriæ ſatis magnam, & naturâ aliiſque mediis optimè munitam, duplici foſſa cinctam, ad Moſam ſitam. Eò ipſe paulò pòſt cum omni ſuo exercitu contendit, caſtra collocat, maximam copiarum partem vltra Moſam, reliquam in Brabantia diſponit. Erant in obſeſſa vrbe Schenckij vxor, ſoror, & reliqua familia, cum centum circiter ſtipendiariis. Quibus vt ſubſidium ferrẽt Schenckius & Willianus Anglus, cum centum plus minus equitibus noctu vrbẽ intrare moliuntur. Sed cùm nullæ tranſeundi vię paterent, atq; aduentãte iam die validę copię in eos irruerent, receſſerũt Wachtendoncam verſus, deſideratis circiter 50. equitibus, iiſdem partim occiſis partim captis. Vigeſimo Iunij Comes Mansfeldius munitiſſimum pagum & caſtrum Arſenum Parmenſis iuſſu tormentis verberat, oppugnat, & capit. Cùm autem Venloënſes inſulam ante vrbem ſitam muniuiſſent, Parmenſis propugnaculum tribus pontonibus ſeu magnis cymbis ſuperimponi curat, eoq; conſtructo, trecenti Hiſpani inſulam primò, deinde etiam munimentum 26. Iunij capiunt. Hac de cauſa ciues, bellicoſi alioquin ſemper habiti, animis labaſcunt, paciſci cum hoſte volunt, & præſidiarios paciſci recuſantes extrudere parant. Ita vrbs Parmenſi deditione traditur 28. Iunij conditionibus honeſtis. Præſidiarij cum armis vnaque Schenckij vxor cum familia liberè diſcedunt. Hinc Parmenſis Epiſcopi Colonienſis Erneſti Bauari rogatu 10. Iulij Noueſium ſeu Nuſſiam, inſigne haud longè à Colonia ad Rhenum oppidum, aggreditur. At verò intereà Lyceſtrius, ne nihil agere videretur, exercitum quàm poteſt maximum colligit, ipſiſque Prouinciis poſtulantibus in Ooſtlandia duo equitum & tria peditum millia, mille prętereà cunicularios conſcribi curat. Conſtituit prętereà Flandriam inuadere, vt Parmenſem ab obſidione Noueſiana, ſi fieri poſſet, retraheret. Proinde Comiti Mauritio Naſſouio, & Sidneio Anglo Fliſſingæ Gubernatori mandatur, vt cum tribus circiter militum millibus in Flandriam proficiſcantur, & Neuſam propugnaculum ſuæ iuriſdictionis petant. Ex quo 16. Iulij nocte verſus Axelam vrbeculam ea in regione commodiſſimè ſitam proficiſcentes, ſumma dexteritate abſque magna clade, nonnullis ſuorum per murum aquas diuidentem intrantibus, eam capiunt, atque inſuper propugnacula valláque circumiacentia; aggeres, vt firmior ſit victoria, perfodiunt. Tradi quoque Hulſtum oppidum non procul inde ſitum poſtulant; verùm nuntio irruptio-

1586

Venloam Parmenſis obſidet.

Vi potitur inſula & propugnaculo ante vrbem.

Deditur ei & ipſa vrbs.

Obſidente Parmenſi Nuſſiam. Fœderati intereà Axelam in Flandria occupant.

1586 nis priùs Antuerpiam perlato, Mondragonius arcis Antuerpianæ Præfectus illud ſeruauit. Miſerat Parmenſis ad Noueſium vndique obſidẽdum inſignem exercitum, Ducibus Varrabonio, Carolo & Octauio Mansfeldiis, Arenbergio, Mauricques, Capazucca, Gaſto Spinola, & aliis. Marchio de Guaſto equitum Præfectus erat. Ipſe Parmenſis in Genadendalenſi Monaſterio hoſpitatus, gladio & pileo conſecratis à Pontifice Romano miſſis decoratur. Ex Colonia vrbe aliiſque vicinis locis quæcumque neceſſaria abundè aduehebantur. Ciuitatem obſeſſam defendebat Hermannus Clotius cum mille plus minus militibus. Oppidani in inſula ante Noueſium propugnaculum extruxerant; ſed id, cùm ſe hoſti reſiſtere non poſſe viderent, reliquerunt. In ea itaque inſula Parmenſis maiora tormenta bellica collocat, vrbémque 30. tormentis 138. plus minus vicibus circa Nederam & Rhenenſẽ portas verberat: hinc vrbem ſibi pro Bauaro tradi poſtulat: præſidiarij poſtulantem audiunt, & deliberandi ſpatium, procraſtinandi inprimis cauſa, petunt. Vbi cùm armorum induciæ vtrimque eſſent promiſſæ, & Parmenſis ipſe prope portam veniſſet, alij ab alia parte vrbem iniuſſi tormentis maioribus impetunt: mox vtrimque acriter bombardis certatur, non ſine vitæ ipſius Parmenſis periculo: primi autem huius rei auctores ſciri non potuerunt. Parmenſis ſe neſcio & inuito hæc attentata fuiſſe affirmans, conditiones certas offert, quibus liberè cum armis & ſarcinis exeant: reſpondent obſeſſi, Noueſium oppidum eſſe Imperiale; itaq; tempus poſtulant Imperatorem conſulendi. Sed Parmenſis offenſus, poſtquã triginta & ampliùs horas hoſtium procraſtinationibus perdidiſſet, ſine mora iterùm iubet triginta maioribus bombardis à manè in veſperã vſq; muros vrbis duabus ruinis labefactari, & turres quaſdam ruptas occupari: vnde dum oppidani hoſtem rurſus expellere tentant, Clotius Gubernator glande in femore læditur. Acta ſunt hæc 25. Iulij ipſo D. Iacobi die, quamobrem tota ea nocte Hiſpani triumphos ingentes agunt. Poſtridie rurſus portam Rhenenſem tormentis verberant; oppidani autem negotium extrahere volentes ſimiliter ad Parmenſem iterùm mittunt. Interim cùm Hiſpani inſtructi ſtarent ad omnimodam irruptionem, caſu ignis turrim, vbi puluis nitratus erat, inuaſit, mox domos quaſdam vicinas ſtramine tectas, & faſces, quibus murorum ruinas reparare volebant, inflammat, ventorúmque impetus incendium per totam vrbem ſpargit. Hiſpani incendium conſpicati, celerrimè inuaſionem aggrediuntur; oppidani incendio perterriti metúque magno perculſi, plurimi fugiunt. Germani, Belgæ & Burgundi vrbem ab altera quoque parte inuadunt, ſicque vrbe potiuntur, trucidatis omnibus qui repugnabant, ſed plures viri effugerant. Mulieres cum pueris, inter quas & Clotij vxor & ſorores, liberæ

Parmenſis pileo & gladio conſecratis à Pontifice honoratur.

Magna vi quatit Parmenſis Nuſſiam.

Agunt Nuſſienſes de deditione, ſed tantùm in ſpeciem.

Caſu ignis vrbem inuadit, ſimulq; Hiſpani irruunt.

ræ dimiſſæ ſunt. Clotius vulnere æger, duoque Prefecti & Concionator Foſſerus à furente milite ex feneſtris ſuſpenſi, domo ardente combuſti ſunt. Vrbs flammis egregiè deformata Epiſcopo Bauaro tradita eſt. Inde Parmenſis exercitum mittit ad expugnandum Meurſium, Alpenum, & arcem Crakoam; quæ loca Comitis Nuenarij ſeu Meurſij erant: hiſque ſuperatis, vlteriùs contra Berkam, quam Meurſius pro Truchſio ante triennium ſibi vindicarat & munierat, Regij tendunt, quò & ipſe Parmenſis 13. Auguſti aduenit. Anteà verò vrbem defendendi cauſa intrarant Schenckius & Morganus Anglorum Tribunus cum mille circiter Anglis, & aliis octingentis militibus inprimis ſtrenuis, vnáq; commeatum & neceſſaria reliqua inuexerant; victoriarum Parmenſis ſecundos flatus pro viribus impedituri. Interea Lyceſtrius ingentem contraxerat exercitum iuxta Seuenter ad Rhenum, ipſeque Arnhemo 6. Septembris Eltenum profectus, eumdem recenſens inuenit pedites plus minus ſeptẽ millia, equites mille quadringentos. Verùm cùm hic exercitus ſibi ſufficere non videretur ad Parmenſem obſidione Berkenſi pellendũ, Doeſburgum oppugnare conſtituit, vt hac ſaltem ratione Parmenſem ab incepta obſidione retrahat. Erant in ea præſidiarij à Parmenſi miſſi trecenti Walones. Lyceſtrius mox Hohenloium, Eſſexium, Sidneium, & alios militiæ Præfectos cum quingentis equitibus & octingentis peditibus nocte ad luſtrandam & cingendam vrbem mittit; ipſe ex Elteno 9. Septembris cum reliquo exercitu ſequitur: foueas militari more ocyùs fodi curat, ac die tertio decem tormentis bellicis maioribus diſpoſitis duas muri ruinas haud exiguas aperit: quas quidem cùm oppidani ſtrenuè obſtruere ac munire feſtinarent, foſſáq; ampla vrbem ambiret, viſa fuit oppugnatio difficilis: verùm optimè animatis militibus, Lyceſtrius oppugnationem tentandam conſtituit: ad quam Hohenloium cum Germanis & Scotis, & Noritſium cum Anglis & Irlandis deſtinat. Id ſimulac obſeſſi vident, deditionem certis conditionibus offerunt: quibus negatis, oppidum ſalua tantùm vita 15. eiuſdem Septembris dedunt. Imponuntur cum ſuis preſidiariis oppido capto Borongeus & Stanleius Angli, gubernatione Borongeo concredita. Interea Parmenſis, metuens maximè vicinæ Zutphaniæ, omnibus diligenter circa obſidionem Berkenſem conſtitutis (ceperat enim inſulam ante vrbem, eamdemque etiam aliis propugnaculis valliſque cinxerat) die 12. Septembris inde diſceſſerat, Lyceſtrio obuiàm iturus. Et quidem in itinere Burickam Cliuiæ vrbem & arcem capit, & ponte ex nauibus ſtructo Rhenum trãſit, & Rheſæ aliiſque locis propugnacula, quibus pontem & itinera tuta redderet, facit; cùm interea Lyceſtrius 18. Septembris ante vrbem Zutphaniam caſtra per fluminis ripas & vicina loca diſponere incipit, & pontem ex colle-

1586

Capta Nuſſia, quædam etiam loca vicina Parmenſis capit.

Obſidet Lyceſtrius Doesburgam, vt Parmenſem à Berka retrahat.

Doesburgum, Parmenſi non ſuccurrẽte, Lyceſtrio deditur.

Tandem tendit Parmenſis Lyceſtrio obuiàm.

1585 collectis cymbis medio ferè ab vrbe milliari conſtruit: mox Procerum arces Hackvortam & Vordam capit, caſtriſque hoc modo collocatis ipſe Lyceſtrius Dauentriam celeriter contendit: erant enim in hac ciuitate adhuc diſcordiæ, & ciues cum aliis ciuitatibus contribuere niſi ſuo more nolebant. Intrat itaque in ciuitatem maxima dexteritate cum peditibus circiter quadringentis, & duabus equitum turmis. Vbi cùm nuntiũ accepiſſet, Parmenſem ei obuiàm tendere, magna feſtinatione verſus ſua caſtra properat, eáque quàm citiſſimè cõtra Zutphaniam potentiùs munit. Parmenſis nihilominùs cùm Borkeloam veniſſet, commeatum in Zutphaniam per ſuos ipſemet præſens inuexit. Verùm cùm Lyceſtrius inuectum commeatum præſidiariis nequaquam ſufficere intelligeret, proxima vice Regios commeatum illaturos inuadere conſtituit, idque negotij Noritſio & Stanleio cum ſuis peditibus, aliis autem cum equitũ ingenti numero mandat. Nec mora, die 22. Septembris Parmenſis rurſum in vrbem annonam inuehi curat. Erant ad eam deducendam turmæ equitum ſex, pedites circiter mille quingenti: qui dum prope pagum Warusfeldium, medio ferè ab vrbe miliari, ſubſiſtunt, intereà dum vehicula vrbem intrant, Lyceſtrij iuſſu Noritſius, Eſſexius, Willongbius, Sidneius, & Ruſſellus cum ſuis copiis acriter in eos incurrunt, ſed Regiorum conatum impedire non potuerunt, ceciderúntq; vtrimque multi, plures etiam vulnerati; inter quos & Sidneius ſororis Lyceſtrij filius, Fliſſingæ Gubernator, glande in femore faucius, vnde vigeſimo quinto pôſt die mortuus eſt. Hinc ergo Lyceſtrius propugnacula primùm è regione Zutphaniæ, quà Veluam reſpicit, ſuperare molitur, caſtráque in Velua ad Iſulam collocat. Parua eſt ante vrbem inſula, ad quam ex vrbe per vadum ferè ſicco pede iter patet; quæ nonnumquam à triginta tantùm præſidiariis cuſtodiebatur. Hanc itaque oppugnat & capit Lyceſtrius, hoſtibus partim cæſis, captis, aut in fugam verſis, ſuperatámque inſulam fortiùs munit: inde ſuum exercitum ante valla & munimenta Zutphanienſia ducit, & à continenti pontem ad ipſam vſque inſulam conſtruit (ab ea enim, ne oppidani in propugnacula ſubſidia mitterent, facilè impediri poterat) prætereà caſtrenſes foſſas confici, tormentáque collocari curat. Quæ videns Parmenſis, 14. Octobris cum exercitu ſuo ſub ipſam vrbem venit, annonamque & præſidiarios copioſè inuehit. Nec ceſſat Lyceſtrius, ſed 16. eiuſdẽ menſis propugnaculum minus ſiue propugnaculi alam Septemtrionalem tormentis verberat, & poſt prandium oppugnari iubet: erant hîc præſidiarij circiter ducenti, in maiori verò propugnaculo ſexcenti, & in vrbe mille quingenti; ipſe quoque Parmenſis vix duobus aberat milliaribus. Verùm cùm neque ex vrbe, propter captam vt diximus inſulam, neq; aliunde facilè ſuccurri poſſit, propugnaculi

Zutphaniæ obſeſſæ Parmenſis commeatũ immittit.

Idem facit ſecundò, fruſtrà obnitentibus obſeſſoribus.

Cæduntur Angli, & inter alios Lyceſtrij nepos ex ſorore.

Capit Lyceſtrius inſulam, quæ ante Zutphaniam eſt.

Tertiò Parmenſis Zutphaniæ ſuccurrit.

culi hæc ala capta eſt: ac ſimiliter, cùm alteram alam maiorem Lyceſtrius oppugnare pararet, ob eamdem cauſam, propugnaculo relicto, præſidiarij in vrbem confugerunt. Propugnaculis his in poteſtatem redactis, arx præterea Nienbekana, Boxberga, & alia quædam loca vicina à Lyceſtrio capiuntur, quò Veluam contra Regiorum incurſiones tueretur: Zutphaniam tamen vrbē oppugnare deſtitit, ſeu, vt videri volebat, quòd inter Dauentriam, Dusburgum, Lochemum, Dotechemum & dictum propugnaculum ſita egeſtate tādem ſe tradere cogeretur; ſeu, quod alij opinabantur, difficultate territus. Interim Anglos aliquot ſuos Equites auratos creat, & propugnaculi iam dicti Gubernatorem Rolandum Iorkium conſtituit cum octingentis Anglis peditibus, & centum equitibus. Huic Rolando hanc gubernationem committi ęgrè tulerunt Ordines, propter ea quæ anno 1585. in deditione vrbis Bruxellenſis inſinuata ſunt, & clariùs anno ſequenti 29. Ianuarij explicabuntur. Sed Lyceſtrius ſuis Anglis fauens, ſponſorem ſe pro Iorkio dare voluit. Dauentriæ quoq; Gubernatorem dedit Guilielmum Stanleium, cum mille ducentis Anglis & Hibernis peditibus & ducentis equitibus, quamuis nec huic, quòd priùs Regi militaſſet, Ordines fidendum dicerent. Atque ita, vrgente iam hieme, tam Parmenſis quàm Lyceſtrius, quiſque ſuos in hiberna diſtribuit. Lyceſtrio Hagam-Comitis reuerſo, Ordines grauiter queruntur, & Articulos, etiam menſe Auguſto traditos, repetunt: ſunt autem hi: Primò, Poſtulant, vt pecuniæ & contributiones ab vno Rinholto hactenus adminiſtratæ, in manus Theſaurarij ab Ordinibus electi conferantur; & vt ſolutionum rationes liquidò pateant ſignatæ chirographo Gubernatoris & trium ex conſilio Ordinum. Secundò, Vt ſubſidia ſuæ Maieſtatis integra ſint & plena; recenſeanturque, & ſtipendia accipiant ſcientibus & prę ſentibus Ordinum Commiſſariis. Tertiò, Extranei milites ad 23. Articuli normam conſcribantur, non niſi Ordinum conſenſu. Quartò, Nulli Prouinciarum, vrbium aut munitionū Gubernatores conſtituantur, niſi priùs à Prouinciis delecti proponantur, ad regulam Articuli 25. Quintò, Ne in agris aut pagis currus, cunicularij aut foſſores vi cogantur. Sextò, Ne Vltraiectum ab Hollandia ſeparetur, ſed ſub Gubernatore Comite Mauritio maneat. Septimò, Vt decretum 4. Auguſti, & litteræ 25. eiuſdem reſtrictoriæ de negotiatione & nauigatione in Prouinciarum perniciem editum (nempe quòd nec ad neutrales ſine libello nauigare liceret) reuocetur, & vt commercium relinquatur liberum. Octauò, Ne Brabantis aut Flandris, qui malè apud ſuos publicas adminiſtrarunt pecunias, adminiſtratio committatur. Ad hæc Lyceſtrius, variis adductis excuſationibus, reſtaurationumque promiſſis, ſpem amplam dat: verùm in Angliam ob turbas ibi exortas (de quibus ſtatim

1586

Lyceſtrius ab obſidione Zutphanienſi diſcedit.

Iorkius & Stanleius Angli Ordinibus ſuſpecti, & quare.

Articuli querimoniarum Lyceſtrio ab Ordinibus propoſiti.

Lyceſtrius in Angliā proficiſcitur.

1586 ſtatim dicemus) iam ſibi proficiſcendum cauſatur. Ordines quidem Lyceſtrio diſceſſum, quibus poterant modis, diſſuadere conabantur, ſed fruſtrà. Itaque Reformatio tota in eius reditum reiicitur. Rogatus autem ordinem ac rationes gubernandarum Prouinciarum interim conſtituere, die 24. Nouembris auctoritate conſignata, Generalem Prouinciarum gubernationem Concilio Status committit. Verùm eodem die dictam auctoritatem ſecretò reſtrinxit, ſibique auctoritatem & iuriſdictionem ſupra omnes Gubernatores, & alia inſuper regalia iura reſeruauit: quin & Status Concilio & Prouinciarum Gubernatoribus ac Præfectis ſolitas quaſdam iuriſdictiones adimere viſus eſt: vnde quidem poſteà multum damni Prouinciis, Lyceſtrio autem multum moleſtiæ euenit. Hoc tẽpore cuſi fuerunt nummi ex vna parte habentes ſimiam, quæ catulos nimia affectione occidit, cum inſcriptione: LIBERTAS NE ITA CHARA, VT SIMIAE CATVLI. In altero latere, vir adſtans igni, dum vult vitare fumum, in ignem incidit, cum inſcriptione: FVGIENS FVMVM INCIDIT IN IGNEM. Ita Lyceſtrius per Zelandiam Angliam petiit, ibique appulit quarto Decembris.

Lyceſtrius de gubernatione aliud palàm, aliud clàm conſtituit.

Numiſma iterùm Emblematicum.

VARIA. Ad varia huius anni quod attinet, 6. Auguſti Draco Anglus in Angliam rediit, poſtquam ab anni præcedentis Septembri maria, inſulas, & littora, maximè Indiæ Occidentalis circa Hiſpaniolam, Cubam, & in continenti Carthagenam, variis prædationibus infeſtaſſet: ſed nihil aliud operæpretium fecit, quàm quòd rediens, ex Virginia Prouincia, vbi dudum Angli aliquot in maximis miſeriis relicti erant, in Angliam ſecum reduxerit. Sub finem verò Septembris Londini metropoli Angliæ quatuordecim viri Nobiles, Babbingtonius, Salsberius, Sanageus, Tichboreus, Abbingtonus, Tylneyus, Baruwelus, & alij, vt proditores in quatuor partes ſecti ſunt, quaſi Reginam Eliſabetham lecticâ inſidente aut equo vectam ſclopetis traijcere, & adiuuãtibus coniuratis Mariam Scotiæ Reginam è captiuitate liberare, & Reginam Anglię coronare ſtatuiſſent. Omnes Romani Catholici mortui ſunt; hujuſq; cõſpirationis cauſa etiam ipſa Scotorum Regina rea agitur, tam ex dictorum, vt volunt, Nobilium confeſſionibus, quàm ex ipſius ad alios & aliorum ad ipſam ſcriptis atque interceptis epiſtolis. Mittuntur ad eam examinandam menſe Octobri ſeptuaginta tum Conſiliarij tum Officiarij. Sed recuſubat ſe ſiſtere examini aut iudicio, vt nata Regina, ac quæ proinde non agnoſceret in temporalibus vllum ſuperiorem, niſi Deum. Et erant ſuper hac re tam in Anglia quàm Francia variæ etiam Iuriſperitorum ſententiæ; tamen tandem, cum ſolemni proteſtatione huius ſuæ præeminentiæ, fatebatur quidem ſe variis modis quæſiuiſſe ſuam liberationem, & promotionem fidei Catholicæ Romanæ, ſed nequaquam mortem Reginæ Eliſabethæ.

Quatuordecim Nobiles Angli, vt perduelles plexi; etiã Regina Scotiæ rea agitur.

Vene-

Venerunt eius liberandæ cauſa tum ex Scotia ab eius filio, tum ex Francia Legati, ſed impedire non potuerunt quin 23. Decembris rea mortis pronuntiaretur, executione tamen ſententiæ in poteſtate Reginæ Eliſabethæ conſtituta; quæ & eam diſtulit in 18. Februarij anni ſequentis, de qua & tunc pluribus agemus. Æſtate huius anni die 3. Iulij accidit miſeranda clades prope Coloniam. Multitudo maxima Nobilium, mercatorum, & aliorum ſimul plus minus ad tria millia vndique Berchemi oppido Iuliacenſi collecti Coloniam tendebant, muniti ſclopetariis Iuliacenſibus centum quinquaginta; & ecce ad Ionckerſdorffum pagum, medio milliari à Colonia, irruunt in eos prædones milites quadringenti (qui fuerint, Aitſingerus Cameræ Spirenſi inquirendum relinquit) & cẽtum nonaginta eueſtigiò trucidant, plurimoſque vulnerant; ita vt cæſorum & vulneratorum numerus quaſi nongenti cenſeantur; dicitúrque immanis miles prædam conſecutus centum millium florenorum. Ita Aitſingerus Auſtriacus in Leone Belgico. Porrò in Francia hoc anno 1. Ianuarij Henricus Nauarræus poſt binas declarationes emiſſas anno ſuperiore aduerſus Edicta Regis pro ſola Catholica Religione obſeruanda, litteras iterùm euulgat, ad Status ſiue Ordines Galliæ, in quibus velut de violatione poſtremi Edicti Pacificationis conqueritur. Menſe quoq; Septembri Legati Ioannis Caſimiri Comitis Palatini, Ducis Saxoniæ, Marchionis Brandeburgẽſis, & aliorum aliquot Principum & ciuitatũ Proteſtantium Germaniæ Henricum Regem Galliæ adeunt ad D. Germani in Laya, vt eum quibus modis & rationibus poterant, dehortarẽtur & deterrerent à bello Proteſtantibus in Francia inferendo; ſed illorũ longæ orationi breuiter magna cum grauitate Rex reſpondit. Itaq; re infecta, redeunt ad ſuos. Obierunt hoc anno Stephanus Batorius Poloniæ Rex, & Octauius Farneſius Parmæ Dux Alexandri noſtri Parmenſis pater; hic 11. Septembris, ille 12. Decembris. Interim non ceſſabat in Belgicis Prouinciis (maximè Brabantia & Flandria) rei frumentariæ penuria, tum quòd coloni agrorum non ſolùm ſuperioribus annis duobus aut tribus omnino profligati fuiſſent, ſed & necdum quietè propter varias incurſiones habitare poſſent, omnia etiam abſumerent numeroſiſſimi vtrimque exercitus; ſed & aucta eſt etiam miſeria vſque annum ſequentem, de qua itaque tunc diſtinctiùs narrabimus.

1586

Regina Scotiæ mortis rea pronuntiatur, ſupplicium tamen dilatum eſt in annum ſequentem.

Miſerandæ clades iuxta Coloniam à prædonibus.

Mors Stephani Regis Poloniæ, & Octauij patris Parmenſis.

Anno 1587. Dux Parmenſis (ſic enim deinceps vocandus eſt, mortuo iam, vt diximus, patre, hac hieme milite & pecuniis auctus, 17. Ianuarij Wouwam Marchionis Bergenſis arcem optimè munitam, non procul à Berga ad Zomonam ſitam occupat, à Gallo præſidiariorum militum Præfecto nomine Marchanto viginti plus minus florenorum millibus ſibi venditam. Erat hic Marchantus Freminio Stratego inimicus, eum-

1587

Parmenſis arcẽ Vvouwanam, corrupto Præfecto, occupat.

1587 que in Curia Hagæ grauiter accuſauerat; interea verò dum Freminius ſe purgandi cauſa Hagæ eſſet, Marchantus Arcem vendidit. Diximus anno ſuperiori, Lyceſtrium Dauentriæ reliquiſſe Gubernatorem Guilielmum Stanleium Anglum cum mille ducentis peditibus, & circiter ducentis equitibus præſidiariis Anglis & Hibernis, quamuis inuitis, & aliter ſuadentibus Ordinum Proceribus: Stanleius enim anteà Hiſpano Regi militauerat; Lyceſtrius tamen tanti eum faciebat, vt in Generalem totius exercitus Præfectum Ordinibus commendaret. Erat enim ſtrenuus, natuſque familia clara ac Nobili, habens in Anglia vxorem & proles, quas patri adhuc ſuperſtiti alendas reliquerat. Ab aliis econtrà dicebatur ſimul contra Angliæ Reginam conſpiraſſe, vt Scotiæ Reginam ad Angliæ diadema promoueret, eiuſque criminis cauſa metuere. Quidquid ſit, Stanleius vrbis Dauentriæ iam Gubernator, primò cum Iorckio Zutphanienſis propugnaculi Præfecto, deinde cum Taxio Zutphaniæ Gubernatore clàm egit de tradenda vrbe, compenſatione opima propoſita. Verùm cùm vrbem amplam populoſámque cognoſceret, multos etiam præſidiarios ęgrè proditioni conſenſuros ſatis ſciret, callida ratione inita de ſtipendij ratione conqueri occipit. Dauentriæ vrbis Conſul, ſimulatque arcanum fœdus de vrbe Taxio tradenda ſeu ſuſpicatus eſt, ſeu percepit, id mox Concilio Status ſignificauit, & Stanleium cum ſuis amandandum conſuluit. Verùm neque Concilium Status, neque Prouincialis Gubernator, ob reſtrictoria Lyceſtrij (quorum mentionem fecimus) eum vt abiret, cogere poterant, abſque expreſſo Lyceſtrij mandato ex Anglia tranſmittendo: id autem abſque aura commoda tranſmitti non poſſe ſciebat Stanleius. Ordines, cùm conſilij nihil aliud ſupereſſet, conſuluerunt, vt Noritſius Tribunus Dauentriam contenderet, & ciuium auxilio ciuitatem in ſuam poteſtatem redigeret. Noritſius nequaquam dubitans quin magna etiam præſidiariorum pars ſibi eſſet auxiliatura, Conſulem vt tacitè ac quietè ſe gerat, monuit. Verùm Stanleius, ſimulac Noritſium iter inſtituiſſe intellexit, ſub veſperam 28. Ianuarij equo conſcenſo vrbe exiit, poſtquam præſidiariis militibus, eorúmque Prefectis perſuaſiſſet, ciues, eò quòd ſtipendij ſolutionem exigerent, conſtituiſſe eos inuadere atque opprimere; ſe verò vt ſecuros tutoſque reddat, abire, & maiores preſidiariorum copias introducere velle, quibus ciues ad ſtipendium perſoluendum cogat: vtque inſtitutum commodiùs perficiat, duplices ad vrbis portas diſpoſuit excubias, eorum maximè quos ſibi addictos ſciebat: cumque veſperi abiiſſet, poſtridie manè hora quinta rediit, ſecumque Taxium Zutphaniæ Gubernatorem cum ſexcentis peditibus & trecentis equitibus adduxit, qui in ipſis adhuc tenebris vrbem intrarunt, eámq; occupatis munitiſſimis locis ſui iuris fecerunt.

Stanleius Anglus clàm de tradenda Dauentria agere incipit.

Conſul ſubodoratus nũtiat id Concilio Status.

Mittitur Noritſius qui machinationes Stanleij præuertat.

Nihilominùs Stanleius Taxium cum 900. viris Dauentriã introduxit.

runt. Stanleius mox cauſas publicauit, quibus ſe apud Senatores, ciues, & milites purgare nitebatur; neque ſibi proditoris ignominiam inurēdam, quandoquidem Hiſpaniarum Regi ſuam ciuitatem reddidiſſet, vtque id faceret, vrgente conſcientia longo antè tempore permotum ſe fuiſſe aſſerit: proinde eos qui in militia manere, & Regis ſtipendia mereri cupiant, Regis liberalitatem percepturos; reliquis liberum diſceſſum permitti. Hinc plurimi, quorum maxima pars Hiberni, aliquot menſium ſtipendio donati ſub eo manſerunt: ciuibus arma adempta: vrbs tamen neque direpta, neque ciues ſpoliati. Stanleius tres ſuorum cohortes Zutphaniam, Steenvvicam & Oldenſaliam miſit, ipſe tamquam adhuc Gubernator in vrbe manſit, donec in Hiſpaniam profectus eſt. Et ſimiliter eodem die 29. Ianuarij Rolandus Iorckius propugnaculi Zutphanienſis Gubernator, qui anno 1584. accuſatus Gandaui Teneramondam Parmenſi voluiſſe tradere, dudum Bruxellæ captiuus, ea capta in Angliam redierat, & nunc iterùm Ordinibus militabat, idem propugnaculum Zutphanienſe Regiis tradidit. Quibus cladibus perturbati Ordinum Fœderatorum Deputati, 4. Februarij in Angliam tum ad Reginam tum ad Lyceſtrium litteras mittunt. Ad Lyceſtrium hæc erant inter alia:

1587

Multi Anglí Regi iurant, alij abire permittuntur.

Item Iorekius Anglus tradit Regiis validam munitionem, Zutphaniæ obiectam.

„ Guilielmus Stanleius conſtitutus à tua Excell. Gubernator vrbis Dauen-
„ triæ, & Rolandus Iorckius Gubernator propugnaculorum Zutphaniæ,
„ Actis ſiue auctoritatibus veſtris confiſi, Prefectos in his Prouinciis cog-
„ noſcere recuſarunt; & ſe vltra modum ſuperbè, immodeſtè, & crudeli-
„ ter geſſerunt; & tandem vterque 29. die menſis præteriti perfidè & ſcele-
„ ſtè hoſti vrbem & munitionem tradiderunt. Neque ſumus ignari ſuam
„ Maieſtatem & tuam Excell. hæc parum æquè accepturas; verùm id libe-
„ rè tuæ Excell. aſſerere poſſumus, nos ægerrimè tuliſſe horum locorum
„ cuſtodiam (nobis contrà ſuadentibus) huiuſmodi hominibus fuiſſe cō-
„ miſſam. Itaque cùm Prouinciarum Status in tanto rerum diſcrimine
„ haudquaquam ſine debita auctoritate & ſummo mandato conſeruari
„ poſſit, & populus his perfidis & damnoſis actionibus in ſummam diffi-
„ dentiam ſit pertractus; Nos & Ordines Prouinciarum, ciuitatū & Mem-
„ brorum, his rationibus permoti ac compulſi, talem gubernandi viam
„ iniuimus, qualem ipſa neceſſitas poſtulat; cuius rei veſtram Excell. cer-
„ tiorem reddere voluimus. Et cùm Paulus Buſius à veſtra Excell. in Sta-
„ tus Conſilium admiſſus atque electus, in cuſtodiam contra Prouincia-
„ rum leges & Priuilegia traditus, & ſex menſes præter æquum in carcere
„ detentus fuerit, à nemine interim accuſatus; nos eum liberauimus, legi-
„ tima promiſſione facta iudicio ſiſtendi, cùm in Ius vocabitur, ſub pœna
„ conuicti & confeſſi, fideiuſſione ac cautione præſtita ad ſummam vſque
„ viginti quinque millium florenorum, vt continetur in litteris, quarum

Litteræ querulæ Ordinum de his ad Lyceſtriū.

Inter cetera quoque ſignificant, gubernationi ſe tādem immiſiſſe coactos.

1587 Exſcriptum his adiunximus. Scripſimus etiam ſuæ Maieſtati: quarum litterarum exemplar etiam his adiunctum. Rogamus Deum creatorem, vt veſtram Excell. ſanam, ſaluam & longæuam conſeruet. Hagæ 4. Februarij 1587. Veſtræ Excell. inprimis ſtudioſi Ordines Generales Fœderatarum Belgicarum Prouinciarum. Hæc epiſtola in malam partem in Anglia, pręcipuè à Lyceſtrio eiąue fauentibus, accepta fuit, qui litteris ad Conſiſtoria Vltraiecti & aliarum ciuitatum miſſis, eiuſdem epiſtolæ exemplar vnà mittunt, grauiterque de Ordinibus conqueruntur, ſuam quoque Maieſtatem valdè commotam aſſerunt. Fautores quoque Lyceſtrij, qui de hac epiſtola, quæ clàm habebatur, nihil audierant, re intellecta, ſcriptores epiſtolæ & auctores in Conuentu accuſandos cenſent, vtque id permittatur in generali Conuentu Ordinum poſtulant. Sed Ordines pòſt de his ſcripto conqueruntur, & tamquam ſchiſma inter Prouincias ſtrui interpretantur: ſi quid verò acriùs in epiſtola ſcriptum ſit, id captis Dauentria & Zutphaniæ propugnaculis ſummæ perplexitati dandum eſſe. Intereà 6. eiuſdem Februarij, Comitiis Hagæ-Comitis indictis, Ordines quoq; mandarãt Comiti Mauritio Orangij filio, tamquam Hollandiæ & Zelandiæ Legato, vt ſummum Imperium, quod illi Gubernatore Generali abſente competebat, neceſſitate iam vrgente ſuſciperet, omneſq; Chiliarchi & militum Præfecti, ij præcipuè qui Prouinciarum ſtipendia merebant, illi fidelitatis & obedientiæ ſacramẽtum præſtarent: quod vt mox fiat, quoquoverſum Delegatos miſerunt, eoque modo ciuitates aliquot tumultuari incipientes ſeruarunt. Quæ diſſidia qua ratione Regina componere ſtuduerit, dicemus ad 23. Martij. Eodem autem menſe Februario Regina in locum Sidneij Fliſſingæ Gubernatoris, quem in Zutphanienſi obſidione glande vulneratum anno ſuperiori mortem obiiſſe diximus, Gubernatorem eiuſdẽ loci miſit Guilielmum Ruſſelium Comitis Bethfordiæ filium: qui Fliſſingæ appulit 23. Februarij, vnà cum Terlonio ante biennium Zelandiæ Archithalaſſo; qui lõgo tempore in cuſtodia ob ſuſpiciones detentus, poſt verò liberatus atq; abſolutus, in Angliam, vt Reginæ gratias ageret, profectus fuerat. Vt verò Regina ſuperioribus diſcordiis modum poneret, ſimulque Legatorum Belgicorum, qui in Angliam ſub finem Ianuarij venerant, poſtulationibus ſatisfaceret, decreuit ad Ordinum Belgij Proceres mittere Baronem de Buckhurſtum pręcipuum Conſiliarium, & Doctorem Clericum, vt cum Noreſio & Wilkeſo negotia Prouinciarum ad meliorem ſtatũ reducerent, & diſcordias dirimerẽt: qui die 23. Martij ex Anglia ſoluentes, idẽ non multò pòſt vtcumque præſtiterunt; quamquam Lyceſtrius eiąue fauẽtes eorum Acta minùs probarent; ſed tandem quoque, vt dicemus, de Lyceſtrij reditu in Belgium deliberatum fuit. Totis tribus huius anni

Turbæ ob dictas litteras tum in Anglia, tum Vltraiecti, & alibi.

Ordines iubent vt omnes ſibi merentes, Mauritio iurent.

Ruſſelius Sidneio Gubernatori Fliſſingæ ſubrogatur.

Regina per ſuos vtcũq; controuerſiam inter Lyceſtriũ & Ordines componit.

ni menſibus Parmenſis ſuos continuit, tum vt videret, quò vergeret hæc 1587
diſcordia inter Ordines & Lyceſtrium; tum quòd in Prouinciis Regi reconciliatis, maximè in Flandria & Brabantia, ſumma eſſet annonę & inprimis rei frumentariæ penuria. Antuerpiæ Vertilla ſiliginis (genus mẽſuræ eſt librarum centum viginti) vendita fuit à viginti vſque viginti quatuor florenos, quæ anno ſequenti circiter vno floreno & medio tantùm valuit; Brugiſq; in Flandria ſimilis fuit pretij ratio ſecundùm menſuræ proportionem. Carnes quoque magni fuerunt pretij: libra veruecinæ nouem ſtuferorum, quæ aliàs trium; bubulæ, quinque; porcinæ, ſex; butyri, octo ſtuferorum. Obſeruatum eſt, Bruxellæ diebus Quadrageſimalibus, piſcem Aſellum maiorem, *Cabelliau* vocant, venditum viginti duobus florenis, Raiam quatuor florenis, Oſtream vnam quinque ſtuferis, & conchas nigras ſingulas vno ſtufero. Verùm ex Ooſtlandia per Caletum, & aliunde per alias partes non exigua frumẽti copia ſubuecta, agris etiam Brabanticis & Flandricis meſſem oſtentantibus, tãdem Parmenſis ex omnibus ſuis Prouinciis exercitum colligit, expeditionem in Hollandiæ ſeu Geldriæ partem, quam Veluam vocant, parare ſe ſimulans. Harum copiarum pars circa initium Maij in Brugenſium agrum venire cœperunt, paulatimque creſcentes, vt Sluſenſibus minùs ſuſpectæ eſſent, ſpargunt, ſe ductore la Motte Ardenburgum mitti, vt inde damnoſas toti Flandriæ Oſtendenſium ſimul & Sluſenſium populationes reprimerent. Nec mora: cùm omnis exercitus eſſet in procinctu, iamque ad Sluſæ obſidionem tenderet, mox Parmenſis ipſe 7. Iunij Bruxellâ egreſſus, proximo die Brugas venit, nouem equitum turmas ſecum ducens, reliquæ ſequebantur. Horum aduentus vbi in Zelandia fuit cognitus, Ruſſelius Fliſſingæ Gubernator 11. Iunij nauem frumento oneratam Sluſam vehi iuſſit, eodemque die è Bergenſi & Oſtendenſi præſidio in Zelandiam appulerunt tres cohortes, quibus Ruſſelius vnam è ſuis addidit. Appulerunt tum etiam ex Anglia Rogerius Willienus Eques & aliquot Nobiles Angli, quos ob rumorem de Regiorum apparatu circa Oſtendam Regina (quæ in cuſtodia ſua etiam oppidum illud habebat) miſerat, vt illud collectis ex vicinia viribus tuerentur. Hi ergo, intellecto quòd Parmenſis Sluſenſibus immineret, operam ſuam libenter obtulerunt, & omnes ſimul duodecimo Iunij ex Zelandia ſoluerunt, præter nauem frumento plenam, etiam plures naues apparatu bellico plenas ſecum trahentes, & eodem die incolumes omnes Sluſam appulerunt, ita iam Sluſæ præſidiarij erant mille ſexcenti. Nihilominùs Dux Parmenſis caſtra in Caſanto poſuit, maiorque exercitus eius pars, quæ ad Breſquin erat, propugnaculum Blanckenbergenſe expugnauit, ea ex parte vt ab Oſtendenſibus forent tuti. Obſeſſi initio crebras vali-

Maxima annona caritas, maximè in Brabãtia & Flãdria. Quanti tunc venierint omnia Antuerpiæ, Brugis, & alibi.

Parmenſis, ſimulans ſe Veluam petere, Sluſam obſidere parat.

Econtrà Angli & Batui illam commeatu & milite muniunt.

Nihilominùs in Caſanto Parmenſis caſtra ponit.

1587 diſſimáſque in Regios excurſiones fecerunt, multis vtrimque cadentibus. Mauritius, tum temporis Ordinum nomine præcipuus Dux, nuntio de Sluſæ obſidione accepto, cum ingenti militum numero in Brabá-tiam contendit, aliquid aggreſſurus, quò Parmenſem ab obſidione auocet. Itaque vnà cum Comite Hohenloio in Brabantiam incurſione facta (verba ſunt Metrij) viginti duos pagos, & duas vrbeculas diripuit & cremauit. Conſultum deinde exiſtimauit Buſcumducis oppugnare, opportunitate tum paſſim inundantis aquæ, & vrgentiſſimæ famis oppidum illud opprimentis commoditate inuitatus, ſperans Parmenſem hac ratione cogi poſſe ad deſerendam Sluſam. Sed fallebatur; quia Parmenſis loco manés in Brabantiam miſit Haultepennium Barlaymontij filium, cum 42. peditum cohortibus & 25. equitum turmis; quæ Boxtellæ prope Buſcumducis caſtra locarunt. Accidit & hoc paulò antè eidem Haultepennio ex voto, vt Geldriam ciuitatem ſibi à Paitono Scoto traditam, Parmenſis nomine occuparet. Huic Paitono cùm vrbis cuſtodia eſſet commiſſa in abſentia Schenckij, & Lyceſtrius iratus ipſi minatus eſſet, ſe, eo remoto Stuartum in locum eius ſuffecturum; Paitonus, vt iniuriam hanc vlciſceretur, & intereà ſe in tutum collocaret, cum Haultepennio de tradenda ipſi vrbe egerat. Milites itaque ſuos armari iubet, mandatum ſibi id à Schenckio fingens, qui ea nocte, vt dicebat, cum equitatu erat venturus, & contra hoſtem more ſuo iuncto hoc ſibi peditum præſidio aliquid machinaturus. Cùm ergo præſidiarij Schenckium de nocte adeſſe putarent, Paitonus Haultepennium cum ſuis introduxit, præſidiariis ſerò comperto dolo, & fruſtrà reſiſtentibus; quorum nonnulli, qui in Arcem fugerant, pretio etiam dato vitam redemerunt. Amiſit hoc loco Schenckius equorum bellatorum, armorum, aliarúmque rerum pretioſarum non paruam vim. Intereà, cùm Sluſenſibus nemo ſubueniret, nec apparatus vllus ab Ordinibus fieret, omnes ad Comitem Lyceſtriæ exclamát, eius præſentiam & auctoritatem requiri dicentes, vt Sluſenſibus ſuccurri poſſet. Quibus intellectis, Lyceſtrius cernens occaſionem laudis offerri, maximè cùm & Ordines, vt rediret, inſtanter petiiſſent, in Zelandiam feſtinátèr traiecit, Fliſſingámq; maxima omnium exſpectatione & applauſu 6. Iulij appulit, adducens ſecum bonum nouorum militũ ſupplementum. Mauritius vbi de Lyceſtrij aduentu cognouit, aſſumpto ſecum Schenckio & Noreſio Tribunis, in Zelandiam ad Lyceſtrium cum aliquot cohortibus Belgicis & Anglicis venit, relicto ad Hemertſchenum aggerem fineſque Hollandicos contra Haultepennium defendendos, Brabantóſq; laceſſendos, Hohenloio, ſperans maiores copias (vti conſtitutũ erat) ex Geldria, Friſia & Traiecto ipſi auxilio venturas; quod tamen non eſt factum. Hohenloius nihilominùs propugnaculum Regiorum

Fœderati, vt Parmẽſem auocent, vicina Siluaducis populantur, ſed fruſtrà.

Paulò antè Geldria ciuitas, Scoti cuiuſdam opera Regiis tradita.

Cùm Sluſenſibus nemo ſubueniret, Lyceſtrij præſentia deſideratur.

Tandem Lyceſtrius cum bono militum ſupplemento ex Anglia redit.

giorum in Enghelum non longè à Buſcoducis ad Diſam fluuium, qua parte ſe in Moſam exonerat, ſitum, expugnauit, Haultepennio fruſtrà & infeliciter ſubſidium ferente; ipſo etiam Haultepennio letali vulnere ſauciato, ex quo paulò pòſt 13. Iulij obiit. Hinc & propugnaculum idem deinceps *Creuecœur* Gallicè (quod ſonat Crepacordium) nomen accepit; quaſi quòd corda Regiorum ibi crepuerint & fracta ſint. Interea à Parmenſis Sluſenſes in Flandria maxima vi oppugnabat, tres terra munitiones ad portus defenſionem ædificatas primùm in poteſtatem redigens, quartam verò maiorem vi cæſis præſidiariis expugnans, deinde maioribus tignis locis idoneis in fundum adactis portum claudens, ac denique 25. Iulij ipſis feriis diui Iacobi mœnia triginta tormentis maioribus, & octo aliis oblongis, quos colubros à ſimilitudine vocant, aſſiduè percutiens, ruinam mœniorum ad ducentos ampliùs paſſus effecit. Per quam ruinam oppugnantes Regij ſepties ſummis viribus impreſſionem fecerunt, ſed ab obſeſſis haſtis & bipennibus æquè ſtrenuè reiecti ſunt. Vno etiam die ſimul pugnatum eſt in mœnibus, & in locis ſubterraneis, vbi cuniculos hoſtis egerat, ab hora nona matutina vſque ad vndecimam; quo ardentiſſimo conflictu Marchio Rentiacus fuit læſus, Lamottius dextrũ brachium amiſit, aliiq; multi Præfecti & gregarij milites partim perierunt, partim vulneribus ſaucij diſceſſerunt. Hocque modo Sluſenſes ſe ſpatio ferè decem dierum ſunt tutati, haſtis, gladiis & ſclopetis cominùs quotidie pugnantes. Munitiones enim ſuas Parmenſis erexerat aliquot paſſibus intra externorum mœniorum ruinas. Iam ſeptem fuerant hebdomadibus Sluſenſes obſeſſi, cùm Lyceſtrius collectis paſſim terra marique copiis, cum Mauritio Orangio, aſſumptis ſimul in Concilium Strategis aliis, de Sluſa liberanda ſedulò agit. Magna erat parata claſſis, militibus claſſiariis à Mauritio inſtructa, cui præfuit vt ſupremus Fœderatorum Admiraldus ipſe Mauritius; aderat & frater eius nothus Iuſtinus Zelandiæ Admiraldus, & alij Nauarchæ Belgæ. Lyceſtrius cum viginti quinq; cohortibus peditum & ſex turmis equitum 29. Iulij ex Zelandia verſus Oſtendam contendit: quò conuenerunt ſimul Dominus Carolus Hauwart Anglię Admiraldus, Comes Cumberlandię, cum aliquot nauibus, & magna parte nobilitatis Anglicæ, qui tum auxiliandi, tum videndi cauſa ex Anglia eò confluxerant. Conſtituerat Lyceſtrius Sluſanum portum in ipſo introitu inuadere, & vlteriùs cum aliquot nauibus milite benè inſtructis in locum certum ſub Arce, ſatis, vt ferebatur, profundum, biennio proximo inundatum, peruenire, vbi naues tutò conſiſtere poſſent. Verùm maris Præfecti, & inprimis Zelandi naucleri contrà ſentientes, nequaquam conſultum exiſtimabant rem hanc tentare. Itaque videns Lyceſtrius ſe nihil mari poſſe efficere, quid terra præ-

1587

Haultepennius ad Creuecœur vulneratus, paulò pòſt moritur.

Parmenſis ſumma vi Sluſam ſæpiùs oppugnat.

Marchio Renty, la Motte, & alij ad Sluſam vulnerantur.

Parant Lyceſtrius & Mauritius ſuccurrere Sluſenſibus.

Sed ecce, de modo ſuccurrendi diſſident.

1587 ſtare poſſit, deliberat. Quare cùm 30. Iulij Oſtendam appuliſſet, cum copiis ſuis 3. Auguſti Oſtenda egreſſus, propugnaculum Blanckenbergẽſe aggreditur, &, quòd Parmenſi ad exercitum ſuum à parte Oſtendæ protegendum inprimis commodum eſſet, capere in animum inducit. Sed cùm locatis ibi caſtris per quadringentos ſclopetarios maiores (muſquetas vocant) ex proximis aggeribus propugnaculum oppugnari iuſſiſſet, aliquotque ictus duabus campeſtribus machinis, quas aduexerat, in illud dediſſet, nec præſidiarios terreri cerneret, ſimulque nuntiaretur Parmenſem ipſi tendere obuiàm, vlteriùs pergendum non duxit, tam vt Regios in dicto propugnaculo à tergo non relinqueret, quàm quòd imparibus viribus contra Parmenſem ire diſſuaderetur. Quare ſub noctem ſecretò cum ſuis Oſtendam eſt reuerſus non ſine damno. Interea obſeſſi Sluſenſes, qui duos iam menſes fortiſſimè ſuſtinuerant, nec vllum toto illo ſpatio ad ſe venire viderant præter Capitaneum Hart, qui bis terve tranſnatauerat, de auxilio deſperare, animiſque frangi cœperant. Regij enim iam promuralia occupabãt, quotidiéq; cuniculos agebant, adeò vt in vrbem penetraſſe rumor eſſet: ad hæc è viginti machinis, quas initio habebant, quatuor tantùm ipſis reſtabant; reliquas Regij tormentorum ſuorum ictibus inutiles reddiderãt; & pulueris tormentarij perexiguum ſupererat. Quare cùm omnium Præfectorum iudicio impetum Regiorum, ſi quem pro more facerent, duodecim horas ſuſtinere non poſſent, conditiones haud iniquas à Parmenſi 4. Auguſti acceperunt; videlicet vt cum ſarcinis omnibus, erectis expanſiſque ſignis armati, funalibus ſclopetorum incenſis, glandibus quot ore tenere poterant, ad naues vſque Zelandicas deſcenderent. Fuerúntque ſeptingenti numero reliqui ex mille ſexcentis; atque ita oppidum Parmenſi reliquerunt 5. Auguſti. Accidit hac æſtate triſte Bruxellæ vigeſimo Iulij ſpectaculum. Studioſis litterarum exhibituris Comœdiam ſacram, erigi iuſſerat Magiſtratus ad murum cœmiterij D. Gudilæ ſcenas duas, vnam in vſum ſtudioſorum agentium, alteram è regione poſitam commoditati primariorum virorum, & matronarum. Cùm conſediſſent viri feminæque illuſtres, ſcena à poſteriori parte ſubſedit, ruente etiam parte muri, omneſque qui aſcenderant in dorſum coniecit. Periêre ſtatim è caſu Dominus Petrus Fabri ad D. Gudilæ Plebanus, & Pipenpoius Scabinus; Præſes verò Arcani Concilij Dominus Pamelius, Baro Weſemaliæ, & alij ferè omnes ſauciati ſunt, vnus plus, alius minus. Sed hoc iterùm dictum infortunium nonnihil mitigauit, quòd ſtatim poſt Idus Iulij, totoque menſe Auguſto Deus, amoto Aquilone, Zephyrum miſerit, addideritque per totam Brabantiam & Flandriam non tam pluuiam quàm vehementes nocte rores, vnde terra fertilis ſupra modum facta, ſementem tanta copia ac puri-

Lycęſtrius inglorius Oſtendam redit.

Sluſanitãdẽ cum Parmenſi tranſigũt, 700. ex 1600.

Triſti caſu periere Bruxellæ Plebanus & quidam Scabinus.

tate

tate, zizania aut lolio vix conſpectis, effudit, ac circa finem Auguſti matureſcere fecit, vt ſequenti anno menſe Maio & Iunio Razeria Bruxellana, quæ hoc anno viginti vendita fuerat florenis, data fuerit pro tredecim ac quatuordecim ſtuferis. Sed ad Lyceſtrium & res Ordinum Fœderatorum redeamus. Is Oſtendâ cum ſuis rediens, à claſſiariis, quos in itinere obuios habuit, de occupata Sluſa nuntium intellexit. Quare in Zelandiam 5. Auguſti veniens, culpam omnem in pecuniæ & militum paucitatem reiecit, ſocios etiam Admiraldi Zelandici accuſans, interq; alios Martinum Droghe 11. Auguſti Fliſſingæ capi, & in carcerem Middelburgenſem duci iuſſit, qui demum poſt Lyceſtrij in Angliam reditũ (qui fuit 17. ſequentis Decembris) à Comite Mauritio & Ordinibus, cùm nemo ſe offerret qui reum accuſaret, liberatus eſt poſt ſextum captiuitatis menſẽ. Decimo ſeptimo Auguſti Lyceſtrius ex Zelandia ſoluens, proximo die Bergas ad Zomonam appulit, vnde ſtatim omnes quas adduxerat copias ad Hoochſtratam occupandam emiſit, ſed nullo ſucceſſu. Vigeſimo quarto eiuſdẽ Auguſti Bergis Dordracum eſt profectus, quò Ordines ad eum conuenerunt. Diximus de æmulatione, quæ cœpit iam tum anno ſuperiori inter Ordines & Lyceſtrium; hæc indies magis magiſque creuerat, nominatim per epiſtolam quam Lyceſtrius 10. Iunij huius anni ex Anglia in Hollandiam ad Secretarium ſuum Iunium miſerat, vbi hæc inter cetera: Mi Iuni: Quandoquidem breuî ad vos reuerti decreuerim, conſultum mihi viſum eſt, vt præter epiſtolas à me ad diuerſos hac de re ſcriptas, in ciuitates nobis addictas proficiſcaris; & noſtri ſtudioſis, quos optimè noſti, ſuæ Maieſtatis voluntatem ſignifices. Et quia Dominus Buckhurſtus & alij Prouinciis perſuadere voluerunt Reginam conſtituiſſe pacem cum Rege Hiſpaniarum inire, & petere, vt Prouinciæ ſimul aſſentiantur; tu liberè ipſis ſignificabis, dictum Dominum tale mandatum nequaquam accepiſſe, neq; ſuam Maieſtatem de pace quidquam egiſſe, ſed tantummodò expiſcari voluiſſe, quid Rex Hiſpaniarum pacificationis gratia Prouinciis concedere vellet: iam verò cùm nihil certi videre queat, pergere, & quæcumque defenſioni Prouinciarum conueniant ſedulò promouere. Significabis etiam tibi notis, quorum ſcire intereſt, me reuerti ea mente, vt ſumma auctoritas mihi tradatur, abſque vllis Ordinum obſtaculis, qualis Gubernatoribus ſub Carolo V. Cæſare & Philippo Rege fuit; tamen me nequaquam cupere negotia magni momenti tractare abſque Concilij Status, quod ex Prouincialibus conſtituetur, conſenſu. Vale, Grunewichæ 10. Iunij 1587.

1587

Bona meſſis Brabãtos & Flãdros recreat.

Amiſſa Sluſa culpam Lyceſtrius in alios reijcere conatur.

Renouiſcũt ſimultates inter Lyceſtrium & Ordines.

Litteræ Lyceſtrij, quibus voluiſſet ſibi ſtabilire maiorem auctoritatem.

Ordines Generales cùm ſatis intelligerent quò hæc tenderent, primò Secretarium Iunium Leydæ apprehendi curarant, omniáque ipſius ſcripta diſcuſſerant; ac demum menſe Auguſto has Demonſtrationes & Admonitio-

Capitur hac occaſione eius Secretarius.

1587 nitiones, nomine Equitum, Nobilium & ciuitatum Hollandiæ, Zelandiæ & Friſiæ, Lyceſtrio Dordraci offerri curarunt: Quandoquidem turbarum auctores ambiguum conſtituunt, an ſuæ Excell. collata ſit talis auctoritas, qualem Belgij Gubernatores à Carolo V. conſtituti habuerunt, id ſuam Excell. ſcire cupiunt, ſicut olim Carolus Cæſar Dominam Margaretam, Mariam Reginam, & alios Gubernatores Generales cõſtituit, non tamen iis ſummum Imperium commiſit, verùm id ſibi ſeruauit, idem nunc quoque prorſus eſſe, exceptis tantùm iis quæ fœdere cum Regina inito ſunt mutata. Sed quod ad abſolutam poteſtatem ſuæ Excellentiæ in re militari adminiſtranda conceſſam attinet, reputant Ordines eam extendi in omnes militiam exercentes, vt imperium in omnes habeat, eorumque opera in reſiſtendo & nocendo hoſtibus vti poſſit; ius quoque & diſciplinam militarem exerceat; nequaquam tamen plures conſcribat, quàm ſuæ Maieſtatis pecuniis ſubſidiariis, & Prouinciarum contributionibus ex Ordinum ſententia & decreto ſoluere queat. Petunt prætereà vt ſua Excell. belli negotia mari ab Archithalaſſo, & præſidiorũ mutationem à Prouinciarum Gubernatoribus adminiſtrari iubeat. Denique orant ea reparari, quę per quoſdam diſcordiarum amatores nomine ſuæ Excellentiæ anno præterito, in oppidorum & regionum Gubernatoribus & Prefectis conſtituendis, & præcipuis adminiſtrandæ politiæ & iuſtitiæ officiis conferendis, acta erant. Hęc Lyceſtrio nomine quo ſuprà menſe Auguſto propoſita. Sub idem quoque ferè tempus Ordines Hohenloium Lyceſtrio reconciliare ſtuduerunt, miſerúntq; Dominum Cappellium, Noortwijckium, & alios ad Hohenloium tunc Veræ in Walachria agẽtem, qui petant vt ad Lyceſtrium diſcordiæ dirimendę cauſa veniat. Nempe anno ſuperiori cùm Lyceſtrius militarem gubernationem Hautenij defuncti Sidneio Anglo tradidiſſet, maxima Chiliarcharum pars ad viginti duo, inter quos & Comites Philippus Naſſouius, Solmenſis & Oberſteinius id ęgerrimè ferentes, Hohenloio libellũ ſupplicem dederant Lyceſtrio offerendum, rogantes vt veteri more tractarentur, & ne nationes miſcerentur, nec paſſim audire à militibus debeant, Belgicarum legionum gubernationes extraneis eſſe datas. Hohenloius libellum Lyceſtrio ſtatim obtulerat. Ille ægrè ferens, ab Hohenloio potiùs quàm ab aliis confectum ſuſpicabatur. Poſteà quoq; cùm in conuiuio lis eſſet orta inter Hohenloium & Edovvardum Noritſium Ioannis Noritſij Archiſtrategi fratrem, Noritſius litteris, quas cartellas vocãt, ad monomachiam ſiue ſingulare certamen prouocauerat Hohenloium tunc ex vulnere ad propugnaculum Zutphanienſe accepto adhuc ægrũ; tulerátq; id ægerrimè Hohenloius, prætendens Stratego gregario haudquaquam licere ſub pœna capitis huiuſmodi prouocatorias litteras, niſi ſum-

Quin & Ordines eadem de re ſcriptũ Lyceſtrio offerunt.

Dant ei (vt putãt) multa monita ſalutis.

Specialis etiam controuerſia intercedit Hohenloio cum Lyceſtrio.

Breuiter de cauſis eius controuerſiæ.

ſummo Principe conſentiente mittere; idemque Ordines ſentiebant, Ly- 1587
ceſtrius contrà id licere aſſerebat. Hæ cauſæ præcipuè diſcordiarum Lyceſtrij & Hohenloij; ſed nulla ratione per ſupradictos Legatos componi potuerunt. Quin etiam paulò pòſt Hohenloius Apologia typis edita toti mundo ſuam cauſam iuſtificare conatus eſt. Tertio Septembris Lyceſtrius Hagę, per Conſiliarium Valkium & Meninum, Hollandiæ & Friſiæ Ordinibus Reginæ Angliæ nomine ſignificari curat, Reginam ſummopere deſiderare Regionum ſtatum noſſe, & ſcire an bellum in finem vſque continuare velint, maximè cùm ducenta florenorum millia in ſingulos menſes præſidiariis ſoluendis non ſufficiant; an non multò conſultius ipſis videatur pacem inire: ſe quidem, ſi pacem petant, libẽter interceſſuram. Ad quæ cùm ſibi Lyceſtrius reſponderi cuperet, Hollandi & Friſij eodem diẽ 3. Septembris reſponderunt, ſe nihil vmquam meditatos eſſe, quàm pro Religione & libertate vſque ad finem bellum continuare: quod verò ad interrogationem de pace attineret, Nobiles & ciuitates Ordinibus Generalibus id ſignificaturos dicunt. Itaq; prolixum ſcriptum Harlemi typis edunt 16. Octobris; & alterum ſcriptum eodem die Lyceſtrio tradunt. In poſteriori inter multa hæc etiam habent: Conſtare manifeſtè, Hollandiam cum Friſia Occidentali & Zelandia abhinc octingentos annos gubernatam fuiſſe à Comitibus viris & feminis illuſtribus, & iiſdem à Proceribus, Nobilibus & ciuitatibus, earumdem Regionum Ordines repręſentantibus, ſummum imperium dominiumq́; legitimè traditum & tranſlatum fuiſſe, Comites autẽ imperio accepto prudenter & modeſtè in gubernatione ſe geſſiſſe. Sic illi. Sed miror vnde hæc hauſerint, cùm certo certius ſit ex earumdem Regionũ Annalibus, primum earũ Comitem non ab Ordinibus, ſed prorſus à Rege Francorum conſtitutum fuiſſe, ac deinceps numquã electos, ſed natos fuiſſe Comites, earumq́; potentiã variis donationibus Regum & Imperatorum deinde auctam. Sed hæc tantiſper placebant pleriſque contra Lyceſtrium. Porrò quod ad pacis tractationem attinet, reſpondent, omnibus antiquis querelis repetitis, non tantùm pacificationem, verùm etiam pacificationis ſolam mentionem ſibi & Prouinciis eſſe damnoſam; proinde rogare ſuam Maieſtatem, pergat iuxta fœdus initum ipſis auxiliari. Hoc tempore cùm Fœderatæ omnes Prouincię admodum anxiæ eſſent, tam diſſidij cum Lyceſtrio Gubernatore, quàm inteſtinæ diſcordiæ cauſa, Eccleſiæ ipſę quoque dictæ Reformatæ, Synodo congregata, Miniſtris verbi quatuor deſignatis, Religionem concordiámq; cum Regina & Lyceſtrio commendandam ſeriò ſtatuerunt. Quod cùm ſcripto actum eſſet, Ordines 16. Octobris ſcripto etiã reſponderunt, ea quæ poſtularant, ſeriò ab ipſis curari; ſed pariter monuerunt, diligen-

Hohẽloius Apologiam contra Lyceſtrium edit.

Proponit Lyceſtrius nomine Reginæ, an cogitent aliquando de pace.

Reſpondẽt Ordines ſcripto: in quo quoddam inſigne paradoxon.

Addunt, vel ſolam pacificationis mentionem ſibi eſſe damnoſam.

Synodi, & Vltraiectẽſes acriter pro Lyceſtrio.

1587 diligenter præcauerent,ne Miniſtrorum verbi auctoritate irrepant, qui Regionum Proceres in odium pertrahant,quandoquidem id genus homines Flandriam pridem in exitium pertraxerint; quod & nunc nõ difficulter facere poſſent, inſolitas gubernationes promouendo, quarum cauſa vltrò citroq; litteras mitti certò ſciebant. Hæc & alia in ſcripto tunc typis edito. Huius quoque negotij cauſa Vltraiectenſis ciuitatis Prætor, Conſules & Magiſtratus acriter admodum ad Hollandiæ Ordines ſcripſerunt 21. Septembris,ſcriptaq; etiam typis euulgarunt. Brabantus enim quidam Gerardus Prouinſius,aliàs Dauentrienſis appellatus, & alij extranei ibi gubernationem ſuſceperãt, ciuium primariorum magna parte, etiam Prætore ipſo primario Zuleno, in exilium miſſis, Lyceſtrio diſſimulante. Sed Hollandi itidem 16. Octobris reſponderũt.

Quin Leidenſes vi auctoritatem eius ſtabilire tentant.

At verò dum ita vulgus ob Ordinum & Anglorũm diſſidia diuiſum tumultuatur,multi ſeditioſas machinationes paſſim moliuntur, Lyceſtrij auctoritatem vi ſtabilire volentes, maximè autem Leidæ. Hîc enim multi,quorum magna pars ex Flandria & Brabantia eò confluxerat, vnà cum Mauldeo militum Præfecto,cuius cohors tunc in vrbe erat,Magiſtratum Ordinibus addictum apprehendere, ſicq; Lyceſtrij quamcumque auctoritatem ſtabilire ſtatuerant. Et vt commodè effectum darent, conſilium callidum inierant,nempe vt Mauldeus veniam diſcedendi à Senatu ſubdolè peteret,ſicque armatus cum ſuis, Curiam & vnam portarum vrbis,per quam etiam alia cohors intrare poſſet, occuparet, viribúſque collectis ſimul clamarent, Viuat Regina Angliæ & ſua Excellentia. Verùm cùm hæc Lyceſtrio ſignificaſſent, nimis diu antequam inſtitutum aggrederẽtur,procraſtinarunt. Nam interea Andreas Schottus eiuſdem vrbis ciuis dolum Magiſtratui aperuit: mox Iacobus Volmarus Flander, & Coſmus Peſcarengus militum Præfectus apprehenduntur,& Mauldeus (de quo tantum facinus nondum ſuſpicari poterãt) vrbe confeſtim exire iubetur. Sed Ordines ipſi mox vt rem omnem perceperunt,Mauldeum quoq; prope Woerdam oppidum à Domino Poelgeeſtio apprehendi, & Leidam duci mandarunt: qui ibi examinatus, nulla adhibita tortura,omnia quę ſuprà narrauimus,confeſſus eſt. Quare Senatus Leidenſis, præſente Comite Mauritio Hollandiæ Gubernatore,habita criminis exacta ratione, ſimulque auctoritatem Ordinum ſtabilire volentes,ſententia 26. Octobris lata dictos Volmarum, Peſcarengium & Mauldeum capitis condemnarunt, qui & eodem die capite truncati ſunt. Duorum primorum capita palis in oppidi propugnaculis infixa ſteterunt,Mauldei caput humo conditum erat: enim Manſardi illius magni olim apud Orangium filius. Angliæ Regina poſtquam diſſidium inter Fœderatas Prouincias & Lyceſtrium haudquaquam minui,

Detecta machinatione,auctores in vincula ducuntur.

Iidem præſente Mauritio Leidæ capite plectuntur.

ſed

ſed augeri perſpexit, eum in Angliam reuocare conſultum exiſtimauit, 1587
maximè cùm ſub hiemem parum bello profici poſſe videret, tum etiam quòd Ordinum equites & pedites prope Bremam collecti, varias ob cauſas variè diuiſi, militia relicta diſceſſerant, & caſtris collocandis deſignatæ copiæ omnes dimiſſæ erant. Lyceſtrium igitur in Angliam reuerſum menſe Nouembri iubet ſua Maieſtas Belgij Gubernationem deponere: quod & fecit, ſcripto ſua manu Londini 17. Decembris ſtilo veteri 1587. quod tamen ante Kalendas Aprilis anni ſequentis ad Ordines Belgicos miſſum non fuit. Menſe Decembri Hollandi è proximis præſidiis paulò ante noctem egreſſi, Viluordam occupant, ſpoliántque: ditiores ciues captiuos abducunt, ac ædibus ignem inijciunt, ac cum præda abeunt. Quod ad res Parmenſis attinet, mirabantur multi quòd poſt captam Sluſam, maximè ita diſſidente inter ſe hoſte, non ſimul Oſtendam vicinam inuaderet, ſed mox ipſo adhuc Auguſto menſe ſuos in præſidia diſtribueret. Sed ſiue id fecerit, ſatis gloriæ ex capta Sluſa ſe adeptum illo anno ratus, ſeu alia de cauſa, non ſatis certum: id verò conſtat, quòd reſiduo anni huius tempore inexpeditionem Anglicanam (quæ iam in Hiſpaniis decreta erat, tum propter ſuſceptum à Regina Angliæ Fœderatarum Prouinciarum patrocinium, tum etiam ob Reginam Scotiæ decimooctauo Februarij, de quo mox in Externis pleniùs, capite truncatam) multa ab eo parabantur; frena ac ephippia (vt rumor erat) ſex millia, equitatui in Angliam traiecturo vſui futura, panis nauticus, carnes ſalitæ, onerariæ aliquot nouæ Duynkerckæ & Neoportu; & breuiter, quæcumque ingenti claſſi ad expeditionem maximam profecturæ neceſſaria erant. Sub finem huius anni Ordines nummos typicos anno 1580. cuſos iterùm cudunt: vbi hæc ab vno latere, ROSIS LEONEM LORIS MVS LIBERAT: & ab altero, VINCIRI LEO PERNEGAT.

In tam flagranti diſſidio Regina Lyceſtrium in Angliam reuocat.

Parmenſis cur in tanto diſſidio hoſtis nihil tentarit, haud liquet.

Interim multa parabat in expeditionem, de qua anno proximo.

Inter varia huius anni maximè memoratu digna videntur iſta: In Anglia 16. Februarij captiuæ Reginæ Scotiæ Mariæ Stuartæ ſententia mortis (quam ſuperiori anno latam & hucvſque dilatam diximus) intimatur, & 18. eiuſdem menſis ſtilo antiquo ſecuri percutitur in Aula ſeu Atrio caſtri Fodringam, magna animi conſtantia & ſerenitate, vt etiam ipſi Reformati, nominatim Metrius, fatentur: nec audire voluit Miniſtrum verbi, qui ad eam miſſus fuerat, ſed poſt prolixas preces pro Angliæ Regina, totoque Regno, vt Deus illis lumen veræ fidei Catholicæ adſpiret, oſculata imaginem Chriſti cruci affixi, ſimulque rationem ſancti oſculi reddens; tum & familiares pediſſequas amplexa, alacriter caput trunco imponens, carnifici amputandum prębuit, nec quidquam colorem aut vultum mutans, annos nata quadraginta quatuor. Niger

EXTERNA

Hiſtoria Reginæ Scotiæ in Angliæ capite plexæ.

1587 pannus, & reliqua ſanguine maculata ſtatim in ignẽ coniecta & exuſta, ne quid, vt aiebant, ſuperſtitionis inde oriretur. Corpus balſamo condîtum poſt ſex demum menſes ſepultum eſt Peterborgi iuxta Catharinam Arragoniam ab Henrico VIII. repudiatam, exſequiis nihilominùs magnificis ſumptu Reginæ Angliæ celebratis. Fuit hæc Maria Stuarta filia Iacobi V. Scotorum Regis, qui filius fuit Iacobi Quarti, & Margaretę Anglicanæ, ſororis Henrici Octaui. Ipſa Maria nata matre Guiſia anno 1542. octo tantùm dierum infans patrem amiſit, & nata mẽſes 18. Regina coronatur. Educata à matre & tutoribus, ſex annos nata deducitur in Franciam, vbi 15. ætatis anno Franciſco tunc Franciæ Delphino, poſteà Regi eius nominis Secundo nubit annos nato 14. anno 1558. vixitque cum eo annos tres. Eo mortuo in Scotiam hereditarium Regnum anno 1561. profecta, poſt annos tres nempe anno 1565. nubit Nobili Anglo Henrico d'Arley ætatis anno 22. è quo vnicum filium ſuſcipit Iacobum VI. pridem ſolius Scotiæ, nunc totius Britanniæ Regem. Is d'Arleius biennio pòſt anno 1567. incenſo puluere nitrato cubiculo, in quo dormiebat, occiſus fuit. Caluiniani Scriptores id procurante Maria factum volũt, quaſi inſaniret in quemdam Bothvvelum, cui & paulò pòſt nupſit. Catholici econtrà id à fratre Mariæ notho, inſigni Caluiniano, procuratum aſſerunt; ipſamque ad tam ſubitas nuptias perſuaſam fuiſſe, quò haberet, quem Caluinianis auctoritatem ſuam nihili facientibus opponeret. Id conſtat, eam mox opportunitate oblata (nam ſeruabatur à Caluinianis concluſa) relicto Bothvvelo, clàm in Angliam effugiſſe: vbi primùm ſatis humaniter excepta, inſequentibus deinde eam Scotis & tanti parricidij accuſantibus, arctiùs vſque in præſentem annum ſeruata fuit, ac denique hunc exitum ſortita eſt. Eodem hoc anno Dracus Anglus menſe Aprili in Caleti Andoloſeni Hiſpaniæ portum illatus, aliquot naues inuaſit & combuſſit. Decimoſexto Iulij Comitia in Galliis celebrantur, in quibus Articuli Fœderis, de quo ſuprà, renouantur & cõfirmantur. A Rege Henrico Tertio Valeſio multis precibus obtinetur, vt alium quàm Regem Nauarræum, Catholicum ſcilicet, non hæreticum Regni ſucceſſorem nominet, & in omnes Catholicæ Romanæ Religionis hoſtes arma conuertat. Intereà Nauarræus dudum iniuriam ſibi fieri queſtus, turmas aliquot equitum ex Germania contraxerat; quæ eodem menſe Iulio in Alſatiam illatæ, plures ibi hebdomadas prædationibus & incendiis graſſantur. Tandem Roberto Bullonæo & Fabiano Barone de Thonau ductoribus, iter ingrediuntur, viamque ſibi per Lotharingiam armis parant. Occurrit illis ad Moſellam Dux Guiſius à Rege Franciæ eò cum exercitu miſſus, remoram, ne cum Nauarræo iungerentur, iniecturus. Sed is deſiderio excipiendi adiutrices copias aduolat,

Auia eius ſoror Henrici VIII.

Primum & ſecundum eius connubiũ.

Item tertium; & quid Catholici ad graues in eam calumnias.

Copiæ pro Nauarræo per Lotharingiam irrumpere parant.

&

& in itinere cum Annæo Ioieuſio, veſtigiis ſuis à tergo ſemper inhęrente,& ad prælium prouocante,10. Octobris ad Coutracum dimicat. Victoria penes Nauarræum fuit. Ipſe Ioieuſius periit. Perierunt & cum eo frater & aliquot Principes Gallię,gregariorumque militum magnus numerus. Nihilominùs Germanorum exercitus,relicto recto tramite,contrarium ingreſſus, maximis ſe itinerum difficultatibus implicuit : vnde factum eſt, vt maxima pars equitum à Guiſianis, nocte S. Galli feſtum inſecuta, id eſt 16. Octobris, oppreſſa ſit. Nec minore clade affectus fuit Fabianus à Dona, oppido Aulnæo, quò ſe receperat,à Guiſianis 11. Nouembris,cùm Germani pridie magnis poculis Martinalia celebraſſent, occupato,Germanis altùm dormientibus,partim captis,partim trucidatis. A Dona Dux ſaltu per murum ſe ſeruauit. Hoc modo perquam magnus ille exercitus,qui equitum quinque & peditum viginti millibus conſtare dicebatur, diſſipatus eſt. Decimo nono quoque Auguſti Heluetiorum tria millia in Delphinatu deleta ſunt prope Gratianopolim ab Alfonſo Dornano,auſpiciis Henrici Regis Franciæ. In Polonia, Proceribus diſſidentibus poſt mortem Stephani Regis, de qua diximus anno ſuperiori, alij Sigiſmundum III. Sueeorum Regem, alij Maximilianum Auſtrium Rodolphi Imp. fratrem ſibi 22. Auguſti Regem elegerunt; ſed Sigiſmundus Cracouia potitus (erat enim ei matertera vidua Regis defuncti,itemq; auus maternus pridem Poloniæ Rex) ibidem 27. Decembris diademate redimitus eſt. Reliqua commemorabimus anno ſequẽti. Obiit hoc anno in Italia 4. Auguſti Guilielmus Gonzaga Dux Mantuanus, & 9. Octobris Franciſcus Mediceus Florentiæ Dux, cui ſucceſſit frater Cardinalis Ferdinandus,qui poſteà Ducis Lotharingię filiam vxorem duxit. Vigeſimo tertio Decembris Schenckius coactis in Geldria variis è locis ampliùs duobus virorum millibus Bonnam vrbem ditionis Colonienſis ad Rhenum ſitam, mortario (tormenti bellici genus eſt) ad portam prope telonium affixo,cuius vi porta effracta fuit,armata manu pro Truchſio exauctorato Epiſcopo occupat,multis prędidiariis tum etiam ciuibus nonnullis cæſis. Poſteà excubiis vbique diſpoſitis, certo ordine,inquit Metrius,certoque temporis ſpatio diripiendam vrbem dedit,atque ex ea, propugnaculo ſimul in oppoſito Rheni littore conſtructo, vniuerſam ditionem Colonienſem & Bergenſem hebdomadariis contributionibus fatigauit, donec menſe Maio anni ſequentis à Regiis pro Bauaro Epiſcopo obſideretur, ac tandem menſe Septembri caperetur. 1587

Magna pars earũ copiarum à Guiſianis opprimitur.

Duo Reges Poloniæ in ſchiſmate.

Duo Duces, Mantuanus & Florentinus, hoc anno mortui.

Schenckius pro Truchſio Bonnã occupat & ſpoliat.

Ante cẽtum annos à Io. Regiomontano magno Mathematico annus hic 1588. præ ceteris luctuoſus prædictus fertur. Verè quidem: ſed nõ video,cur non & præcedens, & ſequentes aliquot. Magis quoque me mouet 1588

De prædictione Regiomontani in hũc annum.

1588 uet illa Dei vox Ieremiæ decimo: *A ſignis cæli nolite metuere, quæ timent Gentes*. Sed ad res geſtas. Vigeſimo ſexto Februarij præſidiarij Dauentrienſes & vicinarum ciuitatum, beneficio aquæ paſſim gelu conſtrictæ, aſſeribus glaciei impoſitis, ſcaliſque admotis, oppidum vicinum Hattemium nocte expugnare tentarunt; iamque primi eorum, mœnibus conſcenſis, victoriam conclamabāt, cùm reliqui ſequentes tanta multitudine eò conuolarunt, vt glaciem nimio ſuo pondere fregerint, atq; ita multi eorum ſint ſubmerſi. Diximus anno ſuperiori menſe Decembri, Lyceſtrium in Anglia gubernationi Fœderatarum Prouinciarum renuntiaſſe, ſed id à Regina Ordinibus ſignificatum non fuit ante Kal. Aprilis, imò publicatum id non fuit, niſi demum 20. Iunij; quæ res magnas turbas in dictis Prouinciis concitauit. Inter alias ciuitates non modicas turbas dedit Medenblica, Hollandiæ Borealis, ſeu, vt nunc vocant, Friſiæ Occidentalis ciuitas. Præerat ibi diuque præfuerat Snoius. A quo cùm poſt Dauentriæ & propugnaculi Zutphanienſis traditiones nouum iuramentum, ſicut & à ceteris Præfectis, Mauritio præſtandum exigeretur, recuſauit, quòd abrogationis Lyceſtrij nullæ litteræ adferrentur; interim id auctoritate Legati Anglici fuit diſſimulatum. Sed paulò pòſt cùm Mauritius cohortem Duneuordi Medenblicam miſiſſet, & diffidens Snoius eam non admiſiſſet, denique & Mauritius ipſe cum Hohenloio illuc profecti cum familiis fuiſſent excluſi, tunc nouæ iterùm turbæ. Ordines in contemptum ſui hęc fieri reputantes, ſtatuerunt, vt Snoius tantùm 150. milites ſecum haberet, reliqui ad alia loca deſtinarētur: & cùm non obediret, tamquam qui à Lyceſtrio ſicut & anteà dudum ab Orangio Gubernator tractus illius eſſet conſtitutus, dicens ſexcentos quos haberet omnino ſibi neceſſarios eſſe, Ordines duos libellos ſupplices cum notis marginalibus Lyceſtrij ei oſtenderunt, quibus ei præcipiebatur, vt ſe Ordinum decreto accommodaret. Hinc ſeditionem milites excitarunt, & diſcedere, niſi ſeptuaginta duobus menſibus dinumeratis, recuſarunt, armáque ciuibus Medenblicenſibus ademerunt, ipſoſque ciues per ſingulas hebdomadas ſtipendia ſoluere coëgerunt: quin & in pagis circumiectis idem egerunt. Quare tandem fine Februarij Ordines Mauritio mandarunt, vt exercitu militum & ſagittariorum vicinarū vrbium collecto, nauibuſque aliquot armatis, ſeditioſos obſidendos curaret: qui Vilerſio Tribuno tunc recèns ex captiuitate reuerſo onus oppugnandi dedit. Obſidio in menſem vſque Aprilem protracta, tunc ciuitas Ordinibus tradita fuit. Angli enim & ipſis addicti primò pertinaces, poſtquam Lyceſtrij gubernationem Ordinibus traditam cognouerunt, ſeſe ſubmiſerunt, militeſque præſidiarij litteris tuti itineris acceptis vrbem reliquerunt, eamq; Mauritij agmina intrarunt. Snoius ſe purgandi cauſa

Regij fruſtrà Hattemiū Geldriæ occupare tentant.

Magna turba Medenblicæ per Snoiū, occaſione Lyceſtrij.

Tandem & milites ibi pro ſtipendiis tumultuantur.

Obſidetur Medenblica iuſſu Ordinum.

ſa Alcmariam commigrare eſt permiſſus. Sub idem tempus circa menſem Februarium & Martium etiam præſidiarij milites in caſtro Brakela, & oppidis Heuſda & Gertrudenberga tumultuati ſunt, debita ſibi ſtipendia rebellionis cauſam prætexentes; quorum illi qui Brakelæ erãt, breui tempore ab Hohenloio obſeſſi in Ordinum poteſtatem venerunt. Heuſdani accepta magna pecuniæ ſumma ipſis diu debita, fuerunt pacati. Gertrudebergenſium ſeditio acrior, vtcumque menſe Iulio ſiluit, ſed poſteà recruduit magno Fœderatarum Prouinciarum malo, vt ſuis locis pluribus commemorabimus. Grauiſſima quoque ſimultas menſe Martio inter Ruſſelium Anglum Fliſſingæ Gubernatorem, & Ordines Comitemque Mauritium, in apertũ erupit. Cauſas ſigillatim narrare nimis prolixum eſſet, ſummatim tamen attingamus. Certè Mauritius litteris 23. Martij ad Reginam Angliæ datis, ſicut expoſuit, quòd patrimoniales ſuæ ciuitates, ex quarum prouentibus cum fratre & ſororibus ſe ſuſtẽtarent, Camp-vera ſcilicet & Gertrudenberga (ex quibus 40. millia florenorum annuè acciperent) iam ſeditione contra ſe mota, prætextu ſeruitij ſuæ Maieſtatis in ſummum erant adductæ periculum perditionis; ſic etiam ibi conqueſtus eſt de Ruſſelio, quòd ab eo fuiſſet accuſatus, ac ſi malis artibus Fliſſingam occupare, & vi ipſi eripere voluiſſet. Pro quibus iniuriis ſibi honeſta ratione ſatisfieri poſtulabat, idque quàm citiſſimè, quia vrgebat ipſum ad hoc rei magnitudo, ſimulque reſponſum ſuæ Maieſtatis ad has ſuas litteras petebat. Regina animaduertens quo in ſtatu res eſſent, ſatiſque ſciens in quanto verſaretur periculo, aduentu claſſis Hiſpanicæ, de qua pòſt pleniùs, etiam prudenter expendens Nummos typicos cuſos hoc tempore apud Hollandos; in quibus duo boues arabant, inſigniti, vnus armis Regni Angliæ, & alius Fœderatarum Prouinciarum, cum inſcriptione, TRAHITE AEQVO IVGO; ex altera parte duæ vrnulæ mari innatantes his verbis adiectis, FRANGIMVR, SI COLLIDIMVR; reſpondit Mauritio peramanter primo Iunij, ipſi pleniſſimè ſatisfaciens, diſerteque profeſſa eſt eius Maieſtas, ſe nullo modo approbare aut ratas habere prętenſiones illas, quas Angli aut alij milites ſub nomine ſui ſeruitij protulerant: expreſſaſque ea de re etiam litteras dedit ad Baronem Willongbeum, mandans vt Ordinibus morem gereret auxilioque eſſet; itemque ad Killegreum, Ruſſelium, & alios. Ita factum eſt, vt operâ Willongbei primùm Narda & Medenblica in ordinem fuerint redactæ, dein Camp-vera quoque & Armuyda ad obedientiam Ordinum 20. Iunij reuocatæ, mediante bona pecuniæ ſumma; dimiſſuſq; à Camp-verenſibus tum demum Theſaurarius Mandemakerus, quem captum hactenus detinuerant. Publicatum tum quoque primum Inſtrumentum reſignationis Gubernaculi Prouinciarum Vnita-

1588

Item pro ſtipendiis tumultuãtur Heuſdenſes & Gertrudenbergani.

Littera Mauritij ad Reginã Angliæ querimoniarum plena.

Regina reſpondet peramanter, iniungens ſuis, vt Ordinibus pareant.

Itaq; Medenblica & alia quædam loca ad obedientiã Ordinum redeunt.

1588 tum, per Lyceſtrium menſe Decembri anni elapſi, vt diximus, factæ.

Intereà miſerat Regina Legatos ad Parmenſem quaſi de pace acturos.

Iam priùs menſe Martio miſerat Regina Angliæ Brugas ad Parmenſem pro admittendis Legatis, ſi quid poſſet ſua interceſſione pro conſtituenda inter Regem Philippum & Prouincias in eum Fœderatas pace efficere. Ferebatur id eam petere territam ingenti claſſe Hiſpanica, quæ in eam, vt mox patebit, parata erat; Parmenſem verò non difficulter annuiſſe, ſi fortè hac ratione Regina non ſatis inſtructa obrui potuiſſet. Vtut eſt, poſt longas deliberationes conuenerunt tandem 16. Iunij Borborgi oppidulo Flandriæ inter Duynkerkam & Caletum vtrimque Legati; ab Anglis Comes Derbiæ, Baro Coban, Craft, & aliquot Conſiliarij, à Parmenſi, Comes Arenbergius, Champagnius, Richardotus, Garnier & Maſius. Recordor, cùm Angli illuc proficiſcentes, ſe ludibunda vulpecula in curru oblectarent, me dixiſſe adſtanti: Vereor ne vulpes Æſopica gruem. Sanè dum ibi hærent vſque menſem Auguſtum, nihil tamen actum eſt, niſi quòd vtrimque tempus extraxerint. Intereà claſſis Hiſpanica centum triginta nauium, in quibus galeones ingentes ſexaginta, galeaſſæ ſeu triremes magnæ quatuor, reliquæ varij generis, vehentes ſimul viginti aut amplius virorum millia, 29. Maij ſupremo Præfecto Duce Medinæ Sidoniæ Vlyſſipone ſoluerat, atq; in portum Coronnæ in Gallicia curſum direxerat, quòd portus ille inter portus Hiſpanicos Angliæ ſit proximus. Verùm dum nauigarent, tanta tempeſtas orta eſt, vt claſſis tota diſpergeretur, ita vt, cùm primùm Dux ſe collegit, octoginta tãtùm naues repererit, ad quas tamen reliquę paulatim conuenerũt. Cùm claſſis in Coronna ſe refeciſſet, vela ventis dedit 25. Iulij, ſicque nauigauit vſq; ad 29. dicti menſis, donec venit ad oſtium Freti ſeu canalis Anglici. Vnde quædã è minoribus nauigiis ad Parmenſem miſerunt, vela interim ſua contrahentes. At verò mox conſpecta eſt claſſis à minore quadam naue bellica Anglicana, Pinaſſam vocant. Quare Hauvvardus Angliæ Admiraldus, qui Pleymuthæ extimo Angliæ portu cum ſuis excubabat, eodem adhuc die quarta pomeridiana portu egrediens, circa meridiem diei ſequentis 30. Iulij Hiſpanos in conſpectu habuit, flante Auſtro-Africo rectà quaſi Pleymutham tendentes. Sed in mandatis habere dicebantur Hiſpani, vt anchoras ſuas circa Caletum figerent, quò Parmenſis interim Duynkerkâ cum ſuis nauibus egredi, & magnis Hiſpanorum & Anglorum nauibus inter ſeſe pugnantibus tranſire, atque alicubi iuxta Anglię montes arenoſos milites ſuos in terram exponere poſſet. Itaque aliis atque aliis ad Parmenſem nuntiis miſſis, 30. Iulij Pleymutham claſſis præternauigauit: quam inſecutæ naues Anglicæ ventum Hiſpanicis præripientes (agilitate enim præpollebant) plurimis tormentorum ictibus inuicem petebãt. Poſtero die, qui fuit 31. Iulij, Angli adeò appropin-

Collecti Legati vtrimque Borborgi, non niſi tempus extrahunt.

Intereà adeſt ingẽs claſſis Hiſpanica Angliam inuaſura.

Subſiſtit claſſis in Anglię conſpectu, dum Parmenſis ſe iungat.

pinquabant, vt Hiſpanos muſqueti, vt vocant, ictu poſſent contingere: 1588
ibi Admiraldus Anglorum creberrimis tormentorum ictibus vice-Admiraldum Hiſpanorum infeſtabat, Hiſpaniq́ue tum animaduertentes agilitatem Anglicarum nauium in exonerandis ab omni parte tormentis in hoſtem, conglobati manſerunt, paruis vtentes velis, ne alij aliis celeriùs raperentur. Dumq́ue eo modo progrediuntur, vna ex maioribus eorum triremibus (quas galeaſſas vocant) magna vi tormentorum impetitur, adeò vt ordo claſſis idcircò in anguſtum cogeretur: quo factum eſt, vt vna galiona primaria, qua vehebatur Petrus Valdeſius cum Baſco de Silua & Alonſo de Sayas, aliiſq́ue Nobilibus, ex proximæ nauis colliſione, malum confregerit, atq; ita claſſem aſſequi non potuerit. Sequenti die, qui fuit 1. Auguſti, Dracus Angliæ vice-Admiraldus, Valdeſij nauē vndique circumuallans, demùm in deditionem accipit. Miſſus Valdeſius cum aliis in Angliam, ibi ſeſquiannum ad redemptionem ſunt ſeruati. Eodem die quoque vna maiorum nauium vice-Admiraldi Hiſpani de Oquenda pro parte incenſa in hoſtium poteſtatem venit. Interea Admiraldus Angliæ Prętoria ſua, tota illa nocte ita propè Hiſpanos fuerat inſecutus, vt hoc die poſt meridiem primùm reliquæ ſuæ claſſis naues ad eum venerint. Atque eo tempore Hugo de Moncada, quatuor galeaſſarum Pręfectus, multis precibus à Duce de Medina Sidonia claſſis ſupremo Præfecto contendiſſe dicitur, vt ſibi liceret Admiraldum Angliæ adoriri; quod Dux ei permittendum non exiſtimarit, ne limites mandati ſui, de quo ſuprà diximus, excederet. Die Martis qui fuit 2. Auguſti, cùm claſſis iam eſſet ex aduerſo Portlandiæ, ventus ab Aquilone flare cœpit: quo factum eſt, vt Hiſpani ventum nacti ſint fauentem ad inuadendum Anglos. Sed Angli, quòd minores haberent naues & agiliores, venti prærogatiuam rurſum Hiſpanis præripuerunt; quo Hiſpani magis ad pugnam incitari quàm anteà videbantur. Sed cùm Angli acriter eos omni tormentorum genere vndiq; impeterent, Hiſpani rurſum, agmine facto, naues ſuas omnes in arctum conglobarunt, vt facilè appareret eos non inuadere alios, ſed defendere tantùm ſe velle, & ad præſcriptum ſibi locum pergere, qui fuit prope Duynkerkam, vt ibi cum Parmenſi vires coniungerent. Tertio Auguſti, cùm mare ventis placidum eſſet & quietum, pugna ſolùm fuit inter maiores triremes, quas galeaſſas vocant, & Anglos: à quibus Angli non parum damni accipiebant, eos tamen ſuperare Hiſpani non poterant. Quarto Auguſti, cùm Hiſpani iam eſſent ex aduerſo inſulæ Vectis, Admiraldus Angliæ cinctus validioribus ſuæ claſſis nauibus, Admiraldum Hiſpaniæ, qui in media ſua erat claſſe, magna vi aggreditur. Acris ibi pugna commiſſa eſt: oppone-batur latus lateri, ſimulq́ue tormenta omnia inuicem eiaculabantur, tre-

Angli claſſem Hiſpanicam ad pugnam laceſſunt.

Primo Auguſti, vna & altera nauis Hiſpan. ab Anglis capitur.

Secundo Auguſti, Hiſpani etſi nacti ventum commodū, parum tamen efficiunt.

Tertio Auguſti, triremes Hiſp. non parum dāni Anglis inferunt.

Quarto & quinto Auguſti item acriter pugnatum.

1588 centorum tantùm pedum ſpatio mutuò diſtantes. Cumque hac ratione etiam 5. Auguſti velitati eſſent, Hiſpani tandem ventis vela dederũt, rurſumque in vnum ſe conglobarunt. Sexto Auguſti, qui fuit dies Sabbati, Hiſpani ſub veſperam Doueriam vſque prouecti, anchoras eiecerunt in conſpectu Caleti, ibi expectaturi Parmenſem. Ibi Nobiles aliquot Hiſpani in terram exſcenderunt, aliquantum ſe recreaturi, & inter ceteros Princeps d'Aſcoli, hac ratione magno ſuo bono ſeruatus. Iam claſſis Hiſpanica & Parmenſis, (vt poſteà fama ferebat) ſtatuerant ad duodecimã Auguſti iunctis viribus perrumpere. Sed Admiraldus Hauwardus Angliæ Reginę litteris admonitus, claſſem Hiſpanicam omni ſtatione fugãdam cenſuit, eáque gratia, ſtatim octo naues è vilioribus ſuis, ſublatis rebus omnibus alicuius pretij, puluere nitrato, pice, omnique materia igni apta, ſimulque ferramentis & ſaxis inſtruens, 7. Auguſti die Dominico poſt medium noctis vento & æſtu ſecundis dimiſit. Quæ cùm aliquantum progreſſæ eſſent, deſertæ ab his qui eas gubernabant, & incenſæ, rectà in Hiſpanicam claſſem ferebantur. Quare incendium & tonitrua arte facta de nocte tantum Hiſpanis terrorem trepidationemque incuſſerunt, vt amputatis ſtatim anchorarum rudentibus, erectis velis in apertũ Oceanum ſatis confusè ſe receperint. In qua trepidatione ingens triremis Prætoria, vulgò galeaſſa capitanea, alterius cuiuſdam nauis rudentibus implicita adeò fuit, vt clauo eius laxato & amiſſo, in vadum iuxta Caletum illata, poſt aliquot horarum pugnam in Anglorum venerit poteſtatem, Moncada galeaſſæ Præfecto pugnando ſclopeti globo in capite percuſſo, multiſque ſimul cæſis aut ſubmerſis: euaſerunt tamen nonnulli, & inter alios Antonius Mauriques. Eo die (qui fuit 8. Auguſti) cùm Hiſpana claſſis manè poſt dictam confuſionem in ordinem ſe redegiſſet, maxima vi rurſus ab Anglis oppugnatur, in conſpectu Grauelingenſium, vbi rurſus venti prærogatiuam Hiſpanis Angli eripuerunt, tantáque tormentorum multitudine Hiſpanæ naues fuerunt perforatæ, vt ea nocte & poſtridie tres earum naues aut perierint, aut in manus hoſtiũ venerint. Prima magna Biſcaïna ſubmerſa eſt; deinde galeones duæ Portugallenſes; altera S. Philippi, cùm Præfectus Franciſcus de Toledo cum ſuis ſcaphâ ad littus Oſtendanum euaſiſſet, à Fliſſingenſibus capta eſt; altera S. Matthæi, in qua Pimentel, poſt acrem pugnam Petro vander Dries ſe dedidit, ſimiliter in Zelandiam abducta. Interim claſſis Hiſpanica reliqua eodem illo die 8. Auguſti, coniunctis arctè, vt ſuprà, nauibus, modiciſque velis erectis, flante Auſtro-Africo Duynkerkam prę-ternauigauit, cùm eodem die Parmenſis primùm Brugis Dixmudam, & poſtridie circa meridiem Duynkerkam appulit. Sperabat ille dictam claſſem circa ea littora ad cõſtitutum diem 12. Auguſti manſuram, dum ille

Sexto Auguſti, Hiſpani in conſpectu Caleti anchoras iaciunt.

Nocte poſt 7. Auguſti Angli octo naues incendiarias in Hiſpanos immittunt.

Hinc 8. Auguſti aliquot naues Hiſp. Angli capiũt.

Reliqua inſtructa acie ad Duynkerkam Parmenſem fruſtrà exſpectant.

illè cum ſua claſſe ſe expedit; ſed ſiue quòd Hiſpanicæ naues, continuò 1588
eas oppugnantibus Anglis, plures laceræ eſſent rimáſque agerent, ſiue *De cauſa huius cladis.*
quòd intellexiſſent pleraſque naues Parmenſis parum aut nihil adhuc eſſe inſtructas, ſimulque à triginta quinq; nauibus Hollandicis portum Duynkerkanum arctè obſideri, die ſequenti, qui fuit 9. Auguſti, Hiſpani *Nono Auguſti, non comparente Parmenſi, Hiſpani totis velis Scotiam circumlegunt.*
cùm Anglos aliquantò longiùs eſſent antegreſſi, maiora vela explicant. Nihilominùs Admiraldus Anglicus Seymerium cum minoribus quibus præerat nauibus ſimul ad littus Flandricum relegat, ſi fortè Parmenſis egredi conaretur. Hiſpani Scotiam & Hiberniam circumnauigantes, multis iactati incommodis, nauibus etiam aliquot ad Hiberniæ littora amiſſis, vix fine Septembris aliæ poſt alias in Hiſpaniam reuerſæ ſunt. Dux Medinę Sidonię Admiraldus claſſis, ęgrè Regi ſatisfacere potuit, ſicut nec Parmenſis. Periiſſe, aut captę eſſe feruntur ex dicta Hiſpanica claſſe naues plus minus triginta, hominum circiter octo millia. Zelandi nūmos cuderunt hoc Emblemate inſcriptos; hinc, CLASSIS HISPANICA; inde, VENIT, IVIT, FVIT. M. D. LXXXVIII. Parmenſis poſt hanc infelicem expeditionē, inſulam Tolenſem & vicinā Bergam ad Zomonam tentare cogitat, ſimulans ſe Heuſdam obſidere velle. Itaque 17. Septembris Montignij Dominus, idemque nunc Rentij Marchio cum Comite Octauio Mansfeldio è Brabantia ſeptingētos delectos milites in dictam inſulam Tolenſem, per aquam quæ Voſmare appellatur, multis locis vadoſam, qua à Brabantia Tola ſeparatur, ducere conatur. Hi in duas turmas ſe diuidentes, inuaſionem faciunt, defenſi, vt exiſtimabāt, à mille ſclopetariis maioribus, qui in aggeribus Brabanticis conſtituti, omnes qui eis in inſula reſiſtere vellent, globorum ſuorum ictibus infeſtarent. Sed cùm inſula illa aggeribus longè eſſet decliuior, globi dictorum ſclopetariorum campos latè ſuperuolabant: Comes quoq; Solmenſis, Mauritij in Zelandia Vicarius, ibi præſens cum ſuis fortiter ſe Regiis obiecit, eóſque retrocedere coëgit. Quod cùm nondum ſatis Regiis eſſet, ſecundò pugnam ſunt aggreſſi; cui ſecundæ oppugnationi è ciuitate Tolenſi quoque ſuperuenit cum ſua cohorte Capitaneus de Groo, & ita hoſtem iterùm in fugam compulerunt. Eſt in vicino Berga ſuper Zomonam Marchionatus titulo Nobilis, ciuitas ſatis ampla & commoda, fundata ad fluuium Zomam, nunc per inundationem aliquantum à Scaldi diſſita, ſed commodo portu ad Scaldim ſe extēdens, vbi Promontorium habet tunc & nunc aliquot munitionibus inſtructum. Præerat ciuitati Morgan Anglus; maior pars præſidiariorum ſimiliter erant Angli, & cum eis aliquot Belgæ, ad prędas compoſiti, (*Frÿbuteros* vocabant) qui indies in Brabantiam excurrentes, vias Antuerpienſium, Mechlinienſium, Bruxellenſium, & vicinorum admodum infeſtas reddebant. Plurimos

Nummus in hanc victoriam à Zelandis cuſus.

Parmenſi per ſuos inſulam Tolenſem item infeliciter tentat.

Bergopzoma Antuerpienſibus & vicinis admodum moleſta.

1588 rimos ſubinde, etſi cum commeatu militum prodeuntes, abripiebant, & aliquot centenis vel millenis florenorum mulctabant: quæ cauſa fuit, cur omnes ciuitatem illam à Parmenſi obſideri continuis clamoribus flagitarent. Is itaque 24. Septembris obſidionem imperat, eáque gratia machinæ, tormenta, ceteráque neceſſaria eò adducta. Primùm munitionem Promontorij, quæ eſt ad Scaldim, tentat, tormenta bellica in aggere diſtribuens, vnde dictam munitionem crebris ictibus impetebat. Sed & aſtu ſimul rem promoturus, duos Anglos, vt in hac re ſibi operam ſuam præſtarent, ſollicitabat, qui ex eo Regiis noti erant, quòd pridem ibi captiui fuiſſent; vnus Grieueſton, alter Redhead, vocabantur. Hi Parmenſis rogatu, vt videbatur, inducti, ſpecie quòd plerique præſidiarij eſſent Angli, multiſque de cauſis ab Hollandis eſſent læſi, receperant in ſe munitionem & ciuitatem ipſi tradere. Stratagema eò fuit productum, vt Parmenſi etiam à pluribus præſidiariis promiſſum fuerit, ipſum 24. Octobris præcipuo vallo Promontorij, quod in Boreali parte erat, potiturum, adq; maiorem Regiorum ſecuritatem Grieueſton perſonam ſuam oppignorauit, ligandumque ſe præbuit, vt interimeretur, ſi militem Parmenſis intra munitionem dicti Promontorij non adduceret. Iamque 30. vel 40. erant intromiſſi, & inter eos Grieueſton, cùm Baro Willongbeius Anglorum præſidiariorum Præfectus, de omnibus priùs à proditoribus inſtructus, portam penſilem ſeu ligneam cratem dimiſit. Preſsè ſequebantur plures Regij Præfecti magnis cum copiis, inter alios quoq; Stanleius Anglus, qui Dauentriam Regi tradiderat. Qui cùm ſe anguſto in loco conſtitutos vident, conſultum reputarunt, virtute & fortiter pugnando munitionem occupare, vtentes occaſione aquæ defluentis; iamque ſeptum ligneum, quod in mœnibus erat, aggreſſi, vi abruperant, mœniáque conſcendentes cominùs cum præſidiariis dimicabant. Verùm cùm parata omnia ibi eſſent in Regiorum aduentum, fortiter excepti ſunt, tandemque æſtu maris refluente, Regij pedem referre coacti ſunt, multis vtrimque cæſis. Parmenſis videns parum ſpei eſſe Bergæ potiundæ, maximè quòd bruma ſimul ita ingrueret, vt ad loca lutoſa difficillimè commeatus aduehi, multóq; minùs miles ibi diutiùs conſiſtere poſſet, 12. Nouembris Bruxellam cõceſſit, ſuis mandans, paulatim obſidionem Bergenſem ſoluerent, munitioneſque opportunis locis extruerent, quibus Bergenſium excurſiones impedirent; quod & factum, Roſendaliæ, Turnhouti, aliiſque in locis magna parte militum in hiberna dimiſſa. Tota hac æſtate ab initio Maij, Regij, ducibus Chimaio, Mansfeldio, & Taxio, Bonnam anni ſuperioris fine à Schenckio interceptam obſidebant. In ea obſidione, dum curioſiùs ſitum propugnaculi oppugnandi Taxius luſtrat, glande ſclopeti ictus occubuit, magna

Hinc ergo à Regiis obſidetur.

Regij à fide quodã proditore falluntur.

Fallente proditione, virtute rem tentant, ſed item fruſtrà.

Ingruente bruma obſidio Bergopzomæ ſoluitur.

gna pompa Coloniæ ad D. Franciſci ſepultus. Schenckius cùm à Caſimiro viciniſq; auxilia quę vellet non obtinuiſſet, ea ab Anglię Regina petitum iuit. Quæ cùm non impetraſſet, tandem Potliſius & Wolfius, qui dudum ſtrenuè Bonnam defenderant, Bauaro & Regiis 28. Septembris ſe tradunt, pacti incolumitatem corporum & bonorum, omneſque milites cum vexillis complicatis Berckam & Wachtendoncam deducti ſũt, & eodem menſe Lyceſtrius in Anglia moritur. Parmenſis poſt obſidionem Bergenſem parte exercitus, vt diximus, in vicinis locis diſtributa, reliquam iis copiis quæ ante Bonnam militauerant iunxit, & Duce Petro Erneſto Comite Mansfeldio oppidum Wachtendonck, ſitum in Geldria ad fluuium Neers, obſidere iuſſit. Is igitur menſe Nouembri arctè oppidum, vicinis moleſtum, obſidere cœpit, magnáque tormentorum vi è duobus aggeribus ſeu collibus, quos erexerat, oppugnauit, domorum faſtigia paſſim machinis ſuis deijciens, omneſq; munitiones, quæ contrà ſtruebantur, diuerberans. Eiaculabatur etiam è machinis ardentes ſeu ignitos globos, quibus domos per oppidum incendebat, adeò vt ciues multi locis ſubterraneis ſe tuerentur, nec mittebantur ab Ordinibus Fœderatis ſubſidia, quòd illis alibi ſatis negotij eſſet; primùm Gertrudenbergæ, vbi Angli ciuibus arma ademerant, litteriſque miſſis 27. Nouembris auctoritatem Ordinum planè contẽpſerant, cuius tragœdiæ exitum anno ſequenti commemorabimus; tum etiam Vltraiecti vix tumultus quieuerant, cùm 5. Octobris Trello Prætor, Gerardus Prouinx, aliàs Deuenter, Conſul, aliique homines noui armata manu à ciuibus, opitulante ſimul Meurſio, gradu ſunt deiecti, & exules viri priſcæ Nobilitatis reuocati, & gubernaculis Reip. admoti. Quare cùm Wachtendonckanis nemo ſubueniret, ſecundo obſidionis menſe oppidum ſeque Mansfeldio, 20. Decembris, tradiderunt his legibus, inquit Aitzinger, vt gregarij milites gladio tantummodò accincti, album in manu baculum habentes oppido exirent: ij qui nuper ex præſidio Bonnenſi venerant, & cum iis aliqui Præfecti detinerentur, donec Parmenſis quid de iis fieri vellet, reſponderet.

1588

Bonnenſes poſt 4 mẽſes Regiis pro Bauaro ſe tradunt.

Regij VVachtendonckam in Geldria obſident.

Fœderatis inter ſe tumultuantibus, VVachtendoncka ſe dedit.

In variis huius anni, die 25. Ianuarij, Maximilianus Auſtrius, ab vna parte Nobilitatis Rex Poloniæ, vt anno præcedẽti diximus, electus, dum ius ſuum armis tueri conatur, in expugnatione oppidi Pitſchem captus in poteſtatem hoſtium venit, parum honeſtè, vt quidam volũt, pro qualitate ſuæ perſonæ habitus. Quæ res cùm Sixto V. Pontifici Romano nuntiata eſſet, Legatum ſuum Aldobrandinum, qui poſteà fuit Clemens Pontifex eius nominis Octauus, in Poloniam miſit, qui tandem anno ſequenti pacem inter vtrumque Regem conciliauit, & Auſtriacum è captiuitate liberauit. Huic anno etiam à multis adſcribuntur admiranda

VARIA.

Maximilianus Auſtrius in Polonia victus, in poteſtatem hoſtium venit.

eiuſ-

1588 eiuſdem Sixti V. quæ quinquennio ſui Pontificatus (cuius hoc medium eſt) perfecit. Inter alia, obeliſcos antiquiſſimos, incredibilis altitudinis, (quorum vnus 114. palmarum) mira arte tranſtulit, variiſque locis ſacris titulis, vt videre eſt, ornauit: reſtituit aquæductum ex agro Columnæ in montem Quirinalem, Palatium ampliſſimum in Laterano ædificauit, & quod vel inprimis memoria dignum eſt, in Vaticano, in loco quem *Beluedere* vocant, theatrum antiquum in fabricam magnificentiſſimæ Bibliothecæ commutauit, in qua hæc inſcriptio: SIXTVS Pontifex Maximus Bibliothecam Apoſtolicam à ſanctiſſimis prioribus illis Pontificibus, qui B. Petri vocem audierunt, in ipſis adhuc ſurgentis Eccleſiæ primordiis inchoatam, pace Eccleſiæ reddita, Laterani inſtitutam, à poſterioribus deinde in Vaticano, vt ad vſus Pontificios paratior eſſet, tranſlatã, ibiq, à Nicolao V. auctam, à Sixto IV. inſigniter excultam, quò fidei noſtræ, & veterum Eccleſiaſticæ diſciplinæ rituum documẽta omnibus linguis expreſſa, & aliorũ multiplex ſacrorum copia librorum conſeruaretur, ad puram & incorruptam fidei & doctrinæ veritatẽ, perpetua ſucceſſione in nos deriuandam, toto terrarum orbe celeberrimam, cùm loco depreſſo, obſcuro & inſalubri ſita eſſet, aula perampla, veſtibulo, cubiculis circum & infra, ſcalis, porticibus, totóque ædificio à fundamentis exſtructo, ſubſelliis pluteiſque directis, libris diſpoſitis, in hunc editum, perlucidum, ſalubrem, magiſque opportunum locum extulit, picturis illuſtribus vndiq; ornauit, liberalibuſq; doctrinis & publicæ ſtudiorum vtilitati dicauit, anno 1588. Pont. 4. Quin & in contiguis huic Bibliothecæ ædibus inſignem Officinam typographicam adiunxit. In Francia Henricus Valeſius Rex ob ea quæ ſuperioribus annis commemorauimus, ſiue quòd parum ſe ſecurum putaret, ſeu quòd vlciſci ſe vellet, 12. Maij Pariſiis præter ſeptem ſignorum ſui corporis cuſtodes, duodecim alia Heluetiorum & octo Gallorum ſigna, per portam Honorij manè vrbem Pariſienſem ingredi, & per loca vrbis munitiora diſtribui iuſſit: pars locum dictum ſancti Ioannis *Greue*, pars domum ciuicam, pars *Petit pont*, pars forum nouum, alij alia loca occuparant, ſed nulli locum S. Mauberti, quod mirum poſteà viſum eſt. Intereà ciues rei nouitate attoniti trepidabant, plerique ianuas & feneſtras ædium ſuarum diligenter muniebant; & nõ multò pòſt primùm ſtudioſi, qui litteris operam dabant, deinde ciues armati prodeunt. Seditio excitatur non exigua, occupatur ab incolis Regio, quæ à S. Mauberto nomen habet, catenis plateæ obſerantur. Inuocatur Guiſius horum omnium, vt ferebatur, ignarus, certè in lecto adhuc iacens. Accurrit ille Domino Briſaaco, Boyſio, Dauphinio, aliiſque nonnullis comitatus, & Heluetios adoritur. Fit pugna: victoria penes Guiſium fuit. Felici hoc euentu ciues maiores ſumunt

Admiranda quinquennij Sixti V. Papæ, in obeliſcis & ſimilibus.

Inſcriptio Bibliothecæ ab ipſo reſtitutæ.

Adiuncta eidem inſignis Officina typographica.

Pariſiis, introducto à Rege milite, plebs ad arma concurrit, inuocato Guiſio.

ſumunt animos, in Gallos non minùs quàm in Heluetios ſæuiunt, & trucidant nonnullos. Guiſius, ne maior cædes fieret, ſollicitus, ciues quantum licuit prohibuit, ſed in tam graui tumultu ordo ſeruari non potuit; nongentos tamen circiter Heluetios ad Palatium Regis ſaluos deduxit. Rex ignotus 13. Maij Lutetiâ egreſſus, Carnutum ſe contulit. Guiſius ſcriptum publicauit, dicens ea ſe feciſſe, quò tutum ſe omneſq; Catholicos contra Nauarræum, Eſpernoium, ſocioſque hæreticos, redderet. Venerat poſteà Rex Rothomagum, vbi publicum Edictum primò, deinde Pariſiis & in aliis vrbibus 19. & 20. Iulij promulgauit, quaſi Catholicis per omnia fauens. Paulò pòſt etiam litteras ad omnes Ordines Catholicos ſcribit, quibus inter cetera tumultuantium Pariſienſium temeritatem ſe clementer non meminiſſe ſcribit, ſimulque ad 15. Auguſti Comitia Bleſis indicit, promittens ſe querelas contra Eſpernoium & alios allatas examinaturum, facturumque quod ius & æquitas dictarent: ſunt tamen hæc Comitia in 15. Septembris dilata. Aderant tunc ibi Proceres pænè omnes, Guiſius tamen ipſe non aderat, morbum cauſatus. Is enim etſi Regi apud Carnutes Lutetiâ elapſo, præſente Regina matre multiſq; Principibus aliis eſſet reconciliatus, omniumque rerum amneſtiam ſeu obliuionem Rex promulgari iuſſiſſet, Regi tamen tamquam amico reconciliato non confidebat. Intereà 9. Octobris, Rex, Reginæ, Proceres Regni, & Ordinum Legati omnes, prę miſſa confeſſione in Franciſcanorum Monaſterio Corpus Chriſti ſumpſerunt, quò feliciores forent Comitiorum euentus. Sed non propterea venit Guiſius. Tandem Rex hoc conſilium capit. Lectis 12. Principibus, pluribus Guiſio addictis, longa oratione exponit, ſe ſatis iam edoctum, Regem Nauarræum à Pontifice excommunicatum, & tamquam hęreticum Regni incapacem. Itaque cùm ſpes prolis non eſſet, iamque turbarum tæderet, ipſi ſuggererẽt quis potiſſimùm ſucceſſor deſignetur. Hîc Principes, Regis eſſe eum nominare cùm affirmaſſent, ille compoſita oratione poſt alios ſimul aliquot productos, neminem Guiſio magis idoneum ſe noſſe affirmauit, quòd non ſolùm ipſius, ſed & patris & aui ſumma fidelitatis teſtimonia in Regnum extarent. Ita Guiſius perſuaſus à ſuis, tandem ad Comitia venit: vbi omni honore à Rege in ſpeciem excultus, nõ multò pòſt 23. Decembris in cubiculo Regis immaniter trucidatur, eodemque tempore firmæ cuſtodiæ mancipantur in Concilio congregati eius frater Cardinalis Guiſius, Cardinalis Borbonius, Dux Nemourſius, Archiepiſcopus Lugdunenſis, Dux Inuillæ Guiſij filius, & alij aliquot, ex quibus etiã (quod omnem barbariem ſuperat) Cardinalis Guiſius poſtero die, quòd liberiùs immanitatem Regis accuſaret, ſine vlla iuris vel iuſtitiæ forma in eodem Regio cubiculo ad fratris corpus ab iiſdem ſicariis occiditur. Ca-

1588

Rex Pariſiis elabitur, Guiſius Apologiã edit.

Comitia Bleſis indicuntur, quibus querelæ Catholicorum cognoſcantur.

Guiſius, etſi reconciliatus, tamen ad Comitia primùm non venit.

Fingit Rex ſe velle ipſum eligere ſucceſſorem; itaq; venit.

Guiſius immaniter trucidatur; poſtridie quoque eius frater Cardinalis.

1588 dauera combuſta ſunt, cineteſq; in præterfluentem Ligerim ſparſi. Miſſi erant qui abſentes, Ducem Mænium, Aumalium, & alios ſimiliterè medio tollerent, ſed illi præmoniti ſibi cauerunt. Pariſienſes quoque mox re intellecta vnà cum Picardis à Rege deficiunt. Lutetiam Dux Mænius aduocatur; Aumalius Picardiæ vrbes Ambianum & Abbatis villam occupat. Hoc ſanguinarij belli Gallici initium, quod decem annis ſequentibus, vt audiemus, aliquot myriades hominum abſtulit. Hoc anno 5. Martij obiit Henricus Borbonius Princeps Condæus non ſine ſuſpicione veneni, vxore relicta grauida, & 4. Aprilis itidem in viuis eſſe deſiit Fredericus Daniæ Rex, relicto filio Chriſtiano herede ſatis iuuene. Sub finem verò anni Carolus Emmanuel Dux Sabaudiæ Marchionatum Saluciæ, partim aſtu partim armis occupauit, ſeu recuperauit.

Hinc ſcilicet ſanguinarium bellum decennale in Francia.

1589 Primis tribus huius anni menſibus in Belgio vix operæpretium belli factum eſt, vtraque parte ſpectante quò tragœdia Francica euaderet, ſimul quòd Hollandi ſeditiones Anglorum militum nondum ſuperaſſet, & Parmenſis valetudinarius eſſet. Acceſſit quòd mox 5. Ianuarij obiit Bleſis Catharina Medicea trium Regum Franciæ mater, mulier magnanimis, ſed valdè ambitioſa. Scribunt de ea Franciſcus Guicciardinus & Paulus Iouius, quòd ipſe Clemens VII. patruus eius, dum ſe excuſaret Carolo V. Imperatori, quòd eam ipſi vxorem non daret, affirmarit, prædictum de ea fuiſſe, quòd ſtatum illius Principis, cui nuberet, deſtrueret. Fides ſit apud ipſos: ego quid ſentiam de huiuſmodi prędictionibus, obiter indicaui initio anni præcedentis. Reliqua Francica inter Externa ſuo loco narrabimus, donec anno proximo ſequenti poſt cædem Regis Valeſij, Hiſpani, Duce Parmenſi, apertè ſe Fœderi dicto Sacro iunxerunt.

Silet aliquot menſibus in Belgio Mars; & quare.

Gertrudēbergani auctoritatem Ordinum contemnunt.

Tumultuabātur dudum Gertrudenbergæ, vt diximus, prędidiarij Angli. Menſe Nouembri prędterito ciuibus arma ademerant, ac deinceps naues præternauigantes ſpoliabant, omnibuſque teloniis & contributionibus manus inijciebant, denique litteras Salui-conductus Ordinum patibulo affixerant: quin omnes transfugas ad ſe recipientes à 2. die Februarij huius anni cum Parmenſi de tradenda illi vrbe agere cœperant. Quare Mauritius & Ordines videntes nec Willongbeum nec alios Præfectos Anglos (quod dudum tentatum erat) tanto malo remedium afferre, & Willongbeum iam in Angliam abiiſſe, ſolemni decreto Gertrudenbergam obſidendam ſtatuunt. Itaque 15. Martij Mauritius cum exercitu ad oppidum acceſſit, & poſt amicas litteras fruſtrà ad eos miſſas omni vi oppidum oppugnat, nec minùs ſtrenuè prædidiarij etiam rem ſuam tormētis bellicis explodendis agunt, ita vt ex Mauritianis prędter gregarios occubuerint Adrianus Cornelij bellicæ nauis Præfectus, Capitanei Brederodius & Vander Aa, item Landas Præfectus ſtipatorum Mauritij, & vulne-

Mauritius Gertrudenbergam obſidet.

vulnerati grauiter ſint Vander Doeſt Vice-admiraldus Hollandiæ, Sijdenburgius, & alij, & inprimis Mareſcalcus Villers, qui & ex vulnere paulò pòſt obiit. His tamen nihil territus Mauritius, ſatis magnam mœniorum ruinam facit: cumque per ruinam oppidum inuadere iam pararet, præſidiarij pactum quoddam ſubdolè proponunt. Poſtridie ſuperuenit ingens tempeſtas, adeò vt machinarum quæ nauibus vehebantur vſus non eſſet, ſicque 2. Aprilis obſidionem ſoluit Mauritius, ne, vt vulgò ferebatur, coëgiſſe videretur Anglos hoſti ſe tradere. Alius in hunc modum commemorat: Prę ſidiarij Gertrudenbergani contra Hollandos ob multorum menſium non ſoluta ſtipendia in ſeditionem verſi Dordracenos, Gorinchemios ac Heuſdanos terra aquáque deprędabantur. Offerebant Hollandi aliquot menſes, at illi vniuerſam poſtulabant ſummam. Hollandi rei indignitate commoti exercitum cogunt, ac ad aliorum exemplum cogere ad officium refractarios ſtatuunt, terra eos aquaque oppugnantes. Sed ſemel à mœnibus cum detrimento reiectis, cùm obſeſſi maiorem vim parari cernerent, cum Parmenſi, qui eos dudum ſollicitarat, tranſigunt. Legibus ſignatis, Parmenſis, qui huius rei gratia Bredam venerat, coactis in vnum copiis Hollandorum caſtra terra oppidum oppugnantia adoriri ſtatuit, ſed Hollandi, milite cum rebus omnibus nauibus impoſito oppidum deſerunt 3. Aprilis. Sic ille. Præſidiarij oppidum Parmenſi tradiderunt 9. eiuſdem Aprilis, his inter alias legi-

» bus: Anteacta omnia ciuibus condonantor. Qui munia publica geſſe-
» runt, nihil reddunto, niſi quæ in priuatos conuerterunt vſus. Qui Catho-
» licè viuere noluerint, biennium rebus diſponendis habento, interea ſine
» offenſione agunto; biennio exacto, quocumq; velint migrato. Præſidia-
» riis ſimiliter omnia, vt ciuibus. Qui Regi nomina dare voluerint, libe-
» rale ſtipendium accipiunto. Captiui omnes conſtituto pretio dimittun-
» tor, exceptis militibus hominibuſq; ſacris, qui gratis liberator. Winckel-
» ueldius & Homingius (erant hi Prę fecti Angli) cum familia rebuſq; om-
» nibus, quò velint, publico Diplomate Regio accepto, abeunto. Promit-
» tit autem Parmenſis non ſolùm decem menſium debita ſtipendia, ſed
» quindecim, quòd tam liberali animo cedant oppido; transfugis quoque,
» rogantibus ciuibus, gratiam facit. Menſe Maio Parmenſis ad Fontes Spadanos valetudinis aduerſæ cauſa (qua nihilominùs vſq; ad mortẽ laborauit) profectus eſt. Interim pars exercitus ductore Mansfeldio Heuſdam verſus, altera pars Duce Warenbonnio ad Blijenbekam prædonum receptaculum expugnandum, viciniſque ad Rhenum locis hoſtem exercendum, tendunt. Priùs de Mansfeldio, hinc de Warenbonnio commemorabimus. Inſtituebat Mansfeldius Heuſdam eminus obſidere, tum vt impediret excurſiones præſidiariorum, tum quòd ſperaret hac ratione

1589

Facta ruina murorum, tamẽ ab obſidione diſcedit.

Parantibus Ordinibus maiorem vim, obſeſſi cum Parmenſi tranſigũt.

Leges traditæ Parmenſi Gertrudenbergæ.

Proficiſcitur Parmenſis ad Fontes Spadanos valetudinis cauſa.

1589 etiam fame eos ad deditionem posse cogi. Interim ingreditur insulam Bommelanam vicinam, occupátque ibi arces Hemert & Brakele, meditaturque simul ipsam Bommeliam oppidum operâ amicorum Regi asserere; sed detecto stratagemate, conscij in ciuitate apprehensi, capite mulctati sunt. Eodem mense Maio tres equitum turmæ Ordinibus Fœderatis militantes, inciderunt in Gertrudenberganos præsidiarios alioscq; eorum socios, qui eos ad Os pagum non longè à Buscoducis insigni clade affecerunt: captus est etiam ipse Rysoire Tribunus, itemque Vicarius Chinsky, aliique permulti. Obsidebatur eodem tempore, vt diximus, Blijenbeka à Marchione Varrabonensi Burgundo Geldriæ Prefecto. Is plurimis tormentorum ictibus arcem percussit, erectoque terræ sublimi colle (vulgò *Catte* vocant) obsessos, ne vt vellent, repugnare possint, prohibebat; ita multi cæsi. Quare cùm plerique Prefecti cecidissent, interq; reliquos vix alter alteri pareret, contentione orta, aliquot militibus seu pulsis seu egressis, reliqui Arcem 24. Iunij hosti tolerabilibus conditionibus tradiderunt, serò Schenckio subsidium adornante. Ne tamen is nihil ageret, variè raptatis copiis quas colligere cœperat, posteà Berkam de commeatu prouidet, & quò tendat Varrabonius expectat. Qui cùm eum suspensum teneret, interim Schenckius 7. Augusti prope Wesaliam in cohortes aliquot Regias incurrit, quas Verdugio Parmensis in Frisiam in supplementum militum vnà cum pecunia mittebat. Pugnatur acerrimè horis duabus, cadentibus ab vtraq; parte promptissimis ac fortissimis, eo euentu, vt tandem superati Regij, desideratis quingentis viris, aurum cum impedimentis perdiderint. Schenckio tamen incruenta non fuit victoria, viris circiter ducentis perditis, multisque sauciatis. Exinde verò ad Rhenum Schenckius reuertitur, & ad munitionem à se in diuortio Rheni ac Wahalis extructam diuertit, armatisque nauibus hîc repertis, ac vicinis è locis accersitis circiter viginti paruis & magnis, & quinque pontonibus (nauigia ampla sunt planifundia) milite & tormẽtis benè instructis, equitibus per terram eò missis, 10. Augusti Neomagum tendit, ea mente, vt circa vesperam non longè ab vrbe esset. Verùm cùm eo tempore & ventus fileret, & aqua altior esset, quàm vt naues, in quibus remigibus vti non poterant, hastilibus seu contis propellerent, non nisi surgente aurora eò deuenerunt. Pontones, quia remigando valebant, celeriùs ad vrbem peruenerunt: quarum milites porrò remigantes, edicere iussi qui essent, cùm non parerent, ciues vigiles ad arma conclamant, moxque è D. Stephani turri campanâ classicum canitur: ita Schenckius non expectatis totis auxiliis, rem aggrediendam censuit antequam planè lucesceret, & prope Mayportam appellens, inde ad portam S. Antonij currens, milites suos duabus præparatis trabibus eam impe-

Mansfeldius frustrà haret circa Hensdam & Bommeliam.

Blijenbeka Regiis deditur.

Vicissim Schenckius circa VVesaliam Regias aliquot cohortes sternit.

Idẽ Schenckius parat occupare Neomagũ.

Portam vnã Neomagensem Schenckiani effringunt.

tere

tere iubet; quam etiam, non obſtante quòd muro obfirmata eſſet, per- 1589
rumpunt. Effractis quoque cancellis ferreis quarumdam ædium ad Wahalim ſitis (nam ibi ciuitas alios muros aut vallum non habet) inde forũ vicinum occupare incipiunt. Interea reliquæ naues aduentabant in ciuitatem eiaculantes, & viciſſim ciues in eas. Tandem & harum nauium præſidiarij multi per anguſtias earumdem ædium ad Schenckium euadunt. Sed ciues cum Conſulibus ac paucis præſidiariis ad occupatam concurrentes domum, dum hoſtes ſimul vicinum occupaſſe forum reperiunt, tormentiſque contra ciues rem agere, piſcariorum ſcamna ac quidquid in manus veniebat impedimẽtorum, hoſti, ne vlteriùs progrediatur, obiiciunt, quibus muniti ſclopetis hinc inde ſe mutuò impetebãt. Quæ dum in vrbe fiunt, equites adiuti à claſſiariis Heſſiacam portam aperire tentabant, verùm ſeriùs; nam antequam ſeras effregiſſent, iam planè dies erat, tum etiam lapidibus aliiſque armis à ciuibus ſtrenuè repellebantur, ita vt multis cæſis, nonnullis ſubmerſis, ægrè ad naues reliqui euaderent. Interim Schenckius cum ſuis in vrbe pertinaciſſimè depugnabat, donec ciues, attractis è maximo foro, feminarum puerorumque operâ, duobus campeſtribus tormentis, bis in Schenckianos exoneraſſent, ſtrauiſſentque ac ſauciaſſent aliquot. Tandem alterius tormenti globo per occupatam ab hoſtibus domum adacto, tantam formidinem eis iniecere, vt deſerta domo vrbéque ad naues properarent. Vbi, cùm Schenckius ſuos animaret, reſpondebant: Iam quartò ad certam nos contra hanc vrbem duxiſti carnificinam; pugna vt placet, nulla eſt ſpes potiundæ vrbis. Quibus dictis, paſſim naues effuſa petunt fuga: ſequi igitur cogitur & Schenckius: qui cùm omnes turbatis ordinibus ad naues properarent, neque paratas omnes inueniſſent, plurimi nimia feſtinatione in pontones illas quinque ſe recipiebant; quarum quędam idcircò nimio onere deprimebãtur, & natationis imperiti, vel armis magis onuſti, ſubmergebantur, inter quos etiam Schenckius ipſe. Facta hæc 11. die Auguſti. Pontonum vna ad turrim S. Huberti propellebatur; ſed inde cùm recedere non poſſet, milites lapidibus opprimebantur, aut ſe in flumen pręcipitare cogebantur. Aliæ naues hæc omnia aliquamdiu ſpectabant, & vento deſtitutæ præternauigare non audebant; tandem illarum duæ nebulâ adiutæ tranſibant, reliquę in Neomagẽſium manus venerũt. Qui euaſerãt, delectu habito, præter Schenckium ſex adhuc deſiderarũt cohortium Prędectos, è militum vulgo ſupra quingentos; è ciuibus periit Guilielmus Loënius cum duobus aliis, ſauciati tantùm tres. Tum portis apertis merſos quęrunt, ſpolia venantur. Inuenti gregarij, ſpoliis nudati iterùm in flumẽ aguntur. Schenckius hora ſexta matutina totus armatus repertus, volente populo, in quatuor partes ſectus eſt; caput haſtę affixum

Item aliæ parte irruentes, forum pẽnè occupant.

Nihilominùs à ciuibus ſtrenuè repellũtur.

Trepidi Schenckiani, nonnullis deſideratis, naues ſuas repẽtunt.

Pontonibus onere ſubſidentibus, multi mergũtur, inter quos & ipſe Schẽckius.

Schenckius repertus, volente populo, in 4 partes ſectus eſt.

1589 porta ſtetit Antoniana, cetera quatuor mẽbra aliis turribus ad amnẽ ędificatis; vnde tamẽ paulò pòſt, iuſſu Marchionis Varabonnij Geldriæ Gubernatoris, cùm multi ciues Neomagenſes innocentes ex vindicta ab illius militibus morte afficerentur, partes cadaueris ſublatæ, & vaſi impoſitę in turri ſeruatæ ſunt, donec Mauritius, vrbe ſubiugata, illud ſplendore militari in templum maius intulit. Ita obijt Schenckius, cuius tam ſæpè in his Annalibus fuit mentio, viduam ſine liberis relinquens. Vndis ſublatum enim audientes præſidiarij qui in munitione erant, tunc Brillana dicta, ab eodem Schenckio ad diuortium Rheni ac Wahalis ædificata, ac pòſt ab eo cognominata, tumultuantes ſtipendia flagitabant. Sed ab Adolfo Meurſij Comite placati, in officio permanſêre.

Parentatur ei multorum innocentium cæde.

Hoc eodem mẽſe Auguſto, die eius 28. idem Comes Meurſenſis facinus commiſit, multorum iudicio, Comite indignum, dum per præſidiarios Lochemicos & alios pagum liberum in Epiſcopatu Monaſterienſi Greuam dictum, vbi tunc nundinæ erant equorum, inuaſit, turbauit, & vltra mille equos, ſpecie quòd in vſum Regiorum militum eſſent coëmpti, abduxit. Dudum, vt ſuprà narrare cœpimus, Carolus Mansfeldius cum electa manu in inſulam traiecerat Bommelanam, Arceſque aliquot ceperat; ſed cùm fortiter ſe ei obieciſſet Mauritius, cum ingenti præda tandem Mansfeldius ineunte Octobri in continentem cum copijs reuerſus, ſimulat ſe ad obſidẽdam Rhijnbercam proficiſci. Quare Meurſius mox nouo commeatu Rhijnbercam recreari iubet, ipſeque Arnhemum profectus, copias tota Geldria cogit, ac neceſſaria propugnationi ex eorum armamentario depromit. Vbi cùm inter alia nouum tormenti genus (mortarij vel vrnæ concluſæ inſtar) euertendis vrbium portis, ijs affixum idoneum, fieri iuſſiſſet, eiuſque experimentum exhiberi voluiſſet, artifex rei gnarus, edito exemplo, cùm iterùm eſſet facturus periculum; ignis aſtantia vaſa puluere bellico plena fortuitò inuaſit, proximos aliquot interfecit, Comitem verò adeò vulnerauit, vt poſt biduum animam efflaret 7. Octobris. Menſe Nouembri Mansfeldius Berckam arctiùs preſſurus, propugnaculũ prope Reſam deditione accipit, ac deinceps tam ſtrenuè rem egit tota hieme, vt 30. Ianuarij anni ſequentis & ipſa Rhijnberca certis legibus ſe traderet. Eodem menſe Nouembri exeunte, præſidiarij Bergenſes, eruptionem in Brabantiam inſtituentes, Wilrijckam pagum iuxta Antuerpiam, quòd menſtrua iuncta non ſoluiſſent coloni, prohibiti ab Arcis Antuerpianæ Præfecto Mondragonio, incenderunt, & menſe Decembri Baxius apud eoſdem Bergenſes equitum Præfectus Antuerpienſium quoque conductum Steenbergam tendentem intercepit. Captus Præfectus Malditzius cum aliquot alijs; pauci cæſi, reliqui fugerunt. Præda ſatis opima fuit; niſi

Fœderati ex nundinis Greuæ loci liberi magnam prædam abducunt.

Comes Meurſius miſero caſu perit.

Bergenſes VVilrijckã iuxta Antuerpiam ſpoliant, & incendunt.

quòd

quòd haud paruo Bergenſibus conſtiterit. Capitaneorum enim equi omnes aut cæſi aut vulnerati ſunt, Baxiuſque ipſe tres optimos equos amiſit. 1589

Hoc anno (vt ad Varia veniamus) Regina Angliæ nouo cum Turca inito fœdere, victoriaque anni ſuperioris contra Hiſpanicam claſſem geſtiens, menſe Martio claſſem, qua ipſa iam Hiſpaniam inuadat, apparat. Ab ea ducentæ naues 28. eiuſdem Martij Pleymutham conuenêre, ducibus Noritſio, Antonio Luſitano, & Draco: iunxere ſe Hollandi; creuit claſſis ferè ad naues trecentas, impoſita tum peditum tum equitum circiter vigintiquinq; millia, 28. Aprilis mari ſe committentes, Coronnam Galliciæ oppidum petũt. Eſt duplex oppidum, ſuperius & inferius. Inuadunt primò inferius; biſque repulſi, tertiò ſuperant, inſigniterque in omnes debacchantur: hinc 8. Maij ſuperius quoque oppidum tormentis, cuniculíſque aggrediuntur, ſed fruſtrà, ſuperueniente cum copijs Andradæ Comite; cum quo cùm Angli per duas horas infeliciter dimicaſſent, deſideratis 150. viris, ac inter hos etiam Noritſij filio, ad naues ſe recipientes, 25. Maij Vlyſſiponæ appropinquant. Noritſius Antoniuſque cum dimidia copiarum parte terrâ Vlyſſiponam proficiſcuntur, Dracus cum claſſe per amnem ſequitur, Caſcalim vſque. Multis hîc minoribus præliis per tres ampliùs hebdomadas auſpicijs Illuſtriſſ. Luſitaniæ Pro-Regis, Cardinalis Alberti Auſtriaci, à Comite Fontium depugnatum, nunc his nunc illis vincentibus, iamque adeò Angli ſuburbium Vlyſſiponicum, quod *Bona viſta* vocant, occupauerant. Verùm cùm Noritſius Angliæ claſſis primarius Præfectus videret nullum ſe pro Antonio, nec in vrbe nec extra, mouere; Anglos verò indies prælijs, morbis ac fame minui, copijs *Bona viſta* eductis, Caſcalim ſub finem Iunij venit, repertáſque ibi merces ac naues aliquot Oſterlingicas in prædam vertens, inde in Angliam inglorius cum claſſe redit; deſideratis ex ſuis, vt fertur, tum pugnis tum incommodis varijs, ferè quatuordecim virorum millibus. In Francia 29. Ianuarij declarant ſe Pariſienſes pro Sacro Fœdere, iuramentóque ſe ei obſtringunt. Idem faciunt Toloſates 10. Februarij, & Lugdunenſes 24. eiuſdem menſis. Poſteà 4. Martij Pariſienſes communibus ſuffragijs Ducem Mænium, interfectorum Guiſiorum fratrem, Pro-Regem (donec Ordines totius Regni aliud ſtatuãt) renuntiant, tributáque ad bellum imperanda, & exercitum conſcribendum decernunt. Rex Valeſius, his intellectis, Lutetiam Supremi Senatus honore ſpoliat, & Turonum, vbi tunc ipſe erat, eo ornat. Interim Edictum promulgat, quo Guiſios multis criminibus onerat, & ſe nihilominùs Romanæ Eccleſiæ Religionem defenſurum, & hæreticos perſecuturum, aliáque multa pollicetur. Hoc rerum ſtatu Nauarræus,

VARIA. *Regina Angliæ cum Turca fœdus renouat.*

Antonius Luſitanus Coronnam Galliciæ infeliciter tentat.

Inde vſque Vlyſſiponã tendit, ſed aquè clade accepta redit.

In Francia declarant ſe pro Fœdere Sacro Pariſienſes, Toloſates, & Lugdunenſes.

1589 ne ſibi ſuæque cauſæ deeſſet, Ligerim verſus contendit, vt Regi propior eſſet. Rex quoque de fœdere cum Nauarræo feriendo obſcurè cum ſuis loqui cœpit. Sciebat enim Nauarræo nihil fore gratius. Et quidem ſi ille numquam anteà id cognouiſſet (quod multis perſuaderi non potuit) certè ex eo cognouiſſe tunc creditur, quòd cum exercitu quotidie magis magiſque appropinquaret Caſtelloralto, litteriſque ad Regem Regióſque miſſis, ſua hoſtiúmque conſilia dilucidè explicaret, Regióſque ad pacem multis blanditiis inuitaret. Vtut eſt, Legatis Caſtelloraltum ad Nauarræum miſſis, de induciis primùm inter duos Reges Henricos 26. Aprilis agi cœptum eſt, eo euentu, vt induciæ annuæ incipiendæ 3. Maij conſtitutæ ſint: Hugonotæ patriæ boniſque reſtituerentur: Libera vbiq; conſcientia viuerent; Religionem tamen niſi in locis quæ tum à Nauarræo tenebantur, publicè ne exercerent. Regi Valeſio Nauarræus armis ſuiſque auſpiciis adeſſet, &c. Interim de certis æternæ Pacis rationibus inter Reges tractaretur. Pontifex Romanus Sixtus V. poſtquam intellexiſſet, Francorum Regem Religionis ſtatum ibi quotidie peiorem reddere, & cum Nauarræo à Sede Apoſtolica dudum excommunicato, tótque annis Eccleſiam affligente, fœdus ſanxiſſe, in Cardinalium cœtu Romæ 5. Maij decernit, Cardinalis Borbonius & Archiepiſcopus Lugdunenſis infra 10. dies ſine vlla tergiuerſatione ex captiuitate liberi dimittantur, ſuiſque dignitatibus reſtituantur; Rex autem eiúſq; complices mortis Guiſiorum, & captiuitatis Eccleſiaſticorum rationem Romæ infra 60. dierum ſpatium reddant. Sed fruſtrà id fuit; quin Rex Mareſcallum Aumontium ad Nauarræum miſit, qui referret Regem cum comitatu aulico Pleſſæi eſſe, petere vt & ipſe eò veniat. Nauarræus igitur cum Aumontio & Nobilitate ſua, relictis ad Ligerim copiis, Pleſſæum contendit; cui loco nemus adiacet, in quo deambulans Rex aduẽtum Nauarræi expectabat, & venientem cum honore complexus eſt. Mirabantur multi Nauarræi hanc confidentiam, & ex ea clandeſtinam ante annos plures inter duos illos fuiſſe amicitiam ſuſpicabantur. Hoc conſtat, mox rebus in Turonum, Andium Pictonúmque ciuitatibus cõpoſitis, Nauarræum continuò à Valeſio iiſdem caſtris receptum, vnà cum eo Lutetiam mouiſſe. Iam tempus à Pontifice Regi conſtitutum (de quo paulò antè diximus) effluxerat, mináſque Pontificis Rex adſpernabatur, cùm zelo quodam Religionis Catholicæ in Francia conſeruandæ, ne ibi, vt dudum in Anglia, Regia auctoritate illa obrueretur, Regem Henricum Valeſium è medio tollere ſtatuit quidam Iacobus Clemens, natus in pago cui nomen Sorbonna, ditionis Senonenſis, profeſſione Dominicanus; aut, vt ibi loquuntur, Iacobita. Hic perſuadens ſe fore Aod (de quo in Sacris litteris, Iudicum tertio capite) Regem verò Henricum

An dudum Rex Valeſius cum Nauarræo ſenſerit.

Inducia inter Fœdus Sacrũ, & Nauarræum.

Rex Valeſius Romã citatur, dicturus cauſam cædis Guiſiorum.

Valeſius & Nauarræus ſimul contra Pariſios mouent.

Eglon

Eglon Regē Moabitarum, ab eodem occiſū, Lutetiâ Pariſiorum 30. Iulij ad pontem S. Claudij, vulgò *S. Clou*, vbi Rex in obſidione adhuc hærebat, profectus eſt cum litteris publicæ fidei, quas habebat à Comite Brienneo, qui Lutetiæ captiuus detinebatur. In caſtra veniens, ductus eſt ad Procuratorem Generalem Queſte nominatum, cui dixit, ſe habere varias litteras, inter alias etiam Harlæi Præſidis Parlamenti ad Regem deferendas, aliáque arcana quæ litteris credi non poterant. (erat autem Harlæus Regi fidelis & Lutetiæ etiam captiuus.) Procurator hæc ad Regem defert, Rex Procuratori mãdat, vt ea nocte Monachum in ſuo hoſpitio excipiat, & humaniter habeat vſque in poſterum diem. Poſtridie Rex Iacobum ad ſe vocat, & in cõclaue, remotis omnibus aliis, ducit. Hîc Iacobus profert variorum litteras: quas cùm Rex auidè legeret, interrogat, habeátne plures. Habere ſe ait; & fingens ſe eas producere, cultrum promit ancipitem, acutiſſimum, & capulo tenus in ventrem adigit, & relinquit. Rex vim ſibi fieri clamans, ſeu etiam, vt nonnulli tradunt, eumdem cultrum ventre extractum in collum Monachi adigens, ſtatim habuit accurrentes domeſticos; quorum vnus gladio mox letale vulnus Iacobo inflixit, alter item aliud bipenni intulit. Ita moriens Iacobus Deo ſummas egit gratias, quòd tam miti mortis genere eum ad ſe vocaret, ſe multò atrocius expectaſſe. Mortuum feneſtra eijciunt, & haud multò pòſt quatuor equis diſcerpendum committunt. Rex accepto vulnere, Nauarræum alióſque Proceres ad ſe accerſens, eis cauſam Regni cõmendat, & Nauarræo ſucceſſore deſignato, poſtridie, qui fuit 1. Auguſti, moritur vltimus ſtirpis Valeſiorum; & altero inde die Nauarræus Rex Franciæ Rex proclamatur Henricus eius nominis Quartus. Interim non deſunt ſuis rebus Fœderati, ſed 5. Auguſti Pariſiis contra Nauarræum Edictum promulgant; & Cardinalis Carolus Borbonius, Nauarræi patruus, etſi adhuc captiuus, publicè per plateas Rex Franciæ denuntiatur, & ſub illius nomine moneta cuditur. Et ſimilia Edicta promulgantur in Diuionenſi Parlamento 12. Auguſti, Burdigalæ 19. eiuſdē, Toloſæ 22. eiuſdem Auguſti, Rothomagi 23. Septembris; & alibi aliis diebus. Nauarræus iuramento præſtito ſe Catholicam Romanam Religionem in iis quibus nunc eſt Franciæ locis ſaluam conſeruaturum, nihilque in ea innouaturum, legitimi Generalis Concilij decretis & cognitioni ſtaturum, coronæ Regiæ officiariis & reliquis ſtatibus priuilegia ſua confirmaturum, miſſis ad omnes Ordines ciuitatéſque litteris, ſedulò ſibi ſtabilem Regni poſſeſſionem facere nititur, mandátque vt pridie Kal. Nouembrium in Turonenſium metropolim conueniant. Interim in oppidis, quibus potiebatur, præſidiis relictis, in tres partes copias ſuas diſtribuit. Robur exercitus Longeuillæ Duci attribuit, vt in Picardia & circa Pariſios

1589

Obſident pontem S. Claudij.

Vulnus accipit Rex Valeſius manu Monachi cuiuſdam.

Moritur Rex Valeſius, Nauarræo ſucceſſore deſignato.

Econtrà à Fœderatis Nauarræi patruus Cardinalis Rex proclamatur.

Nauarræus tripartitim ſuas copias diuidit.

1589 ſios bellum adminiſtret: cum altera parte Aumontium in Campaniam ad excipiendum hoſtem & retinendas in fide ciuitates ablegat: tertium ſecum Diepam, quæ maximæ opportunitatis ex aduerſo Angliæ in Normannia vrbs eſt, abducit. In itinere iuxta Rothomagum veniens, vrbem quidem non oppugnauit, ſed molas aliquot iniecto igne exuſſit, pecoráque abegit. Oppidani eruptione facta in Nauarręos irruunt, eóſque occiſis circiter 300. à mœnibus repellunt. Mænius quoque Dux audiens Nauarræum Rothomagenſes infeſtare, menſe Septembri cum 18. millibus peditum & 3. millibus equitum Rothomagum contendit, & cùm Nauarręus Diepam veniſſet, Mænius cum omni ſuo exercitu vrbẽ hanc obſedit. Fluuius vrbem interluit, per quem oppidanis neceſſaria aduehuntur. Fluuio hoc ponte ſtrato, Mænius hanc commoditatem ciuibus impedire cœpit, & vt minori id ſuorum incommodo faceret, collem vicinum è regione arcis Arkenſis, quę à Nauarræanis cuſtodiebatur, occupauit. Ingens hîc orta eſt pugna, dum neuter vult cedere. Nauarræus equitibus, Mænius peditibus præualebat; & nunc huc, nunc illuc victoria inclinabat. Vincere tandem Nauarræani viſi ſunt, eò quòd Nemourſij Ducis equites turbatis ordinibus cederent. Mænius itaque, cùm ſimul intellexiſſet Longæuallium & Lanoium cum ſuis copiis aduentare, vt Nauarræo ſubſidio eſſent, obſidionem ſoluit, & milites reduxit. Nauarræus menſe Nouembri totum exercitum in Pariſienſes ducit, ſuburbia quædam ciuitatis occupat, ſpoliátque, & multòs captiuos ſecum abducit, ſtrenuè à muris vrbis ipſius reiectus. Terruit tamen hæc res Pariſienſes ſummopere, ac vndique opem implorabant; cùm non multò pòſt Rex Hiſpaniæ ad eos miſit Commendatorem Mordonij cum magno auri pondere, promiſitque, ſe eis circa Veris initium iuſta copiarum auxilia miſſurum; quod Pariſienſes non parum recreauit, cauſáque fuit cur Nauarræus tempore hiberno ad tantam vrbem non maiorem vim tentandam cenſeret. Interim Cenomani ab eo obſeſſi & oppugnati, 2. Decembris ſe ei tradunt, cùm pridie Cardinalis Caietanus Legatus Apoſtolicus Lugduno Pariſios verſus iter inſtituiſſet, cuius Legationis finem anno ſequenti videbimus. Et eodem adhuc menſe hinc Alenſonium Nauarræus, inde Mænius Pontiſaram deditione cepit. Hoc anno in Italia tanta fuit imbrium & inundationum copia, vt multis locis ſementi prima & ſecunda corrupta, neceſſe fuerit tertiò agros ſeminari, & nihilominùs tota pænè meſſis perierit; vnde ſecuta annis proximis magna annonæ caritas. Venetiis quoque in tantum vrbis canales exuberarunt, vt totam vndis obrutam diceres. In Germania Auguſtæ Treuirorum, Oſnaburgi in Dania, & alibi ingens magorum ſeu maleficorum vtriuſque ſexus numerus merito ignis ſupplicio conſumpti ſunt; inter quos & celebris

Manius Dux Fœderatorũ, infeliciter ad Diepã pugnat.

Nauarræus ſuburbia Pariſienſia incendens, tamẽ ſtrenuè repellitur.

Cenomanes Nauarræo ſe tradunt.

In Italia hoc anno inundatio, & hinc annonæ caritas.

lebris pridem Doctor I. V. Flattenus, Electoris Treuirenſis Conſiliarius: 1589
itémque in Bebber oppidulo Iuliacenſi ſupplicium ſumptum de inſigni maleſico, qui præter maleficia alia, etiam ſe ex homine in lupum, cingulo, quod à dęmone acceperat, cinctus, quoties voluit conuertere potuit, faſſuſque eſt ſe aliquot homines in ea metamorphoſis ſpecie laniaſſe. *Maleſici plurimi è medio ſublati.*

Hoc anno 30. Ianuarij Rijnberka longa obſidione (quod ſuperiori anno dicere cœpimus) fatigata, & ad rerum neceſſariarũ extremam inopiã perducta, cùm nullus ſuccurreret, ſiue quòd Ordines Fœderati æquè atq; Parmenſis in res Gallicas oculos intẽtos haberent, ſiue ob ſublatos Meurſium & Schenckium, qui ſingulari cura aliquoties illi oppido præſidio 1590
„ fuerant, Carolo Mansfeldio deditionem facit. Omnibus qui vellent ma-
„ nere permiſſum; qui nollent, vt exeant cum armis & impedimentis da-
„ tum; ſola cum apparatu relinquerẽtur maiora tormẽta. Sexto Februarij in Francia (nẽpe deinceps per annos aliquot Francica Belgicis intexemus, vtpote Rege Hiſpaniarum ſimul Fœderi, quod Sacrum dictum eſt, adſcripto) & diebus aliquot ſequentibus, ſe Nauarrẽo tradiderũt Honfleur, Killebeck & Quilebeuf, ita vt nunc omnis pęnè Normannia, excepta metropoli Rothomago, pauciſque aliis oppidis, eius parerent imperio. Acceſſit & iſtud. Erant in caſtro Rothomagenſi centum Hugonoticæ factionis præſidiarij; iunxerant ſe eiuſdem farinæ centum ciues. Hi ſimul 21. Februarij caſtrum occuparunt, Catholicos omnes, qui à Fœderatis ſtabant, trucidarunt, dubios in ſuam ſocietatem ſeruarunt, & paſſim, Viuat Rex, quaſi victores clamarũt. Vicarius (quem alij Locum-tenentem vocant) audito tumultu, & Arcem videns occupatam, è turri funibus ſe dimiſit, atque in vrbem ad Magiſtratum populúmque veniens, eis quo loco res eſſet, expoſuit; & vt ſumma cum celeritate Arcem denuò oppugnent, hortatur. Paret Senatus populúſque; concurritur ad arma, machinæ bellicæ octo attrahuntur, quibus muri vſque in ſequẽtem diem continuis tonitruis verberantur. Poſtridie circa meridiem, cùm latiſſima ſtrata eſſet ruina, territi qui in Arce erant, certis conditionibus 23. eiuſdem Februarij ſe, Arcemque dediderunt. Centurio vnus, & quinquaginta circiter ex iis qui è ciuibus Arcem occuparant, capti ſunt, & paulò pòſt extremo ſupplicio affecti, reliqui dimiſſi. Sub hoc tempus Hiſpanicæ aliquot cohortes veteranæ, cùm multa ipſis ſtipendia deberentur, Cortracum Flandriæ oppidum occupant, ac è vicinis agris ingentem pecuniæ ſummam per ſingulas hebdomadas congerunt, magnámque inſolentiam exercent, donec datis vadibus ſtipendia promiſſa tandem ſoluta ſunt. Eodem tempore in Friſia Groningenſes ab hoſtibus vndique cincti periclitabantur, & opem continuò à Parmenſi implorabant, ſed negligebantur. Interim Guilielmus Naſſouius pro Ordi-

Rijnberka poſt longã obſidionem deditur Mansfeldio.

Plura loca in Francia iungunt ſe Nauarrão.

Arx quoq; Rothomagenſis capta; ſed mox recuperatur.

Regij in Belgio fœdè Cortraci tumultuantur.

nibus

1590 nibus Fœderatis Friſiæ Gubernator propugnacula quatuor quæ circum vrbem erant, his nominibus, Ime, Til, Sont, & Camp, in ſuam poteſtatẽ redegerat, totiq; ditioni Groningenſi graue tributum hebdomadarium imperabat. Tandem vrgente Verdugio, Parmenſis aliquot cohortes Hiſpanorum aliorúmque peditum miſit, quibus Verdugius cum Comite Sherenbergio Hermanno & 22. ſignis peditum ad Rhenum ſe iunxit; ſed quòd interea Naſſouij exercitus quoque quingentis equitibus & aliquot cohortibus peditũ auctus eſſet, impedire non potuerunt, quin ditio Groningenſis locáque vicina mirè vaſtarentur; ipſis ſatis fuit per Twentem Amiſium verſus proficiſci, & ſic Groningam tandem venire. Sub finem eiuſdem Februarij Mauritius & Hohenloius exercitum iuſtum Seuenbergæ colligere videbantur: fingunt ſe oppugnaturos Gertrudenbergam. Credebatur famæ, adeò vt Gubernator Bredanus eò profectus omnia quę ad defenſionem erant neceſſaria, diligenter procuraret. Mauritius, abſente Præfecto, feſtinandum cenſet. Erat nauta quidam, qui ceſpites (quorum in nutriendis ignibus vſus eſt) ex more in arcem Bredanam aduehere ſolebat. Cum hoc Mauritius conuenerat: ſeptuaginta lectiſſimos milites (quorum Præfectus erat Haraguerius) in aluo nauis abſcondi curat, ceſpites deſuper imponi, atque ita Bredam velificare. Et quidem ob ventum cõtrarium biduo in itinere fuerunt. Tandem 3. Martij ſole occidente notus nauta ad Arcem appulſus, maximè quòd & milites ob frigus ceſpitibus egerent, facilè admittitur, moxque præſidiarij nauem exonerare cœperunt. Verùm ingruentibus tenebris, ſuadentéq; nauta, tot ablatis ceſpitibus, quot ea nocte abundè ſufficerent, reliquos potiùs in craſtinum relinquerent, acquieuerunt. Ita ſtratagema detectum non fuit. Erant præſidiarij omnes Itali; Præfectus, vt diximus, abſens. Intempeſta igitur nocte, omnibus, exceptis ordinariis excubitoribus, ſomno preſſis, milites naui modeſtiſſimè egreſſi, Arcis vigiles interficiũt, ceteriſque in cubilibus oppreſſis, Arcem ſui iuris faciunt, dantes, exonerato maiori tormento, Mauritio & Hohenloio ſignum, Arcem à ſe captam. Illi citatis ad eos feſtinantes paſſibus, Arcem iuſtis cum copiis ingrediuntur, irruptione ſtatim in oppidum facta, ſomnolentos præſidiarios Italos cædunt aut fugant: quo ciues viſo, certa in militum Mauritianorum ſtipendium promiſſâ pecuniæ ſummâ, fruſtrà ipſi ſoli reluctaturi, 4. Martij ſe dedunt. Nec hoc contenti Mauritiani, inſuper vniuerſæ Campiniæ immenſam pecuniæ vim extorquere parant, Oſterholtij caſtra habentes. Verùm 10. Martij Carolus Mansfeldius Antuerpiâ cum copiis profectus, in Hollandiam eos redire cogit. Tum Seuenbergam ducens, oppidum cum Arce, facta deditione, Regij iuris facit: ſed excitatum in littore propugnaculum expugnare non valens (Hollandi enim id ſin-

Extremè periclitatur Groninga.

Ordines Fœderati ſimulant ſe Gertrudenbergam velle obſidere.

Interim miro ſtratagemate occupant arcem & ciuitatem Bredanã.

Fœderatis Oſterholtij caſtra habentibus obijcit ſe Mansfeldius.

id ſingulis diebus milite ac commeatu recreare poterant) eo deſerto in Brabantiam reuerſus eſt. Diximus fine anni ſuperioris, Regem Hiſpaniæ Commendatorem Mordoneum cum auro Pariſios miſiſſe, vt Fœderatos Catholicos de ſubmittendo ſimul primo vere militari auxilio, certos faceret. Iubente igitur Rege, Parmenſis ſub finem Februarij Confœderatis in auxilium miſerat Philippum Egmondæ Comitem, cum mille ducentis equitibus, ac totidem peditibus, ex Hiſpanis, Burgundis ac Germanis coactis, Legatum aſſignarat Paulum Carondeletum Mauldij Dominum, veteranum equitum Prefectum, qui poſteà Bouchainio præfuit. Mænius re intellecta, Egmondano, ne quid detrimenti ab hoſtibus accipiat, occurrit. Nauarreus Druydarum oppidum, vulgò Dreux in Normannia arcta obſidione premebat. Eam vt ſolueret Mænius, ſuos vndequaq; euocat, exercitúmq; cogit validiſſimum, quem 9. Martij in Druydenſem agrum ducit. Tandem 13. eiuſdem menſis inſtructæ vtrimque acies ab hora ſecunda pomeridiana vſque ad veſperam ſteterunt, ſed nulla fuit velitatio. Sub noctem omnes in ſua caſtra reuerſi ſũt. Vix vnius leucæ ſpatium inter vtraque caſtra intererat. Poſtero die Nauarræus ſuos caſtris educit, Mænius quoque ſuas legiones inſtruit. Pagus erat in vicino; hunc Nauarræus occupare nitebatur, vt ſuas res faceret meliores. Mænius hoc impedire volens, ſimul ratus ſe nunc occaſionem turbandi à latere ordines hoſtium nactum eſſe, Vicecomitem Tauanneum cum Hiſpanis, qui in dextra ala erant, in latus exercitus hoſtilis cum impetu immiſit; ſiniſtram quoque alam, in qua Germani & Burgundi erant, ſubſequi præcepit. Videns Nauarræus ſe peti, ſiſtit gradum, aciem vertit, & tormenta maiora omnia in hoſtem eiaculatur. Vicecomes metuens, ne qui in dextra Nauarræorum ala erant, intereà pagum occuparent, in eos grandiores aliquot pilas mittit, & equites nonnullos in eos irruere præcepit. Fit pugnę initium. Vicecomes cum Baſſompierio & centum equitibus primus in hoſtem fertur, putans omnes alios ſubſecuturos, ſed ſpe fruſtratus eſt. Nauarræus intereà cum toto exercitu in Mænianos impreſſionem facit: ad manus venitur, collato pede prœliantur. Fit atrox pugna, (dies erat 14. Martij) cadunt vtrimque multi; tandem ad Nauarræum victoria inclinat. Cecidit inter alios & Comes Egmondanus inter primos, ſtrenuè dicam, an incircumſpectiùs quã iuuenem Principem decebat, decertans. Poſt eius cædem Mænius receptui cecinit, reliquumque exercitum ſaluum abduxit; ipſe verò mox ad Pariſienſes profectus eſt, ne cladem re maiorem exiſtimarent. Nauarræus confeſtim litteras Duci Longivillęo miſit, quibus proſperum pugnę ſucceſſum nuntiauit, & vt omnes copias ſuas ad Sequanam flumen iuxta Pontiſarenſes ducat, præcipit. Ipſe Melodunum profectus, oppidum ca-

1590

Egmondius cum exercitu Belgico, Fœderatis Frãcis auxilio mittitur.

Adeſt & Dux Mænius cum valido exercitu.

Hi iunctis copiis Nauarræum inuadere parant.

Cruentè concurrũt, vbi inter alios & Egmõdius cæſus.

1590 pit, præſidio munit, & commeatum inferri iubet. Mox ſub medium Aprilis Nauarræus ad Druydarum oppidum reuerſus, illud obtinet; & 25. eiuſdem menſis cum exercitu hominum viginti millium Lutetiam Pariſiorum tendit, eámque arctiſſimè obſidere incipit. Eodem menſe Aprili Hollandi Stochemium ad Moſam ditionis Leodienſis oppidum aſtu occuparunt. Tentarunt & Arcem, ſed fruſtrà; itaque ſub meridiem cum præda Bredam verſus iter remenſi ſunt; ac ſimiliter 1. Maij in ſuburbiis Antuerpianis ciues vtriuſq; ſexus, qui apricatum prodierant, ſpoliarunt, multos etiam captiuos abducentes. Sub hoc tempus Mænius Cameracum profectus, litteras ad Parmenſem mittit, quibus ſignificat ſe arcana quædam habere, quæ litteris credere minimè conſultum eſſet; petere igitur, quantocyùs eius colloquio frui poſſit. Parmenſis acceptis litteris, ſtatim ſe itineri accingit, & 22. Maij Condæum Hannoniæ oppidum venit, profectus eſt eódem & Mænius; vbi aliquot diebus ſoli, omnibus remotis arbitris, collocuti ſunt, conuentúmque eſt Parmenſis ipſe ſimul in Franciam ſubſidio Fœderatis proficiſceretur. Interea Nauarræus Pariſienſes cœpit laceſſere, & in ſuburbia S. Martini irruere. At ciues erumpentes tanto cum impetu hoſtes aggrediuntur, vt cæſis plurimis, pedem eos referre cogerent. Deinde ciuium inquilinorúmque capita recenſentur, inuentáque ſunt ducenta circiter millia. Cumque annonæ facta eſſet inſpectio, deprehenſum eſt tantum frumenti, quantum tot hominibus ad menſem ſufficiat, ſi ſingulis quotidie vnius libræ panis diſtribuatur. Decimo Maij mortuus erat Fontenaij apud Pictones, adhuc in cuſtodia detentus, Carolus Cardinalis Borbonius, à Fœderatis Rex, vt diximus, deſignatus; nunc nihilominùs Pariſienſes omnes iterùm iurant neminem pro Rege aſſumendum, qui non ſit Catholicus. Tandem Nauarræus tredecim maximis machinis æneis mœnia Pariſienſium quatuor diebus continuis diſturbare iuſſit. Sed Dux Nemoræus (quem ſibi Gubernatorem, abſente Mænio, Pariſienſes creauerant) cum ſexaginta quinque reſpondebat, apertiſque portis quotidianas in caſtra Regia faciebat eruptiones. Eccleſiaſtici quoque omnes recenſiti erant, diſtributiſque inter illos armis, ſua quiſque obire in vrbis defenſionem munia præcipiebantur. Illorum Præfecti conſtituti ſunt Epiſcopus Siluanectenſis, & Prior Carthuſianorum. Loco vexillorum præferebatur illis imago Chriſti in cruce pendentis, & alia B. Virginis. Profeſſionis ſuæ veſtes non abiiciebant, ſed galeas, loricas, thoraceſque ferreos ſuperinduebant. Dux Mænius ſæpè litteras nuntioſque in vrbem mittebat, & cum exercitu ingenti ſe breui hoſtem à mœnibus reiecturum promittebat, quamuis id non niſi menſe Auguſto contigit. Sed ecce Catholici Neomagenſes in Belgio eodem tempore æquè auxilia à Parmenſi expectabant.

Nauarræus capto Meloduno, & Druydis, arctè Pariſios obſidere incipit.

Hollandi Stochemiũ ditionis Leodienſis diripiunt.

Pergit Nauarræus premere Pariſienſes, ſed paruo ſucceſſu.

Moritur Cardinalis Borbonius à Fœderatis Rex appellatus.

Nihilominùs Pariſienſes fortiſſimè Nauarræo reſiſtunt, etiam Eccleſiaſtici.

ctabant. Etenim Hollandi, vt Neomagum, insigne ad Wahalim flumen Geldriæ oppidum, suum facerent (quod aliquoties frustrà, vt diximus, tentauerant) iam tum 10. Maij Tiletum ad alteram Wahalis ripam conuenerant, secretissimeque necessaria pararant. Decreuerant portam vrbis Nouiomagi, dictam Asininam, nouo tunc bellico instrumento, cuius experimento Meursij Comitem Arnhemi periisse anno præcedenti narrauimus, funditus euertere, vulgus Franco-Gallicum *Petard* vocat, à crepitus ventris imitatione. Situlæ æneæ maiori concluſæ est simile, tantarum virium, si aptè adhibeatur, vt admirabiles faciat munitissimorum etiam propugnaculorum euersiones, sed dubij euentus, vt hîc Hollandis euenit. Qui enim id Asininæ affigebant portæ, vigiles non fefellere; quin hi strepitu venientium, opera facientium, abeuntium commoti, vniuersam vrbem ad arma concitarint; quo Hollandi intellecto, festinantiùs inde se proripuerunt. Ignis qui hoc crepitaculum debebat accendere, tẽpestiuiùs accensus, ingentem edidit flammam, crepitaculum tamen non attigit, nisi quòd tandem Hollandis dilapsis claro iam die, vndecumque concepto igne, portam euertit. Immenso fragore attoniti territique ciues eò concurrunt, hosteq; non conspecto, apertis vicinis portis Hollandicum reperiunt crepitaculum, & numquam visam Vulcani fabricam in domum Prætoriam spectandam per aliquot dies omnibus exhibent. Tum Deo gratiis actis, portam restaurant. Hollandi primo deiecti consilio, ad alterum, nimirum ad vim se conferunt, conuocatisque vndique copiis Tiletum conuenire iubent, missis eódem triginta maioribus tormentis. Rebus necessariis paratis, naues conscendentes Neomagum tẽdunt, auditáque sunt eorum tympana, visaque ex vrbe signa, 15. Maij stilo veteri, hoc est 25. calculo nouo; classis verò manè circa horam octauam appulit, ac in opposita vrbi ripa, in pago Sensio expositus miles castra posuit. Exonerant in eos Neomagenses maiora tormenta, Hollandi similiter paulò pòst contra vrbem sua. Cùm se mutuò hac ratione aliquot horis salutassent, sequentibus diebus & maximè 28. eiusdem Maij Hollandi diuersis locis turres, propugnacula, ciuiumque domos maiorum tormentorum globis verberarunt, aliosque globos ignem vomentes ad excitandum incendium supra centum, sed irrito euentu, in vrbem eiacularunt. Ciues cum paucis præsidiariis alacriter se ad defensionem parabant. Magistratus verò nuntios cum litteris ad Carolum Mansfeldium, in Campinia Brabantiæ cum copiis tunc sedentem, ac ad vicinos omnes mittunt. Venloniani statim puluerem bellicum liberaliter suppeditant, Buscoducenses ac Grauienses milites aliquot. Id autem non difficulter fiebat, quòd Hollandi Wahalim transire ob copiarum paucitatem nondum audebant, sed in insula Batauia (veteris pars est, ac nomen retinet)

1590

Hollandi frustrà Neomago insidiantur.

Noua Vulcani fabrica, vulgò Petard.

Nempe Hollandi etiam vi aperta Neomagũ aggrediuntur.

Eiaculantur in vrbẽ ignitos globos; sed irrito euẽtu.

1590 in oppoſita vrbis ripa manentes, contra vrbem maiorum tormentorum globis continuò ſęuiebant; atque adeò integro in eam menſe detonãtes, partem turris templi primarij D. Stephani deiecerunt, ædibúſque pleriſque ad vrbis ripam ſtantibus variè laceratis infeſtiſſimi fuere. Carolus Mansfeldius, intellecto Neomagenſium periculo, cum copiis ad Moſam profectus, in Mokenſi ericeto hoſtium conſilia exploraturus conſtitit, indiéſque ad vrbem profectus, ciues animabat, rebuſque neceſſariis iuuabat, expectans, vt ferebatur, Rynberkâ naues, vt cõtra hoſtem in dictam inſulam Batauiam proficiſceretur. Sed Hollandi eum non feſtinare videntes, traiecto infra vrbem Wahali, munitionem erigere incipiunt. Ciues territi ad Mansfeldium pro auxilio mittunt; qui omnibus cum copiis ad hoſtem iter inſtituens, eum relicto opere ſemiperfecto in inſulam reuerſum cognoſcit. Mauritius ſe vi nil facturum conſpiciens, in dictæ inſulæ littore è regione vrbis iuſtam erigit munitionem, quam Knodſenburgum vocauit, quòd eo tundendi fatigandique eſſent Neomagenſes, quod & verè factum eſt integris ſexdecim menſibus, vt ſuis locis audiemus. Intereà Neomagenſium Legati continuò Parmenſem pro depellendo à ceruicibus ſuis hoſte interpellant, ſed fruſtrà; totus enim ille erat in Francicam expeditionem liberandis Pariſienſibus intentus. Erant Pariſienſes ad eam inopiam redacti, vt tandem 27. Iulij nullum ſuburbium reliquum eſſet, quod non Nauarręus occupaſſet, ita vt deinde nemo Pariſienſium ampliùs ad frumentandum poſſet erumpere. Defecit itaque eo tempore apud vulgus panis vſus. Quæ miſeria cùm creſceret in dies, neque ſufficeret, quòd vterque, Pontificis & Regis Hiſpaniæ Legati, nonnullique alij omnia ſua plebi alendæ impendiſſent, vulgus cœpit tumultuari, tenuioris fortunæ hominibus ad arma concurrentibus, & pacem aut panem miſerabili non minùs quàm horribili voce poſtulantibus. Principes Magiſtratúſque conueniunt, & quid facto opus ſit, in medium conſulunt. Placuit pleriſque Nauarræi animum tentandum eſſe, alij id fruſtrà fore dicebant. Conſtitutum nihilominùs eſt, etiam reclamante Nemourſio, ſed extrema neceſſitate vrgente, duos Epiſcopos Pariſienſem & Lugdunenſem in caſtra ad Nauarræum legandos. Ex tali neceſſitate Legati exeunt ciuitate, quibus Nauarræus ad portam vſque Antonianam occurrit. Orationis Legatorum finis fuit, poſſe Regem immenſis his malis remedium adferre, ſi Catholicus eſſe dignetur; Pariſienſes, ceteroſque tunc ſtatim eum Regem recepturum. Reſpondit Rex, nolle ſibi quæſtionem de Religione moueri; decretum enim ſibi eſſe, Religionem, quam haberet, non mutare regnandi cauſa. Iniquum quoque eſſe, ſubditos Regibus conditiones præſcribere. Vbi cùm Legati reſponderent, ſibi ergo mandatum, nihil certi ſtatuere, niſi de ſententia

Integro menſe Hollandi in Neomagũ detonant.

Mansfeldius tãdem aliquaparte Neomagenſibus auxilio venit.

Negliguntur Bruxellæ Neomagenſiũ Legati, & quare.

Pariſiis deficiente pane, vulgus tumultuari incipit.

Fruſtrà tentant animum Nauarræi duo ad eũ miſſi Epiſcopi.

Ducis

Ducis Mænij, ideóque poteſtatem ad Mænium proficiſcendi peterent, repulſam paſſi, & in vrbem redire iuſſi ſunt. Erat ibi tanta calamitas, vt bis mille equi iam mactati, & eorum carnes eſſent abſumptæ; ſimiliter & octingenti tum muli tum aſini, quin & pelles dictorum animalium coctæ vorabantur; canum, felium, glirium non erat numerus. plerique crudis herbis herbarúmque radicibus victitabant, donec permulti fame deficerent; quorum numerus trimeſtri obſidionis, à nonnullis cenſetur (heu miſeriam!) vltra decem millia. Fuerint tantùm quinque millia; nimium adhuc triſte eſt. Sanè vel pro infirmis tandem panis haberi non potuit, etiam cùm quidam offerrent pro vna libra duos Francicos coronatos: res poſteris fortè incredibilis. Atque adeò tandem huic fami ſuccumbens oppidulum S. Dionyſij Pariſij vicinum, Nauarræo ſe tradidit. Huic malo ſolamen allaturus Parmenſis, 1. Auguſti Bruxellis Montes Hannoniæ, inde per Valencenas in Franciam exercitum inſignẽ octodecim circiter millium tum equitum tum peditum ſecum ducens, magnis itineribus contendit. Cùm ad oppidum Meaux veniſſet, id nuntiatum Pariſiis, mirum quàm miſeros recrearit. Vigeſimo octauo Auguſti Meauxio Pariſios Parmenſis mouet: quo Nauarræus intellecto, 30. eiuſdem Laignium tendit, nolẽs vniuerſam belli aleam periclitari. Parmenſis verò dimidio ab vrbe Pariſienſi milliari relicto exercitu, cum octingentis tantùm equitibus ac ingenti commeatus copia, multáque Nobilitate intrat, procedénſque ad templum Deiparæ, Deo gratias, decantato ſolemniter cantico Te Deum, agunt. Mox habito militari Concilio, ex huius decreto Parmenſis ad exercitum reuerſus, Nauarræum inſequitur, Mænio cum Francorum copiis primam aciem tenente. Iam abſceſſerat Nauarræus Laignio, Męniuſque illud oppugnare cœperat. Verùm cùm à iuſto pręſidio fortiter defenderetur, ſpes expugnationis non apparebat, niſi cùm ad caſtra veniſſet Parmenſis. Tum duobus locis à duobus exercitibus vehementiſſimè verberatum, factiſque ingentibus ruinis 6. Septembris inuaditur; ac inſpiciente Rege, eiuſq; exercitu, tandem vi expugnatur. Fit magna cædes, nemini parcitum, omnia (excepto commeatu) in prædam verſa. Loffuinus vrbis Præfectus cum centum partim minoribus Præfectis, partim viris nobilibus, capitur. Ingens reperta omnis generis vis annonæ, ac Pariſiis vendita, tanta rerum mutatione, vt quod anteà centum viginti aureis venerat, nunc tribus emeretur. Pudebat Nauarræum, oppidum munitiſſimum ante oculos ſuos vi captum: vt ſe vindicet, poſtridie hora noctis vndecima iuſtas Pariſios mittit copias cum mille quingentis ſcalis: quæ haud procul porta Iacobæa, occupatis ſuburbiis, aſcenſionem parabãt, quòd nullas ibi eſſe excubias, præter paucos Societatis Ieſu Patres, didiciſſent; adde quòd aër nebuloſus craſſiſ-

1590

Multis millibus Pariſius fame moritur, oppidum ſancti Dionyſij Nauarræo ſe dedit.

Parmenſis cum inſigni exercitu Pariſienſibus auxilio venit.

Laignium, inſpiciente Nauarræo, Parmenſis & Fœderati expugnant.

Nauarræani fruſtrà mœnia Pariſienſia tranſcendere tentant.

1590 craſſiſſimas obfudiſſet tenebras. Sed quòd non ſatis cum ſilentio accederent, Patres nil videntes, ſtrepitum tamen ac murmur audiunt continuum. Quare arma conclamantes, vniuerſam commouent vrbem, duoſque vallum occupantes ac deſcenſum parantes hallebardis proſternunt. Tum proximi aliquot ciues in auxilium prouolantes, ceteros adſcenſione facilè prohibent. Cumque ingens conueniſſet hominum numerus, ſtraminis copia in vallo accenſa, hoſtium numerum ac conatus detexit. Quare illi receptui canentes, rebus omnibus deſertis, re infecta, ad Nauarrẽum reuertuntur. Parmenſis verò Laigniaco ad Pontem Charentonium caſtra mouet, qui Laigniacorum clade territi, deditionem fecere. Hinc ad Fanum Claudij; cuius ciues cum clauibus obuiàm habẽs amicè ſuſcepit. Hîc Pariſienſium audit Legatos, qui rerum omnium abundantia læti, eum nunc pro merito excipere cupiebant, quod primo aduentu eis impoſſibile fuerat. Annuit eorum petitioni, cùm primùm vidiſſet, quò Nauarræi tenderent conſilia. At is, qui ſemper ſummopere pugnam deſideraſſe videbatur, nil nunc minùs cogitabat, ſed exercitũ peſte laborare prætexens, in varia præſidia eum diſtribuit, aut in varia diſperſit. Quo Parmenſis viſo, cum tota Nobilitate Pariſios 13. Septembris profectus, Regia magnificentia excipitur, ac per aliquot dies ſe recreat. Interim etſi relictus eſſet Belgij Præfectus Petrus Erneſtus Manſfeldius; tamen quòd exiguæ ipſi relictæ eſſent copiæ militares, Hollandi haud parum res ſuas promouerunt. Iam iam Parmenſi profecturo, cum cohortibus aliquot Wahalim infra Neomagum Hollandi traijciunt, ac mox Mansfeldium ſe inſequi ſimulant. Sed ex itinere reuerſi, Doddendalium maioribus tormentis Kalendis Auguſti oppugnare incipiunt, & nemine ſuccurrente obſeſſis, poſt aliquot dies ad deditionem cogunt. Voluerat Boelius Præfectus pugnãdo potiùs occumbere, quàm voluntati hoſtis ſe tradere: ſed cùm Domina Arcis promiſiſſet ſe pro ipſo interceſſuram, tandem ſe dedit: ſed necquidquam ea rogante, Boelius quòd dudum fidelis Regi militaſſet, capite punitus eſt, præſidiarij nudi dimiſſi, Arx incenſa. Vigeſimo Auguſti, traiecto rurſum Wahali in Batauiam inſulam Neomago oppoſitam cum exercitu Mauritius reuertitur, ſolutáque obſidione Neomagenſi, in Hollandiam tendit; propugnaculo inſigni, Knodſenburg dicto, è regione vrbis à ſe ædificato, de veterano præſidio rebuſque neceſſariis optimè prouiſo. Intereà quidem in Friſia Verdugius munitionem Ementillam in poteſtatem redegerat, obſederátque Nieuzillam; ſed eam paulò pòſt iterùm deſeruit, obuiàm profectus Rodorigo Hiſpano, qui cum nouis aliquot cohortibus ei à Parmenſi ſubſidio miſſus fuerat. At verò Mauritius abſentia Parmenſis benè vtendum ratus, varias expeditiunculas, eo in Francia hærente, cõfecit.

Detecti à Ieſuitis ex cubãtibus, duobus caſis, reliqui fugiunt.

Dedunt ſe Parmenſi Pons Charentonius, & oppidũ S. Claudij.

Nauarrai exercitu diſparente, Parmenſis Pariſios ingreditur.

Interim Hollandi in Belgio non parum res ſuas promouent.

Occupant munitiones duas iuxta Neomagum.

cit. Primo Septembris præſidiarij Bergarum ſuper Zomonam Thenas oppidum vaſtum Brabantiæ parúmque munitum interceperunt, & ſpoliarunt: ac ſimiliter occuparunt eodem menſe Hollandi Burick oppidũ cum Arce ad Rhenum, non longè à Rijnberka. Sub finem quoque eiuſdem Septembris ac initio Octobris recuperarunt arcem Hemertanam prope Siluamducis, munitiones Elshout & Creuecœur, & poſteà etiam arcem Helenſem; item 11. Octobris propugnaculum Ter Heiden iuxta Bredam, & 17. eiuſdem Steenbergam oppidum, & mox etiã propugnaculum in Roſendale. Ad hæc menſe Nouembri Venlonienſes in Geldria à præſidiariis Italis valdè ſibi moleſtis hac ratione ſe expedierunt. Præerat vrbi Nobilis Gelder Benthemius, qui hoc tempore in conficienda peditum Belgarum legione occupatus vrbe diſceſſerat. Conſpirant inter ſe ciues vt Italos eijciant; Germanorumque, qui ſimul in præſidio erant, præcipuos auro corruptos inducunt, vt neutri parti ſe iungãt. Dant fidem. Conſtituto die rumor ſpargitur, poſtridie annuum nundinarum diem; ſummo manè aduenturam mercatorum & aliorum ingentem copiam præſidio tantùm quinquaginta armatorum munitam. Itali eo audito, vt in more habebant, ac vnde ſibi odium pararant, cum octoginta peditibus vrbe exeunt. Cùm certo in inſidiis conſediſſent loco, neminem aduentare ſentiunt præter raros ſolito more ruſticos. Ad meridiem vſq; expectantes, cùm euntibus redeuntibúſque quæ placebant, ademiſſent, deluſos ſe videntes, Venlonium repetunt. Sed portas reperientes occluſas, inſuper ciues commilitones ſuos expuliſſe intelligunt. Itaq; Itali cedentes neceſſitati, ad proxima conceſſere præſidia. Paulò pòſt ciues Germanos etiam exire compulerunt; manſit nihilominùs adhuc ciuitas Catholica, nullum tamen voluerunt admittere præſidium. Ab alia parte quoque Hollandi dolo ferè Duynkerkam Flandriæ oppidum maritimum die 1. eiuſdem Nouembris interceperant. Aderant cum tribus virorum millibus, Solmenſis, Verius, & alij. Sed re detecta, præſidiarij in aduenientes delati, quos expoſuerant milites vi ad naues repulere, inſtrumentáque varia, quibus ad ciuitatis occupationem erant vſuri, eripuere. Eodem menſe Mauritius ad propugnaculum Knodſenburgicum è regione Neomagi reuerſus, vrbem vexare non ceſſabat, ſuiſque id indies munitius reddentes nocte nec die Neomagenſibus quietem dabant. Interea Germani, quòd Hollandi mercatores tutò per Wahalim butyrum, caſeum ac piſces ad ſe nauibus deferre niſi difficillimè poſſent (foderant enim infra Neomagum nouum alueum per Betuam, ſed non ſatis commodum) petierunt, qua tenus mercatoriæ naues inermes, perſolutis conſuetis teloniis ac vectigalibus ſine dãno ire & redire per Wahalim more conſueto poſſent. Neomagenſes habito inter ſe conſilio, qui dictis mercibus

1590

Itidem occupant in Brabantia Thenas, & ſpoliant.

Recuperãt quoq; Arces aliquot circa Siluamducis & Bredã.

Interea & Venlonienſes præſidiarios ſuos Italos vrbe, pellunt.

Pulſi & Germani; perſtitit tamen ciuitas in fide Regis.

Lucri cupiditas Neomagenſibus poſteà cauſa ruinæ.

1590 cibus rem facere erant conſueti, Hollandis ac Germanis permittendum omnino volebant, vrbis vectigalia hac ratione augenda dicentes. Qui verò hoc mercium genere vti non ſolent, nulla ratione admittendũ cenſebant; hoc modo enim hoſti, qui iugulo inhærebat, omnia eorum ſemper fore nota conſilia. vicit tamen priorum ſententia; vnde & tandem anno proximo menſe Octobri, vt ſuo loco narrabimus, in poteſtatem hoſtium venerunt. Parmenſis, poſtquam menſe Septembri Pariſiis aliquot dies quieti ſuæ dediſſet, ad expugnandum Corboilum Pariſienſibus infeſtum eorum rogatu initio Octobris ſe comparat, idque etſi natura, arte, præſidiariis, omnibuſque neceſſariis optimè munitum, arctè obſidet, ac nocte dieque ſine intermiſſione vehementiſſimè oppugnat, præſidiariis nulla quiete data: cumque maioribus tormentis aliquot locis mœnia aperuiſſet, bis à ruina repulſus, tertia oppugnatione vi expugnat, vigeſimo ſecundo poſtquam obſideri cœperat die. Cæſi præſidiarij cum magna parte ciuium, atque oppidum direptum. Quibus proſperis Parmenſis ſucceſſibus etſi commotus, nondum tamen fractus deficiebat Nauarræus, ſed mox decimo Nouembris pridie diui Martini, Corboilum recuperat, inſtrumento bellico (quod *Petarſſe* vocari diximus) porta effracta. Tum varias in partes, ceſſante peſte, raptatis copiis, vario Marte ſubinde cum Parmenſi velitabatur, nunc victus nunc victor. A tribus enim exercitibus, tribus diuerſis locis, anni huius fine Nauarræus oppugnabatur. In ipſo Franciæ ſinu Parmenſis arma circũferebat, apud Nortmannos ac Britones Mænius, in Prouincia Narbonenſi ac Delphinatu Carolus Sabaudiæ Dux; qui aliquot Hiſpanorum millibus à ſoceroRege Hiſpanię acceptis, menſe Nouembri, omnibus in eo tractu, etiã ipſis Maſſiliẽſibus gratus videbatur. Sed de eo pleniùs anno ſequenti. Parmenſis cùm videret Fœderatos Francos ſibi non ſatis fidere (volebãt enim, etſi in vrbibus ab eo captis, nõ niſi Francicum relinqui preſidium) in Belgium per Lutzenburgum tandem ineunte Decembri Bruxellam reuerſus eſt. Delectu habito, ex octodecim pugnatorum millibus vix decem millia inueniſſe fertur, & ex his vix tertia pars erat ſana, ceteros bellum bellíve incommoda ſuſtulerant. Vigeſimo quinto Decembris (qui dies omnibus qui verè Chriſtiani ſunt, ſemper eſt fuitque ob Natalem Chriſti ſacer) Comes Oberſteinius Hollandis militans cum aliis in Weſtphaliam irruptionem facit. in pagis vrbi Monaſterienſi vicinis omnes in templis repertos ſpoliant, ſupellectilem Eccleſiaſticam rapiunt, Sacramenta pedibus conculcant, matronis & virginibus pro ſua libidine abutuntur. Inde Roxelium & Telgetium profecti eadẽ patrant: multos etiam captiuos ſecum ducunt; Ewerſwinckelium & Warendorphium 27. eiuſdem Decembris ſimiliter vaſtant. Poſtridie in

Parmenſis Corboilu Pariſien ſibus infeſtũ ſumma vi oppugnat.

Idem vi expugnatũ Nauarraus non minori vi mox recuperat.

Tres eo tempore exercitus Fœderatorum in Francia.

Parmenſis ex Francia reuertitur plurimis deſideratis.

Hoeſ-

Hoeſvvinckel, præter omnia quæ diximus, etiã Baptiſterium fœdè con- 1590
macularunt. Inde in Abbatiam Marienfeltium venientes, non tantùm *Hollandi multa loca VVeſtfaliæ fœdè populantur.*
in Sacramenta & in Imagines, ſed & in Monachos ipſos turpiter debachati ſunt. Hinc in Paderbornenſem Epiſcopatum irruunt, & eadem ratione inſaniunt, ne quidem Gubernatori Sparenbergio nec eius familiæ parcentes. Metrius his verbis narrat: Ante huius anni exitum Comes Oberſteinius, Truchſeſij nomine (erat is exauctoratus Epiſcopus Colonienſis) cum quodam exercitu in Weſtfaliam & diœceſim Monaſterienſem profectus, Geſeken, vrbem aliáque loca inuaſit & diripuit. Epiſcopus Paderbornenſis vndecim millia dalerorum Imperialium, Colonienſes & Weſtfali octodecim millia, Monaſterienſes etiam bonam ſummam ipſi numerarunt. Sic ille.

Hic annus tres vidit Romanos Pontifices. Sixtus V. obiit 27. Auguſti: VARIA.
electus Vrbanus Septimus 15. Septembris, Romanus, anteà dictus Ioan- *Vidit hic annus tres Pontifices, vnum poſt alium.*
nes Baptiſta Caſtaneus, ſed ante inaugurationem diem clauſit extremũ, die 27. eiuſdem menſis. Subrogatur Gregorius XIV. Mediolanenſis, electus 5. Decembris, priùs Nicolaus Sfondratus appellatus: pręfuitque & hic tantùm vſque ad 15. Octobris anni ſequentis, vt dicemus. Varia fuere de Sixto iudicia, quòd cùm Nauarræum excommunicaſſet, neque deeſſent facultates (nam & præter alia, quæ ad annum 85. cõmemorauimus, etiam theſaurum quemdam immenſum ſolemni ritu in caſtro S. Angeli ſub titulo futuræ aliquando neceſſitatis Sacri belli, dicauerat) aurum tamen nec militem contra eum miſerit; id conſtat, eo mortuo, ſi- *Statua Sixti V. Romæ violata, incertum quare.*
ue ob hanc cauſam, ſiue quòd rigidus iuſtitiæ fuiſſet exactor, Statuam ipſi viuo honoris cauſa in Capitolio poſitam, nocte fuiſſe euerſam. Vnde & Romani decreuerunt, numquam poſthac Pontifici ſuperſtiti (nam & Pauli IV. Statuæ hæc irrogata fuit ignominia) Statuam dedicandam. Decreti tenor marmoreæ tabulæ in hanc ſententiam inciſus conſpicitur.

„ Si quis ſiue priuatus, ſiue Magiſtratum gerens, de collocanda viuo Pon-
„ tifici Statua mentionem facere auſit, legitimo S.P.R. decreto in perpe-
„ tuum infamis, & publicorum munerum expers eſto. M.D.XC.

Digreſſo ex Francia cum copiis Parmenſi, ipſiſque Principibus Fran- 1591
cis Fœderatis non ſatis inter ſe conuenientibus, ſeu tanta mole belli fa- *Mittuntur à Nauarræo Legati ad Angliæ Reginam, & alios.*
tiſcentibus, Nauarræus, vt vno impetu tandem Fœderatos proſterneret, huius anni 1591. initio Vicecomitem Turinum ad Eliſabetham Angliæ Reginam miſit, quæ ei ducenta millia Angelottorum addixiſſe fertur, & Nobilitas Anglica centum millia, totidemque Londinenſes mercatores. Inde Vicecomes ad Hollandos venit, tum ad Lantgrauium Heſſiæ, ac demũ ad Ducem Saxoniæ, promiſſáq; ſunt Nauarræo magna ſubſidia, ſed quæ non ante finem menſis Iulij conuenerunt. Ab altera

parte

1591 parte Gregorius XIV. Romanus Pontifex Duci Mænio & Confœderatis Francis decreuit octo millia peditum, & quatuor millia equitum, quamuis missa non sint nisi septem peditũ millia, & vix duo millia equitum, & præterea vix mense Augusto, vt suis locis commemorabimus. Brisaacus quoque à Confœderatis in Belgium pro subsidiis ad Parmensem missus, responsum tulit, se non posse suo milite carere, nec habere se à Rege suo mandatum: nihilominùs posteà iussus à Rege copias nouas similiter in Germania in vsum Francicæ expeditionis conscribi curauit. Sed de his posteà. Intereà Gratianopolis insignis vrbs Franciæ, non longè à Lugduno, per eos qui alterius quàm Catholicæ Religionis in vrbe erant, Nauarræo dedita est, numerarúntque ciues, vt in gratiam reciperentur, multa coronatorum millia. Mense quoque Februario, ductore Monpenserio Nauarræus oppidum Aurancæum in Normannia obsidione cinxit, cùm intereà Fœderati Honfleurium occupant. Itaque Rothomagenses vicini iuncti sociis Fœderatis Ducem Monpenserium castris exuere, obsidionemque Aurancæam impedire conabantur, sed frustrà. Dux enim paulò pòst vrbe potitus est. Paulò antè quoque Nauarræus Parisiensibus nouas insidias struxerat. Collectis namque aliquot curribus armatis hominibus onustis, in superficie omnis generis commeatu tectis, ea ratione vrbis porta potiri putauit, reliquis mox aduolaturis; sed insidiæ detectæ sunt, & Nauarræi partim cæsi partim fugati sunt. Crescebat tamen iterùm fames Parisiis, & Nauarræis omnia itinera obsidentibus, non nisi armata manu commeatus inferebatur. Ad hæc initio Martij Sancius Nauarræi Legatus Geneuam profectus exercitum collegerat, vt Buringenses, Thonnensem & Euianam ditiones, quas Sabaudiæ Dux nuper occupauerat, recuperaret. Amadæus quidem Sabaudiæ nothus ditiones illas suis præsidiis munierat, exercitúmq; cogebat, quo hosti occurreret. At hostis Geneuâ attractus maioribus machinis Buringensem munitionem oppugnauit, & deditione cepit; inde & duas alias, sed non sine sanguine, recuperauit. Sub idem tempus Philippus Hispaniarum Rex, missa classe, Blauetum nobilem portum minoris Britanniæ occupauit, & incredibili opere celeriter communiuit, titulo siue Fœderis Sacri, siue etiam iuris filiæ suæ Isabellæ, vt quæ nomine matris, quæ soror fuit maior natu vltimi Regis Francorum Henrici Valesij, succederet, etsi non in totum Franciæ Regnum, obstante Lege Salica quæ feminas excludit, attamen in Regnum hoc Britanniæ minoris, quod constat sub annum 1515. Claudiam filiam vnicam Annæ Britannicæ attuliſſe pro dote Francisco Primo Valesio, neque liquet naturam successionis ibi mutatam. Portus hic situs est ex opposito Angliæ, vbi traiectus in Vectim, & inde in Angliam breuissimus est. No-

Altera parte & Fœderati Franci vndiq; auxilia conquirunt.

Variis locis iterùm fer-uet in Frã cia bellum.

Inter alia, Parisienses iterùm obsideri cœpti.

Rex Hisp. missa classe Blauetum Britanniæ minoris portum occupat.

uis igitur curis hæc res Angliæ Reginam quoque implicauit, quæ con- 1591
feſtim ſexcentos tum pedites tum equites in Britanniam miſit, vt Hiſpanorum excurſiones impedirent. Sed & Nauarræus Lanouuin (qui 4. Februarij ex carcere Antuerpiano redierat, commutatione duorũ Præfectorum Hiſpanicorum qui in Zelandia aduerſo caſu claſſis Hiſpanicæ anno 1578. fuerant capti) eò cum inſtructiſſimis copiis ablegauit. Verùm de his pleniùs ſuis locis; nunc pluſquam tempus eſt, vt quid intereà apud Belgas actum ſit commemoremus. Sanè Hollandi, etſi in res Francicas æquè eſſent intenti atque Regij, dum Catholici Caluinianum Nauarræum ibi regnare nolunt, Hollandi & Angli quàm maximè volunt; tamẽ nec in Belgio intereà ſibi iſti deſunt. Primùm Noritſius, Oſtendę in Flandria Reginæ Angliæ oppignoratæ Gubernator, 15. Februarij vicinũ propugnaculum Regium, & pagum Blanckenberg nocte inuaſit. Præſidiarij ad munimentum in collibus arenoſis confugiebant. Vbi illuceſcente die, cùm per tympaniſtam deditionem fieri Noritſius peteret, tympaniſtam ſclopeto interemerunt. Quare ſummo furore oppugnati, ſuperati, & vltra centum cæſi ſunt, pauci ſeruati. Itidem à Præfecto Littelton Anglo & aliis argutum ſtratagema in Sluſam intentatum, ſed ſine ſucceſſu. Quidam etiam Ordinum milites eodem menſe Februario arcem Carpenam prope Coloniam inuadere incaſſùm tentabant, multos tamen equos & captiuos inde ſecum abducebant; ſed quibus iterùm à Regiis Noueſienſibus & Meurſenſibus præſidiariis fuerunt exuti, multique ſimul cæſi. Contrà Parmenſis etiam in Bredam ſtratagema, in ciuitate pecuniâ quibuſdam conductis, adornarat, & ſimiliter in Lochemum Geldriæ oppidum; ſed vtrumque fruſtrà fuit. At meliori ſucceſſu præſidiarij Bredani arcem Turnhoutum in Campinia Brabantica operâ coctoris cereuiſiarij 2. Aprilis inuaſerunt. Etenim dum currus cereuiſiarius in ponte Arcis hæret, ipſe vigilem vnum ponte deijcit, alterũ transfodit; mox Hollandi, qui in domo ruinoſa vicina latent, accurrunt, & Arce potiuntur. Rurſum 20. Aprilis nomine Truchſeſij exauctorati Colonienſis, quidam ex Oberſteinij & Verij militibus Kollenbergam arcem prope Vrdingam oppidulum ad Rhenum nocte occupant, quo Stralenum aliquando inuadere ſperabant. Vicini ruſtici ilicò Arcem cingunt, & deditionem à militibus flagitant: quibus reſponſum, ſe non conſueuiſſe ruſticis munimenta dedere. Præbent ſe ruſticorum ductores Dominus in Millendonck & Arnoldus Wachtendonckius, & Arcem obſident, cùm 23. Aprilis nuntiatur Hollandos cum ingenti militum manu in procinctu eſſe, vt Arcem obſidione liberent. Quare cùm numerus Regiorum militum, qui ſubſidio venerant, exiguus eſſet, receptui canitur. Attamen, cùm poſtridie ſignificatum fuit, hoſtem magno ſuo-

Miſſi à Nauarræo & Angla, quò Hiſpanis ſe opponant.

Hollandi vi Blanckenberg in Flandria occupant.

Tentata alia in Belgio vtrimque, ſed ſine effectu.

Hollandi arce Turnhoutana potiuntur.

Kollenbergia capitur, mox iterùm recuperatur.

rum

1591 rum detrimento Stralenum fruſtrà tentaſſe, redieruntanimi, & de oppugnatione ſeriò cogitatum eſt. Itaque 26. eiuſdem Aprilis machinæ bellicæ maiores, puluis tormentarius, aliáque huc neceſſaria Noueſio in caſtra comportata ſunt,& triduo pòſt continuis tormentorum tonitruis muri concuſſi,magnáque parte diſturbati ſunt. Territi tam inopinato caſu præſidiarij, de deditione cogitare cœperunt, Dominúmque Quadenum & Paſtorem in Wilich,quos captiuos habebant,ad Millendonckium miſerunt,vt cum illo deditionem paciſcerentur. Conditiones erãt hæ: Præſidiarij abſque vllis armis Arce exirent, & in tutum deducerentur. Ioannes Iuliacenſis miles Arcis proditor Millendonckio traderetur, eiuſq; arbitrio tractaretur. His conditionibus Millendonckio Regij militis Præfecto Arx dedita,& Ioannes Iuliacenſis tertio pòſt die proditionis pœnas laqueo ſuſpenſus luit. Quarto Maij Hollandi arcem Weſterloam inuaſerunt,vix vllo reſiſtente, cùm iunior Dominus de Merode in venatione eſſet: quæ Arx poſteà toti Brabantiæ pluribus annis,vt audiemus, maxima incommoda intulit, inſigni prædonum ſpelæo ibi conſtituto. Comes Mauritius & Ordines Fœderati totis quatuor menſibus elapſis, quęcumque ad maximam aliquam expeditionem erant neceſſaria,ſibi compararant. Itaque circa 12. Maij operi ſe accingunt. Spargitur rumor,Mauritium Bergas diuæ Gertrudis velle obſidere,omnibuſq; viribus expugnare. Plus quàm quadraginta maiora tormenta cum vario apparatu bellico nauibus impoſita ſunt. Aggeres aliquot ad Moſam Siluæducis vicini perforati,& aliquot militares copiæ Bredam miſſæ ſũt. Ex quibus omnibus veriſimilis erat ſuſpicio, aut Siluamducis aut Gertrudenbergam obſeſſum iri. Siluæducenſes vrbem ſuam munierunt, & Parmenſis præſidium Gertrudenbergenſe auxit,commeatúmque ad aliquot menſes ſufficientem inuehi curauit. Dum hæc aguntur,Mauritius ſumma cum celeritate claſſẽ centum circiter nauium tam minorũ quàm maiorum adornat,eáque Rhenum ingreſſus, beneficio venti breui tempore Arnhemium peruenit. Vigeſimo ſecundo Maij profunda nocte duodecim milites Hollandi Doesburgo in habitu ruſticorum & ruſticarum egreſſi,nondum eluceſcente die ante propugnaculum à Regiis inſeſſum ex oppoſito Zutphaniæ in Velua conſtructum venerunt, in corbibus ſuis oua,butyrum,& caſeos quaſi venales ſecum deferentes. Nondum portæ munitionis erant apertæ. Bacillis itaq; ſuis ruſticorum more innixi,dum portæ aperirentur,expectabant. Reſeratis portis, magnus præſidiariorum Regiorum numerus ſcaphis Iſalam flumen traiicit,& in vrbem ſe recipit. Perſonati igitur ruſtici illi paucitate militum magis animati munitionem ingrediuntur,ſua vęnum exponunt. Pręſidiarij accurrentes emunt,hic oua,butyrum ille,alius alia, donec tandem quidam

Hollandi arcẽ VVeſterloam in Brabantia occupant.

Dudum incertum quò Mauritius copias paratas ducat.

Tandem Arnhemiũ verſus proficiſcitur.

Hollandi munitionẽ Zutphanienſem aſtu recuperant.

ex

ex Mauritianis extracto veſtibus ſclopeto, vnum ex Regiis ſternit. Confeſtim audito ſigno, qui in inſidiis latebant ſocij, in imparatos irruunt, domum in qua excubiæ habebantur, occupant, excubitores omnes capiunt, & munitionem in ſuam poteſtatem redigunt, tanta celeritate, vt vnus tantùm ex Regiis, & vnus ex hoſtibus deſideratus ſit. Occupata hoc ſtratagemate munitione Zutphanienſi, non diu cunctandum ratus Mauritius, collectum exercitum ſumma cum celeritate 24. eiuſdē Maij, hoc eſt ſequēti die poſt captam munitionem, ad Zutphanienſem ciuitatem duxit. Comes Guilielmus Naſſouius etiam vocatus 26. eiuſdem cum ſuis copiis venit. Hoc & ſequenti die 27. foſſis ducendis, tormentorum ſtatione præparanda, & ponte Iſulam ſternendo erant occupati. Comes Oberſteinius in primo ad vrbem aduentu, cùm incautiùs luſtrat mœnia, globo traiectus, ipſo momento occubuit. Oppidani erumpentes cadauer ſpoliarunt, & in vrbem inferre voluerunt: ſed accurrentes ſocij oppidanos repulerunt, & cadauer nacti Arnhemum ſepeliēdum miſerunt. Eadem nocte, quę vigeſimam ſeptimam Maij ſequitur, tormenta bellica è nauibus extrahuntur, rotis imponuntur, & opportunioribus locis tam breui tempore diſponuntur, vt fidem pęnè excedat: qua in re claſſiarij nautæ fidelem Mauritio præſtiterunt operam. Poſtridie, qui fuit 28. Maij, circa meridiem, pręparatis omnibus, magno impetu ad vrbem fulminatum eſt, innumeriſque globi continuò in vrbem immiſſi. Tum miſſus tubicen, qui vrbem dedi petebat. Conſternati oppidani, aliquod conſultandi ea de re temporis ſpatium exigunt. Quo denegato, Præfectum Deckema & Seruetium miſerunt, trium dierum ſpatium, intra quod Verdugij conſenſum petere poſſent, rogantes. Quod itidem ipſis denegatum, & hora tantùm ad deliberandum conceſſa. Vrbs erat ampla & ſpatioſa, præſidium exiguum ad tuenda mœnia minimè ſufficiēs. Ad hæc commeatus exigua ferebatur copia, pulueris verò tormentarij ſaliſque multò minor. Quare declinante iam ad veſperā die paciſcuntur, vt præſidiarij cum gladiis, & quantum impedimentorum humeris efferre poſſent, vrbe quò vellent exirent, ſimiliter Eccleſiaſtici & ciues. Ita curribus aliquot & equis conceſſis (pro quorum reſtitutione Laukema cauebat) 29. Maij Dauentriam vſque deducti ſunt. Tanta hæc omnia celeritate geſta ſunt, vt tam vrbs quàm propugnaculum citiùs occupata ſint, quā fama obſidionis ad vicinos peruenerit. Mauritius 30. Maij ingreſſus vrbem, eodem pęnè momēto equitatum omnem Dauentriam, quæ Zutphaniâ duobus tantùm miliaribus diſtat, præmiſit. Peditatus cum omni apparatu bellico, qui copioſus erat, mox ſubſecutus eſt. Die vltimo Maij Mauritius in caſtra ad Dauentriam veniens, exercitum in certas turmas diuiſit, ſinguliſque ſuas ſtationes aſſignauit, quas circum-

1591

Mox Mauritius ipſe quoq; Zutphaniam obſidione cingit.

Incredibili celeritate diſponit tormenta, & fulminat.

Deditur Hollandis Zutphania.

Eadem celeritate & Dauentriā Mauritius aggreditur.

1591 ductis vallis munierunt. Deinde duobus pontibus fluuium, vno ſupra, altero infra vrbem iunxerunt. Tandem quibus locis vrbs infirmior videbatur, tormenta bellica locarunt. Legati Neomagenſium, & aliarum ciuitatum in hoc tractu, non vno, ſed diuerſis temporibus in aula Parmenſis ſubſidia, tum per ſe, tum Principes viros flagitauerant; quòd ſi vrbibus non ſuccurratur, fore breui, vt in manus hoſtium incidant, aut incolæ coacti ſe dedant, luculentiſſimis argumentis docuerant: ſed quorum intererat Regi ſuas vrbes & Prouincias conſeruare ſaluas, hi quaſi lethargo oppreſſi, vt extremè periclitantibus rebus ſuccurrerent, permoueri non poſſe videbantur. Amiſſa iam erat Zutphania, obſeſſa Dauentria, periclitabatur grauiſſimè iam tum ab anno ſuperiori Neomagum: tantorum malorũ querelæ per omnium ora volitabant, & aliquid monſtri in aula Principis ali haud pauci ſuſpicabantur. At melior aliorum prudentum opinio fuit, ita belli neruum bello Francico exhauriri, vt Belgio ſimul tutando minùs ſufficeret. Nihilominùs Parmenſis 3. die Iunij lectiſſimas aliquot peditum equitumque cohortes ad Moſam fluuium præmittit, ipſe cum reliquo exercitu, omnique apparatu bellico 10. eiuſdem menſis ſe in iter dat; magnis itineribus, citatiſque equis Traiectum ad Moſam, inde Ruremondam venit, vt Dauentrienſibus ſuccurreret, hoſtémque à muris fugaret. At intereà Mauritius, paratis omnibus ad oppugnationem neceſſariis, nono Iunij, qui dies octauus erat à Pentecoſte, in ipſo diei crepuſculo viginti octo tormentis maximis portas & mœnia vrbis Dauentrienſis ſine vlla intermiſſione aliquot horis verberarat: deinde per tubicinem vrbem ſibi & Ordinibus Fœderatis dedi popoſcerat. At Hermannus Tſherenbergius Comes vrbis Gubernator, Mauritij conſobrinus, renuntiare tubicinem iuſſit, ſe conſobrinum ſuum ſalutare, fauſtúmque diem illi optare; ciuitatem autem ſe in vſum Regis ſui defenſurum quamdiu viueret. Relato in caſtra hoc nuntio, abſque vlla mora, tanto furore & inſania, tanto fulmine ac tonitru, tot tormentorum ictibus toto illo 9. die Iunij ſine vlla intermiſſione debacchatum eſt, vt multi mirati ſint machinas vi ignis non fuiſſe diſruptas. Machinas autem commodiſſimo loco diſpoſuerant, vbi mœnia vallum obiectum aut nullum aut exiguum habebant, ſed propter fluuium & portum adiacentem tuta putabantur. Prætereà tanta erat in vrbe pulueris tormentarij inopia, vt licet tormenta oppidani haberent plurima, vti tamen liberaliter iis non auderent, metuentes ſibi tandem puluerem defuturum. Cuius ſi copiam habuiſſent, Hollandorum vires retardare, machinas multas diſturbare, hoſtémque longiùs à muris arcere potuiſſe ferebãtur. Numerati ſunt eo die pluſquam quatuor millia ictuum, totidémq; grauiſſimi ponderis pilæ in vrbem eiaculatæ. Intereà eodem adhuc die 9. Iu-

Lethargus quidam in aula Parmenſis, pro quorumdã ſenſu.

Miſſi à Parmenſi, qui Dauẽtrienſibus opẽ ferant.

Mauritius, diu verberata Dauẽtria, dedi eam ſibi poſtulat.

Negante Sherenbergio, iterùm ea tormentis quatitur.

nij

nij nauis quædam oblonga è flumine in portum ſubducitur, aſſeribuſq; ſtratis pons conficitur, per quem in ruinas atq; adeò in vrbem ipſam milites procurrerent. Deinde ex ſingulis ſtationibus conſtituti, qui vrbem oppugnarent. Prima pugna Anglis decreta eſt, ſecunda Scotis, tertia Comiti Solmenſi & Bredenrodio: qui omnes iam ordine, quo res tentanda eſſet, in armis parati ſignum expectabant. Claſſicum canitur: Angli magno clamore furoreque primi vrbem inuadunt. Oppidanorum ſeptem ſigna in ipſis ruinis ſtabant, omnes ad pugnam paratiſſimi. Cùm Angli in pontem recepti eſſent, inuentus eſt pons breuior, quàm vt ex illo in ruinas perueniri poſſet: hîc priores vrgentibus poſterioribus, plurimi Anglorum in aquam detruduntur & ſubmerguntur: alij ex ponte in ruinas proſilientes ab oppidanis hoſtiliter accepti & trucidati ſunt. Magna hîc Anglorum cædes editur: tandem receptui canitur. Sed neq; incruenta fuit hæc oppidanis victoria. Dum enim pugnatur, Mauritiani bis ſua tormenta diſplodunt, & in propugnantes eiaculantur. Sternitur hîc quidã Mulertius nobilis, cui globo tormentario à latere Comitis Hermanni caput aufertur: ſternuntur & alij, ipſe Comes Sherenbergius lapide à muro pila diſiecto grauiſſimè in facie vulneratur, adeò vt viſum pęnè amiſerit. Ita ceſſatum eſt eo die. Poſtridie, qui fuit 10. Iunij, omnia denuò & ad operas diſturbandas & ad vrbem oppugnandam præparata ſunt. Sed qui in vrbe erant, iniquiſſimo ſe loco pugnare vidẽtes, tormentis hoſtilibus toti expoſiti, de deditione cogitare cœperunt. Inſignis toto obſidionis tempore Comitis Hermanni virtus enituit, qui ſi vulneratus nõ fuiſſet, aut numquam, aut vi vrbem hoſtes capere oportuiſſet: deditionis enim mentionem non ferebat. At hoc rerum ſtatu, cùm ipſe decumberet, ægrè tandem eò adductus eſt, vt cum aliis in deditionem conſenſerit. Dum itaque Mauritiani ſe ad nouam pugnam præparant, nuntius in caſtra venit, qui oppidanos cum hoſte paciſci velle attulit. Magnum in caſtris exortum eſt gaudium: dantur petunturq; obſides; deſignantur quibuſcum de deditione agatur. Pleraque quæ
» petebantur admiſſa ſunt; Milites explicatis exirent ſignis cum omni ar-
» matura, ſonantibus tubis tympaniſque: impedimenta quoque omnia
» plauſtris equiſque aueherent. Ita vrbs hæc 10. Iunij in poteſtatem Ordinum Fœderatorum dedita eſt. Mauritius conſobrinum ex amita Sherenbergium Comitem Hermannum vulneratum, vt diximus, proprio ſuo curru Groningam vehendum curauit. Parmenſis nuntio in itinere accepto antequam Ruremondam attigiſſet, exercitum in terrã Cliuienſem deducens, ad Monaſterium Marienboom non procul ab vrbe Calcarienſi conſedit, conſilia hoſtis ſpeculaturus. Proximum videbatur, Mauritium Steenwijckam petiturum: at cùm intellexiſſet Verdugium

1591

Acies inſtruuntur Dauẽtriæ oppugnandæ.

Magna vtrimque cædes; læſus quoque ipſe Sherenbergius.

Paratur ſecunda inuaſio, Sherenbergio ex vulnere decumbente.

Deditur Dauẽtria, cùm Parmenſis nondum Ruremondam attigiſſet.

1591 Steenwijckam nouo milite & commeatu auxiſſe, centum quinquaginta nauibus exercitu ſuo impoſito, Enchuſam & Harlingam præterlegens, relictâ Steenwijckâ in Groningẽſem Prouinciam ſuos expoſuit. Ibi propugnacula aliquot, Ementillam, maiorem Auvvartam & Opſlagam expugnant. Inde Delfzielam propugnaculum in ipſo fluminis Groningâ per Dammam in Amiſiam labentis aditu progrediuntur. Illud tormentis dedi, aut certè qui apparatum quo oppugnandi eſſent inſpiciant, emitti poſtulant. Id diſſidium inter præſidiarios prębuit: viſoque apparatu 2. Iulij propugnaculum dediderunt, ex quibus Verdugius aliquot capite puniuit. Sed magis arcis Weddæ obſidio Mauritium remorata eſt; qua tamen ſuperata, cùm ipſe vltrà progrediens aliis firmiùs muniẽdam ſeruandámq; reliquiſſet, Verdugius ſtatim cum præſidiariis Schutendiepenſibus & aliis eò venit, dedereque Arcem, & albis bacillis exire eos coëgit: quo facto Groningenſes iterùm liberum per Bourtangam acceſſum recuperarunt. Multùm Parmenſis in Hiſpanis ob ſtipendia dudum in Herentals & alibi tumultuantibus ſedandis, ſecumq; ducendis, laborabat; ſed fruſtrà fuit. Tandem multis precibus Neomagenſium fatigatus, 13. Iulij Neomagum verſus mouet, collectiſque omnibus ſcaphis & pontonibus nocte Wahalim traijcit, & in Betua, veteris Batauiæ parte (inſula inter Wahalim & Rhenum ſita) caſtrametatur, propugnaculúmque Knodſenburg è regione vrbis Neomagenſis ab Hollandis ſuperiori anno, vt diximus, conſtructum, poſtridie, qui fuit 14. Iulij, obſidere cœpit. A parte Orientali Comes Barlemontius, ab Occidentali Comes Octauius Mansfeldius, ſub ipſa munitione ſuas habebant ſtationes. Equites in pago Lent à Septemtrione aduerſus hoſtium aduentum excubabant. Comiti Boſſuuio, Beaureſio, aliiſq; Regulis & Chiliarchis cum ſuis legionibus ſua quoque in circuitu ſtatiua erant deſignata. Inſignis & validus erat exercitus: qui ſi æquo loco cum hoſte de ſumma rerum pugnare potuiſſet, à multis victor futurus credebatur: ſed ad oppugnationẽ tanti propugnaculi non videbatur iuſtus apparatus. Cunicularij nulli, tormenta pauca, puluis exiguus, ita vt Parmenſis potiùs ad prælium quã ad oppugnationem veniſſe iudicaretur. Diſpoſitis ſtationibus conducti ſunt Germani pedites, qui hoſtile propugnaculum foſſa circumdarent, qua tandem obliquis ambagibus ſub ipſum propugnaculi vallum militi pateret acceſſus. In eo opere ſex aut ſeptem diebus maximo cum Regiorum detrimento deſudatum eſt. Quò enim fodiendo magis hoſti appropinquabant, eò plures ſternebantur, aut vulnerabantur. Parmenſis ipſe quotidie caſtra luſtrabat, operáſque vrgebat. Dum huic operi inſtat Germani pedites, equites peditúmq; legiones aliæ aliquot millia faſcium comportant, quibus foſſæ munitionis obſtruerentur; & tandem machinæ

Mauritius ſuos in ditionem Groningẽſem ducit.

Inter alia obtinet arcem VVeddenſem, iterumq; amittit.

Parmenſis Knodſenburgum è regione Neomagi obſidere parat.

Aliquot diebus magno cum Regiorum damno vallũ ducit.

næ aliquot præter eas quas ipſe Dux aduexerat ex vrbe attrahuntur, omniáque ad vallum diſturbandum præparantur. Die 22. Iulij D. Magdalenæ ſacro manè hora quinta Dominus la Motte nouem tormentis vallum propugnaculi verberauit; paulò pòſt ſex, deinde tribus; ſeptima hora ceſſatum eſt: ictus in vniuerſum numerati ſunt circiter ducenti triginta. Mirabantur multi, cur non maior ruina fieret. Exigua quidem illa vi vallum adeò fuit conuulſum, vt Signifer Hiſpanus accurrens illud facilè aſcẽdere potuerit, quem Hiberni aliquot ſecuti ſunt, & collato pede cum hoſte in ipſo vallo præliabantur: non tamen iuſtæ erant ruinæ. Octaua circiter hora corona munitionem inuadunt, & diu velitantes infinitam ſphęrularum vim in ſe mutuò eiaculati ſunt, ſed temerè & abſque vllo fructu, cùm ruinæ ſufficientes, vt diximus, non eſſent ſtratæ, per quas aditus pateret. Poſteà cùm receptui ſignum datum eſſet, altum in caſtris fuit ſilentium, in vrbe verò mœror & trepidatio. Captatur aliud conſilium, vallum ſuadent ſuffodiendum, & immiſſo puluere euertendum: id ciuibus perſuadetur. Mauritius his intellectis, relicta Friſia exercitum in Geldriam reduxit. Trepidabatur enim ob præſentiam Parmenſis, etiam Arnhemi & in vicinis oppidis. Timuit & ſuis Vigius vrbis Tiletanæ Præfectus: portam oppidi qua iter eſt Nouiomagum obſtruxerat, aggerem antiquum reſciderat, nouumque, vt hoſti præcluderet iter, excitauerat. Mauritius cùm Arnhemum veniſſet, ponte fluuium iunxit, intentus, ſi hoſtis exercitum ex improuiſo carpere poſſet. Itaque 24. Iulij aliquot equitum peditúmque turmas in inſidiis non procul à Rheno poſuit, & duas turmas equitum in penitiorem Batauiam præmiſit, quæ hoſtem prouocarent. Quas cùm conſpexiſſent ducenti circiter equites Regij, inter quos Prætoria cohors Parmenſis, in eas feruntur. Pugnatur cominus, capiuntur quadraginta circiter Mauritiani, fugiunt reliqui: Regij in illo feruore vehementiores, illos inſequuntur, donec iuxta ponticulum erumpunt ex inſidiis Mauritiani, deinde & alij qui in circuitu erant, & Regios tam à tergo quàm à fronte circumuenientes, plures cædunt, ceteros, elapſis quibuſdam, viuos capiunt. Captus eſt Rigallaius Prætoriæ ductor, item Marchionis Guaſti frater, illius Vicarius, & alij quidã Nobiles, gregarijque equites plures. Cęſorum captorúmque numerus apud Regios cenſebatur centum circiter & quinquaginta, alij referunt ſeptem fuiſſe equitum turmas, & ex his quatuor inſignia Arnhemum, & ducentos captiuos, exceptis occiſis, fuiſſe in triumphum ductos. Captabat Parmenſis occaſionem ſe de hoſte vindicandi, & ea nocte cum parte exercitus in interiora Batauiæ ingreſſus, hoſtem vbique quærebat. Sed ille ſe ſuis caſtris continuit. His omnibus malis acceſſit, quòd quotidianæ cõtinuęque pluuiæ Batauicam terram prorſus gleboſam ad gerendum bel-

1591

Vallum hoſtile ſternitur, ſed arctiori ruina quã opus eſſet.

Inuaditur Knodſenburgum propugnaculum, ſed ſine fructu.

Adeſt Mauritius cum exercitu Arnhemi.

Mauritiani equites, plures Regios cadũt, alios capiunt.

1591 lum redderent inutilem, flumenque vtrimque in immensum cresceret, ita vt operæ omnes aquis inundarentur. Altero igitur die 25. Iulij D. Iacobo sacro Parmensis de expugnatione propugnaculi desperans, & maius incommodum metuens, suos conuasare, & obsidionem soluere præcepit. Maiora tormenta præmisit, ipse cum exercitu toto pene biduo adhuc in Batauia mansit, hostem expectans, si forte ad manum venire auderet. Tandem equites primò, deinde pedites eo ordine (quod potissimùm in hac expeditione laudatur) flumen traduxit, vt nullus è suis desideratus sit, ita affirmantibus multis testibus oculatis; vt mirum sit Metrium ausum scribere, magno suo damno, instantibus Mauritianis, Parmensem euasisse, duobus tormentis relictis, & pontonibus aliisque scaphis submersis. Parmensis suis Wahalim traductis in vrbem venit. Magnus erat Principum & fortissimorum Præfectorum in vrbe numerus; consilia quotidie conferebantur, nihil tamen statutum fuit, quod magnopere ad vrbis conseruationem faceret, nisi quòd tribus præsidiariorum signis decreta sunt aliquot coronatorum millia, vnde quinque mensibus stipendia, & quinto quoque die panes quinque librarum coctos acciperent. De augendo autem præsidio diu multúmque disputatum est. Ceterùm non placuit ea res quibusdam ciuibus, qui aut ipsi res nouas affectabant, aut ab aliis erant subornati. Sunt nihilominùs qui asserunt, Senatum tandem à Parmensi vnam equitum turmam adhuc petiisse, sed Parmensem respondisse, se totum exercitum suum in procinctu relicturum, neque afflictis afflictionem velle addere. Vtut est, hoc modo compositis rebus, 4. Augusti sub vesperam omnibus Principibus & belli Præfectis præcipitur ea nocte se ad iter parent: Ducem enim summo manè discedere decreuisse. Postridie vixdum orto Sole Parmensis cum octingentis circiter equitibus, omnique comitatu aulico Neomago discedit, Verdugio Imperatore totius exercitus, qui in Geldria relinquebatur, & iuxta Craneburgum castra metabatur, creato: qui paucis pòst horis ex vrbe in castra quoque profectus est. Parmensis, quia aduersa valetudine conflictabatur, ad fontes iterùm Spadanos profectus est, atram bilem (vt multi ludibundi iactabant) ex simultate cum Hispanis post infelicè expeditionem Anglicanam anni 1587. contractam seu concitatam purgaturus. Verdugius autem paulò pòst Craneburgo castra mouens, ad pagum Wees haud procul Goch ac Mosa consedit. Hollandi interim instructa classe Neomagum nauigant, ac ex propugnaculo Knodsenburgico, aliisque rationibus vrbem vexare pergunt. Sed quoniam Verdugius indies Nouiomagum veniebat, aut belli peritum mittebat, tantisper obsidionem suspendentes, classe eadem benè instructa, nemine hoc expectante, in Flandriam nauigant, oppidúmque Hulstum obsident. Fama

Cælo pluuio Parmensis de expugnatione propugnaculi desperat.

Itaq; suos in tutum trãs VVahalim reducit.

Frustrà agitur de augendo Neomagi præsidio.

Interim Verdugius cum exercitu in vicino haret; Parmensis Spadam reuertitur.

Hollandi celerrimè in Flandriam nauigant, Hulstum oppugnaturi.

postea

poſteà fuit, Mauritium iam anteà conueniſſe cum ciuibus rerum noua- 1591
rum ſtudioſis, ac aliquot præſidiariis Germanis, præſertim Præfecti Legato, de tradendo oppido. Profectus enim Bruxellam Prę-fectus ſuorum ſollicitabat ſtipendia, quæ à multis eis menſibus debebantur, ideoq; alieniores à Regia militia videbantur. Ne autem proditio detegeretur, oppugnari voluerint, deditionem tempore facturi. Fit ita. Tormentis oppugnatur vallum muruſque, fit apparatus oppugnationis. Tum qui intus erant, clamare ac murmurare, non ſe poſſe trium cohortium præſidio oppidum defendere, negligi ſe ſperniq́ue à Parmenſi Bruxellæ aut Spadæ deſidente; honeſtam igitur faciendā deditionem. Fideles ac probi ſine ſociorum auxilio ſe hoſti impares ſcientes, vel inuiti conſenſere, „ac hoſti oppidum, cum armis, vexillis, impedimentiſque exeuntes, „die 20. Septembris dedidere. Ciuibus ſex millia florenorum imperata; „biennio liberum Catholicæ Religionis exercitium promiſſum, ſed non ſeruatum. Inde peditum quinque, equitum turmas duas recipere ſunt iuſſi, & totidem in erectis mox à ſe circum oppidum munitionibus, tum ſuis tum vicinorum pagorum ſumptibus alere. Mondragonius arci Antuerpianæ Præfectus, Hollandorum aduentu intellecto, pecuniaria auxilia ditionis Waſanæ Hulſti amiſſione perdi ſciens, in vnum coactis quatuor peditū millibus cum mille equitibus, ac mille Hiſpanis peditibus, alioqui ob non ſoluta ſtipendia ſeditiosè agentibus, in Flandriam profectus, Hulſtum ſe ſi non ſeruaturum, ſaltem recuperaturum, aut Hollandis cladem illaturum ſperat. Sed vtroque eſt fruſtratus. Hollandi enim oppido & propugnaculis locis aquoſis egregiè munitis, ac de rebus neceſſariis prouiſis, vela Hollandiam verſus dederant. Inter hos motus Neomagum è Knodſenburgico propugnaculo nihilominùs tundebatur, ſimulq́; naues aliquot armatæ vrbi erant infeſtæ, donec à ciuibus nouarū rerum cupidis admoniti Hollandi, tempus iam eſſe tentandę terrâ vrbis, (paruas enim eſſe vires Verdugij, & ciues ærumnis fatigatos non ſatis inter ſe conuenire) reducta claſſe iterùm eò nauigant. Conſpecta eſt claſſis à Neomagenſibus 14. Octobris hora circiter prima pomeridiana, auctaq́ue ad veſperam vſque, donec tota eſſet appulſa. Poſtridie ponte Wahalim paulò infra vrbem iungere cœperunt. At oppidani, attracto in turrim S. Huberti maiori tormento, quoſdam in ponte vulnerarunt. Quare diſſolutus pons, paulò inferiùs extra teli iactum denuò compactus eſt ea celeritate, vt iam 16. Octobris die abſolutus totum exercitum tranſmitteret; qui quaſi corona vrbem cingens, totum agrum ſuburbanum impleuit, atque vbi caſtra figenda eſſent explorare ſe finxit, reuerà autem vires tantùm ſuas ſeu numerum oſtentauit, vt terrorem oppidanis incuteret, ſeditionémque in vrbe concitaret. Sed cùm ſumma adhuc eſſet in vrbe

Oppugnatur Hulſtū, mcxq; deditur, non ſine ſuſpitione proditionis.

Mondragonius ſerò Hulſto auxiliari parat.

Neomagū totius viribus tam Hollandi oppugnandum cenſent.

Copiæ Hollandicæ VVahalim tranſmittunt.

1591 tranquillitas, & præſidiarij erumpentes quoſdam caperent, quoſdam trucidarent, fortiſſiméque pugnarent, ſub veſperam in Betuam ſeu Batauiam inſulam vicinam reuerſi ſunt, paucis exceptis, qui pontem cuſtodiebant. Trepidabant nihilominùs oppidani, interque ſpem & metum hærebant: diuerſos enim nuntios ad Verdugium mittebat Senatus, at nemo adferebat ſolatium; ſed & exiguus idcircò in vrbe fiebat ad reſiſtendum apparatus. Die 17. eiuſdem Octobris totus iterùm Hollandorum exercitus, cùm nouis litteris (vt quidam volunt) ſtatum vrbis didiciſſet, Wahalim traiecit, & in editiſſimo colle, qui veteri cœmeterio ex oppoſito eſt, caſtra locauit, eáque poſtridie circumducto vallo muniuit. Tunc qua parte hoſtis vrbem oppugnare pararet, viſum eſt. Obſtructa igitur porta, qua in Oyenſem agrum itur, vetus cœmeterium, eaque pars vrbis quæ intra Wahalim & caſtrum interiacet, muniri cœpta eſt. Nouo inſuper vallo congeſto, eadem pars à reliqua ciuitate ſeparata; vt ſi hoſtis eam cepiſſet, nouum quo repelleretur obicem inueniret. Laboratum eſt à viris & feminis, à pueris & ſenibus toto biduo ſtrenuè, nec vllæ auditæ ſunt querelæ, tantummodò vt ciuitas Regi & Religioni Catholicæ ſalua permaneret. Erant tamen in vrbe, ſed pauci, quibus diſplicebat hæc tanta ciuium concordia. Præſidiarij interim excurrentes & velitantes palantem hoſtem excipiunt, hunc capiunt, illum ſternunt, iſtius equum in vrbem introducunt. Sed tunc demum oppidani ſuo malo didicerunt, quàm neceſſarium ipſis fuiſſet aliquot equitum præſidiũ. Die 18. qui erat S. Lucæ ſacer, ſub noctem (vti & pridie) ignis viſus eſt in turri Grauienſi, quod ſpectaculum multis fidem faciebat ſubſidium adeſſe, ſed nihil eſt ſubſecutum. Hoſtis intereà vrbi cœpit appropinquare, primò ad emiſſarium Oyenſe, inde iuxta collem in quo homines ſcelerati plecti ſolent. Poſtridie, qui fuit 19. Octobris, in ipſo diei crepuſculo ad arma conclamatum eſt: hoſtis enim ad mœnia vſque procurrens vrbem inuadere velle putabatur. Ciues confeſtim præſidiarijque omnes in armis erant. Viſæ ſunt in Oyenſi agro gerræ quàm plurimæ, quibus tormenta interponerentur. Vnde colligebatur, hoſtem eam muri partẽ, quæ eſt inter portam & turrim Lappenſem, deijcere propoſuiſſe. Nam & in vlteriori Wahalis ripa quatuordecim tormenta diſpoſuerant, quæ his quaſi reſponderent. Prætereà & in colle prædicto, vbi rei pœnam luunt, aliquot ſigna peditum munitionem excitabant. At hoſtis eo manè nihil amplius tentauit; quare ciues & præſidiarij ad opera munitionum reuerſi ſunt. Interim circa nonam horam quidam ciues inquietiores tumultum in foro excitarunt, his deditionem facere volentibus, aliis nolẽtibus; ventúmque ad arma fuiſſet, niſi prudentiores ac præſidiarij impediiſſẽt. Hora deinde ſecunda pomeridiana tubicen à Mauritio miſſus, ſub vrbem

Caſtra, circumducto vallo, muniuntur.

Strenuè ciues (maximè primo biduo) ad reſiſtẽdum ſe cõparant.

Hoſtis procurrit quaſi inuaſurus, ſed ſponte iterùm cedit.

Tumultuantur inter ſe ciues.

bem venit, deditionem poſtulans. Conſules audita eius poſtulatione, 1591
reſpondent ſe ciues conuocaturos, eorúmq; ſententias audituros; poſtridie itaq; hora decima reuerteretur. Abiit, & ſtatim reuerſus tubicē dicit, Mauritium petere vt citò deliberent, locum adhuc eſſe veniæ, qui facilè poſſit intercludi. Dimiſſus iterùm eſt tubicen cum priori reſponſo. Tandem poſtridie, qui fuit 20. Octobris, & Dominicus dies, manè hora octaua Senatus, Tribuni plebis, Magiſtri Tribuum & officiorum, Centurioneſque conuenerunt: ſententiæ de vrbis deditione rogantur. Prævalent vota eorum qui deditionem ſuadent: concipiuntur conditiones Mauritio proponendæ: Senatus continuatio, Religionis vtriuſque exercitium, tolerabile tantùm præſidium, & nonnullæ aliæ. Hora decima redit tubicen; reſpondetur, vt decretum erat. Mittuntur obſides ex caſtris Reiſortius, Meinerſvvichius, & quidam Anglus; ex vrbe ad caſtra Bronckhorſtius, Gelein Signifer, & Vicarius Snater. Ceterùm vel quia hi obſides non placebant, vel quòd auctoritatem tractandi non habebant, in vrbem remiſſi ſunt, & qui ex caſtris in vrbe erant iterùm poſtulati. Poſtridie igitur 21. eiuſdem Octobris alij miſſi, quorum primarius erat Conſul Flemingius cum plenaria paciſcendi poteſtate. Paucis horis negotium peractum eſt. Pleraque enim quæ poſtulabantur conceſſa ſunt, excepto Catholicæ Religionis exercitio, bonorum Eccleſiaſticorum diſpoſitione, & præſidiariorum numero, quæ relinqui volebat Mauritius Ordinum arbitrio. Hoc modo ciuitas ſuo Regi tam fidelis, tot tantaque tot annis perpeſſa, à Regiis, vt vidimus, neglecta (nam Parmenſis adhuc Bruxellis erat, nec ante Decembrem in Franciam cum copiis profectus eſt) in poteſtatem hoſtium venit. Sequenti die, qui fuit 22. eiuſdem menſis, Snaterus, Geleinius & Werdenus cum ſuis tribus ſignis Grauiam deducti ſunt, receptaque ſunt in eorum locum ſex peditum ſigna, & paulò pòſt duæ equitum cohortes: vrbi Præfectus datus Philippus Naſſouius, cui Vicarius erat Dorpius. Confeſtim templa omnia ſpoliata & profanata ſunt, totáque Reip. facies mutata. Diximus quantæ copiæ in bellum Francicum hinc à Proteſtantibus Germanis, Anglis, Hollandis pro Nauarræo, inde à Pontifice Romano & Hiſpaniarum Rege pro Fœderatis pararentur. Europa vniuerſa videbatur ſanguinariis præliis de re Chriſtiana, de iure inquam Chriſtianiſſimi Regni, decertatura. Iam tum 16. Aprilis Nauarræus poſt diutinam obſidionem, oppugnationeſque cōtinuas Carnutum, vulgò *Chartres*, deditione acceperat. Louirium quoque 5. Iunij opera cuiuſdam proditoris interceperat: Angli ſimiliter per eoſdem dies Guigaurium & Grilonium, illud vi, hoc aſtu. Nauarræus
„ deinde menſe Iulio Edictum promulgarat, conteſtans ſe optare, Conci-
„ lium legitimum conuocetur; doceri ſe velle, ſi error demonſtretur; interim

Rogatis ſententiis prævalent, qui deditionē ſuadebant.

Miſſi vtrimque qui de deditione agant, & tranjactū.

Mox templa omnia ſpoliata.

Interea in Francia Nauarraus plura oppida occupat.

1591 rum ſibi decretum in Catholica Romana Religione nihil mutare, aut vt " ab alio mutetur admittere, ſed profeſſoribus eius Religionis omnia ſua " priuilegia conſeruare velle, multáq; eiuſmodi; cùm paulò pòſt die 1. Au- "

Idem Bullam Pontificiam publicè per carnificem lacerari & comburi iubet.

guſti in Parlamento Turonenſi ante Palatium Monitorium Bullæ Gregorij XIV. quo recèns iterùm excõmunicatus erat, publicè per carnificẽ lacerari & igne comburi iuſſit, ſcripto addito quo dictum Papam Gregorium vocat ſchiſmaticum, hęreticum, perturbatoremq; Eccleſiæ, aliaque adiicit eiuſdem genij. Interim non oblitus rei bellicæ, cùm fama eſſet Parmenſem cum exercitu in Franciam reuerſurum (fine enim Iulij ad hoc à Rege Hiſpaniæ mandatum accepit) metuens eum iterùm Nouiodunum in Picardia iter inſtituturũ, habito cum ſuis conſilio, vrbem hãc quindecim millium exercitu circumdedit, arctáque obſidione, & quatuordecim maioribus tormentis cinxit. Initio militari more deditionem poſtulauit, & tolerabiles conditiones ciuibus obtulit, ne ciuitatem nitidiſſimam, culteque ſtructam deſtruere cogeretur. Oppidani ne quidem reſponſo dignati, aliquot machinas in exercitum eiaculati ſunt. Quod cùm Nauarræus ægerrimè ferret, confeſtim per cunicularios mœnia ſuffodere, ſuppoſitoque puluere & igne ſubuertere conatus eſt. Suffoſſis fundamentis muri ex improuiſo corruerunt, & foſſores oppreſſerũt. Nauarræus nihilominùs in obſidione perſeuerauit, & omnibus quibus potuit viribus vrbem oppugnauit. Mænius intereà & Tauannes cum aliquanto exercitu Rothomago Nouiodunum contẽdentes obſeſſis opem ferre voluerunt, ſed viribus impares ad ſua redierunt. Qua re oppidanorum animi conſternati ſunt, deditionem tamen facere noluerunt, & ingentes ſtrages in Nauarræi caſtris, ſuis machinis ediderunt. Vrget expugnationem Nauarręus, & quarta tãdem oppugnatione die 6. Auguſti vrbem vi occupauit, omneſque in armis inuentos trucidauit, ceteris graue lytrum imperauit, ſuis præſidiis vrbem muniuit, & reliquum exercitum in Pictones remiſit. Sub idem tempus die Auguſti 11. in Germania pro Nauarræo recenſita ſex equitum, octo peditum millia, cunicularij mille ducenti, tormenta campeſtria duodecim, maiora quatuor; Rhenum traiecerunt, ſub Tureinio, Anholtio, & alijs, tribus menſibus in Francia militaturi. Acceſſerunt poſteà menſe Septembri Frentius, Templius, & alij cum quatuor adhuc millium exercitu; cùm altera parte Fœderati valdè recreati ſunt aduentu Inuillæi filij Guiſij, qui 15. Auguſti carcere Turonenſi, (vbi duos & ſemis annos à cęde patris ſeruatus fuerat) per feneſtrã fune demiſſus Biturigum euaſerat. Pontificij quoque pedites equiteſque (de quorum numero initio huius anni diximus) ex Burgundia in Lotharingiam venerant, expectantes dum Parmenſis ſimul ſuas copias educeret. Intereà Dominus de Vilers Gubernator portus Rothomagenſis, quẽ

Obſidet Nauarræus Nouiodunum.

Quarta oppugnatione vrbe potitus, omnes in armis inuẽtos trucidat.

Pro vtraq; parte coëũt in Francia ingentia auxilia.

Gratiæ

Gratiæ vocant, cum auxilio Rothomagenſium inter Diepam & prædictum portum mille ducentos Anglos Nauarræi auxiliares proſtrauit: variáq; minora prælia variis locis, nunc his nunc illis victoribus, cõtigerunt. Tandem menſe Octobri, poſtquam Anhaltius cum ſuis Germanis in Franciam veniſſet, Nauarrẽus Rothomagũ arctiſſima obſidione cinxit. Catholicorum vires debiliores erant, quàm vt cum tam numeroſo hoſte auderent cõgredi. Itali quidem, quos Pontifex miſerat in Burgundiam, atque adeò in Lotharingiam, vt diximus, venerant; ſed vlteriùs progredi noluerunt, niſi priùs Parmenſis cum ſuis copiis eſſet in procinctu. Tota hac æſtate diu multúmque egerat Cæſarea Maieſtas, ſicut & aliquoties annis ſuperioribus, ſi qua ratione ſaltem inter Regem Hiſpaniæ & Hollandos coire pax poſſit. Reliquerat Rex totum negotium arbitrio Cæſaris; ſignificarat ille hoc Hollandis: illi reſponderunt, Regem non quærere niſi fictam pacem, eumque vbi commodum viſum fuerit, non obſtante ſponſione Cæſarea, pacem violaturum; tum etiam ſe iam domi pacem habere, poſſe Regem quoq; habere, ſi ab eis vexandis deſiſtat; ſe Regi nulla ratione fidere. Cæſar nihilominùs Legatos mittit; qui poſtquam 17. Octobris Coloniam veniſſent, ſtatim ad Ordines Hollandiæ nuntium miſerunt, publicam ab illis fidem petentes. At illi exiſtimantes, vt diximus, ſatis ſe pacis habere, eorum petitionem neglexerunt. Venerant enim in Hagam-Comitis Legati Reginę Anglię & Nauarrei, quos tam ſplendidè tantiſque conuiuiis exceperunt, vt de Legatis Cæſareis non cogitarent. Legati igitur iſti, non diutiùs expectata fide publica Hollãdorum, die 3. Decembris Bruxellas venerũt, vbi ſummo cum honore excepti ſunt. Nam & inter alia præcipui Principes, Reguli, & Nobiles, qui ibi erant, dimidio ab vrbe miliari obuiàm illis proceſſerunt, aſſignataque ſunt ſingulis pro ſua dignitate hoſpitia, omniaque neceſſaria adminiſtrata. Paulò antè 26. Nouembris Parmenſis Valencenas in Hannoniam profectus erat, & exercitum quem in Franciam ducturus erat, recenſuerat. Verùm mox cùm Legatos Cæſareos Bruxellam appuliſſe intellexit, vt de pacis negotio ſecum conferant, celerrimis equis illuc reuerſus, bis in Concilio Statuum eorum propoſitiones audiuit. Poſteà Comitem Salatinum ab Iſenberg, & Baronem Berenſteinium ſeorſim admiſſos iterùm audiuit, & quæ Hollandis proponenda viderentur ſuggeſſit. Sed Legati ab Hollandis ante Aprilem anni ſequentis auditi non ſunt, & nec tunc melius quàm anteà reſponſum tulerunt. Parmenſis his peractis, Petro Erneſto Comiti Mansfeltio (vti & ſuperiori anno fecerat) adminiſtrationem Belgij demãdauit; ipſe ad exercitum, qui tribus equitum & quinque circiter millibus peditum conſtabat, (pedites tamen paulò pòſt vſque quindecim millia creuerunt) reuerſus, die 13. Decembris

1591

Nauarraus Rothomagum obſidet.

Inciuile reſponſum Hollandorum, Legatis Cæſaris datum.

Interim ſplendidè Legatos Nauarræi & Reginæ Angliæ excipiunt.

Conferunt Legati Cæſaris cum Parmenſi.

Parmenſis ſecundò in Franciam cum exercitu mouet.

1591 bris in Franciam mouit. Feræ appropinquanti vrbs à Fœderatis iuxta promiſſum traditur; cui la Motte, creatus Comes Euerbequius, præficitur; & ſic in interiorem Franciam verſus Rothomagum copias ducit. Sed de eo pleniùs anno ſequenti.

VARIA. Inter Varia huius anni in primis memorabile eſt, in Italia, & maximè Romę, eouſq; famem anni ſuperioris paniſq; inopiam creuiſſe, vt Iudęis, meretricibus, exteris multis, & inutilibus eiectis, ſedecim vnciæ panis in ſingula capita diſtribuerentur, tandem octo tantùm. Quod antequam iuſſu Pontificis promulgaretur, ablata ſunt populo arma: non enim illud citra tumultum fieri poſſe putabatur. Interea Hollandica nauigia aliquot in Holſatia & Wandalia frumento onerata (tantum poteſt lucri amor) per Oceanum Britannicum, anguſtiáſque Herculei freti, in mare Mediterraneum, & tandem Liguſticum peruenerunt; quorum aduentu inopia paulatim mitigata eſt, ita vt frumentum, quod anteà triginta tribus coronatis venderetur, vixq; haberi poſſet, mox viginti quatuor, pòſt octodecim, ac demum quatuordecim emeretur. Inde 21. Septembris Summus Pontifex Gregorius XIV. cœpit ægrotare. Morbus erat febris continua cum fluxu vehementi, augebatúrque quotidie, donec tandem 15. Octobris obiit. Mortui cadauer apertum eſt, & in veſica inuentus duarum vnciarum & vnius quartæ calculus. Fuiſſe ſcribitur admirandę abſtinentiæ, inſignis eruditionis, raræ pietatis, & incredibilis liberalitatis, & vſque ad annum decimum octauum potum præter aquam nõ bibiſſe, quæ cauſa calculi fuerit. Succeſſit ei 19. eiuſdem menſis Innocentius IX. Bononiẽſis, anteà dictus Ioannes Baptiſta Facquinettus, Doctor Iuris, primò Neocaſtrenſis in Calabria Epiſcopus, poſteà ob inſignem prudẽtiam à Gregorio XIII. Cardinalis titulo Quatuor Coronatorum, & nunc Pontifex creatus. Sed mox 23. Decembris in grauiſſimam febrim incidit. Cauſam ferunt, quòd continuis laboribus, vt Catholicos Principes qui Nauarræum ſequebantur, ab eo abſtraheret, nimiùm ſe fatigarit & cruciarit. Vtut eſt, vir ſeptuaginta duos annos natus, poſtquam paucos dies ægrotaſſet, tandem 29. eiuſdem Decembris obiit, ſúccedente, de quo anno proximo, Clemente VIII. Florentino. Hoc anno, ſeu (vt alij referunt) ſequenti, in Hiſpania initio Nouembris apud Arragones, Cæſar-Auguſta, (hodie Sarragoſſa) Regni vrbs primaria hac de cauſa contra Regem Philippum rebellat. Antonius Pereſius, Regi aliquando à ſecretis, ob crimina carceri mancipatus (inter cetera ferebatur ſecreta Regis prodidiſſe Anglis & aliis) veſte vxoris in Arragoniam Saragoſſam euaſit, ibi vt in patria, & Regno multis priuilegiis gaudente, tutum ſe fore credens. Sed à Magiſtratu cognita cauſa, nihilominùs iterùm comprehenditur. Quo Rex intellecto, miſſis litteris eum ad ſe mitti iubet.

Annona caritas in Italia ſe paulatim remittit.

Mortuo Gregorio Decimoquarto ſuccedit Innocentius Nonus.

Cæſar-Auguſta in Hiſpania pro Pereſio tumultuatur.

Recuſat

Recuſat Magiſtratus, eſſe dicens contra Regni Arragonici priuilegia quę habent; in Regno captum, ibi iudicari debere. Rege hoc ægrè ferente, tum quòd Aulæ ſuæ eſſet miniſter, tum quòd ibi in Aula peccaſſet, publicoq; Edicto eum repetente, ciues tumultuantes, lecto Duce Iacobo Heredia, ad quatuor millia hominum arma contra Regem ſumpſere. Rex ſtatim, conſcripto quatuordecim millium exercitu, cum iuſto tormẽtorum apparatu Alonſum Vergas in Cæſar-Auguſtanos mittit. Diruunt oppidani pontem quo per amnem iter eſt ad vrbem: reſtituit ſtatim eum alio loco Vergas, ac cum copiis ad vrbem pergit. Intereà Pereſius ac Heredia ad Caluiniſtas Francos, ac inde in Angliam cõfugere. Oppidani celeritate expeditionis copiarúmque multitudine conſternati, miſſis Legatis gratiam rogauere. Mittitur pro hac re ad Regem; qui non multò poſt ad caſtra cum nobili venit comitatu, ac vrbis Rectores in genua proſtratos, populúmque lamentabili voce gratiam clamantem, poſt ſeriam grauemque admonitionem, tandem ſe eam dare eſt profeſſus; introgreſſúſque Vergas 12. Nouembris iuſto cum præſidio, vrbem deinceps tranquillam habuit.

1591

Recuſant Cæſar-Auguſtani Pereſium ad Regem mittere, & quo prætextu.

Pereſio in Angliam elapſo, Cæſar-Auguſtani Regi conciliantur.

Sub finem Decembris Parmenſis in Franciam venerat, (vt ſuperiori anno commemorauimus) Fœderatis, & obſeſſis à Nauarræo Rothomagenſibus opem laturus. Ex alia parte Regina Angliæ copioſum militem Nauarræo ſubmiſerat, cui Hollandi initio huius anni Comitem Philippum Naſſouium cum viginti & vno lectiſſimis peditum ſignis, nauibus bellicis, & omni apparatu, addidertnt. Nauarræus montem S. Catharinæ Rothomagenſium portum obſidebat, & crebrò oppugnabat, ſed irrito conatu. Qui enim in propugnaculo erant, tam fortiter ſe defendebãt, vt nemo, niſi vitæ ſuę pertęſus, propiùs auderet accedere. Initio quoque Ianuarij Dux Neuernenſis, qui anno ſuperiori à Fœderatis defecerat, oppidum S. Valerij iuſſu Nauarræi occupauerat, & in eo præſidium Germanorum & Gallorum reliquerat, exiſtimans iſtam oram hoc præſidio ſatis munitam. Sed Abbatis-villenſes ope cuiuſdam Centurionis 22. Ianuarij per caſtrum ingreſſi, oppidum Fœderatis recuperarũt. Intereà Parmẽſis cum exercitu Peronam venerat. vbi cùm aliquamdiu ſubſtitiſſet, inde Calleium profectus eſt, vbi duas noctes permanſit. Hîc exercitum iterùm recenſuit, inuentaque iam ſunt peditum circiter quindecim millia, equitum verò quatuor. Tam breuî tanta copiarum acceſſione exercitus, qui nuper quinq; tantùm peditum & trium equitum millibus conſtabat, auctus erat. Eodem die cùm Dux à Calleio in penitiorem Galliam exercitum abducere vellet, hoſtium magna leuis armaturæ equitum caterua ſubitò conſpecta eſt in inſidiis ſedens: quibus detectis, ſtatim ad arma conclamatum eſt. Dum illi fugam moliuntur, Parmenſis eos inſequitur;

1592

Deſcriptio obſeſſi portus Rothomagenſis in Francia.

Iter Parmenſis in Franciam.

1592 quitur; multi trucidati ſunt, & Mareſchallus Lauerdinius tam grauiter vulneratus, vt poſtridie è vita exceſſerit. Accedebat iam ad Parmenſis exercitum Mænius cum aliis Confœderatis Principibus, vt iunctis viribus hoſtem quocumq; loco aggrederentur. Itaque 1. Februarij Parmenſis cum agmine ſuo iuxta Fornezum arcem ab hoſtibus occupatam dum oppugnare parat, deditione capit. Inde cùm iam paucis à Rothomago milliaribus abeſſet, milites aliquot clàm in vrbem mittit, qui præſidia, quæ in vrbe & Arce erant, ſupplerent. Ipſe 27. eiuſdem Februarij Bommeruallio mouens, Brondeamcourtium venit, quod ſex circiter leucis Rothomago diſtat. Decretum illi erat, circa gallicinium, poſtquam exercitus nonnihil eſſet refocillatus, inſtituto itinere pergere, & hoſti in caſtris ad vrbem ſe oſtentare, ſi fortè illum elicere & æquo cum illo poſſet loco decertare, cùm intereà ab vrbis Rothomagenſis Gubernatore Vilaio nuntiatur, ſe pridie, hoc eſt die 26. Februarij, cum duobus millibus militum in hoſtilium caſtrorum partem erupiſſe, & ampliùs quingentos trucidaſſe; nullum enim tunc in ea parte equitatum fuiſſe, quem Nauarræus, qui duabus hinc leucis aberat, ſecum abduxerat. Addebat nuntius vir nobilis, Nauarræum quoque inopia pulueris tormentarij laborare. Quæ cùm Parmenſis intellexiſſet, Concilio coacto, quid agendum ſit, deliberat. Mænius aliiq́ue Principes Gallici cenſent, non eſſe neceſſarium in diſcrimen & periculum ſe præcipitare. Rothomagenſibus namque nihil adhuc deeſſe, & hoſtem magnopere debilitatum. Parmenſis itaque caſtra ſua non longè à caſtris Nauarræi habebat, & quotidianis velitationibus ſe mutuò exagitabant, ita vt vtrimque multi deſiderarentur. Tandem vt militem paululùm refocillaret Parmenſis, ſuos Boloniam verſus abduxit. Nauarræus Diepam profectus, quæ in vrbe erant neceſſaria procurauit. Fama namque erat Parmenſem Diepæ obſidionem minitari. Sed Parmenſis 3. Martij ad oppidum Ruë duxit, illud obſedit, & diſpoſitis tormentis muros verberare cœpit, nec tamen in obſidione perſtitit. Intelligens enim ſub medium Aprilis Nauarræum Nobilitatem omnem, vt ſe nonnihil domi reficerẽt, à ſe dimiſiſſe, hac occaſione celeriter Caſtellum-nouum exercitum duxit, vt Rothomagẽſibus ſubueniret. Quo intellecto Nauarræus contractis vndique copiis 25. Aprilis, (quò propior caſtris hoſtium eſſet) ad locum vulgò *Fontaine de Burch* dictum venit. Habebat Nauarræus in exercitu circiter octo millia equitum & ſedecim millia peditum, præter copias Monpenſerij & Mareſchalli d'Anjou. Parmenſis & Fœderatorum exercitus ſeptemdecim circiter millibus tum equitibus tum peditibus eo loco conſtabat; caſtra ipſa quinque leucis inter ſe erant diſſita. Submiſerat Parmenſis aliquoties militem & commeatum Rothomagenſibus, ſed non ea quantitate

Feliciter cum hoſte velitatur, Arcemq; quamdam capit.

Intereà & ipſi Rothomagenſes fortiter erumpunt.

Fœderati Franci cenſent, nondum vniuerſam belli aleam periclitandam.

Parmenſis, relicta Diepa, ad Caſtellum-nouum ducit.

Caſtra caſtris opponit.

titate quæ vrbi tam populosæ & diuturna obsidione haustæ posset suffi- 1592
cere: videbatur autem potiùs per fluuium nauigiis commeatus inferendus; sed impediebat munitissimum oppidum Caudebeca, Portum Gratiæ & Rothomagum inter. Hoc itaque oppidum Parmensis obsidet, moxque maxima contentione oppugnans, antequam Nauarræus succurreret, 28. Aprilis deditione accipit. Inde per hos dies continuis velitationibus Nauarræum detinuit, atque interea octoginta naues omni genere commeatus & annonæ onustas, quantum dimidio anno sufficeret, è Portu Gratiæ (vulgò *Haure de Grace*) aduerso licet fluuio in portum Rothomagensem feliciter intulit, ipseque in vrbem venit, summo gaudio & honore exceptus. Sed mox in castra regressus, quotidie rursus velitabatur vbique ipse præsens, licet inter collum & humeros vulneratus esset, nunc huc nunc illuc fortuna inclinante. Classis quoque Hollandica duabus inter Caudebecam & Portum Gratiæ leucis in anchoris stabat, sæpè cum Fœderatorum classe dimicans. Parmensis Rothomago iam de omnibus, vt diximus, adhuc in dimidium annum prouiso, cernens quòd istis in partibus propter pabuli equorum penuriam nihil amplius commodi præstare posset, apparatum bellicum Caudebecâ Rothomagum transportari iussit. Deinde peditatum, equitatúmque omnem & aliquot machinas per naualem pontem in Sequana stratum præmisit. Ipse relicto Rothomagi Mænio cum mille Heluetiis, mille Gallis, & aliquot equitum turmis, 13. die Maij subsecutus est, & per Carnutes Lutetiam versus agmina duxit, sicque sub finem eiusdem mensis in Belgium rediit. Res quidem Gallicæ adhuc ferè eodem manebant statu, diuersis locis in Prouincia, Britannia, & Nortmannia nunc his nunc illis vincentibus: atque adeò mox post discessum Parmensis 15. Maij Nauarræus Caudebecam recepit. Sed Parmensis reditus in Belgium plusquam erat necessarius, quamuis illic non eo successu, quo in Francia, rem gesserit. Hollandi quidem atque Regij in Belgio æquè in exitum belli Francici intenti nullam hactenus expeditionem alicuius momenti inuicem mouerant: at nunc cernentes Hollandi, res in Francia adhuc trahi, 28. die Maij (id quod etiam anno superiori meditati fuerant) exercitu ingenti nauibus aduecto Steenwicam Transisulaniæ oppidum obsidere incipiunt. Erat in oppido præsidium sedecim signorum lectissimorum ex variis legionibus. Horum Centuriones, & inprimis oppidi Gubernator Cocquellius, cùm viderent arcta obsidione se pressum iri, milites cõuocant, propositoque sacramento inuicem iurant, potiùs pugnando se morituros quàm vrbem dedituros. Hostis primo die castra metatus est in Hauelt: postridie vniuersas copias suas ea parte, quâ Ommam itur, ostentauit. Erant pedites numero circiter quatuor millia quingenti, sub quin-

Parmensis, inspectante Nauarræo, Rothomagum commeatum inuehit.

Relicto Rothomagi Mænio, Parmensis Parisios pergit. Reuertitur in Belgiũ: hinc varia in Francia belli alea.

Hollandi Steenvvicam in Transisulania obsidere parãt.

Dispositio castrorum.

1592 quaginta ſignis diſtributi. Tertio die vicinum emiſſarium occuparunt, & equitatus in proximum pagum Giethornium ſe recepit, ibidemq; caſtra ſua poſuit; erant autem turmæ duodecim, oppidanis inter hæc ſæpè erumpentibus, & multos ſternentibus, aliquos etiam captiuos in vrbem trahentibus. Quarto obſidionis die aliquot ſigna peditum, viam, qua itur in ſiluas, pręoccuparunt, & ſequenti die, qui fuit 1. Iunij, portę S. Spiritus & Orientali cœperunt appropinquare, eaſque poſtridie continua foſſa, gerris munita, iunxerunt. Tandem die 3. eiuſdem Iunij viginti quatuor machinas bellicas attraxerunt, quibus muros diſturbarent. Sed nec ſibi defuerunt oppidani. Die 4. eiuſdem menſis magno agmine erumpentes magnas ſtrages ediderunt, multos Anglos, multóſque ex Olthouij militibus trucidarunt, quinque quoque captiuos abduxerunt, quorũ vnum Anglum paulò pòſt laqueo ſtrangulatum è mœnibus ſuſpenderunt. Deinde tria maiora tormenta in turri locarunt, & ex iis lapides ferreáſq; catenas in hoſtium caſtra eiaculati, multos ſtrauerunt, plures vulnerarunt. Sexto Iunij omnibus iam præparatis ſummo diluculo cœpit Mauritius muros verberare, tãto impetu, vt tonitrua ad ſex milliaria audirentur, numeratáque ſunt eo die pluſquam ſeptem millia ictuum; & tamẽ poſtquam tanta vi vrbs pulſata eſſet, oppidani vim hoſtium ridentes, ſcopis mœnia velut à puluere hoſtili in aduerſa caſtra verrunt, multáque conuitia factis adijciunt. Rurſum itaque Mauritius die 13. eiuſdem Iunij, vt priùs, vrbem machinis pulſat, ſed nec tũc ſufficientem oppugnationi ruinam facere potuerunt. Vt tamen oppidanos terrerent, acies quoque inſtruunt, quaſi mox impreſſionem facturi, ſed tãdem ſinguli in ſuas ſtationes reuerſi ſunt. Decimoſexto Iunij Comes Ludouicus Tſherenbergius, nondum viginti annos natus, imprudentiùs ruinas vrbis ſpectans ſclopeti ictu perit, magno Gubernatoris Cocquellij dolore. Decimoſeptimo Iunij noctu hora vndecima præſidiarij Steenwicenſes numero circiter quingenti interulis albis ſuper veſtimẽta induti iterùm erumpentes, haſtis, ſecuribus, xiphomachęris, aliiſque gladiis & pugionibus armati, hoſtis vallum ſuperant, & incredibilem ſtragem faciunt, circiter ducentos occidunt, multos capiunt, plures vulnerant. Inter cæſos fuit Olthouius, eius Vicarius, & Præfecti illius ſigni omnes, & pluſquam quinquaginta milites gregarij: ex aliis item ſignis Centuriones & Præfecti non pauci deſiderati; ex oppidanis, quod equidem ſciam, nullus, licet exemplar Levvardiæ impreſſum etiam aliquos ex iis deſideratos eſſe innuere videatur. Mauritius ſollicitus quomodo hac vrbe potiretur, ne cum ignominia obſidionem ſoluere deberet, nouum inuentum à 22. Iunij vſque 26. fabricauerat, hocque die 27. produxit; turrim ſcilicet ligneam altiſſimam, ita vt ex ea in omnem vrbis partem proſpectus

Oppidani erumpẽtes magnas ſtrages edunt.

Obſeſſi videntes hoſtem, tonitrua bellica ſcopus in aduerſa caſtra verrunt.

Noctu erũpentes albis ſuperinduti ampliùs 200. ſternunt.

ctus esset. Hanc tribus contignationibus distinxerat, & in singulis centum circiter pedites sclopetarios disposuit, ne quis oppidanorum interdiu in publicum prodire auderet. Sed mox Cocquellius in ruinis diruţ domus collocauit duo mediocria ænea tormenta, exiguo aggere ante domum celeriter erecto, fusisque ex plumbo ac stanno simul mixtis globis, iisq; catenulis simul connexis, eo euentu in turrim Babylonicam eiaculatus est, vt statim eam retroagi cerneret, ac postridie iterùm in eam contortis similibus globis pęnè inutilem reddiderit. Ad hæc circa crepusculum vespertinum oppidani plaustrum pice oblitum ad Hollandorum propellũt pontem, in quo igne correptum, ac horribilem in modum ardens maiorem pontis partem secum consumpsit. Die 29. eiusdem Iunij Cocquellius, rogantibus præcipuis quibusdam ciuibus, sed maximè vt negotium traheret, (nam subsidia expectabat) per tympanistam litteras ad Mauritium mittit, pauciſſimis lineis hæc continentes: Comitem Mauritium diuersis temporibus missis ad se litteris obtulisse, daturum se præsidiariis ac ciuibus æquissimas honestissimasque conditiones, si oppido excessissent, sed numquam eas expressisse. Cupere igitur se scire quę nam illæ essent futuræ, dignę quæ admitterẽtur aut reiicerentur. Respondet Mauritius: Contentum se, vt de compositione agatur, talesque se præscripturum deditionis leges, quas cum ratione reijcere non deberet. Tres ad se cohortium Præfectos mitteret, in eorum se locum totidem eiusdem conditionis in oppidum transmissurum. Conditio à Cocquellio ea de causa admittitur, nõ solùm vt conditiones sciat, sed vt his accelerãdi daretur tempus, quos in auxilium, Verdugio mittente, expectabat. Igitur pridie Kal. Iulij, seu 30. Iunij mittuntur vtrimque obsides. Petebat Mauritius, Cocquellius cum præsidio, traiecto Rheno, ditione discederet: ceteras conditiones ciuium ipsorum & præsidiariorum arbitrio permittebat. Sed Cocquellio Rhenum transire nolente, re infecta singuli ad suos reuertuntur. Interea quatuor milites ad Verdugium pro auxilio missi eodem die redeunt, nuntiant ducentos auxiliares pedites duarũ horarum itinere Steenvvicæ propinquos adesse. Ex his centum & decem, ductore Tuvvickelio, singuli saccum puluere bellico plenum ferentes, in proximas Hollandorum stationes impetum facientes, vi in oppidum peruenerunt; nonaginta reliqui cum Sub-prefecto Hispano timore correpti subsistentes, partim cæsi, capti, aut inermes ad Verdugium Couordiam sunt reuersi. Tandem die 2. Iulij Hollandi cuniculis portæ Orientalis propugnaculi ac molis sancti Spiritus incensis, summis viribus tribus locis oppidum inuadunt, & maximè ad portam S. Spiritus. Cuniculus propugnaculi Orientalis in fossam humum propellens, triginta sex Hollandos viuos sepeliuit, pluresq; extantibus capitibus humo detinuit,

1592

Turrim Babylonicam Mauritanam retrocedere cogunt.

Partem quoque pontis hostilis disturbant.

Cocquellius Gubernator fingit se velle oppidum dedere.

Submissi à Verdugio auxiliares, aliquot in vrbem perrumpunt.

Hollandi tribus locis acriter Steenvvicam oppugnant.

1592 donec ſuccurreretur. Tympana tormentáque tum maiora tum minora continuò crepabant. Dorpius cum ſuis ſtrenuè molem ſancti Spiritus oppugnabat, ita vt ipſe muſqueto læſus ſit, vnde poſt paucos dies obiit, iamque duo eius Signiferi, defixis in ruinis vexillis, his defendendis militum opem magnis vocibus acclamabant. Sed non multò pòſt Dorpiani à lancearíis, alijſque præſidiariis (feminis continuò ſilices, circuloſque ligneos pice ſtuppaque ardentes ſuppeditantibus) diſcerptis vexillis, è ruinis in foſſam deturbati ſunt. Pugnatum hîc tribus continuis horis. Ad hæc ruina quoque Ognerportæ ſumma vi ab Anglis oppugnabatur; ſed Bartholomæus Zanctius non minori eos conſtantia repellebat. Et inprimis in propugnaculum Orientalis portæ omnibus viribus Hollandi perrumpere conabantur. Pugnatum hîc ſex horis continuis, Hollandis ſæpiùs pugnam, ſubmiſſis recentibus viris, reſtaurantibus. Ex oppidanis pugnantes ceciderunt minor Zanctius Signifer, & Præfectus Heſſelius. Torreſius grauiter vulneratus Mombechio vices ſuas commendauit; defenſa eſt tamen & hæc ruina, etſi ſeptuaginta ampliùs fortiſſimorum virorum propugnantium morte conſtiterit, vt conijcere liceat, quot ex oppugnatoribus deſiderati ſint. Hollandi poſt dictas ſex oppugnationis horas, tantum animi corporiſque robur admirati, receptui canunt, ac ad dolum ſe conuertunt. Duas recentes legiones in foſſa aggeris obliqui ſiccique tectas conſtituunt, eos qui pugnarant, ceteraſque equitũ peditúmque copias ad ſolitas quaſi reſpirandi cauſa mittunt ſtationes. Poſt horæ ſpatium, ſperantes maiorem præſidiariorum partem in oppidum reficiendi corporis cauſa ſe recepiſſe, duabus legionibus illis ſilentio ruinas conſcendunt, facilè ſe excubitores oppreſſuros exiſtimantes. Sed falſi opinione, cùm in veſperam vſque pugnam continuaſſent, tandem multis deſideratis, fauciiſque, infelicis doli pœnis perſolutis, in caſtra rediere. Poſtridie, qui fuit 3. Iulij, Cocquellius alteram oppugnationem exſpectans, militum habet delectum, reperitque vix trecentos integros, nec ſupra quinquaginta bellici pulueris libras. Quare cùm ciues, præcipueq; feminæ, quæ alioqui pridie admodum viriliter ſe geſſerant, vt de cõpoſitione ageretur, rogarent, conuocato maiorum minorumq; Præfectorum Cõcilio, poſt varias deliberationes decernitur, ſi honeſtę concedãtur conditiones oppidum dedendum; ſin minùs, ſimul pugnando occumbendum. Tum litteras Cocquellius in hanc formam Mauritio ſcribit: Iterùm experiri cupio, an ſanguinariis vtrimque pugnis finis imponi poſſit. « Scribere igitur placebit conditiones, quæ à viris Nobilibus, fortibus, honori magis quàm vitę conſulere cupientibus, recipi ac admitti debebũt. « Reſpondet Mauritius, poſtero ad ſe die, quos vellet Legatos mitteret, ſe totidem eiuſdem conditionis obſides miſſurum. Summo manè itaque, die

Poſt trium horarum pugnam, duobus primùm locis retrocedere coguntur.

Hinc & tertio loco decedunt, poſt ſex horarum cõflictum.

Cocquellius reperit vix 300. ſanos, & pulueris bellici non ſupra 50. libras.

Itaque agere incipit de honeſtis conditionis legibus.

die 4. Iulij in caſtra profecti Wallius, Mombechius, ac Zanctius; in oppidum venerunt Dorpius, Aſſuerus Petri, ac Adelaus Anglus. Volebat Mauritius, Cocquellius cum præſidiariis intra ſex menſes non militarent, ſigna prętereà omnia cum armis, ſimulque Samerium Ieſuitam traderent. Indignæ conditiones viſæ; itque reditque Mombechius. Cocquellius Patris Samerij cauſa anxius ad Mauritium litteras mittit, in cõpenſationem ſine pretio remiſſorum non ſemel captiuorum Hollandorum ſibi Ieſuitam Samerium donaret. Reſpondet Mauritius, ſe libenter illi gratificaturum, modò det fidem Ieſuitam nõ eſſe Francum, in mortẽ Reginæ Angliæ nõ conſpiraſſe, nec Reginæ Scotiæ ſeruiuiſſe. Dat fidem Cocquellius, nil horum in Samerium cõpetere. Tandem de cõditionibus hac ratione cõueniunt: Præſidiarij ciueſq; qui vellent omnes armati gladio ac pugione in tutũ abeunto; equos impedimentáq; omnia auferunto; iis vehendis Hollandi plauſtra centum equis inſtructa commodãto: præſidij cauſa duas equitũ turmas ad Rhenum vſq; iungito: Rhenum eum dẽ niſi completis ſex menſibus, iterùm tranſire licitum non eſto. Ciuibus & incolis Steenvvicæ manentibus omnia ſalua, ſarta tectáque manento. Ita 5. Iulij diſcedentibus Regiis, Hollandi poſſeſſionem Steenvvicæ carè emptam adierunt. Cocquellius pro merito à ſuis honoratus non multò pòſt etiam Præfecturam inſignem ditionis Heſdinienſis apud ſuos Arteſios accepit. Faſſus dicitur Warmeloius Hollandis militans, familiari poſt deditionem colloquio, affini ſuo Cocquellio, Hollandos hac oppugnatione circiter duo veteranorùm millia deſideraſſe. Hollandi tradunt tantùm quadringentos cæſos, ſed multos vulneratos: ita difficile eſt numerum certum definire. Hollandis reſtituendę ordinandæq; Steenvvicæ intentis, Mondragonius arcis Antuerpianæ Præfectus medio circiter menſe Iulio, collecta trium millium manu, & quinque machinis bellicis adductis, caſtrum Weſterloum, magnum Campiniæ Brabantiæ flagellum, in loco paludinoſo ſitum, duplicique foſſa cinctum obſidet, & tandem 18. eiuſdem Iulij deditione accipit. Hinc Turnhoutum copias transfert, cuius Arcem 20. die eiuſdem menſis recipit, & poſtridie per aliquos ſuorum ſimiliter munitionem Bergheicanam ſuperiori anno ab Hollandis in eadem Campinia conſtructam. Nihilominùs & Hollandi ſuas proſequuntur victorias. Ordinatis rebus Steenwicæ, Ootmarſum oppidulum in Tvventa ſitum obſidere parant. Præfectus oppidi Alphonſus Mendoſus, equitum ductor, videns ſe cum ſuo equitatu parũ obſequij præſtare, præſidiarios pedites hortatur, oppidum fortiter defendant, ſe cum ſua turma ad Verdugium profecturum, opemq; & ſubſidium illis allaturum. Quatuordecim circiter equitum turmæ oppidulum cinxerant, præter peditatum qui non longè aberat. Mendoſus

1592

Multùm laboratum pro Samerij Ieſuitæ incolumitate.

Hollandi Steenvvicam carè emptam tandem obtinent.

Mondragonius VVeſterloam in Brabantia Hollandis eripit:

Itidem Turnhoutũ & munitionem Bergheicanam, receptacula prædonum.

1592 imperterritus cum ſexaginta circiter equitibus oppido excedit, viáq; armis facta, nullo ex ſuis deſiderato ad Verdugium venit. Ceterùm quia ſubſidium nullum in promptu erat, præſidiarij Ootmarſenſes ſibi conſulere & oppidulum hoſti tradere coacti ſunt. Hollandi occupato Ootmarſo, magna vſi celeritate antequam hoſtiles copiæ ſe recolligerent, ineunte Auguſto Couordiam omnem exercitum apparatumq; bellicum traducunt. Eſt Couordia exiguum oppidulum, ſeu potiùs vicus in ditione Tranſiſulana ad Vidrum fluuium, ſed Arx adiacet dudum habita inexpugnabilis, cui ferè præeſt Satrapa illius territorij Gubernator. Mauritiani milites ductis foſſis, valliſque conſtructis, paulatim ad Arcem adrepebant, & diſpoſitis celeriter tormentis aliquot in Arcem iaculabantur. Regij ad portam Arcis propugnaculum habebant, vnde in hoſtium caſtra pilarum emiſſione magnas ſtrages fecerunt; eruptione quoque facta integram cohortem, paucis fuga elapſis, ſtrauerunt. Verdugius interim turmam equitum obſeſſis ſubſidio miſit, ſed vt impreſſionem in hoſtium caſtra faceret, ſufficientem non habebat militem. Sub finem Auguſti Parmenſis non ignorans, quanti Regis intereſſet, ſi arx Couordienſis totius Friſiæ oſtium in fide maneret, expeditiſſimas aliquot legiones in Tranſrhenanam Prouinciam miſit, Arcem hanc vt obſidione liberarent. Quæ cùm eò veniſſent, inuenerunt hoſtem validiſſimis propugnaculis iam tectum, & quòd ad eum opprimendum nullus patebat acceſſus. Quotidianis itaque velitationibus hoſtem elicere conantur ad pugnam, ſed ille ſe ſuis vallis magis cõtinebat. Regij in pago Emlichem caſtra locarunt, nihilque tantopere exoptabant, quàm vt pugnandi copia daretur: ſed propter paludem quæ inter vtraque caſtra interiacebat, & Mauritianos tuebatur, nullus aut difficillimus ad eos erat acceſſus. Igitur die 6. Septembris Regij cum aliquot tormentis paludem circumeuntes, munitiones Hollandorum, poſtquam aliquamdiu tormentis verberaſſent, inuadunt, ac cruentis excitatis pugnis irrumpere in caſtra conantur; ſed reſiſtentibus fortiſſimè Hollandis, auxilioque maiorum tormentorum vehemẽter ſe defendentibus, cedere Regij coguntur, reductiſque tormentis è conſpectu retrogreſſi ſunt, de liberanda Arce parum aut nihil ampliùs ſperantes. Vtrimq; multi deſiderati, & vulnerati; inter Hollandos ſaucios etiam Comes Guilielmus Naſſouius fuit. Perductus is eſt curationis cauſa ad caſtrum viri nobilis Ioannis Steenvvegij nõ longè à Couordia ſitum; vbi eum ſæpiùs inuiſens patruelis Mauritius, ſuſpicatus eſt Steenvvegium ſecretò cum Regiis agere de tradendo vtroq; Comite. Negotio, vt aiunt, detecto, captus is Hagam Hollandiæ miſſus eſt, ac tandem capite plexus. Iam omnia arcis Couordiæ propugnacula erant à tormentis diruta, iuſtáque facta ad irrumpendum ruina. Sed multo-

Hollandi Ootmarſo potiuntur.

Inde Couordiam arcem obſident.

Mittuntur à Parmenſi auxiliares, ſed ſeriùs.

Tentant Regij perrumpere caſtra hoſtilia, ſed multi vtrimque cadũtur.

multorum ſanguine expugnandam Arcem Mauritius videns, iterùm ad Præfectum Entium tubicinem mittit, deditionem ſuadens. Ille viginti quatuor horarum deliberatione petita obtentáque, iis finitis Arcis deditionem pollicetur, vita, armis, rebuſque omnibus ſaluis, ac præſidiariis in tutum deductis. Conſentit Mauritius, tamen ne tympana ſonarẽt, ſigna explicarent, nec funiculos bellicos ardentes gererent. Intrant his legibus in Arcem Hollandi 12. Septẽbris. Entius cum præſidio ac impedimentis ad proxima Regiorum deducitur caſtra. Paulò pòſt, munita Couordia, Hollandi cum copiis verſus oppidum Lingam proficiſcuntur. Verùm cùm omnia ad defenſionẽ paratiſſima à Comite Frederico Tsherẽbergio reperirent, grauiſque autumnus immineret, munitionibus aliquot minoribus in itinere occupatis, copias cum omni apparatu bellico domum reduxerunt, victoriis huius anni contenti. Parmenſis potu aquarum Spadanarum ſatiatus, ſed non ſanatus, 11. Octobris Bruxellam reuertitur, & Fredericum Perenotum Champaignij Baronem, ærarij Belgici alterum Præfectum, Regis nomine Belgio decedere iubet. Cauſa ferebatur, quòd Regi & primoribus aliquot Hiſpaniæ perſcripſiſſet, Parmenſem belli & auri Regij negotia malis tractare artibus, diſſolutè etiam ac magna proborum cum offenſa viuere: quod cùm tandem ad aures Parmenſis peruenisſet, conqueſtum hac de re de Champaignio apud Regem, permiſiſſéque Regem, ne maiores turbæ orirentur, iuberet Champaignium è Belgio abire. Vtut eſt, Champaignius Biſuntium in Burgundiam patriam profectus eſt, ibiſque deinceps quietè egit, à Rege nihilominùs, vt volunt, honeſto munere honoratus. Sub idem tempus venit Bruxellam veredarius ad Parmenſem miſſus, qui nuntiauit Comitem Fuentes ex Hiſpaniis nauigio in Italiam appuliſſe: eum noua mandata & placita Regis adferre ſpargitur, belli ordinem in Belgio renouandum, Rempub. reformandam, aliaque multa, quæ ad vtilitatem ſubditorum eſſent, inſtituenda. Venit idem Comes de Fuentes 11. Nouembris Nanceium Lotharingiæ; atque inde cùm paululùm reſpiraſſet, celeribus equis in Belgium properabat, ſperãs ſe Parmenſem adhuc Bruxellæ reperturum, vt cum illo quæ in mandatis habebat, communicaret. Sed antequam adueniſſet, Parmenſis 13. eiuſdem Nouembris Bruxella diſceſſerat. Cùm enim nouiſſima expeditione Gallica Nauarræum feliciter ex agro Rothomagenſi profligaſſet, nunc tertiam expeditionem illuc adornabat. Dudum, vt diximus, languidus, Bruxellâ diſcedens teſtamentum condidit, ſacraque ſynaxi ſe communiuit. Atrebatum ingreſſus eſt 16. eiuſdem Nouembris. Aduentanti Senatus Atrebatenſis cum omni nobilitate, & aliquot armatorum ciuium cohortibus, obuiàm honoris cauſa proceſſit. Ingreſſum hoſpitio excepit Ioannes Sarracenus, Cœnobij Vedaſtini ibidẽ Abbas.

1592

Deditur Couordia Hollandis.

Hollandi, etſi proſpera fortuna, Lingã tamen aggredi non audent.

Champaignius Belgio diſcedere cõgitur.

Comes de Fuentes militia & Reip. reformandæ cauſa in Belgium venit.

Parmenſis tertiam expeditionem in Franciam adornat.

1592 Abbas. Totis quindecim diebus ante mortem, Parmenſis, quamlibet æger, ſingulis diebus bis equo conſcenſo, aut in mœnibus aut in agro exſpatiando ſeſe oblectabat, cælo etiam ſæpè pluuio, aquam Spadanam ſubinde potitãs, & priſtinam expectans valetudinem, quò reſtitutis nonnihil viribus feliciter tertiò in Franciam proficiſceretur, ſimul ad electionem Regis Catholici, quæ in vrbe Sueſſionenſi futura putabatur. Cetertùm ipſis Kalend. Decembris ingraueſcente morbo, pedem domo, vt ſolitus erat anteà, non extulit. Et poſt ſolis occaſum, neſcius mortem tam propè adeſſe, quieti ſe tradidit. Nocte intempeſta dum à miniſtris quieſcere creditur, animam agere incipit. Abbas Vedaſtinus mox certior factus, ſtratis relictis, aduolat, atq; eum ſacro inungit Oleo. Poſtridie Kalend. vbi rumor ille vrbem peruaſit, admiratio ciues, luctus habebat aulicos. Nec mora: per omnia templa ſupplicatum eſt pro eius ſalute; qui exanimi ſimilis iacuit, ad horam vſq; primam noctis inſequentis, nempe quæ diem 3. Decembris more Belgico auſpicatur; qua tandem hora animam efflauit. Sole exorto, Medici ac Chirurgi extẽterato corpore, deprehendunt præcordia tabifico morbo vitiata, inteſtina verò naturali quaſi mota loco cõtra naturam implicata intricataque. Circa meridiem campanæ omnium ſacrarum turrium ſimul pulſatæ funebres ediderunt ſonitus, & eodem die ſub noctem cadauer Religioſa veſte Capuccinorum amictum, vultu, pedibus & manibus nudatis, in D. Vedaſti tẽplum per Proceres portatur, ardentibus plus minus trecentis funalibus, ſine vlteriori eo die pompa: & cùm Monachi ſacras Vigilias decantaſſent, rurſum è templo in conclaue proximum refertur, vnguentiſque & aromatibus condîtur, in Italiam Parmam ſuo tempore tranſportandum. Cerebrum, præcordia, ac inteſtina in eodem templo ante aram maximam honorificè tumulata ſunt, celebratis poſtridie honorificentiſſimis ibidem exequiis, quibus interfuerunt præter alios Marchio Warenbonius Arteſiæ Præfectus, Mansfeldius, Barlaymontius, Haurechius, & Comes Soranus. Orationem funebrem habuit Epiſcopus Audomarenſis. Perſolutis iuſtis, Aula 6. Decembris Atrebato diſceſſit. Nono Decẽbris Principes Bruxellam reuerſi ſunt, & poſtridie corpus defuncti Parmenſis à multis Nobilibus in eamdem vrbem deductum, à Comite Barbanſonio cum maxima ſolemnitate, comitante omni Clero, Concilio Regio, Magiſtratu, ciuibus, militibus tam equitibus quàm peditibus ſigna atq; arma poſt ſe trahentibus, tympanis & tubis lugubre murmur ſonãtibus, multis funalibus facibúſq; præcedentibus, in Sacellum Ducale, quod in Palatio eſt, infertur, ac deinde 20. eiuſdem menſis ſplendidiſſimæ exequię celebrantur. Eiuſdemque cadauere demum anno ſequenti 15. Martij Parmam illato, Romæ deinde in Ara cæli 3. Aprilis pompa funebris magni-

Atrebati, grauius ſolito laborare incipit.

Moritur Parmenſis in eadem vrbe Atrebatenſi.

Inteſtinis ibidem ad S. Vedaſti ſepultis, corpus in Italiam portandum ſeruatur.

Pompa funebris Parmenſi tum Atrebati, tum Bruxellæ exhibita.

magnificentiſſima exhibita eſt, vbi hæc inſcriptio inter cetera ad equeſtrem eius ſtatuam : 1592

S. P. Q. R. *Itidem Romæ.*

ALEXANDRO FARNESIO ROMANO
PARMAE ET PLACENTIAE DVCI III.
S. R. E. VEXILLIFERO
CATHOLICÆ FIDEI ACERRIMO PROPVGNATORI.

Atque hic epilogus MAGNI pridem ALEXANDRI FARNESII Parmæ & Placentiæ Ducis: qui vniuerſam Belgicam pacare, & Regi ſuo reſtituere potuiſſet, ni Catholicam in Regno Galliarum fidem Magni Ducis operâ tueri, quàm ſuas ſibi Prouincias denuò acquirere, Rex verè Catholicus maluiſſet.

Venerat Comes de Fuentes, de quo diximus, Bruxellam quarto Decembris: qui cùm aliquot dies Parmenſis funeri dediſſet, tandem ampliſſimo Ordinum conuocato Concilio, è pretioſiſſima arcula Regium depromit Diploma, quo, mortuo fortè Parmenſi, Petrum Erneſtum Mansfeldij Comitem Belgicarum Prouinciarum Gubernatorem nominabat, donec alium ſui ſanguinis ſubſtituiſſet; Carolum verò Manſfeldium filium, exercitus, qui in Franciam erat mittendus, Imperatorem, Collegam ex Hiſpania expectantem Feriæ Ducem. Per hos dies Hollandi non paucos Ducatus Iuliacenſis pagos ſpoliant ac diripiunt, nominatim Loeuenich; inde delati ad Ducatum Limburgenſem, tirones aliquot Regios recèns conſcriptos vixque ſemiarmatos partim cædunt, partim fugant aut capiunt: tum in Ducatum Lutzenburgenſem profecti, Fanum diui Viti dolo occupare conati, cùm ciues in armis eſſe intellexiſſent, 16. Decembris, omnia circumquaque ſpoliantes, igneque ſequentes, tandem cum ingenti præda in Hollandiam, nemine ſe opponente, reuertuntur. Regis Philippi voluntate Belgarum Ordinibus à Comite de Fuentes detecta, mox ad omnes ſcribitur maiores minoreſq; pacis bellique Præfectos, Petrum Mansfeldium à Rege Gubernatorem declaratum, donec ſui ſanguinis aliquem miſiſſet; ac deinde de copiis cum Carolo Mansfeldio in Franciam Pariſienſibus ceteriſque Fœderatis auxilio mittendis decretum cùm eſſet, idem Comes Carolus, pridie Kalend. Ianuarij, recenſito exercitu, Bruxellâ diſcedens ad eum pergit. Comitatur Comes de Fuentes cum vniuerſa Aula Landreſium vſque: hîc valedicentes, Funtius cum aulicis Bruxellam reuertitur, Mansfeldius cum copiis in Franciam pergit.

Hollandi oppidum S. Viti fruſtrà occupare nituntur.

Senior Mansfeldius Belgij pro tempore Gubernator; filius, Dux in Franciam decernuntur.

In

1592 VARIA. In variis huius anni, Innocentio IX. Papa, die 30. Decembris anni ſuperioris, vt diximus, defuncto, Clemens VIII. ante Pontificatum Hippolytus Aldobrãdinus dictus, die 30. Ianuarij ſubrogatur; cùm mortuus eſſet die 6. eiuſdem Ianuarij ipſo die Epiphaniæ Illuſtriſſ. Dux Iuliæ, Cliuiæ & Montium Guilielmus, ſenio cõfectus, cui deinde 10. Martij Duſſeldorpij parentatum. Pompa ab aliis latè deſcribitur; nobis ſufficit notaſſe, eum adhuc Catholico Romano ritu ſepulchro illatum, non obſtante, quòd Boruſſus & Bipontinus generi eius, ibi præſentes, & iam tum Ducatui inhiantes, quòd filius Ioannes non ſatis firmi cerebri eſſet, aliam à Romana profiterentur Religionem. Die 2. Maij obiit Ioannes à Manderſcheit Epiſcopus Argentinenſes, poſtquam viginti tres annos magna cum laude eam Eccleſiam rexiſſet. Capitulum Cathedrale in duas factiones dudum erat diuiſum. Quidam enim Truchſeſij Exauctorati Colonienſis, de quo annis ſuperioribus aliquoties egimus, aliorúmque Canonicorum à Pontifice excommunicatorum partes, iam ab annis plus minùs ſeptem erant ſecuti. Alij Catholici cum excommunicatis communicare noluerant, ſed cum Epiſcopo ſuo Pontificis ſententiæ parebant. A partibus excommunicatorum ſeu Proteſtantium ſtabat quoq; vrbis Magiſtratus. Itaque duo electi ſunt Epiſcopi; à Canonicis Catholicis Carolus, Caroli Lotharingiæ Ducis filius, Cardinalis & Epiſcopus Metenſis; à Proteſtantibus Ioannes Georgius Brandeburgenſis, Ioachimi Frederici Adminiſtratoris Archiepiſcopatus Magdeburgenſis filius. Vnde mox bellum ſanguinarium enatum, quod vix anno ſequenti, Legatis Rudolphi II. Imperatoris interuenientibus, eſt compoſitum. Et die 30. eiuſdem Maij Sigiſmundus Poloniæ Rex & Sueciæ heres (cuius pater Ioannes Nouembri huius anni obiit) Cracouiæ magna cum pompa vxorem ducit Annam, Caroli Auſtriaci Carinthiæ & Stiriæ Ducis filiam. Ad hæc menſe Iunio Turcæ, ruptis induciis, ex Boſna magnis copiis progreſſi Wihitzium, munitum Croatiæ oppidum cum Arce aliquamdiu obſeſſum, occupant. Vigeſimo quarto verò Auguſti Regius miles tãdem Bonnam Erneſto Bauaro Electori Colonienſi reddit, cùm toto anno pro ſtipendiis ſibi debitis ciues omneſque vicinos inſigniter vexaſſet. Eius cura inde Vander-Lindio ab Electore demandata.

Turbæ apud Iuliacenſes, mortuo Guilielmo Duce.

Similiter Argentoratis, mortuo eius loci Epiſcopo.

Duo Argentorati electi Epiſcopi; hinc cruentum bellum.

Bonna Electori Colonienſi tandem à Regiis redditur.

1593 Huius anni initio Dux Mænius ſuorum Confœderatorum conſenſu in 27. Ianuarij Comitia Pariſijs indixit, in quibus de ſalute ſtatúq; Regni Francici conſtitueretur, ſuique conſilij rationes ſcripto comprehendi, & 5. Ianuarij Pariſiis, ac deinde alibi per prẽcones publicari iuſſit. Nec pigebit poſteritati rationes eas etſi prolixas, tradere. Erant in eo ſcripto hæc præcipua: (loquuntur Fœderati:) Semper itaque nos proteſtati "ſumus vnicum ſcopum & ſpem noſtram fuiſſe conſeruationem Regni, "

Scriptum, quo de tota controuerſia Francica diſceptatur.

&

» & conſtitutionum patriæ, adeò vt Cardinalem Borbonium Regem no- 1593
» bis cooptauerimus, tamquam proximum & primum Regij ſanguinis
» Principem: qui etiam viuente adhuc Rege iam defuncto, Diplomate
» eius in omnibus Conciliis & Parlamentis approbato, ſucceſſor erat re-
» nuntiatus, ſi Rex abſque maſcula prole decederet. Et quidem ſi Rex Na-
» uarræus mortem Cardinalis expectaſſet, atque intereà ſe Catholicæ Ec-
» cleſiæ reconciliari curaſſet, Catholicos omnes præparatos habuiſſet, ad
» exhibendum ei eumdem honorem eamdemq; fidem poſt obitum Re-
» gis ſui patrui. Cùm verò in erroribus ſuis permaneat, minimè id nos de-
» cet, cùm antiquiſſima ſit conſuetudo à Clodouæo vſque ad hæc tempo-
» ra, vt nullus ad Regnum recipiatur qui non eſt Catholicus. Quæ conſti-
» tutio tam ſancta & neceſſaria habita eſt ab Ordinibus Bleſæ anno poſt
» Chriſtum natum 1576. congregatis, vt conſtitutio illa iudicata ſit prin-
» cipalis & fundamentalis Regni lex: quare eodem tempore auctoritate
» Regis decretũ eſt, vt duo ex ſingulis Ordinibus ad Regem Nauarræum
» & Principem Condæum mitterentur, qui explicarent illis quantum ſe
» in periculum conijcerent, eò quòd à Catholica Eccleſia recederent; mo-
» nerent etiam, niſi reſipiſcerent & Eccleſiæ reconciliarentur, ſi quando ad
» ſucceſſionem Regni deueniretur, eos fore excluſos. Sed & declaratio poſt-
» eà Rothomagi anno 88. facta & in poſtremis Comitiis Bleſæ habitis
» confirmata eſt, in qua cauetur, ne hæc antiqua conſuetudo violetur, ſed
» vt fundamentum Regni obſeruetur. Et hęc quidem ipſi Regi Nauarręo
» aliquoties ſignificauimus, & propoſitiones quaſdam dedimus, quibus
» Regno pax redderetur; nimirum ſi ipſe Eccleſiæ ſeſe reconciliare vellet:
» quin & hæc à nobis acta ſunt tunc cùm res noſtræ meliori adhuc erãt lo-
» co quàm nunc. Sed Rex Nauarræus, vt cuiuis conſtat, reſpondit, Se à
» ſubditis ſuis cogi nolle; coactionem nominans, admoneri vt ad ſanctam
» Eccleſiam reuerteretur. Addidit tamẽ & hoc reſponſo prædicto: Quòd
» ſi ſubditi illum recipere velint, ſe poſteà coacto Generali & libero Con-
» cilio velle admonitiones acceptare, opinionemque ſuam, ſi damnetur,
» deſerere. Quaſi verò Concilia deſint ad hos errores condemnandos, qui
» toties ab Eccleſia damnati ſunt. Sanè ſi nos illum ſemel pro Rege agno-
» uerimus, & diſſidium Religionis perſeueret, fiet id cum tanto hæretico-
» rum quæſtu & commodo, vt nos inermes deinde, tantummodò ineffi-
» cacibus nos fatigemus ſupplicationibus. Regis ad exemplum totus com-
» ponitur orbis. Quòd ſi Catholici Proceres, qui nos deſeruerunt, vellent
» diligenter animaduertere acta aduerſariorum noſtrorum, manifeſtè vi-
» derent, quò res tendat: optimæ enim ciuitates, Arces aliáque loca munita
» aut hæreticis traduntur, aut ijs perſonis, quas ſcimus ſemper ab illis ſtetiſ-
» ſe. Catholici, qui iis in locis adhuc ſunt, aut imperant, quotidie accuſan-

Regem Francia non poſſe recipi niſi Catholicum iuxta conſtituta anno 1576.

Idem confirmatum eſt anno 1588.

Reſpondetur ad id quod Nauarræus dicit ſe velle audire Concilium Generale.

Hortantur Fœderati deſertores, diligenter vt negotiũ expendant.

1593 tur & damnantur; crimen illis impingitur, quòd ſint inobedientes, ſedi- «
tioſi; etiam Principibus Coronæ non parcitur. Criminantur hæretici au- «
xilium Regis Catholici Hiſpani, quod inuitis oculis cernunt. At nos il- «
lis reſpondemus: Religio, quæ in hoc Regno in ſummo conſtituta eſt pe- «
Dicũt, Regem Hiſpan. pro auxilio miſſo nullam petere retributionem. riculo, coëgit nos à potẽtiſſimo Rege huic Coronæ Confœderato ſubſi- «
dium petere; quod nobis miſit, nullam petens à nobis retributionem. «
Neque nos cum quoquam aliquid pacti ſumus ſiue in Regno ſiue extra «
illud, quod quoquomodò poſſet magnitudini & Maieſtati huius Regni «
detrahere. Quòd ſi Catholici, qui hæreticorum caſtra ſequuntur, affe- «
ctus ſemel exuerent, vellentque ſe ab eorum conſortio ſegregare, etſi non «
ſtatim nobis ſe iungere, ſed remedia ad promotionem omnium eorum «
quæ Regno conducunt in commune quærere, confeſtim ſine dubio in- «
ueniremus. Oramus igitur, & adiuramus eos per nomen Dei noſtri, & «
Eccleſiæ eius, in qua quotidie vtraque pars proteſtatur ſeſe velle per- «
petuò viuere & mori, vt hæreticos deſerant; promittimúſque per fidem «
& honorem noſtrum, quod dictum eſt nos effecturos, his cõditionibus, «
vt fugiant hæreticos, & quòd ſic idem honor aut etiam maior illis à no- «
ſtris exhibebitur. Sed obſecramus illos, ne differant opus hoc, ſed citò fa- «
Orant denique vt omnes ad 27. Ianuarij conſilia conferant. ciant. Significamus itaque illis, nos, vt hoc opus auſpicemur, ſerio conſi- «
lio & precibus oraſſe Principes & Pares Franciæ, Prælatos, Dominos «
Parlamentorum, ciuitatum etiam & communitatum huius partis Le- «
gatos, vt 27. Ianuarij die Pariſiis conueniant, vt communi concordiáque «
conſilio eligamus remedium, quod excogitare, cenſere & iudicare pote- «
rimus eſſe vtiliſſimum & optimum ad conſeruationem Religionis, Re- «
Proteſtantur ſi derelinquantur à ſociis. gniáque adminiſtrationis. Quòd ſi hæc ſeria & æqua petitio nihil apud «
illos poſſit, vt ad commune bonum patriæque ſalutem aduigilent, noſq; «
idcircò neceſſitas cogat tamquam ab illis derelictos extraordinaria re- «
media contra intentionem & voluntatem noſtram vſurpare, proteſta- «
mur coram Deo & hominibus, &c. Hæc inter alia in illo Scripto. Pau- «
lò ante Clemens VIII. Pontifex Nauarræum, & qui illum ſequebantur, denuò excommunicauerat, poteſtatemque fecerat Confœderatis Regem Catholicum eligendi: quas Bullas ad Philippum Cardinalem tit. S. Onuphrij Placentinum in Galliis Legatum ſuum miſerat, qui eos quoque publicari iuſſerat. Quod cùm intellexiſſet Nauarrẹus, per Procuratorem ſuum Concilio Cathalaunij, vulgò *Chalons*, cõgregato, multis verbis de huius rei iniquitate conqueritur. Concilium, habita deliberatione, querelas contra prædictas Bullas acceptauit, & cõtra illas appellauit, decreuitque Cardinalem S. Onuphrij citandum, vt ſe contra dictã appellationem defendat. Intereà idem Concilium omnes cuiuſcumque Status hortatur, ne ſe patiantur ſeduci doloſis machinationibus eorum

Nauarrẹus contra Bullã Pontificis de eligendo nouo Rege appellat.

qui

qui ſub prætextu Religionis Regnum quęrunt inuadere, & barbaros Hiſpanos, alióſq; violentos homines in illud introducere. Interdicit præterea omnibus hominibus prædictas Bullas habere, aut ſe iis defendere, aut in ciuitates & loca prædicta prætenſæ electioni cõſtituta ſe transferre, ſub grauiſſimis pœnis. De ciuitatibus verò & locis, vbi prædicta Comitia haberentur, decretum eſt funditus ea diruenda, ita vt lapis ſuper lapidem non maneat, abſque vlla ſpe reſtaurationis. Quare præcipit ſubditis, vt ad pulſum campanæ ciues omnes armati concurrant aduerſus eos qui ad prædicta Comitia venturi ſunt. Hæc ſumma illius eſt Decreti, quod initio quoque huius anni Cathalaunij & in aliis locis Nauarræo parentibus publicatum eſt. Nihilominùs Principes Catholici qui cum Nauarræo erant, ſeu etiam ipſe Nauarræus, non ſatis ſecuri, euocarunt omnes Officiarios Coronæ, primarios Catholicos, tam qui de Nauarræi erant Concilio, quàm alios ei addictos, vt Carnutum, vulgò *Chartres*, conueniant, certaſque conditiones concipiant ad conſeruationem Religionis Catholicæ Regnique vtiles, quas Confœderatis Lutetiam mitterent. Eas quoque ſi hoc loco recenſuero, operæ pretium me facturum putaui, vt poſteri aliqua ſaltem parte ſtatuant de cauſis huius tam ſanguinarij belli ciuilis. Principes (inquiunt) Prælati, Coronæ Officiarij, præcipui ex Catholicis Domini, tam qui in Senatu Regio ſunt, quàm qui apud eius Maieſtatem degunt, poſtquam viderunt programma ſub titulo & nomine Ducis Mænij Pariſiis menſe Decembri impreſſum, & in eadem ciuitate 5. huius Ianuarij publicatum, vt in eodem Scripto legitur, & Carnutum ad manus eorum 15. huius allatum eſt; fatẽtur apertè, & in eo cum prædicto Duce conueniunt, continuationem belli præſentis nihil præter deſolationem vaſtitatemque huius Regni ſecum adferre, neceſſariò quoque tandem extremam Catholicæ fidei ruinam & extirpationem parituram; cuius rei quotidiana experientia nimis multa præbet teſtimonia; idque cum dolore & querelis prædictorum Principum & Dominorum, aliorúmque omnium qui Regem ſibi à Deo datum (vt par eſt, & iure tenentur) agnoſcunt & colunt. Qui Principes ſibi ſemper primarium ſcopum ob oculos habuerunt Catholicæ Religionis conſeruationem: ſed ideò magis obdurati ſunt ad Coronam hanc armis & quibuſcumque poſſunt mediis defendendam, quia viderunt exteros, qui Regni huius ſalutem & felicitatem oderunt, in illud introductos. Optimum medium ad fugienda mala omnia eſt, conciliatio & pax inter eos qui magno Religionis incommodo à ſe inuicem diſiuncti & alienati ſunt. Poſito enim hoc fundamento, Catholica Religio iterùm priſtino nitori reſtitueretur: Nobilitatis vires ad defenſionem pacis & Regni augerentur; ciuitates reſtauratione negotiationis omniúmq; artium mechani-

1593

Inſuper iubet, vt omnes Comitia Fœderatorum armis diſturbent.

Nihilominùs Nauarræus concipi iubet Scriptũ ad Comitia illa Pariſios mittendum.

Vrgetur inprimis quòd exteri ſint in Regnum inducti.

Itaque ſuadent, potiùsquãcumque conciliationem faciendam.

1593 chanicarum,quæ nunc iacent,iterùm refocillarentur; agri & campi, qui nunc vbique otiantur, ſpináſque & tribulos loco bonorum fructuum producunt (quod ſpectatu eſt miſerabile) iterùm colerentur. In ſumma, reducta poſtliminiò pace, vnuſquiſq; ſedens in tam firma pace benedi-

Scilicet poſito hoc, omnes benè precabuntur pacificatoribus.

ceret & benè precaretur omnibus huius tanti boni auctoribus: cùm nũc econtrariò iuſtiſſimas habituri ſint cauſas execrandi omnes qui illud impedire voluerunt, non alia moti ratione quàm propria auaritia & ambitione. Prædictis itaque ex cauſis, vt ad demonſtrationem intentionemque veniamus, quam prædictus Dux Mænius ſuo Scripto exprimit, tam ſuo quàm illorum qui partes eius ſequuntur, & nunc Pariſiis conuenerũt nomine; quaſi is conuentus ſit inſtitutus ad conſulendum in medium, quibus modis Religio & tranquillitas Regni poſſit conſeruari, dicimus

Ad hoc, excipiunt quoque, quòd Pariſiis Comitia ſint indicta.

eum talem eſſe, vt nec propoſitionum nec loci ratione alij ad illum venire debeant, quàm qui illius partis ſunt, nec eum poſſit ſortiri effectum, quem illi imaginantur, & Scripto ſuo perſuadere nituntur, cùm contrarium ſit certiſſimum, ex eo conuentu nihil expectandum, quàm exacerbationem maiorem animorum ad bellum proſequendum, & omnem ſpem reconciliationis præſcindendam. Igitur prædicti Principes, Prælati, Officiarij Coronæ, & alij Catholici Domini, qui apud ſuam Maieſtatem ſunt, omnino certi & ſecuri, quòd omnes alij Principes, Domini & Prouinciæ Catholicæ, quas illi agnoſcunt, non minùs in eodem zelo Catholicę Religionis & tranquillitatis Regni ſecum conueniunt, in obedientia & fide ſuo Regi & nato Principi debita ſuo omnium nomine, cum licentia ſuę Maieſtatis per hoc Scriptum Duci Męnio & aliis Principibus ſuæ familiæ, Prælatis, Dominis, aliiſque perſonis in ciuitate Pariſienſi congregatis ſignificare voluerunt, quòd ſi ipſius conſtitutum ſit, ſua conſilia conferre, & nobiſcum de modis viiſq; ad tumultus hos componendos commodiſſimis deliberare, & mittere Legatos ſuos, perſonas

Itaque loco libero conueniatur, inter Pariſium & S. Dionyſium.

virtute præditas & idoneas, vt cõueniant tali in loco, qui ad hoc de communi conſilio conſtituetur inter Pariſios & S. Dionyſium; etiã ſe ex parte ſua dicto die quoſdam miſſuros, tam ad proponendum, quàm ad intelligẽdum omnia media quæ poſſunt excogitari ad tam bonum finem vtilia. Proteſtantes coram Deo & hominibus, ſi hæc via reijciatur, alijque modi illegitimi præferantur vt Francia obijciatur libidini & auaritiæ Hiſpanorum, horum malorum culpam non poſſe nec debere adſcribi, niſi his qui tale medium repudiarunt. Acta ſunt hęc Carnuti (vulgò *Chartres*) in Concilio Regio, vbi dicti Principes & Domini fuere cum licentia Regis congregati die 27. Ianuarij, decretumque vt per tubicinem Regium Pariſios mitteretur. Iam Mænius & qui cum illo Pariſiis erant, initium Comitiis dederant. Venit interea tubicen cum iam dicto Scri-

Alioqui ſcilicet & hi proteſtantur.

pto

pto. Quod cùm lectum eſſet, decretum fuit, expectandum, donec Con- 1593
uentus eſſet frequentior, antequam reſponſum mitteretur. Intereà neutra parte ceſſabat Mars. Montmorancius & qui cum eo non procul Auenione conuenerant Nauarræani, Niſſam vſq; prouecti multos captiuos abduxerunt, Aubenas quoque vrbem in Viuarienſibus aſtu occuparunt, ſed præſidiarij qui in Arce erant eam fortiter defenderunt, & ad Lugdunenſes nuntium miſerunt, ſubſidium ab illis implorantes. Nauarræus quoque ipſe copias ſuas omnes ex Normannia & vicinis locis cogebat, & Pariſios verſus mittebat; quoſdam etiam pedites ad expeditionem Memmenſem (quod propugnaculum eſt Aurelianenſium) ablegauit. Ex altera parte Mænius clàm Pariſiis profectus, ad Carolum Mansfeldium qui cum Belgicis auxiliis inter Landreſium & Guiſium adhuc ſubſiſtebat, mandatum quò pergeret, expectans, magnis itineribus contendit. Mox Mansfeldius exercitum in Bellouacenſes ducit, nocteq; intempeſta Nouiodunum, admotis ſcalis, ſe intercepturum ſperabat. Sed qui in vrbe erant, cùm audirent hoſtem adeſſe, magna contentione eum de mœnibus detrudunt, diſploſiſque maioribus tormentis longiùs ab vrbe reijciunt. Facta hæc menſe Februario. Amiſit Mansfeldius hac expeditione milites ampliùs ducentos. Mænius Sueſſionem cum Duce de Feria, qui iam aduenerat, profectus eſt, inde Rhemos, Rhemis Pariſios reuerſurus. Mansfeldius accepta clade, in Picardia nonnihil ſuos reſpirare fecit, inde rurſus in penitiorem Galliam profectus, cùm caſtrum hoſtile, Nouę-villæ dictum, ſibi obuium dedi poſtulaſſet, & præſidiarij inſolentiùs reſponderent, admotis copiis illud vi occupauit, omneſq; in eo inuentos interfecit. Paulò pòſt accedens Mænius coniunctis exercitibus Nouiodunum iterùm obſederunt, omniáque ad oppugnationem neceſſaria in caſtra comportari, & ſumma celeritate diſponi iuſſerunt. Intereà Mænij filius cum parte copiarum in Burgundiam proficiſcitur, quem Guiſius ſubſecutus eſt. Qui in vrbe erant nuper à victoria elati, hoſtem omneſque eius machinationes contemnebant. Sed cùm Mansfeldius & Confœderati vrbem aliquamdiu maximis tormentis verberaſſent, ruinam ſtrauiſſent, ſæpiùs oppugnaſſent, oppidani abiecta ſpe omni, ſeſe certis conditionibus poſt medium Martij dediderunt manè, cùm circa veſperam Nauarræus cum ſubſidio aduenit, tentaturus ſi obſidionem ſoluere potuiſſet. Præſidiarij abſque armis bacillos albos in manibus habentes dimiſſi ſunt. Hoc tempore inter Cameracenſes & Regis Hiſpaniæ ſubditos pactæ ſunt induciæ, & Balignius Gubernator cum parte præſidij ad tempus Mænio ſe iunxit. Initio Aprilis Dux de Feria, Legatus Regis Hiſpaniæ, qui paulò antè Pariſios venerat, ad Comitia Ordinum admiſſus, luculentam nomine Regis ſui Orationem habuit; in qua,

Nihilominùs vtraq; pars belli proſequitur.

Carolus Mansfeldius cum Belgicis auxiliis in Franciam venit.

Caſtrum Noue-villa vi occupat.

Mansfeldius ſimul & Fœderati Nouiodunum iterùm ſibi vendicant.

1593 poſt commemorata plurima præcedentium annorum ſui Regis in Francos beneuolentiæ ſigna, hæc ſubnectit: Accedit, inquit, ad id ſummum quidpiam, & forſitan inauditum exemplum amicitiæ: nimirum Regem Catholicum ſua deſeruiſſe cum incredibili detrimento, vt vobis opitularetur. Sunt etiam nunc diuque fuere copiæ militares pro ſalute veſtra vſque ad necem paratæ; æſque conſumptum in illis, ſuperat ſex aureorũ nummûm milliones, vt vocant: nec his contentus, quid pro ſalute veſtra vlteriùs poſſit agitari, diu multúmque cogitauit, inſtititque tãdem, quod caput rei eſſet, vt congreſſus huius celeberrimi conuentus celebraretur. In eo ſolo veſtram omnium ſalutem Rex noſter Catholicus ſitam eſſe exiſtimat, vt talis Rex Catholicus renuntietur à vobis, cui & vires non deſint, quibus res veſtras componat ac tueatur, & vt abſque vlla cunctatione res tota hæc, ſemotis priuatis affectibus, perficiatur, quia maximũ alioqui periculum in mora eſſe videatur. Hæc Feria in ſua Oratione; qua finita, Regis ſui litteras ad Principes datas, Domino Nicolao de Pelleue, tit. S. Praxedis Cardinali, Rhemenſi Archiepiſcopo, primo Franciæ Pari, & Comitiorum Præſidi exhibuit, quas ille publicè legendas tradidit Abbati Orbenſi Comitiorum Secretario. In his litteris Rex toti mundo notum ait, quid fecerit, vt Regnum Francicum conſeruaretur. Neque iis contentum, mittere Legatum ſuum magni nominis Principem Ducem de Feria, quem ſuo loco eſſe cupit, nec è Comitiis diſcedere, priuſquam certi aliquid definitum ſit, aut facta ſit Regis Catholici pro qualitate temporis electio; quò Regnum Franciæ priſtino reſtituatur nitori. Hortatur denique Ordines, vt memores beneficiorum acceptorum, ſuæ expectationi ſatisfaciant. In ceteris ſeſe ad Ducem de Feria Legatum ſuum remittit. Reſpondit his tandem prolixa Oratione dictus Cardinalis Archiepiſcopus Rhemenſis, cõmemoratiſque omnibus quæ in laudem Franciæ Regum, zeliſque eorum pro Religione Chriſtiana, ex omnium ſęculorum Annalibus depromi poſſunt, ad laudes deinde Regum aliquot Hiſpaniæ tranſit, ac deinde his verbis ad Regem Philippum: At meritò, inquit, certè his omnibus anteponetur Rex Philippus; qui Regnum noſtrum ab hæretici tyrannide, duabus præſertim in obſidionibus, miſſis ſub Parmenſi Duce, viro manu ac cõſilio ſtrenuiſſimo, auxiliaribus copiis, ſibi vindicandũ putauit. Et nonnullis interiectis: Quem ſecundùm Deum veluti Liberatorem ſuum agnoſcit Gallia. Poſſem ego numerare continuos ſeptem vel octo Summos Pontifices, qui Catholicorum partes amplexati, multis magniſque exercitibus & ingenti pecuniæ vi adiuuerunt; maximè verò omnium Clementis VIII. Pont. Opt. Max. ſingularem paternæ in nos beneuolentiæ ſolicitudinem, magis magiſque indies experimur. Verùm hos omnes, vti diuitiarum affluentia,

Enumeratio breuis, beneficiorũ Francis à Rege Hiſp. præſtitorũ

Vrget Legatus Hiſpan. talis vt Rex eligatur, cui vires non deſint.

Ipſe Rex hoc modo: Eligatur Rex Catholicus pro qualitate temporis.

Cardinalis Rhemenſis magnificis verbis agit Regi Hiſp. gratias.

» tia, ſic profuſa in nos liberalitate & munificentia Catholicus Rex veſter 1593
» ſuperauit. Pro quo immortali ac propè diuino beneficio Regiæ ſuæ Ma-
» ieſtati, veſtręque Excellentiæ, quæ ſanctum hoc Legationis munus obit,
» gratias non quantas par eſt, ſed quantas animi noſtri concipere poſſunt,
» ampliſſimas agimus, omneque ſtudium & operam viciſſim deferimus,
» id vnum obnixè precati, vt qui præſenti auxilio indigemus, maturè no-
» bis ſuccurrere, atque flagranti noſtro huic incendio remedium afferre
» pergatis: ſic enim futurum ſperamus, vt res noſtræ, magna cum Regis
» veſtri laude & immarceſcibili gloria feliciter ſuccedant. Hiſque gradibus
» Catholica ſua Maieſtas viam ſibi facilem parabit in cælum, vbi diuina
» viſione (in qua ſita eſt hominis beatitudo) inter cęleſtes ac beatas San-
» ctorum animas tandem aliquando perfruatur. Dixi. At verò dum hoc
modo ducuntur res Francicæ (de quarum ſucceſſu vlteriori commemo-
rabimus porrò ſub finem huius anni) Belgium totum iterùm bellis ar-
det. Dudum cùm Dux Albanus Belgij Gubernator eſſet, ea fuit ibi mi-
litaris diſciplina, vt quicumque ex hoſtibus caperetur, vtrimque ſuſpen-
deretur. Non hîc gratia, non fauor, non lytrum quidquam valebat: quo
id effectum erat, vt coloni in pagis lociſque non munitis paulò tranquil-
liùs viuerent. Metus enim ille ſuſpendij militem à deprædationibus vt-
cumque prohibebat. At poſteà cùm diſciplina hæc aut nimis rigida, aut
minùs quæſtuoſa videretur, ea abrogata eſt, & alia ſubſtituta; nimirum
vt gregarius miles, Signifer quoque & Vicarius vnius menſis ſtipendio ſe
redimerent; ſolus Centurio & Chiliarcha tantum numerarent, quantum
victor eis poſſet emungere. Hac data licentia nuſquam coloni in pagis,
nuſquam Nobiles in ſuis Arcibus tuti erant, multò minùs viatores; ſed
quoſcumque volebant, ſpoliabant capiebántque prædones milites. Hinc
ergo agri inculti, omniáq; comercia oppreſſa. Tandem huic paroxiſmo
hoc qualecumque remedium inuentum eſt, nimirum vt quocumq; vel
hi vel illi ſigna hoſtilia propter vicinitatem inferre poſſent, ibi incolę, ex-
ceptis ciuitatibus, ſingulis menſibus tributum penderent hoſti viciniori:
quod quamdiu fideliter ſoluebant, ſub fide publica (vt plurimùm) tran-
quillè viuebant & agros colebant. Et ex huiuſmodi tributo magnam
exercitus partem alebant Ordines Hollandici. Vt igitur hunc bolum ip-
ſis eriperet Petrus Erneſtus Comes Mansfeldius pro tempore Belgij Gu-
bernator, 5. Ianuarij huius anni Edicto publico cauerat, ne qui poſteà
huiuſmodi excurſionibus exactionibuſque vexarentur, ſignum ex turri-
bus omnium pagorum incolæ darent, arma corriperent, pagi conueni-
rent, periclitantibus opem ferrent, & hoſtem cęderent, captos nullo lytro
dimitterent, ſed ſtatim ſuſpendio necarent. Idem etiam militibus im-
peratum vbicumque hoſtem deprehenderent. Eſtque hoc Edictum ali-

Precatur ſcilicet, vt Rex ſibi viam hac ratione in cælum paret.

Origo corrupta apud Belgas diſciplinæ militaris.

Menſtrua contributione pagi ſe ab hoſtili incurſione liberant.

Sed & hãc contributionem Mansfeldius voluit ſublatam, licet fruſtrà.

1593 quamdiu obſeruatum, vtrimque nonnullis captis & ſuſpenſis. Sed cùm qui ruri habitabant Eccleſiaſtici, Nobiles, & alij, non admodũ Edictum hoc probarent, malentes aliquid pro ſecuritate ſingulis menſibus perſoluere, quàm periclitari, vt vniuerſi pagi in fauillas redigerentur, ipſiq; abriperentur in duram captiuitatem; tum etiam hoc acceſſit vt Hollandi 27. Februarij cõtrarium Edictum promulgarent, iubentes, ne quiſquam mandato ſuperiori Mansfeldij obedire auderet, aut conſuetam contributionem menſtruam ſubtraheret, ni incepti pœnitere vellet: datúmque tempus deliberandi vſq; ad menſem Aprilem: quo elapſo, nullum cum ipſis ſeruatum iri pactum. Hoc igitur mandato publicato, priùs Manſfeldij Edictum paulatim deferbuit, & contributiones rurſum diſſimulando perſolutæ. Nec hæc ſatis erant Hollandis; etiam maiora aggrediuntur. Collecto mediocri exercitu (nam & illorum, ſicut & Regiorum, fortiſſimi quique erant in Francia) plurimis nauigiis, ratibus, omniq; apparatu bellico in vnum contractis Duynkerkam Flandriæ maritimam vrbem obſidere ſe velle ſimulãt; ſed ſumma vſi celeritate, Gertrudẽbergam oppidum Brabanticum ad oram Hollandiæ, Dordracenis, Gorcomienſibus, aliiſq; vicinis valdè infeſtum, 28. Martij terra & mari arctiſſima obſidione cingere incipiunt, moxq; acerrimè oppugnant. Sed quidquid moliebantur, parum vi proficiebat. Quare augendis propugnaculis, muniendiſque caſtris nocte dieq; intenti (intellexerant enim Petrum Erneſtum Mansfeldium Comitemque de Fuentes copias vndiq; cogere vt obſidionem ſoluerent) tandem effecere, vt caſtra oppido eſſent munitiora. Etenim terream molem ad oppidi latera aquæ obiectam ab vtraque parte perfoderunt, adeò vt vniuerſus oppidi ager aqua inundatus eſſet, ſicque Regiis difficillimus ad oppidum vel Hollandorum caſtra aditus daretur. Venit tamen tandem 26. Maij (verba ſunt Eytzingeri Auſtriaci) Comes idem Mansfeldius Petrus Erneſtus, poſtquam ſatis Antuerpiæ per Comitem de Fuentes Hiſpanum, Marchionem Hauræum, aliósque Regios belli Conſiliarios, conſultatum ac deliberatum fuiſſet. Qui in vrbe erant, fortiſſimè ſeſe interim defenderunt, ſperantes Manſfeldium cum Regiis ſibi opem laturum: qui quidem Mansfeldius, poſtquam Comes de Fuentes Antuerpiâ Bruxellam rediiſſet, quantum potuit, fecit: decem tormenta bellica ſibi Antuerpiâ mitti petiit, aliáq; neceſſaria procurauit. Sed dum res cunctanter ageretur, Mauritius quoque cum ſuis vrbem ab ea parte, qua continẽtem ſpectat, tam latis foſſis, tam altis & firmis vallis, tot propugnaculis cinxiſſet, vt impoſſibile propemodum videretur, eum caſtris exui poſſe, oppidani, poſtquam tres menſes obſidionem forti animo ſuſtinuiſſent, tandem 25. Iunij ſe hoſti tradere coacti ſunt. Sic ille. Alius his verbis commemorat: Venit tamen Manſfeldius

Hollandi Gertrudenbergam obſidere incipiunt.

Cõſtituunt caſtra ipſo oppido munitiora.

De tentatis auxilijs per Petrum Mansfeldium, ex Eytzingero.

De ijſdem, ex alio pleniùs.

feldius, circiter nouem millia tum equitum tum peditum habēs, ac qua parte Bredam iter eſt, loco excelſo haud procul Hollandis caſtra metatur, omnibúſque horis eos per pedites equiteſque ad pugnam prouocat. Exeunt contrà Hollandi velitariis pugnis; quibus cùm pro maiori parte inferiores ſe conſpicerent, ac promptiſſimos deſiderarēt, à pugna abhorruere. Deſiderarant enim inter alios Inueldium, Heſſelium & Vigium Præfectos. Quare non ampliùs facilè caſtris exeuntes, toti iis muniendis oppidoque premendo ſe dedidere. Quo Mansfeldius conſiderato, & quòd ob agrorum inundationem hoſtilia non poſſet inuadere caſtra, Comiti de Fuentes ſcribit oppidi neceſſitatem, ac hoſtilium caſtrorum munitionem; opus ſibi eſſe, ſi oppidum liberare velit, maioribus tormentis cum apparatu: horum autem in arce Antuerpiana ingentem eſſe copiam: haſque litteras per virum Nobilem mittit. Sed Comes de Fuentes, neſcio qua de cauſa, duobus tantùm maioribus tormentis cum exiguo apparatu miſſis, ita bilem Māsfeldio mouiſſe fertur, vt diceret, Si de Fuentes Gertrudenbergam hoſti tradere vult, ego culpæ expers ero ſpectator. Duobus nihilominùs adductis tormentis adeò fuit Hollandorum munitionibus moleſtus, vt facilè appareret, ſi iuſtus fuiſſet miſſus tormentorum numerus apparatúſque, Hollandos, deſertis caſtris, neceſſitate coactos ad naues fuiſſe reuerſuros. Lepidum eſt quod tēpore huius obſidionis contigiſſe narratur. Tubicen certis de cauſis à Mauritio ad Mansfeldium miſſus, à Mansfeldio interrogatus fuit quam ob rem Dominus ſuus caſtra ſua ita muniuiſſet; ipſum tamquam iuuenem bellicoſum, & honorem ambientem, aperto prælio ſecum decertare debere. Atqui, inquit tubicen, Excell. ſua Naſſouica deſiderat tam ſenex & veteranus miles fieri, qualis ipſius Excellentia, ſcilicet Mansfeldius, eſſet: quo reſponſo accepto omnes adſtantes riſere. Intereà oppidani nocte dieque tormentis cuniculiſque oppugnantur, ac prę cipuè ex propugnaculis quę ad aperti aggeris hiatus Hollandi fecerant. Ex altero enim horum in oppidum maioribus globis fæuientes, nil ciuibus tutum relinquebāt: ſummi quoque templi turrim, ne ex ea caſtris aut nauibus damnum inferri poſſit, pro parte deiecerant. Emittunt oppidani varios nandi peritos, Mansfeldio extremam expoſituros neceſſitatem. Sed ferè omnes capti, Hollandis eò magis occaſionem feſtinandi dederunt. Habebant oppidani in aggere Stelhouio mediocrem munitionem ſibi valdè commodam, Hollandis verò infeſtam ac incommodam; cuſtodiebatur à triginta ſex peditibus. Hanc Hollandi 24. Iunij inuadunt, tandemque expugnant. Oppidi Prę fectus locum recuperare conatus cum ducentis aduolat præſidiariis, ſed inter primos acerrimè pugnans cum quadraginta ex ſuis cadit, ceterique in oppidum repelluntur: quod exinde è dicta munitione

1593

Mansfeldius deſerta Gertrudenberga culpam Comiti de Fuentes aſſcribit.

Lepidum reſponſum tubicinis Mauritij ad Mansfeldium.

Intereà diu noctuq; oppidani à Mauritianis oppugnantur.

Petiuntur Hollandi munitione iuxta vrbem.

1593 tione tanta vi tormentis Hollandi oppugnarunt, vt ter reiecti, cùm multò maiorem terra aquaque fieri apparatum ciues militesque cernerent, de auxilio desperantes, missis ad Mauritium Legatis, de deditione 25. Iunij conuenerunt. Exierunt præsidiarij circiter sexcenti cum armis & impedimentis, acceptis quinquaginta plaustris quibus ægros ac alia subueherent, addita & equitum turma, donec in tutum deducti essent; tres tamen deprehensi qui pridem vrbem Parmensi vendiderant, detenti & suspensi sunt. Rolandus Mirteus, honoris Hispanici alioqui perstudiosus, de hoc oppido aliisq; Regi ademptis, dum Fœderatis in Francia succurritur, sic censet: His tribus expeditionibus in Fœderatorum gratiam « susceptis, dum miles Catholicus Francis desudat, totius ferè Frisiæ iactu- « ram fecit, in Brabantia Gertrudenbergam, in Geldria Nouiomagum, in « Flandria Hulstum, magna munitáque loca perdidit. Sic fit, dum pro- « priis neglectis aliena curamus. Hęc ille. Mansfeldius, Gertrudenbergam « ante oculos sibi ereptam dolens, mox 26. Iunij versus insulam Bommelensem cum copiis & bellico apparatu profectus est, munimentum Creuecœur ad ostium Disæ fluminis situm, & Buscoducensibus vicinisque valdè infestum expugnaturus. Sed Gorcomienses vicini hoc subodorãtes, intereà Disæ alueum eodem loco obstruxerant, vt mox omnia loca vicina aqua paulatim inundarentur. Interim Regij duabus cruentis oppugnationibus Propugnaculum illud inuaserant, iamque tertia inuasione illud videbantur expugnaturi (erat enim in munitione sauciatus Hohenloius, multique viri fortes vtrimque ceciderant) sed aqua omnia inundante recedere in Vliemen & Engelen coacti sunt. Vbi quamuis castra sua loco excelsiori metarentur, tamen & hîc non multò pòst aqua Disæ fluminis concluſi excreuit. Mansfeldius hoc modo retrocedere coactus omnem mouit lapidem, vt præsidio saltem ciuitati Buscoducensi imposito, eam Regi conseruaret; sed, quòd ciues sponte se olim Regi tradentes stipulati essent, se numquam præsidio grauandos, id nulla ratione impetrare potuit. Ita cùm circa Os pagum & Bercomium toto Iulio mense nulla re memorabili gesta hæsisset, tandem ipse Bruxellas rediit, parte exercitus, ductore Comite Frederico Tsherébergio, in Frisiam missa. Intereà 24. Iulij Comes Solmensis Hollandis militans octingentis equitibus & tribus circiter peditum millibus instructus ditionem Wasanam Flandriæ opimam portionem è regione Antuerpiæ inuadit, equites ad S. Ioannis ten Steen explorandi causa, pedites Steeckam mittens; vbi Hispani munitionem deserentes, ad munitionem è regione Antuerpiæ ad ripam Scaldis sitam se recipiunt. Hollandi eos insequentes aliquot ceperunt, & pagum Steecken incenderunt. Equitibus Hollandis ad S. Nicolai equites Lotharingi octoginta obuiàm facti, similiter nonnulli

Tandem & oppidani, nullo succurrente, se dedũt.

Mansfeldius cum suis versus insulam Bommelanam mouet.

Frustrà semel & iterùm Creuecœur oppugnat.

Redit Mansfeldius Bruxellam, parte exercitus in Frisiam missa.

nulli capti ſunt, alij fuga euaſerunt. Pedites Hollandi deinde propugnaculum S. Iacobi admotis tormentis deditione ceperunt, & eodem modo propugnaculo S. Ioannis ten Steene potiti ſunt. Quæ cùm breui tempore perfeciſſent, & vndique regionem deprædati eſſent, audientes Mondragonium cum bis mille peditibus & ſex turmis equitum aduenire (quos adhuc maiores copiæ ſequi dicebantur) conſarcinatis ſpoliis, munimentis deſtructis, & regioni magno tributo menſtruo imperato, nauibus in Hollandiam diſceſſerunt. Sed vice verſa 17. Auguſti eorumdem Hollandorum equitatui, qui Bredæ in præſidio erant, Regij magnam cladem circa Traiectum ad Moſam intulerunt. Conducti erant Bredani centum millibus florenorum ad Ducem Bullonium tutò deducendis; ſed pars theſauri, viginti circiter millium, in manus Regiorum venit; deſiderarunt etiam Hollandi ampliùs octoginta equos, & ſeptuaginta circiter capti ſunt. Hac æſtate variis locis Regius miles ob non ſoluta ſtipendia in ſeditionem verſus tumultuabatur. Vna parte Hiſpani in Arteſia prope arcem Auxianam tumultum excitarunt, tum propter ſtipendia debita, tum occaſione ſumpta ab Hiſpano quodam, quem, quòd Heſdinij virginem ſtupraſſet, Carolus Mansfeldius punire voluerat. vbi ipſum inuadentes Hiſpani, cum corporis ſui cuſtodibus fugere coëgerũt, domúmque & vaſa argentea eius diripuerunt. Inde conſtituto Electo, (quem vocant) tumultuario ſcilicet Duce omnium audaciſſimo, oppidũ S. Pauli occupantes munierunt, vnde Regis ſubditos circumcircà integro anno miſerè deprædati ſunt. Idem faciebant Itali & Wallones aliqui in Hannonia apud pontem ſupra Sambram, & alij ad Rhenum Rhijnbercæ; vbi expulſis Præfectis, ſingulis hebdomadibus nouum Electum creantes, omnia vectigalia & quæcumque à vicinis extorquere poterant, in ſuos vſus conuertebant. Iam tum anno ſuperiori Rudolfus Cæſar à Groningenſibus rogatus, 19. Decembris ipſorum nomine Regem Philippum, ne tam fideles ſubditi deſererentur, per litteras inſtanter poſtulauerat, ipſe quoque Rex 20. Aprilis huius anni reſcripſerat, iuſſeratque Mansfeldio, eorum inprimis rationem habeat. Et Mansfeldius quidem propter obſeſſam Gertrudenbergam, vt vidimus, ipſe eò proficiſci non potuit, tamen Verdugio Friſiæ Gubernatori mille & ſexcentos pedites, aliquotque equites, ſubſidio miſerat. Sed his tantillis copiis parum proficere, nec Guilielmi Naſſouij curſum, qui iam tum à menſe Aprili Groningenſibus erat infeſtus, potuit impedire. Naſſouius 6. Aprilis Ooſtmahorna Reidam è regione Emdæ cum copiis & apparatu bellico profectus, poſtridie Bellinckvvolderzielam venerat, eamque 8. eiuſdem Aprilis munire cœperat, vt viam Bourtangenſem, vnicum Groningenſium ſolamen, tantò commodiùs poſſet præcludere. Oſtendit quidem mox ſe Verdu-

1593

Hollandi ex VVaſia opimam prædam auferunt.

Verſa vice Regij circa Traiectum ſpoliis Hollandorum ditantur.

Varia ſeceſſiones ſeu tumultuationes militares apud Regios.

Subſidia in Friſiam miſſa, non ſufficiunt.

1593 Verdugius cum mille peditibus & ducentis equitibus, ſed eum iniquo loco & cum tam paruis copiis aggredi conſultum non duxit. Quare vt Naſſouium à cœpto retraheret, Couordiam & Ootmarſum premere tẽtauit, vterque interim maiores copias expectans. Et quidem Guilielmus Naſſouius poſt deditionem Gertrudenberganam cùm à Comite Mauritio prior viginti peditum ſigna, turmáſque equitum vndecim accepiſſet, in Auguſto Grambergam, & alia aliquot propugnacula terrore ſex machinarum bellicarum ſuperauit, ſicque Couordiam & Ootmarſum iterùm recreauit. Inde per paludes ad arcem Weddam prope Bortangam progreſſus, 27. Auguſti tormenta diſpoſuit; ſed priuſquam iis vteretur, præſidiarij tam huius Arcis, quàm vicini ad flumen propugnaculi, ſe dediderunt: quo facto, præſidiarij quoque Winſchotani ſponte aufugerunt; atque hac ratione Naſſouius, antequam Verdugius plus ſubſidij à Manſfeldio acciperet, omnem viam per Bortangam præcluſit. Interea quidem Mansfeldius ſub Comite Frederico Tsherenbergio duo millia peditũ & octingentos equites cum octo machinis bellicis neceſſariúmq; apparatũ miſerat; ſed hi in Ducatu Iuliacenſi hærentes, immorigeros ſe præbebãt, donec eos tandem Verdugij Vicarius blandis promiſſis progredi fecit. Hi profecti verſus Bocholtam, inde Lingenam 5. Septembris aduenientes, maiores copias Namurco exſpectabant, quæ Ruremondam ex parte iam attigerant. Hollandici Ordines hoc intelligentes, Franciſcum Verium Anglum cum quatuor peditum & duobus equitum ſignis ad omnem in Veluam irruptionem præcauendam ablegarunt. Comes Fredericus cum ſuis copiis verſus Bortangam tendebat, quam viam obſtructã inueniens, reduxit in Twentam, vbi Ootmarſum obſedit; quod & 13. Septembris, ſex tormentis à diluculo vſque ad meridiem vallo turbato, ſuperauit; Præfectos eorúmque Vicarios & Signiferos captiuos tenuit, milites gregarios abſque armis vllis aut impedimentis exire, & ſex mẽſium ſpatio ſe in Friſia non militaturos iurare coëgit. Ootmarſa recuperata ad Verdugium Nortlaram tendit; inde Schutendiepam traijciens, Slogteram, tribus tormentis per paludem traductis, pergit, plura à Groningenſibus tormenta ſibi commodari fruſtrà petens. Prope Groningam itaq; veniens, magno impetu propugnaculum Awarderzielam oppugnauit; bis viriliter repulſus, tertia vice pugnans illud obtinuit, omneſque præſidiarios trucidauit. Inde Slogteram, & Slogterâ Weddam deuenit, eamq; ſimiliter vi ſuperauit, centum ampliùs præſidiariis occiſis, ac tãdem munitionem validam in Bortanga obſidere parat, iunctis ſimul Verdugij copiis. Erat illud propugnaculum loco paludinoſo ſitum, vt vix ab vlla parte tormenta aduehi poſſent, foſſæ octoginta pedes latæ admodúmq; profundæ, propugnacula angularia quinque; præſidium quinque cohortes

Caſtra caſtris in Friſia opponuntur.

Naſſouius Regiis viã omnem per Bortangã præcludit.

Regij auxiliares tandem venientes Ootmarſum obſident, & obtinent.

Itẽ obtinẽt Awwarderzielam, & VVeddam.

tes peditum: quotidie etiam è Weſtfalia neceſſaria aduehi poterant, donec ab alia parte per Comitatum Benthemenſem ſimul obſiderentur. Quare tandem Verdugius ab obſidione receſſit, Couordiam ſe tendere ſimulans, interim iter ſuum Groningam verſus callidè inſtituens, inde ex improuiſo Comitis Guilielmi caſtra ſub Octobris initium obruere cogitauit. Sed re detecta, per ſex aut ſeptem horas vſq; ad veſperã cruentè velitati ſunt, multis vtrimque cadentibus. Verdugius Naſſouium à ſepimẽtis ſuis euocare, & ad apertum conflictum inuitare omnibus modis ſtudebat, ſed Naſſouius aleam periclitari noluit. Inde Verdugius Couordiam verſus per viam cõſuetam exercitum ſuum reduxit, ſed per paludes ſimul aliam viam viminibus contextis & arena effoſſa ſtrauit, quò ad aliam quoque Couordiæ partem terræ firmioris, cùm vellet, venire poſſet; ibiq́ue quatuor munitiones ex Nobilium domiciliis conſtruxit, çaſtráq; ibi poſuit, quo viam Groningenſem tutari, & ſimul Couordiam premere poſſit; eoq́ue loco maior pars Regiarum copiarum in maximis calamitatibus hibernauit. Sed iam quid intereà à menſe Aprili in Francia factum ſit, ſimul breuiter commemoremus. Agebatur dudum, vt diximus, in Comitiis Pariſiis à Fœderatis de Regni Francici ſtatu conſtituendo. Tandem procederetur ad Regis Catholici electionem. Sed variarunt ſententiæ. Plures inclinabant, vt volunt, in Iſabellam Regis Hiſpaniæ filiam, defuncti Regis Valeſij ex ſorore neptem, quò auro Hiſpanico ſe tueri poſſẽt; ſed ea lege, vt Guiſio viginti trium annorum adoleſcenti nuberet, qui ex ſtemmate cenſebatur Magni Caroli, eáque ratione ſimul non violaretur Lex Salica, feminas à Corona Francica excludẽs. Creduntnonnulli noluiſſe Regem Hiſpaniæ has ſibi præſcribi nuptias; fortè ne mortuo Principe Hiſpaniæ Iſabellæ fratre, ad Francum etiam deuolueretur diadema Hiſpanicum. Alij volunt, etiam nihilominùs Guiſium abſolutè Regem renuntiatum. Quidquid eſt, id conſtat, primum Præſidem Senatus Pariſienſis, dum de his ad populum referre parat, ſeditione à quibuſdam concitata, fuiſſe interfectum. Nauarræus interim videns iam ſeriò de electione alterius Regis agi, nihilq́ue impedire ſciens quin ipſe ab omnibus reciperetur, quàm vt Eccleſiæ ſeſe iungeret Catholicæ, proclamatores Caluinianos à ſe ablegauit, & diuturna perſuaſione Catholicorum Procerum ipſius partes ſequentium inductus, inſtructore Reinerio Benedicto doctiſſimo Theologo Pariſienſi aſſumpto, 25. Iulij in oppido S. Dionyſij iuxta Pariſios, ſectam Caluinianam, cuius toto tempore vitæ ſuæ Anteſignanus fuerat, publicè, præſentibus viginti Præſulibus, omniſq́ue conditionis & ſexus hominibus plurimis, eiurauit, ac omnia pœnitentis hominis exteriora ſigna exhibuit, quæ à Præſulibus præſcribebantur, ac deinceps ſingulis diebus ſolemni Miſſæ

1593

Deſcriptio Bortangæ, fruſtrà à Regiis obſeſſæ.

Verdugius quatuor munitiones circa Couordiã excitat.

In Frãcia, pro electione Regis variant ſententiæ.

Præſes Pariſienſis relaturus de electione Regis trucidatur.

Nauarræus in oppido S. Dionyſij Caluiniſmum eiurat.

1593 ſacrificio adſtãs, ſtatiſq; temporibus, detectis priùs pro more Chriſtiano Sacerdoti ſuis vitiis, ſacro Chriſti corpori communicauit. Dicebant nihilominùs Pariſienſes & alij, hæc eum ſimulato tantùm animo agere. Quare menſe Septembri idem Nauarræus Ducem Niuernij, è familia Mantuana ortum, Romam ad Clementem Pontificem mittit, eiurationem ſectæ Caluinianæ manu Regis ſignatam adferentem, petentemque dignaretur iam eum ab excõmunicatione ſoluere. Interim hoc bonum iam tum conſecutum erat in Galliis, vt induciæ ſex menſium inter Regem & Confœderatos ſancitæ eſſent, nimirum à Kalend. Auguſti huius anni vſque in menſem Februariũ anni ſequentis. Attamẽ Niuernius vix tandem, vt ferunt, 21. Nouembris ad Pontificem admiſſus, obnitentibus Fœderatorũ Legatis, impetrare quod petebat nomine Nauarræi nondũ hoc anno potuit. Reliqua dicemus anno proximo. Hoc anno 19. Iunij Neuſſiani ad Rhenum infra Coloniam præſidio Regio hac ratione ſe liberant. Millendonckio Præfecto in Arce ſua vicina abſente, maior pars præſidiariorum prædatum exierat. Ciues clàm conuenientes, plures qui remanſerant in excubiis oppreſſos in carceres conijciunt, vnius portæ vigiles tumultu exaudito ſe muniunt; ſed & hos eodem die fumo & fame coactos exire cogunt. Millendonckius poſtridie cum prædatoribus ad portam adeſt, ſed non admittitur: redit ille ad caſtrum (nam & multi eo conſcio hæc à ciuibus patrata credunt) milites in vicino pago Kerſendonckio ſe muniunt, vicina depopulantes. Sed ciues conſcriptis duabus peditum cohortibus, non multò pòſt eos diſcedere coëgerunt. Vigeſimo quarto Decembris pridie Natalis Chriſti ſæua tempeſtas quadraginta naues frumento in Italiam vehendo oneratas iuxta Teſſaliam Hollandię inſulam in anchoris ſtantes diſiecit, magnamque partem demerſit.

Sanciũtur induciæ ſex menſiũ, inter Nauarræum & Fœderatos.

Iuxta Coloniam Neuſſiani præſidio Regio ſe liberant.

VARIA. Varia huius anni hæc præcipua. Die 22. Iunij memorabili pugna ad Siſſechium Croatię oppidum ac Monaſterium Chriſtiani ampliùs duodecim Turcarum millia occiderunt, vix centum ex noſtris deſideratis. At poſteà redintegrato bello regreſſi Turcæ Siſekam arcem expugnant, mox 6. Octobris Veſprinium, & variè in Chriſtianos more ſuo ſæuiunt. Sub finem tamen anni Chriſtiani viciſſim in ſuperiori Hungaria Filechum, Deuinum, aliáſque Arces quaſdam & loca Turcis eripiunt: ad Albam item Regalem aliquot Turcarum millia profligant. In Hiſpaniis verò menſe Nouembri Muleius Xequus, Mulei Mahumetis Feſæ & Maroci in Africa quondam Regis, anno 1578. in prælio Alacazerenſi cęſi, filius, Sebaſtiano Luſitaniæ Regi obſes datus, & poſt obitum patris in Hiſpaniam miſſus, & à Philippo II. Rege enutritus, Chriſtiąque Religione imbutus vnà cum cognato ſuo, & miniſtris aulicis in Scuriaco ſancti Laurentij Monaſterio ſolemni ritu Chriſtianum Baptiſmum ſuſcepit.

In Croatia Chriſtiani nunc Turcas vincunt, nunc vincuntur.

Regni Feſa & Maroci in Africa heres baptizatur.

pit. Palma vrbs & Arx prope Aquleiam à Venetis condi cœpta.

Res anni 1594, ſicut & præcedentis, varię ſunt, copiis Belgicis nondũ ex Francia reuerſis: nos eas, etſi implexas, quàm fieri poterit clariſſimè, ordine temporis ſeruato, commemorabimus. Die 27. Ianuarij Archidux Auſtriæ Erneſtus, Cęſaris Rudolphi frater, hactenus pro eo contra Turcas ſtrenuus Chriſtiani exercitus ſupremus ductor, nunc à Rege Hiſpaniæ Philippo auunculo Belgij Gubernator deſignatus, nobili cum comitatu Lutzenburgum venit; vbi magnificè, vt par erat, à Petro Erneſto Comite Mansfeldio exceptus, mox Namurcum contendit, excipiente eum ſimiliter Comite Barlaymontio. Tum Niuellæ Comitem de Fuentes obuium habuit; ſimulq; cum eo Hallam profectus, ibiq́ue à Principe Chimaio honoratus: magna deinde omnium lætitia Bruxellam 30. eiuſdem Ianuarij dictis Principibus, nec non Electore Colonienſi, Marchione Badenſi, aliíſque plurimis Principibus & Nobilibus viris comitatus ingreditur, multis arcubus & theatris triumphalibus præclara facta Auſtriacorum repræſentantibus honoratus, ſicut & poſteà 14. Iunij Antuerpiæ: quos triumphos, qui propiùs recordari velit, Leonem Belgicum vel Bochium adeat; nobis ſtudio eſt, magis belli tam diuturni euentus poſteris ſpectandos tradere. Tertio Februarij conuocatis ad id priùs Belgarum Ordinibus, Diploma Regium exhibet, recipiturq́ue in Belgarum Gubernatorem: quo facto Petrus Erneſtus Comes Mansfeldius, ea quam ad tempus geſſerat dignitate ſe libens abdicauit, ac Archiduci Erneſto cum ceteris ſacramentum præſtitit. Intereà apud Francos Regi Henrico Borbonio Nauarræo Catholicam Religionem, vti diximus, amplexo, ſenſim vrbes ciuitateſq́ue, deſertis Confœderatis, ſe conciliabant, eúmque Regem agnoſcentes ſacramentum dicebant, Lugdunum 7. Februarij, Aurelia 11. eiuſdem, aliæq́ue ciuitates aliis diebus. Quo Pariſienſes intellecto, maximè quòd & Meldenſes, vulgò *Meaux*, ipſorum vicini ſe itidem dedidiſſent, plures eorum conſilio & ope Comitis Briſaci & Bellini olim vrbis Præfecti, Legatos ad Regem mittunt, qui ei vrbẽ offerant, modò præterita omnia obliuiſci ac animo deponere velit. It pedibus manibuſq́ue in eorum petitionem Rex; ſtatuitur ad vrbem cum iuſto præſidio veniendi dies Martij 22. Comitatus igitur quatuor tum peditum tum equitum millibus Rex manè hora quinta ad vrbem venit, portámque quæ Liparæ arci proxima eſt (Nouam vocant) reſeratam inueniens, aliquos præmittit, qui vigiles circiter 25. reſiſtere parantes interficiunt, ac deinceps nullo ampliùs repugnante, ipſe quoq; Rex cum omni comitatu ingreditur. Duarum horarum ſpatio, omnia in vrbe fuere pacata. Milites Confœderatorum circiter mille, munitis locis ſe continentes, tandemq́ue exire cupientes, honeſtis obtentis conditionibus cum

1594

Erneſtus Auſtrius Belgij Gubernator à Rege auunculo deſignatus.

Summis gaudijs Bruxella & Antuerpia excipitur.

Recepto Nauarræo in pluribus vrbibus, etiam Pariſienſes eum recipiunt.

1594 Ducæ de Feria ac Iacobo * d'Euora & aliis Guiſam vſque tutò ſunt de-
*alijs d'Iuarra ducti. Vltimo die Martij Parlamentum Pariſienſe per præconem & tu-
bicines in omnibus plateis Generale Decretum promulgauit, primùm "
Decretum Parlamẽti de agnoſcendo Nauarræo pro legittimo Rege. ſignificans ſe à 12. Ianuarij die ſæpè inſtitiſſe Duci Męnio, vt Regem Na- "
uarræum, quem Deus & lex Regno Franciæ dediſſet, agnoſceret; illum "
autem, vt hoc faceret, induci non potuiſſe, artibus Hiſpanorum eiſq; fa- "
uentium impeditum. Quare poteſtatem eidem Mænio Duci anteà da- "
tam ſub titulo Generalis Vicarij Coronæ Franciæ reuocauit. Sed & ei- "
dem Duci Mænio, omnibuſque aliis præcipitur, vt Regem Henricum "
eius nominis Quartum Regem Franciæ, pro Rege & ſupremo Domino "
Quin & decernit diem receptionis quotannis ſolemnem. ſuo recipiant. Decreuit denique Parlamentum perpetuis temporibus "
22. diem Martij ſacrum ſolemnémque haberi & celebrari, quo die gene- "
ralis Supplicatio cũ ſolitis cærimoniis quotannis indicatur, cui intererit "
idem Parlamentum rubris togis indutum, idque in memoriam & gra- "
tiarum actionem pro inſigni liberatione huius vrbis, eiuſq; ad obedien- "
Archidux Erneſtus totus eſt, vt Belgium reddat pacatum. tiam Regis reductione. In Belgio Regi ſubiecto Archidux Erneſtus to- "
tus erat, vt quomodo Belgium ſibi concreditum pacatum reddi poſſet,
diſpiceret. Interea Mauritius Fœderatarum Hollandicarum Prouincia-
rum militiæ Dux, hoc molitur ſtratagema die 20. Martij in Traiectum
ſuperius, præcipuum Belgij ad Moſam oppidum. Hollandi nauem
aptant longam, alueo plano, duo tabulata habẽtem, quorum in medio
circiter centum quinquaginta abſcondebantur muſquetarij milites ve-
terani, in ſuperiori verò tabulato varia mercium genera in vrbe ven-
denda conſpiciebantur. Ita inſtructus per Moſam nouus mercator Tra-
Hollandi fruſtrà Traiectum ad Moſam occupare tentant. iectum petit, ac mox poſt meridiem ignotus appellit. Mauritius verò va-
riis circa vrbem locis maiores habebat diſperſas copias, in auxilium his
qui in naui erant aduolaturas, cùm eos Wicam minus oppidum occupaſ-
ſe intellexiſſent. Sed nauis huius Præfecti & milites, iam iam ad oppidũ
appulſuri, Deo eis pauorem, vt plures interpretati ſunt, immittente, cùm
in lapideo ponte, quo oppidum illud minus vrbi iungitur, ciues magno
numero gladiis accinctos deambulare conſpexiſſent, proditos ſe dicen-
tes, ſecundo amne in fugam ſe conijciunt, ac in Hollandiam cum igno-
minia reuertuntur. Metrius ſic interpretatur. Culpa, inquit, duobus Ca-
pitaneis Wingardio & Proppio Scoto imputabatur, quorum vterque il-
lam à ſe in alterutrum transferebat. Hoc ſtratagemate in fumum verſo,
Hollandis noua ſubſidia ex Germania ad ſunt. Mauritius cum omni ſuo equitatu & viginti quinque ſignis peditũ men-
ſe Aprili Arnhemium ad Comitem Solmenſem, vt recèns conſcriptam
Germanorum legionem luſtraret, profectus eſt, quorum iter fluuiorum
inundationibus & viarum difficultatibus aliquamdiu fuerat impedi-
tum. Verdugius etiam Friſiæ pro Rege Præfectus illorum tranſitum in-

tercipe-

tercipere ſtrenuè laborarat, & cùm iuxta Lippam in viam quamdam 1594
arctam venturi eſſent, obruere eos vndecim equitum turmis & aliquot peditibus ſtatuerat; ſed ſerò & fruſtrà, cùm iam prætergreſſi eſſent, venit. Hiſce recentibus copiis Iſſelortam aduenientibus, reliqui vicini Præſidiarij Swollam conuenire iuſſi erant. Atque ita Mauritius ſuos iungens, *Proficiſcitur Hollandi ad liberãdam Couordiã.* ſimul ad Couordiam obſidione liberandam profecti ſunt. Id ſuſpicatus Archidux Erneſtus, quaſdam cohortes è Brabantia Verdugio ſubſidio miſerat; quibus cùm Mauritius tranſitum præcludere ſe velle ſimulat, intereà repentè Comes Guilielmus Naſſouius mille currus omnibus neceſſariis onuſtos, decemque peditum & duo equitum millia inſtructa habebat. Hi omnes 6. Maij Ommenam conuenientes, inde quadrata acie, cum haſtis vtrimque acutis (equites Friſiacos appellant) rectà Couordiam contendunt; vbi Verdugius ab hac Arcis parte, qua Hardenbergam reſpicit, cum omni Regio exercitu etiam in acie ſe oſtentabat. Mauritius in conſpectum Couordiæ veniens, ingenti copia viminum comportata, per paludes annonam Couordiam conuehere, & ſi opus ſit, ſimul cum hoſte prælio decernere ſtatuit; ſed Verdugius videns ſe numero longè inferiorem, pluresque ſuorum militum hibernorum incommodis loco tam paluſtri parum animoſos, Martis aleam periclitari noluit. Nocte itaque 7. Maij obſidionem ſoluit, & munimenta circumquaque reliquit, copiarum parte Lingenam verſus, reliqua verſus Groningã proficiſcentibus. Mauritius Couordia ita obſidione liberata, cùm circumiacentia munimenta præſidiis firmaſſet, cum omni exercitu progreſſus, Metropolim Groningam die vigeſimo Maij cinxit, & obſidere cœpit: nec mora, miſſo Feciali dedi ſibi vrbem poſtulauit. At ciues bellicoſi, indecorum fore reſponderunt, eiuſmodi vrbem tam citò dedere, idcircò poſt anni dierumque obſidionem vrbem ſibi dedi poſtularet, intereà de ea re ſe deliberaturos. Hoc reſponſo ad Mauritium relato, continuò aſſeres, trabes, crates, aliáſque materias immenſa copia è nauibus comportari iuſſit, quibus paluſtria loca Septemtrionem verſus ſterni iuſſit, peruia reddidit, & multas munitiunculas tumultuario mox opere excitauit, quibus ciuium excurſiones impedirentur, & commeatum aliumque apparatum, qui partim aperto mari, partim per Amiſim fluuium Groningenſibus aduehebatur, interciperet. Caſtra ipſa primaria (quæ centum & quadraginta peditum ſignis conſtabant) à Meridie quà in Drentam itur, extra teli iactum collocauit: equitatum Couordiæ, Steenwicæ, & in Bortanga diſtribuit, vt hoſti aditum è longinquo prohiberent. Paulò antè 6. Maij Archidux Erneſtus Bruxellis literas ſcripſerat Fœderatis Ordinibus Hagę-Comitis congregatis tradendas. Erant eò profecturi, ob priuata negotia inter Principiſſam Chimaiam & eius

Verdugius numero inferior Couordiam deſerit.

Mauritius Groningã dedi poſtulans, ſalſũ accipit reſponſum.

Varia exſtruuntur circa Groningã munitiones.

1594 maritum componenda, Iuriſconſulti Otto Hartius & Hieronymus Coomans, eoq́; nomine Saluum conductum ab Ordinibus iam dictis impetrarant. Viſum ergo non incõſultum per hos miſſis literis ſimul tentare, num Hollandi vlla ratione ad pacem induci poſſent. Literarũ hic præcipuus erat tenor, vt conſiderantes è quàm felici ſtatu Belgæ in ſummas « extremaſq́ue calamitates per inteſtina bella deueniſſent, omniſq́; belli « finem pacem eſſe, animum tandem ad pacem conuerterent, veteraq́; au- « rea ſæcula; leuibus de cauſis aliquoties repudiata, & nunc iterùm à ſe of- « ferri parata, prudentibus animis amplecterentur. Se cum fratre Cæſare « omneſq́ue Auſtriacæ familiæ Principes ſponſores vadeſq́; futuros, eas in « quas conſenſiſſent conditiones ſine perfidia ſeruandas. Dicti Iuriſcon- « ſulti Hagam-Comitis in Hollandiam appulſi, literas Archiducis Ordinibus 12. Maij tradidere, & 16. eiuſdem in eorum Conuentum admiſſi ac dicere iuſſi, pauca, ſed pro exigentia literarum, non incommoda adiecêre. Sed Ordines, nec Archiducis literis, nec Legatorum verbis, oblataq́; Cæſaris ſponſione moti, 27. eiuſdem Maij ita reſponderunt, vt nihil minùs quàm pacem ſe velle oſtenderent, prolixa oratione omnem in Hiſpanos inteſtini belli culpam conijcientes, eoſq́ue ſemper vi aut ſimulatè egiſſe, docere conantes. Quæ vera an falſa ſint, ex geſtis totius huius belli inteſtini à nobis relatis, æquus rerum arbiter iudicare poteſt. Illud miror Ordines addere, Renichonium etiam quemdam confeſſum, iam nunc à duobus menſibus Bruxellis in Hollandiam ſe amandatum, vt Mauritium, eiuſq́ue fratrem decem annos tantùm natum, ipſe eiuſq́; complices iugularent: exprimitq́ue Metrius, eum à Barlaymontio Erneſti mandato, aut ſaltem conſenſu (ſic loquitur titubans) ad hoc fuiſſe conductum. Pudet tantæ calumniæ: nam & ipſe Metrius fatetur eumdem Renichonium plura mentitum. Quin dum 1. Aprilis, connexis ſtultè exiguis ligaminibus ſeipſum ſtrangulare voluiſſe ſcribit, eum non firmi cerebri fuiſſe ſatis demonſtrat; vt omittam omnibus notum eſſe, propter dictorum Naſſauiorum necem (vti res in Hollandia ſunt) nihil commodi Regi fuiſſe acceſſurum. Erat etiamnum Carolus Mansfeldius cum Belgicis copijs in Francia. Sed videns ob Regis Henrici ad Catholicam Religionem conuerſionem, diſſolutam ferè Franciæ confœderationem, intereà nondum iuſſus quò verteret arma, ne inertem duceret exercitum, in Ducatu Tiraſſij obſidet oppidum *Chaſteau Thierij* dictum, (alij Capellam dicunt) iunguntq́ue ſe ei aliquot Guiſiani: & quamquam Præfecti Cameracenſis, Caletenſis, Dorlanus, Bolonienſis, ac vicini minitarentur ſe vniuerſam Hannoniam & Arteſiam flamma ferroq́ue vaſtaturos, nihil territus, munitiſſimum dedi locum poſtulat. Cùm negarent, duodecim maioribus verberans machinis nocte dieq́; oppugnat, donec ingenti fa-

Intereà Erneſtus peramanter nihilominùs Fœderatis pacem offert.

Reſpõſum Fœderatorum.

Mirum quid eo tẽpore confictum.

Carolus Mansfeldius locum munitum in finibus Franciæ capit.

cta

cta ruina præſidiarij de defenſione deſperantes, vitam fortunaſq; pacti, 1594
12. Maij deditionem faciunt. Miſerat Rex Henricus Eſdainum cum duodecim tum peditum tum equitum millibus obſeſſis auxilio. Sed deditum oppidum ex itinere intelligentes, ad Regem reuerſi ſunt. Manſfeldius inuentis in Arce quadraginta tormentis, parte relicta & parte abducta, oppidoque de iuſto præſidio confirmato, cùm iam Pariſienſes quoque Regi Henrico conciliatos ſciret, relicta Francia in Atrebates & Hannones exercitum per præſidia diſtribuens, Bruxellam ad Archiducem Erneſtum profectus eſt. Sed ad Groninganos reuertamur. Mauritius, diſpoſitis, vt diximus, caſtris, mox Guilielmo Naſſouio dat negotium expugnandæ munitionis Auwardzielenſis ad cataractam à Regijs extructæ. Erāt in ea circiter centū quadraginta pedites è legione Prefecti Leukama Friſij, Legati Baronis Billij, qui ſe initiò fortiſſimè defenderūt, ac plures hoſtium tormentis ſtrauerunt. Nec facilè munitionē obtinuiſſent, niſi cratibus per paludinoſa loca enixi, dum à fronte præſidiarios pugna diſtinent, à tergo ſimul inopinatò eos fuiſſent aggreſſi: ſicq; omnes (exceptis quinque qui elapſi ſunt) ſimulque Leukamæ Legatum trucidarunt. Tum propiùs ad vrbem tormenta promouent, breui ſe eam obtenturos ſperantes, cùm nullus in ea eſſet miles. Leukama tantùm cum quinque legionis Billij cohortibus in ſuburbio, dicto *Scutendiep*, ſe munierat, quòd nulla ratione Groningani præſidium admittere vellent. Iam Angli & Scoti caſtra ſua ad foſſarum ferè labra promouerant; ſed quòd nondum ſatis eſſent munita, ciues nocte in eos erumpentes, circiter ducentos, duobus ereptis vexillis, trucidarunt, deſideratoque Conſulis filio ac ſex ciuibus, in vrbem reuerſi ſunt. Nullus initio ferè erat dies quin aut Leukama è Scutendiepio, aut ciues vrbe erumpētes cum Hollandis manus conſererent, magnáque iis detrimenta inferrent. Sed tandem abſolutis caſtrorum munitionibus, erectiſque loricis ac variis aggeribus, hiſque iuſtis præſidiis firmatis, eruptionum finis eſt factus, ſerioque vrbs oppugnari cœpta. Mox actis cuniculis, diſpoſitiſque tormentis, murus vallumque verberari cœptum; portáque, Dominica dicta, ferè diruta. Econtrà Groningani maioribus abundantes tormentis & puluere nitrato, ingentia Hollandis eorúmque operibus nocte dieque inferebant detrimēta, complures interficiebant, vniuerſumque menſem Iunium his vtrimque conatibus tranſigebant. Intereà die 14. Iunij (quod & initio anni attigimus) Archidux Erneſtus Antuerpiam veniens, incredibili pompa, à Ioanne Bochio eidem vrbi à Secretis magnificè deſcripta, excipitur: ſed magis conſultat ipſe Archidux cum præcipuis belli Præfectis de liberanda Groninga. Suſcipit in ſe negotium Comes de Fuentes. Sed mercatoribus, etſi Archiduce ſpondente, pecuniam numerare nolentibus,

Redit Bruxellam.

Auuvard. Ziel Groningenſibus eripitur.

Groningēſes erumpentes ducentos circiter trucidant.

Fruſtrà agit Archidux de Groningæ liberanda.

1594 quantam aut quanti vellent, nil Comes de Fuentes efficere potuit, milite
Itaque de ea conseruanda desperari cœptum. ſine ſtipendiis iter facere, multò minùs pugnare, nolente; ita vt de conſeruanda Groninga deſperari ſit cœptum. Non enim quieſcebant Hollandi nocte dieque clàm duobus locis cuniculos agentes, quibus propugnaculum, quod iuxta portam erat Dominicam, euertere conabantur, maioribus interim tormentis non ceſſantes partim igniuomos in vrbem eijcere globos, partim muros vallumque & extantia propugnacula inutilia reddere, ita vt ſpatio vnius menſis circiter viginti millia maiorum tormentorum globi contra vrbem ſint exonerati, ciueſque viciſſim ſupra quatuor millia in caſtra operaque hoſtilia coniecerint. Qua de cauſa, qui Hollandis fauebat, aut minùs zeloſi erant pro Catholica Religione, tandem menſe Iulio apertè dicere auſi fuerunt, tempus eſſe paciſcendi cum Hollandis, ne vi vrbe expugnata, omnes pereant: deſeri ſe à Rege, Erneſto Archiduce, Comite Mansfeldio, Comite de Feuntes, & alijs; conſulendum ſibi, dum honeſtæ haberi poſſint conditiones, ne coacti pro Hollandorum arbitrio paulò pòſt aperire portas cogantur: hique eò rem deduxere, vt Legati in caſtra ad Mauritium 11. Iulij mitterentur, audituri deditionis conditiones. Sed qui Regi ac Catholicæ Religioni enixiùs ſtudebant, deditionem impedituri, aut certè protracturi, ſi fortè adhuc
Viginti millia globorum in Groningã vno menſe exonerata.

Partim à Catholicis miles in vrbem admittitur, fruſtrà tamen. auxilia, quod promittebatur, mitterentur, rationem reperêre, vt eodem die mox poſt Solis occaſum, aperta Scutendiepij porta, Leukamam cum quinq; cohortibus intromitterent; at non ſine tumultu, qui in cruentam conuerſus fuiſſet pugnam, niſi Leukama eiuſq; milites modeſtia ac humanitate ciues pacaſſent. Legati ad Mauritium miſſi, re intellecta, pudore confuſi, ad vrbem redierunt. Deinde vtrimq; ad arma eſt reuerſum, fortiſſimeque ciues ac præſidiarij rem gerebant, ita vt à multis creditum ſit, ſi ſpes aliqua auxilij præ manibus fuiſſet, Rhenumq; tranſijſſet, Hollandos Groningam fuiſſe deſerturos. Sed ſciebant nec ordinem nec diſciplinam apud Regios eo tempore Hiſpanorum Belgarumque æmulatione Bruxellæ eſſe. Paratus videbatur Comes de Fuentes cum copijs ad
Diſputatur, cuius culpa Groningenſibus non ſit ſubuentũ. iter, Iuerra quoq; Quæſtor Hiſpanus pecuniam corraſiſſe dicebatur, nec tamen quidquã eſt effectũ; cuius culpa, ignoro: illud nihilominùs cenſeo, Rolandum Mirteum, dum Comitẽ de Fuentes liberare hac culpa ſtudet, nimis abiectè de Archiduce Erneſto ſcribere. Erneſtus, inquit, Archidux,
Verba Mirtei de hac re. Maximiliani II. Imp. filius, ſumma cunctorum expectatione in Belgium venit. Eum Belgis Deus oſtendit tantũ. Princeps pius erat & bonus, pacis amans, & pace quàm bello vtilior: putabat ſola auctoritate nominis rem poſſe componere. Vix aduenerat, cùm aduerſa valetudine tantopere cœpit afflictari, vt non modò, quod res flagitabat, nequiret Reipublicæ malis animum ſeriò adijcere, ſed vt plurimùm nec audire poſſet ipſe quę gerebantur

„ rebantur. Gratioſis quibuſdam fidebat, hi facilitate & morbo eius ad 1594
„ auaritiam & prauos affectus alios abutebantur, & Principem decipie-
„ bant, omnes aditus claudentes, ne monita Comitis de Fuentes, & alio-
„ rum Deo & Regi fidorum miniſtrorum admitteret. Hæc Rolandus &
alia eiuſmodi de Heroë, cui dudum incubuerat cura totius contra Tur-
cas Chriſtiani exercitus. Vtut eſt, Groningani negligebantur, atque inter-
eà ab Hollandis acerrimè oppugnabantur. Sed nihil adeò vim tardabat
Hollandorum, quàm propugnaculum dictum Rauelijn ad portam O-
rientalem, in quod ciues octo maioribus tormentis diſtributis, ingentia
Hollandis inferebant detrimenta. Sub id iam dudum, ignaris ciuibus
præſidiarijſque, cuniculos egerãt, eóque perduxerant, vt 15. Iulij ſigno in- *Batani Groningam ſuffoſſam, ſumma vi inuadunt.*
uaſionis dato, ciues militeſq; magno numero in Rauellinum allicerent;
tum ſubito igne cuniculis ſubdito dimidiam propugnaculi partem, ma-
gno ciuium militumque detrimento euertunt, ac mox per ruinas inua-
dentes, ſtantem adhuc propugnaculi interiorem partem, pulſis oppida-
nis, occupant, ſeque in eo munientes, vrbi, ijs quæ in propugnaculo inue-
nerant tormentis, infeſtiſſimi fuêre: periêre ex oppidanis circiter centum
triginta viri, ex Hollandis perpauci. Exinde tanta in vrbe eſt orta con-
ſternatio, vt vrgentibus his qui Religionem Catholicam non tanti facie- *Legati de deditione acturi in caſtra mittuntur.*
bant, tandem communi ciuium militumque conſenſu Legati de condi-
tionibus dedendæ vrbis acturi in hoſtium caſtra mitterentur. Fuêre autẽ
numero quatuordecim, quorum in locum Mauritius in vrbem obſides
miſit viros nobiles quinque; ac tandem die 22. eiuſdẽ Iulij tranſegêre, ar-
„ ticulis inter viginti quatuor his præcipuis. Primò, Omnium offenſarum *Articuli præcipui deditionis Groningẽſis.*
„ præteritarum perpetua eſto remiſſio & obliuio. Secundò, Magiſtratus
„ & incolę vrbis Groningenſis promittẽt & hiſce promittũt, quòd Vnioni
„ Generali Prouinciarum ſubſcribent ad reſiſtendum Hiſpanis, eiſque ad-
„ hærentibus. Quintò, Comes Guilielmus Naſſouius pro Gubernatore re-
„ cipietur. Interim lis quondam inter vrbem Groningenſem & circumia-
„ centem regionem exorta, vel quę adhuc oriri poſſet, deciſioni Ordinum
„ Generalium reſeruabitur. Sextò, In ciuitate Groningenſi eiuſque territo-
„ rio, nulla alia Religio exercebitur, præter Reformatam, quo modo illa
„ nunc publicè per Prouincias exercetur; ita tamen vt nulli in conſcientia *Inter alia, in conſcientia nullus grauabitur*
„ fiat iniuria, nullus in ea grauetur, nulla in eam fiat inquiſitio. Septimò,
„ Groningenſes quinque aut ſex ſigna peditum in vrbem admittent. Vn-
„ decimò, Omnes exules eorumque heredes in poſſeſſionem omnium bo-
„ norum non alienatorum redibunt, ita tamen vt ciuilitati ab vtraq; parte
„ locus relinquatur. Duodecimò, Quantum ad vendita & alienata bona
„ immobilia, antiquus Dominus ea recuperare poterit hac conditione, vt
„ quadriennio ea ſibi redimat, & pecuniam emptori reſtituat. Decimo-

quintò,

1594 quintò, Omnia ſyngrapha, litteræ & inſtrumenta ab Abbatibus & Prælatis viriſque Eccleſiaſticis tam aduenis quàm indigenis confecta, deciſioni & iudicio Ordinum & Magiſtratuum locorum, in quorum iuriſdictione ipſa Collegia ſita ſunt, reſeruabuntur. Decimooctauò, Vrbis imperiũ & gubernatio erit penes Magiſtratum. At Magiſtratus & iurati ciues hac vice ab Comitibus Mauritio & Guilielmo Naſſouiis, de communi ſententia Senatus Ordinum creabuntur. Deinceps electio Magiſtratus fiet ſecundùm antiquam conſuetudinem; ita tamen, vt loco diſtributionis fabarum, Gubernator quinque ex viginti quatuor iuratis ciuibus eligat, qui deinceps ad electionem Magiſtratus iuxta antiquam conſuetudinem procedent. Decimononò, Vrbs Groningenſis, vti nec ſubiecta regio, abſque ſuo conſenſu ad nullos alios Principes aut Prouincias poterit transferri, nec in ciuitate Arx vlla ædificari. Vigeſimò, Magiſtratus, ciues, & incolę Ordinibus Generalibus debitum fidelitatis iuramentum pręſtabunt, quomodo & aliæ vrbes recuperatæ pręſtiterunt. Vigeſimoſecundò, Milites Regij vrbe Groningenſi tuti cum armis & impedimentis excedent, vti & illi, qui in Schuyten diep ſuas ſtationes habuerunt. Ita Groninga tandem ceſſit. Primò intrarunt quinq; vexilla 23. Iulij, inde Mauritius cum ſuis ſequitur, Regia põpa exceptus, virgine ſpecioſa clauem auream, & altera manu ramum laureum ipſi offerente: peractoque triumpho mox omnes templorum Imagines deturbatæ, & Religio dicta Reformata introducta, nouuſq; Magiſtratus creatus. Catholici omnes, & quicumq; manere vellent, eiurare coacti Regem Philippum eiuſq; ſucceſſores, fruſtrà obtendentibus Catholicis ſibi promiſſam conſcientiæ libertatem. Mauritius Groningâ in Hollandiam reuerſus, magnis vbiq; triumphis & honoribus excipitur. Tandem 19. Auguſti Amſtelrodamum appulſus eſt; vbi cùm à ciuibus deductus ad hoſpitium ſuum progrederetur, inter alia exhibebatur Claudius Ciuilis ille Batauus, de quo Tacitus, pedibus ſuis aliquot premens Romanos. Interea intentus erat Archidux Erneſtus ſeditionibus Regiorum aliquot militum ad S. Pauli apud Atrebates, de quibus anno ſuperiori diximus, componendis; iamque eos pacarat, numeratis, vt volunt, ſex florenorum millibus. Sed parum hoc profuit. Nam paulò pòſt menſe Auguſto huius anni Itali pedites equiteſque, accedentibus mox ex omni natione etiã nonnullis aliis, ad duo circiter millia, querentes ſibi à morte Parmenſis nulla ſtipendia numerata, oppidum Brabantiæ Sichemium Diſthemo vicinum occupant, muniúntque; agrumque circumiacentem omnem Bruxellam vſque excurrentes infeſtant, menſtruaſq; contributiones imperant. Archidux certis legibus dudum cum eis tranſigere conatur, ſed fruſtrà. Itaque Hiſpanas aliquot cohortes contra eos mittit; qui cùm aliquam-

Hac vice tantùm Magiſtratus de ſententia Ordinum creabũtur.

In ciuitate non poterit ædificari Arx vlla.

Catholici qui manere velint, coguntur eiurare Regẽ.

Pacatis ſeditioſis ad S. Pauli, alij tumultuantur in Sichem.

diu inuicem & maximè colonos infeſtaſſent, tandem Itali ſub finem Nouembris à Mauritio perſuaſi, Regi Franciæ operam ſuam offerunt, ac intereà ſub mœnibus Bredanis à Mauritio contra vim Hiſpanorum defenduntur, donec Februario anni ſequẽtis vtcumq; ab Archiduce pacantur. Hac æſtate Hiſpani, qui apud Britones Blauetum occũparant, ac inſigniter munierant, non procul à Breſto iuxta Croſonum aliam ædificarant munitionem, qua Breſti portum claudere ſe poſſe exiſtimarant. Sed quòd ex aduerſo, in altera amnis ripa, ſimilem munitionem non erexerant, diu defendere non potuerunt. Miſſus enim eò à Rege Henrico Aumontius cum mediocribus copijs, adiutus Anglicis auxilijs claſſe aduectis, ductore Noritzio, ac mox alijs noua cum claſſe ductu Martini Forbiſcherij appulſis, non ſolùm Norlanum ac Quinquercorentum recuperarunt, ſed & vi munitionem Breſtanam expugnarunt, præſidiarijs Hiſpanis ferè omnibus cæſis, victoria tamen non incruenta. Deſideraſſe enim referuntur hac expugnatione Angli Franciq́ue circiter trecentos viros fortes, ac inter hos Forbiſcherium cum non paucis nobilibus clariſq́ue Præfectis. Rex Henricus, ſi qua ratione bellum è Francia ſua amoliri porrò valeret, inito cum ſuis ac Hollandis conſilio, omnem belli molem in Belgas transferendam ſtatuit. Ipſe die 23. Octobris Diplomate ſuo Eſdaini Dominum (alijs Dux Bullonij vocatur) copiarum ſuarum in Lutzenburgios ducendarum ſupremum Imperatorem renuntiat. Conſilium erat, occupato Lutzenburgenſi Ducatu, deinceps Belgis Regi Philippo ſtudentibus, militem ex Germania, Italia, aut aliunde non niſi difficillimè poſſe ſubmitti. Sed id ſubodoratus Lutzenburgenſium Præfectus, Comes Mansfeldius ſenior, itineribus omnibus, quibus debebant intrare, iuſta manu inſeſſis, rei euentum expectabat. Hollandi auxiliares Francorum futuri priores inſtructi, duce Philippo Naſſouio cum duabus peditum legionibus, ac equitum quinque turmis, aliquotq́ue campeſtribus tormentis, ſe dant itineri. Vbi cùm intellexiſſent, prẽter ordinarias Mansfeldij copias aduenisſe in eius auxilium Regis Philippi ſtipendio quatuor Heluetiorum peditum millia, Naſſouius, tradita Ordinum iuſſu, vt ferebatur, Franciſco Verio exercitus cura, cum duabus equitum turmis celeriter in Hollandiam reuertitur. Verius pergens, cùm omnia in Lutzenburgios ducentia itinera firmis præſidijs à Carolo Mansfeldio, qui patri nouis cum copijs in auxilium venerat, obſeſſa reperiſſet, paratumq́ue ſibi ac ſuis cruentum epulum, ſi ad manus venire decreuiſſet, in ditionem Treuirorum declinans, Sarburgum, indeq́; in Metenſem proficiſcitur agrum, Carolo Mansfeldio veſtigijs inhærente, ac non paucos ſternente, ad iuſtum tamen eos prælium cogere non valente. Tandem Verius 9. Nouembris ad Eſdainum peruenit, collatiſq́ue conſilijs cùm ſe nihil

1594

Seditioſi Regy ſub mœnibus Bredanis defenduntur.

Caſtella aliqua in Britannia Hiſpanis eripiũtur.

Nauarræus inuadere Lutzenburgũ parat.

Adſunt & auxiliares Hollandi, ſed omnia obſtructa inueniunt.

1594 nihil apud Lutzenburgios ſine ſanguinarijs prælijs facturos viderent, Hollandi in ditionem proficiſcuntur Bipontinam, indeque, haud procul Moguntiâ, traiecto Rheno, longo tandem itinere in Geldriam rediêre. Eſdainus quoque acerrimos contra ſe Duces venire cum veteranis copijs intelligens, Carolum ſcilicet Mansfeldium, Harmannum Comitem Tsherenbergium, ac Comitẽ Barlaymontium, cõuaſata præda inglorius in Franciam eſt reuerſus. Erneſtus Archidux vidẽs Hollandos pacem repudiare, Frãcum Regem bellum inferre, miſſo 9. Octobris in Hiſpaniam Molarti Domino, qui ei erat à cubiculis, ſtatum Belgij ac Franciæ Regis exponit, petens media quibus Franco reſiſtatur, ac Hollandi domentur. Qui cùm redijſſet, nec Erneſto ſatisfeciſſet, iterùm 21. Nouembris in Hiſpaniam mittit Baronem Didericksteinium, ac paulò pòſt etiam ſibi à Secretis Weſternachium: quibus itidem breui reuertẽtibus, nec pro voto adferentibus, intereà Idibus Decembris indicit Bruxellæ Ordinum Comitia: quò cùm pauciſſimi conueniſſent, in proximum menſem Ianuarium prolongata ſunt. Nihilominùs etiam à paucis qui conuenerant variæ querimoniæ mox propoſitæ, maximè ab Arteſienſibus & Hannonienſibus, qui animaduertentes ſibi tamquam vicinioribus ante alios à Franco metuendum, Regios autem milites nunc huius nunc illius nationis tumultuantes, hoſti ſe nolle obijcere, quin etiam nõ minora ab amico milite quàm ab hoſte damna accipere, pacem quocumq; modo cum Franco flagitabant. Acceſſit quòd Rex Franciæ Henricus die 16. Decembris Ambiano per tubicinem ad Ordines Arteſiæ & Hannoniæ miſit litteras, in quibus hæc inter alia: Licet præcipui hoſtes ſui ſibi iam omnẽ « obedientiam promiſiſſent, Regem Hiſpaniæ nihilominùs non ceſſare re- « liquos ſuos hoſtes aduerſum ſe concitare, idque contra fœdera & pacta « inter illum & deceſſores ſuos Reges inita; ſubque prætextu vrbis Came- « racenſis repetendę, nouas copias quotidie in Galliam mittere, & omnem « hoſtilitatem exercere: itaque his conſideratis ſe non poſſe diutiùs diſſi- « mulare, interim belli denuntiationem prorogaſſe, ſi fortè ipſi, tamquam « primi belli mala percepturi, intereà impetrare poterunt, vt exercitus qui « iam in finibus Regni ſui confluit, ex mandato Regis Hiſpaniarum reuo- « cetur, & iurauerint nihil aduerſum ſe, ſuos ſubditos, territorium & vrbes « Cameracum & Cameraceſium ſe machinaturos, aut quidquam factu- « ros in fauorem ſuorum perduellium; modò id ipſum effectu & certo ar- « gumento ante Kalend. Ianuarij declarauerint. Quòd ſi hoc facere aut « noluerint, aut diſtulerint, ſe cogi cauſis præcedentibus ipſis denuntiare « bellum. Hæc Rex Henricus. Ordines dictarum Prouinciarum acceptas litteras cum certis Legatis ad Archiducem mittunt, & quid reſponderi placeat, conſulunt. Reſcribit Archidux, reſpondeant, quod è re ipſis videbitur,

Poſt aliquot velitationes, ſinguli ad ſua redeũt.

Archidux Legationes mittit in Hiſpaniã, vnam poſt alteram.

Ordines Bruxellis ab eo conuocati, & ipſi multa querũtur.

Nauarraus Arteſiis & Hannoniis bellum minatur.

debitur, modò nihil sit contra Regis Philippi dignitatem auctoritatemque. Tum dicti Ordines, vocato Francorum tubicine litterarum latore, iubent hospiti satisfaciat, statimque discedat. Cumque responsum peteret, reddunt, se nihil quod Regi respondeant, habere. Sub idem tempus iuuenis quidam Parisiensis, Ioannes Castellius, filius Petri Castellij mercatoris, qui in Collegio Iesuitarum sub præceptore Ioanne Guereto litteris operam dederat, die 27. Decembris vesperi, cùm Rex Lutetiam aduenisset, & Nobiles eum salutatum venirent, eorum comitatui se immiscuit, & cubiculum vnà intrauit, occasionem Regem interficiendi captans. Rege enim se inclinante, vt Proceres salutaret, astitit Castellius, quasi & ipse magna cum reuerentia salutaturus, & cultro iugulum eius petiit: sed errauit manus, & dum guttur confodere nititur, Rege profundiùs se inclinante, per maxillam in illius dentes impegit, vnumque elidit. Hic, quamuis, oborto tumultu, in tenebris se euasurum sperabat, tamen comprehenditur, & biduo pòst, sententia Parlamenti, primò ignitis forcipibus musculis crurium, brachiorum ac scapularum ablatis, dextráque amputata, quatuor alligatus equis, in diuersa incitatis, discerpitur. Iesuitæ etiam, tamquam huius facti incentores, hanc simul acceperunt sententiam: Vt omnes Sacerdotes Collegij Claremontis, & omnes alij prędictæ Societati addicti, tamquam corruptores iuuentutis, perturbatores pacis publicæ, inimici Regis & Regni, infra tres dies post promulgationem huius Edicti Lutetiâ, & aliis vrbibus atque locis, vbi sua tenent Collegia, discedant, & infra quindecim subsequentes dies to-to Regno exeant. Quod nisi fecerint, & post præscriptum tempus vsquã inuenti fuerint, tamquam rei lęsæ Maiestatis punientur. Illorum autem mobilia & immobilia bona vertentur in alia pia opera, & distributio eorum fiet secundùm arbitrium & decretum Curiæ. Interdicit etiam omnibus Regis subditis, ne filios suos etiam extra Regnum in dictæ Societatis Collegia mittant, vt ibidem instituantur. Si quis contrà venerit, eadem læsæ Maiestatis pœna tenebitur. Hactenus Curiæ Decretum: quod tamen postea, vt suo loco dicemus, reuocatum fuit.

1594

Iussu tubicen hospiti satisfacere, sine responso remittitur.

Ioannes Castellius fustrà Nauarræũ confodere nititur.

Ignitis forcipibus ac dein quatuor equis discerpitur.

In Iesuitas quoque tãquam eius incentores hæc lata sententia.

Hoc anno (vt & Externa insigniora attexamus) Iauarinum Hungariæ oppidum (Raab vocant) Sinanes Bassa Turca die 23. Septembris acerrimè ab aurora vsque ad noctem oppugnauit: sed oppidani fortiter se defenderunt, ita vt Turcæ maxima clade accepta receptui canere, & in castra redire cogerentur. Redintegrata nihilominùs est & continuata oppugnatio duobus diebus insequentibus: in quibus pugnis plura quàm duodecim millia Turcarum cecidisse referuntur: propugnaculum tamẽ quoddam inter hæc, actis sub terra cuniculis, euerterunt, eiusque ruderibus & terra fossam ciuitatis ad aliquam altitudinem oppleuerunt. De-

VARIA.

Raab in Hungaria fortissimè à Christianis defenditur.

1594 nique cùm dies quinque continuos oppugnationibus incredibili furore continuandis, cuniculiſque diſrumpendis, inſumpſiſſent, tandem duo capiunt propugnacula, tanto ſuo commodo, vt ex iis iam facilis ad vrbẽ per rudera acceſſus videretur. Tunc oppidanorum animi ceciderũt. Ferdinandus itaque Hardeckius, qui cum ſex millium lectiſſimorum præſidio vrbi præerat, communicato cum ceteris militum Tribunis conſilio, demum 29. eiuſdem Septembris vrbem dedidit, hac lege, ipſe & præſidiarij omnes cum omnibus fortunis & armis, explicatiſque vexillis vrbe exirent, ſecuriq; Alteburgum Hungariæ deducerentur; quod & factum eſt, niſi quòd Itali in poſteriori agmine impedimentis ſuis ſpoliati ſint. Poſteà tamen die 16. Ianuarij anni ſequentis Comes Hardeckius hac de cauſa captus, & reus capitis actus eſt, (nam inprimis conſtabat, annuum adhuc annonæ ceterarúmque rerum apparatum ſuperfuiſſe) ſed ille culpam in eos qui ad ſubueniendum miſſi erant, & non ſubuenerant, retorquebat, ita vt non facile fuerit rem decidere: tandem tamen 15. Iunij publicè Viennæ capite plexus eſt. Sub idem quoque tempus Turca inſtructa claſſe Regis Philippi ditiones in Italia inuadens, Rhegium Calabrię oppidum ſpoliauit, ac captiuis ciuibus abductis exuſſit, agroſq; vicinos ingenti cum damno peragrauit. Inde verſus Siciliam nauigans, in cõſpectu Meſſanæ expoſito milite, omnem agrum depopulatur; naues Apulas tres, vnamque ex Oriente venientem capit. Rogabant Meſſanenſes à Prorege Palermi agente auxilium, ſed fruſtrà. Quare conſcriptis quinquaginta equitibus, vrbis agro vtcumque conſuluere. Litteras interim ad Regem Philippum in Hiſpaniam pro auxilio mittentes, de Prorege querebantur; cùm intereà Prorex Neapolitanus triginta inſtruxerat triremes, quibus ſuas iunxere Pontifex Clemens, Dux Florentinus, Melitani Equites, ac Genuenſes, effecereque claſſem ſeptuaginta triremium, ſicque vicinos omnes ingenti metu liberarunt, Turcáſque in Græciam repulerunt. Ipſis Kal. Martij huius anni Sigiſmundus III. Poloniæ Rex, ſolemni pompa etiam Rex Suecorum poſt patrem Vpſaliæ coronatur. Adſcribunt huic anno quidam etiam nauigationem nouam in Indiam ab Hollandis tentatam per Septemtrionem. Sed nos de ea ſimul anno ſequenti.

Poſteà tamen deditur; eo qui dediderat poſteà capite plexo.

Quin & in Italia & Sicilia Turca ditiones Philippi Regis infeſtat.

Cogitur redire in Græciam.

1595 Commemorauimus anno ſuperiori, fruſtrà menſe Maio pacem Hollandis ab Archiduce oblatam: nec tamen Proceres Belgę cogitationem omnem deponebant. Rogatur tandem ab vno eorum Cl. V. Iuſtus Lipſius ſententiam. Is inter alia reſcribit die 3. Ianuarij huius anni iſta: Ego « bonam honeſtamque pacem hac ſcena rerum fieri poſſe in animum nõ « induco. At metuunt fortaſſe hoſtes. Vtinam noſtra ſic eſſent. Debebant « profectò à potentiſſimo ſuo Rege. Sed reuerentia vetuſtate iam excuſſa, «

Præcipua epiſtola Lipſij, poſſe ſine Pax in Belgio ſperari.

&

» & metu, ignauia (liceat liberè hoc dicere) aut prauitate noſtra (quis or- 1595
» do? quis miles? quæ conſilia?) cur metuant? niſi occulta quædam ſint
» quæ me fugiant. Addo fœdera cum vicinis, nauigationes nouas ſpera-
» tas, imò tentatas: quæ etſi infida omnia, tamen plebeios illos animos in-
» flant. Ergo de pace vix eſt vt ſperem, niſi tali, quæ diſiungat à Rege, quæ
» licentiores & illos & nos faciat; quò ſcio quoſdam ſpectare. De Religio-
» ne conſultò omitto, & Theologis permitto, etſi rationem eius inter prima
» habendam, ſapientes omnes ſciunt. Magis itaque ad inducias inclinem. *Magit inclinat ad tentandas inducias quàm pacē.*
» Primùm quia hoſtis faciliùs audiet: res manent vtrimque imminutæ.
» Deinde quia auctoritate Principum Germaniæ tale aliquid honeſtiſſi-
» mè impetretur, & ſine ignominia Regis. Denique Deus & euentus ali-
» quis pro Rege. Hæc ille, & plura, in quibus fueritne vates, induciis iam ad finem decurrētibus, videri poterit. Retulimus quoque, Regem Franciæ Henricum menſe Decembri proximo Arteſiis & Hannoniis bellum comminatum. Iam itaque 17. Ianuarij illud in Regem Hiſpaniæ Philippum omneſque eius ſubditos apertè denuntiat, rationibus ferè iiſdem quas tunc attulerat. Rex Philippus accepta belli denuntiatione, contrario libello 17. Martij rationes Franci refutat, ſeque nihil in Francia tentaſſe egiſſeque declarat, quàm quòd Catholicis contra Caluinianos auxilia orantibus, iis Fœdere cum Summo Pontifice aliiſque Principibus ſit iunctus, expugnata à ſe loca non ſibi, ſed Catholicis Fœderatis fuiſſe tradita, nec ſe Francicum Regnum, ſed eius in Catholica Religione quietem quæſiuiſſe: nihilominùs ſe belli denuntiationem acceptare. Interim Rex Henricus prior paratus Vicecomitem Turonum cum iuſto exercitu mox eodem menſe Ianuario in Lutzenburgios mittit: qui ſubitò occupato Iuoſio oppido, ac iuſto præſidio munito, pergens capit obuia oppidula, ſpoliat, exuritque Mommedium Virtonum, ac Fretteum. Aderat Vicecomiti Philippus Naſſouius cum Hollandorum copiis, qui hinc inde menſe Februario & Martio inſigniter regionem depopulati ſunt. Horum equites quadam vice obuiàm facti quatuor Regis Hiſpaniæ ſeu Archiducis equitum turmis, acriter concurrêre; ſed poſt dimidię horæ pugnam, Hollandi, deſideratis ducentis ampliùs equitibus, centum captis, non paucis præterea vulneratis, reliqui cum Naſſouio fuga euaſere. Sed poſtero die Hollandi comitati Francicis equitibus ſuiſque peditibus iterùm in hoſtem incurrentes, cæſis circiter centum, ac viginti cum Mansfeldij Legato captis, pridianum damnum vtcumque repararunt. Exinde Theodonis Villam (vulgò *Thionville*) aliáque munita loca tentarunt, ſed fruſtrà; donec ineunte Iunio, regione inſigniter deuaſtata, iterumque ſpoliato Iuoſio, hi in Hollandiam, illi in Franciam ſunt reuerſi. Eodem quoque tempore irruptio in Burgundiam à Francis facta eſt, ca-

Rex Franciæ Regi Hiſp. bellū indicit, iſq; id acceptat.

Franci, iunctis ſibi Hollandis, loca quædā in Lutzenburgo occupant.

Vaſtata ditione ad ſua redeūt, fruſtrà tētata Theodonis villa.

1595 ptis ſimiliter & ſpoliatis Lonuilla, Luxouio, aliiſq; nonnullis minùs munitis locis, donec Dolani collectis vndique copiis curſum eorum ſimiliter retardarunt. Intereà Carolus Harangierus, qui dudum inſigni aſtu Bredam Hollandis vindicauerat, memorabili quoque ſtratagemate arcẽ Huienſem ditionis Leodienſis ad Moſam 8. Februarij hac ratione occupat. Egerat dudum cum quodam milite ſuo Huiano ciue, an nulla ratione Arx dolo capi poſſit: erat enim ad infeſtandas plurimas Prouincias vicinas valdè futura opportuna. Tandem hic modus placuit: Nouerat miles qui in oppido Huienſi non eſſent à Caluinianis alieni: cum horũ nonnullis ſecretiſſimè de occupanda agit Arce; recipiunt hi triginta milites Hollandos (aut vt alij, quinquaginta) ruſtico habitu indutos. Eſt ad pedem rupis, in qua Arx conſiſtit, domus, quam conducto inhabitabat proditor Greuiſſe cum vxore & familia. Huc conuenientes vnus poſt alterum, dicti milites ſub noctem, die Sabbati, ſcientes veterem quamdam feneſtram Arcis in montis vertice apertam, nocte intempeſta, eò ſcalis funibúſque annixi, circa illam ſe ſummo ſilentio in tenebris continent, donec clara luce vigiles ad ſonum campanæ certatim (quia dies Dominica erat) ad Miſſæ ſacrificium concurrentes intercipiunt, vinciunt, ac ſilentium, ni mori malint, imperant, ſtatim eos iterùm dimittendos. Parẽt hi, vitæ ſuæ timentes. Ac ſimul eodem tempore ab altera Arcis parte ſex milites ruſtico ſimiliter ſchemate, cum perdicibus, phaſianis ſimilibúſq; volatilibus intromitti petunt, vt Gubernatori ſua onera præſentent: breui enim Præſulem Leodienſem adfuturum, qui Principes aliquot in Arce excipiat; ſimúlque fictas eius litteras oſtendunt. Aperitur itaque iuſſu Gubernatoris porta, intromiſſiq́ perſonati ruſtici, paucis letaliter vulneratis, ceteros fugant. Aduolant mox auxilio ſocij iuxta feneſtram latitantes, portáque ſui iuris facta, occluſáque, Gubernatorem cum reliquis qui in Arce erant, tradunt cuſtodiæ, datóque igne ſigno, exoneratóque maiori tormento, aduolat Harengierus cum peditum legione ac decem equitum turmis, oppidúmque aperiri iubet. Corripiunt arma ciues, Arcem ab hoſte occupatam neſcij. At qui eam ceperant, ciuibus vim minantur. Qui inopinato caſu attoniti, maiorem eorum numerũ quàm erant exiſtimantes, mox Harengierum cum ſuis certis legibus in oppidũ admittunt: quo ſimul & Arce firmo præſidio munitis, ſacris hominibus fugientibus, Catholiciſq́ feruentioribus exarmatis, Republica ſibi fauentibus commiſſa, Harengierus cum duabus equitum turmis Bredam reuertitur. Sed iuxta Thenas in Grobbendonckij equites ac peditum legionem incidẽs, plures ex ſuis deſiderauit. Miſerat mox Antiſtes in Hollandiam Legatos, Huiam cum Arce, quòd contra pacta conuenta Neutralitatis, vt vocant, ſolemniter initę ea occuparant, reddi ſibi petens. Sed

Agũt Hollandi de Huio ditionis Leodienſis occupando.

Pauci miro ſtratagemate Arce potiuntur.

Ceteri qui in inſidiis erant, oppidum occupant.

in

in Senatum nec admiſſi quidem Legati, ſe & Principem contemni vidē- 1595
tes, Leodium rediere. Quo Archidux Erneſtus intellecto, ad Antiſtitem mittit Baſſignij Baronem, ac Taxium iuniorem, monens, niſi maiora damna ſentire velit, arma contra proditores Huianos ſumeret, Regis auxilia petenti non defutura. Actis gratiis, vel ſtatim ea mitti Antiſtes petit. Nec mora. Dat negotium Archidux Huiam proficiſcendi Comiti de Fuentes, Barlaymontio & Mottęo, ſingulis cum legionibus ac octingentis equitibus. Et ecce antequam copiæ conuenirent, optimus Princeps Erneſtus ex hac vita ad meliorem euocatur Bruxellæ, nocte inter 20. & 21. Februarij; qui etiam ab hoſtibus ipſis hoc elogio celebratur, quòd fuerit Princeps grauis, benignus, pacificus, Romanæ Catholicę Religionis obſeruantiſſimus, ad Hiſpaniarum Regis obſequium promptiſſimus, priuatum commodum non quærens; ita vt ſæpè non haberet vnde domeſticis & creditoribus perſolueret, cùm tamen frugi eſſet, nec vlli faſtui aut pompæ deditus. Cùm mortui corpus, more Principibus recepto, aperiretur, cor, pulmo, & iecur ſana & integra reperta ſunt, in lumbis tantùm calculus mediocris magnitudinis, & in renibus vermis oblongus & viuus inuentus dicitur, qui interiora Principis eum in modū corroſerit, vt breui tempore marcuerit, corporéque toto extenuatus ſuperesſe diutiùs non potuerit. Exta Bruxellis ſunt ſepulta: corpus vnguentis delibutū, Regali more nigro holoſerico veſtitum, aureóq; Vellere & aliis ornamētis indutum, in Eccleſiam Palatij illatum, aliquot dies omnium hominum conſpectui patuit: poſteà in Sacello Caudebergico pretioſiſſimæ Arcæ incluſum ſtetit, donec in ædæ primaria D. Gudilæ à fratre Archiduce Alberto conditum eſt, vbi decumbentis ſpecie in ſummo Choro verſus Meridiem conſpicitur. Scriptum ei hoc Chronologicon:

Frustrà de hoc in Haga-Comitis Leodienſes conque runtur.

Archidux auxilia Leodienſibus decernit, & non multò pòſt moritur.

Corpus eius exenteratum, quomodo fuerit affectū.

Tumba magnifica ei a fratre conſtituta ad D. Gudila.

VenIt, reXIt, obIt, DVX AVſtrIVs; IngeMe BeLga.

Intereà ex omni parte conclamat Mars. Reſiſtendum erat Franco, recuperāda apud Leodienſes Huia ab Hollandis intercepta, domandi vel pacandi dudū rebelles pro ſtipendiis Itali; atq; interim Linga, paucáq; alia quæ in Friſia Regi reſtabant, nihilominùs tantiſper negligenda. Proceres Belgæ plures de pace multa differebant, ſed media idonea non ſuggerebant: & in viſceribus Lutzenburgij & Burgundiæ, vt diximus, Francus hærebat. Itaque viciſſim ad inuadendam Picardiam exercitui colligi cœpto, Warenbonius ſe Ducem præbet, eúmque in Picardiæ fines ducit, Encras vicum frumento refertum diripit, miles eius longè lateque hoſtiles agros vaſtat, vicos aliquot depopulatur, & incendio abſumit. Galli verò damna damnis rependentes, Aueſnas Hannoniæ oppidum incendunt; Belgæ viciſſim Fanum Richarij ſpoliant, incendioque deformant. Paulò pòſt quoque Rhoſneus, acceptis à Warenbonio duobus

Vndiq; conclamante Marte, VVarenbonius in Picardos mittitur.

1595 millibus militum, commeatum Feram Veromandiæ vrbem Hiſpanorum præſidio inſeſſam intulit, atque in itinere Nigellum, vbi ingens reperta eſt frumenti copia, diripuit. Facta hæc maximè menſe Martio & Aprili. Narrauimus ſuprà, Archiducem Erneſtum paulò antequam moreretur, auxilia (ductoribus Comite de Fuentes, Barlaymontio, & Mottęo) Leodienſibus pro recuperanda Huia decreuiſſe. Fine Februarij itaque hi cum copijs in vna parte Moſæ ſedebant, Epiſcopi verò & Leodienſium milites in altera ripa oppidum & Arcem obſidione premebant. Ænea tormenta Leodienſium per fluuium ſubuecta ſat bona, ſi plura: Regiæ machinæ murariæ nondum perductæ: deerant alia quoq; non pauca obſidioni & oppugnationi neceſſaria, quæ tamen mox ſedulitate Comitis de Fuentes (qui iam conſenſu Ordinum, clauo manum admouerat) ſunt maturata. Anni tempore difficili, die Martij 11. prima proluſione à militibus Velaſquij & aliorum, expulſis Hollandis, ſuburbia fuerunt occupata. Sic hoſtis præuentus, ne (quod in eum diem diſtulerat) Cœnobium S. Trinitatis (Cruciferorum vocant) dirueret: id quia nonnihil edito loco, & firma ſtructura erat, Regijs commodo, Hollandis damno fuit. In Cœnobij loco eminentiore quatuor ænea tormenta locata, & his mœnia quatere inſtitutum. Poſt biduum ruina, quæ nonnullos ſimul incedentes milites caperet, ſtrata: per hanc, ſimulq; admotis ad mœnia ſcalis, Regij die 13. Martij oppidum inuadunt, atque occupant. Qui ex hoſtibus & oppidanis potuerunt, in Arcem fugerunt; qui autem Hollandis militantes deprehenſi, omnes trucidati ſunt. Miſerant tandem Ordines Hollandiæ ſeptingentos equites & duo peditum millia, qui iam in Diœceſim Colonienſem venerant, vt obſeſſis opem ferrent. Sed & Vicecomes Turonum ab altera parte omnes quas potuit copias conuocârat, vt coniunctis viribus obſeſſores pellerent. Non latebat id obſeſſos; quare & pertinaciùs Arcem tuebantur. At Comes de Fuentes & Mottæus, capto oppido, montem quemdam occuparunt altiorem eo, in quo Arx ſita eſt. Hîc vigintiocto machinis bellicis conſtitutis Arcem 18. Martij verberare cœperunt, magnaque contentione opus continuarunt, donec turrim quamdam non procul ab Arce expugnarent: mille deinde quingentis ictibus tantam ruinam in ipſis Arcis muris ſtrauerunt, vt die 20. eiuſdem Martij circa meridiem præſidiarij trepidantes, diuturniorem que defenſionem deſperantes, deditionem obtulerint; quæ his conditionibus accepta eſt, vt hoſtes incolumes cum impedimentis & armis abirent: eadem ſors eſſet oppidanis, exceptis aliquot proditoribus, qui in manus victorum traderentur. Addit Scriptor Leodienſis: His peractis, ſumpta ſunt, re cognita & comperta, ex Scabinorum Leodienſium Iudicum capitalium ſententia, de captiuis patriæ ſuæ proditoribus ſupplicia,

Fera per Rhoſneum commeatu iuuatur.

Huia obſidetur, hinc à Belgis, inde à Leodienſibus.

Expugnatur Huia à Regijs; multis caſis, reliquis in Arcem fugiētibus.

Oppugnatur & Arx, & paulò poſt deditur.

plicia, & Huienſes, vt nimiùm partibus aduerſis fauentes, etſi maxima ab vtraque parte damna perpeſſi, in exemplum nihilominùs priuilegijs ſuis per Præſulem ſunt priuati. Manſit interim oppidum recuperatum in Regiorum poteſtate, donec miſſis Bruxellas per Præſulem Legatis illud reſtitutum. Hæc ille. De profectione Caroli Manſfeldij hoc menſe contra Turcas, auſpicijs Imperatoris ſuſcepta, dicemus in Externis. Ab anno ſuperiori ſeditionem mouerant, vt anteà narrauimus, Itali, & ſe illis Hiberni & alij coniunxerant; quos Archidux Erneſtus per Hiſpanos Sichemio non ſine cæde eiecerat, & ſeditioſi ab Hollandis in protectionem recepti, videbantur ſe illis additurі. Comes de Fuentes, quod & Archidux cœperat, nolens veteranis hiſce, maximè tali equitatu, hoſtes roborari, induſtriè & humaniter cum illis agendo perfecit, vt certis ſtipendijs temporarijs Thenis quieti ſubſiſterent, donec de vniuerſa ſtipendiorum ratione tranſigeretur. Inter hæc Hollandi ſpargunt, ſe non alienos iam à pace cum Prouincijs Catholicis ineunda: prætexunt Anglos Francoſque eis prohibere velle, ne in Hiſpaniam ampliùs negotiatum naues mittant; hactenus enim id adhuc fiebat, maximè in Portugalliâ, diſſimulatione Regis Philippi. Tandem 14. Aprilis inter Regios & Hollandos de pace Middelburgi Zelandiæ agi eſt cœptum. Profecti ſunt eò Regis nomine Theodorus Liesfeltius, olim Brabantię Cancellarius, Otto Hartius & Maſius cum quodam Ducis Arſchotani Secretario; qui Comitem Mauritium Naſſouium, Valkium & Roelſium ibi inuenientes, iam dicto die colloquium pacis auſpicati ſunt. Verùm cùm diu inter ſe conferentes, eò rem Hollandi perducere conarentur, vt cum Belgarum Prouincijs, non cum Rege Philippo pacem facerent, Legati Regij Regem ſeque illudi cenſentes, nauem conſcendunt, ac 17. eiuſdem Aprilis Antuerpiam reuerſi, poſt biduum Bruxellam rediere, Hollandorumque de pace ſcriptum Senatoribus exhibuêre. Erant in eo hæc inter alia: Regem tamquam Principem proſperitatem Prouinciarum ſuarum quęrentem, metuere non debere Ordines Nobileſq; ipſi obſequentiſſimos, aliquid in præiudicium ſuæ auctoritatis conceſſuros. Ad hęc Confœderatos meliùs promiſſionibus & aſſecurationibus Ordinum quàm Regis confiſuros: neque tamen malitiosè aut dolosè cum Rege tractare recuſarent, ſed quòd Regis potentiam metuerent, & fidem non haberent, credentes eum iniurias ſibi illatas vlciſci ſtatuiſſe: quam ſuſpicionem de Ordinibus non haberent, eóque meliùs fiderent, tamquam ijs, quos in poſterum pro mediatoribus & interceſſoribus expetituri ſunt. Hæc & alia Hollandi; ſed Regij fucum eſſe cenſuerunt, quo tantiſper Francus primùm, deinde & ipſi, res ſuas promouere poſſent. Nempe Rex Franciæ intereà iuſto cum exercitu, Duce Trem-

1595

Sumpta ſupplicia de perduellibus.

Seditioſi Sichemenſes vtcumque pacantur, conceſſis illis Thenis.

Hollandi cum Regijs Middelburgi de pace colloquuntur.

Mira prætexunt, vt fucum faciant.

1595 blecurtij Barone, Burgundiæ Comitatum inuadit, oppidaq́, aliquot ac-
Intereà quoq; Frãci Burgundiam vastant. ces (quod & suprà breuiter attigimus) in potestatem redigit, vniuersamq́;
occupasset ditionem, nisi Marchio Trefortius cum quatuor tum peditum
tum equitum millibus ex Italia veniens, pulsis Francis, capta recuperas-
set loca; audiensque Tremblecourtius Regem Hispaniæ, duce Castellæ
Comestabili, in Sabaudiam mittere sexdecim vitorum millia, relicta
Burgundia, in Franciam reuertitur. His rerum motibus Rex Hispaniæ
Philippus non tantùm Sabaudo genero ac Burgundiæ suæ auxilia, sed
etiam apud Belgas Comiti de Fuentes per Ducem Pastranum (qui 13. A-
prilis Bruxellam venerat) lectissimas peditum equitumq́; in supplemen-
Classis cum viginti millionibus Hispalim appellit. tum misit copias. Mense Maio Hispalim (vulgò Seuillia) classis Hispa-
norum Indica viginti trium nauium appulit, nullam experta aduersam
fortunam, etsi sæpiùs Anglorum Francorumque naues sibi insidiantes in
conspectu habuisset, aduehens, vt ferebatur, supra vigesies decies centena
aureorum ducatorum millia, thesaurum certè neruumq́; belli insignem,
si eo rectè vti contigisset. Rex Philippus in hoc vsque tempus per vniuer-
sam Portugalliam Hollandorum detinuerat naues, vt si necessitas postu-
lasset, armatas contra dictos Anglos & Francos classi suæ obuiàm mit-
teret: sed cùm salua aduenisset, indicatum est nautis Hollandis per Du-
In gratiam Cardinalis iam Belgij Gubernatoris detenti Hollãdi, in Hispania relaxãtur. cem Medinæ Sidoniæ, illis discedendi libertatem concessam intercessio-
ne Cardinalis Austriaci Alberti, qui iam Belgij Gubernator esset desi-
gnatus; quin & tutum illis fore venire & redire in posterum, quando &
quotiescumque vellent; cuius rei gratia, ipsis, qui cuperent, literas Salui
Conductus datum iri, tantum indulgebatur: spe eos tandem clementia
ad Regem reducendi. Eodem mense Maio Regij Hulstum Flandrię op-
pidum ad fines Zelandiæ situm astu recuperare, ciuium aliquot auxilio
conati sunt: sed detectis eorum consilijs ciues capiuntur, supplicioque af-
ficiuntur. Regij interim, vt Hollandorum ex dicto oppido excursiones
Comes de Fuentes duas munitiones Hulsto obijcit. nonnihil prohiberent, munitionem haud procul oppido, ac alteram iux-
ta Clingam ædificarunt. Initio mensis Iunij Comes de Fuentes Bruxella
Antuerpiam profectus, Hulstanos ac Bredanos terruit, quasi obsidio-
nem alterius earum vrbium moliens. Sed in Francia Dorlanum muni-
tissimnm Picardiæ oppidum finibus Artesiæ valdè infestum oppugnare
cogitabat. Præerat oppido Dux Longeuillius, continuis incursionibus
Artesios vexans. Hæ vt impedirentur, Comes de Fuentes eò Warenbo-
nium ac Chimaium misit, qui Marconij haud procul Dorlano, positis
Hinc profectus in Franciam, ante omnia militarem disciplinã nonnihil restituit. castris, indies cum præsidiarijs minuta serebant prælia. Tandem 10. Iunij
Comes de Fuentes ipse ad castra veniens, à Warenbonio imperium re-
cipit, salutaribusque aliquot latis militaribus legibus, disciplinam mili-
tarem dudum insigniter conuulsam nonnihil restituit. Intereà nemine

gnaro,

gnaro, quò cum copijs eſſet profecturus, dimidia exercitus parte Marconij relicta, cum ceteris Chaſteletum oppidum ac Arcem quatuor exiguis Cameraco milliaribus diſſitum obſidet, prolatiſque ſtatim tormentis oppugnat. Præerat oppido ac Arci Gangræus præſidio mille ducentorum peditum. Facta ruina, 25. Iunij oppidum Wallones intuadunt, tandémque repulſi, cùm iterùm ad inuadendum ſe parantes ſignum expectarent, diffiſi de defenſione præſidiarij circa Solis occaſum de compoſitione conueniunt. Summo manè Gangræus eiúſque milites cum armis ac impedimentis in tutum abeunt locum. Sed ecce intereà Regij Hannum oppidum vicinum, cum Arce, dolo amittunt. Erant in eo oppido quingenti Itali Regi Philippo militantes duce Marcello Caraccio, totidē Germani, ducenti ac viginti Hiſpani, Wallones ducenti quinquaginta. Arci præerat Gommeronius Francus cum Francico præſidio Fœderatis militans. Is cum Rege Franciæ Henrico de tradenda ciuitate ac Arce clàm conuenerat. Sed vt proditionem tegeret, Bruxellam cum fratre erat profectus, recipiendis ſtipendiis. Sciebat eius vxor ac Legatus, affiniſq; Doruillerius de traditionis negotio. Nec mora. Obſcura nocte, Eſdainus, Humerius ac Crucius in Arcem cum milite admittuntur, ac ſub aurorā in oppidi pręſidiarios erumpentes, pellere conantur. Sed fortiter excepti, bis in Arcem, Humerio grauiter ſauciato, repelluntur. Tertiò aucti copiis à Comite D. Pauli, qui extra oppidum ſtationem habebat, iterùm erumpunt, Humeriuſque multis glandibus traiectus cadit. Incenduntur & proximæ Arci ædes, ventóque flammam ad eam ferente, adeò eius præſidiarij ſunt territi, vt fugam cepiſſent, niſi Eſdainus, omneſque Præfecti corpora opponentes impediuiſſent. Intereà ventus loco motus in oppidum flammam defert, verberátque fumo ac æſtu Belgarum ora; quo beneficio Franci ad portam vſque Nouiodunenſem prouecti, eam Comiti Fani D. Pauli aperiunt, omneſque eius copias intromittunt. Belgæ, qui continuis duodecim horis fortiſſimè pugnarant, vndiq; circumuenti, maioribúſque nunc etiam tormentis ex Arce petiti, poſitis armis, deditionem, trecentis circiter pugnando deſideratis, faciunt. Franci verò vt Humerio parentarent, Hiſpanos omnes interfecere, ceteros ad Comitem de Fuentes nudos abegere: qui ſuorum neceſſitate tardiùs intellecta, quatuor millia peditum cum omni equitatu in auxilium miſerat: ſed hi ſerò venire ſe intelligentes, Chaſteletum rediere. Gommeronius Bruxellæ captus ac ad Fuentæum miſſus, etſi alij captiui Nobiles pro eo plures offerrentur, gladio carnificis caput perdidit. Fuentæus munito Chaſteleto, ac præſidio Hiſpanico impoſito, cum exercitu Hannum præterue-ctus Feram, dudum à Fœderatis pignori Belgis traditam, & nunc rerum multarum inopia laborantem in multos menſes recreat; mutatoq; præ-

1595

Subitò Chaſteletū obſidet, & obtinet.

Vice verſa, proditio inſignis in Hannum ſtruitur.

Amittunt Belgæ Hānum, etſi fortiſſimè propugnā-tes.

Gommeronius proditor capite luit.

ſidio

1595 ſidio diſcedens, arcem Cleriam Peronæ propinquam expugnat. Metuebant ſibi ſingulæ Picardorum ciuitates. Sed tandem Comes de Fuentes, detecto animo ad Dorlanum 14. Iulij caſtra ponit'. Id futurum veritus Rex Francię, omni neceſſario apparatu bellico ac commeatu tempeſtiuè oppidum Arcemque munierat, præſidio duorum millium ſelectiſſimorum peditum, ac quadringentorum equitum, inter quos ducēti ampliùs erāt Nobiles. Pręerat oppido Haricurtius, Arci Roſeus, ita vt obſidionē oppugnationemq; contemnerent. Fuentęus verò nocte nec die quieſcens munitiones proferebat, tormenta producebat, caſtra muniebat, indieſq; magis ac magis ad Arcis foſſas propugnaculáque appropinquabat, non ſine cruentis tamen velitationibus, variante fortuna, nunc his nunc illis cadentibus. Intereà 15. eiuſdem Iulij Valentinus Pardieus, Mottæ Baro, Grauelingæ Gubernator, ac tormentorum Præfectus, dum nocte, luna fulgente, Arcis oppidique ſitum incautiùs explorat, moſqueti globo caput traiectus magno omnium dolore ex equo in terram mortuus concidit. Facto die Belgæ propugnaculum extra Arcis foſſam ædificatum expugnant, ſtatimque in eo militem cum maioribus conſtituunt tormentis, neminē in oppidi vallo conſiſtere permittentes. Rex Henricus etiamnum in Burgundia hærens, certior de Dorlani oppugnatione ac Chaſteleti amiſſione factus, Eſdaino ſcribit, coacta Nortmanniæ ac Picardiæ Nobilitate, iuſtóque peditum numero Dorlanis ſuccurrat. Is ad Ambianum copias conuenire iubet. Non ignorabat hæc Comes de Fuentes, ſed acceptis Atrebato ſeptem maioribus tormentis 23. Iulij manè cum parte exercitus contra appropinquantem Eſdainum progreditur, firmo interim in caſtris & capta munitione contra oppidanorum eruptiones relicto præſidio. Peditatum in duas diuidit acies, in medio omnem recipit equitatum, ac cum præcipuis Belgarum Proceribus, Duceque Aumalio Franco (qui Regi Henrico non fidens ad Belgas non ita dudum ſe contulerat) Eſdaino (alij Bullonium vocant) obuiam proficiſcitur. Vix caſtris proceſſerat, cùm Rhoſnæus Fuentæo nuntiat, Eſdainum, ſeu Bullonium, cum mille quingentis equitibus & octingentis peditibus aduētare, & iam in procinctu eſſe. Nec mora. Eſdainus in prima acie cum Scheneualio, Beliuio, Comite Fani D. Pauli, atq; Nobilium globo conſtitit, datoque pugnæ ſigno, in leuis armaturę equites à Fuentæo præmiſſos impetum fecit, eoſque loco ſubmouit. Sed cataphractorum & ſclopetariorum equitum alæ aliquot ſubſidiariæ prælium intrepidè excipientes, tanta vi (Carolo Columna, Sancho Luna, & aliis ductoribus) hoſtiles turmas à fronte & latere inuaſerunt, vt primam totam aciem, in quam Bullonius præcipuum Nobilium robur contulerat, prorſus diſiecerint, trucidarint, aut in fugam cōuerterint. Reliqua autem Francorum mul-

Comes de Fuentes Dorlanum obſidere parat.

La Motte vrbem incautiùs ſpeculans moſqueto traijcitur.

Eſdainus copias colligit Dorlano ſuccurſurus.

Copiæ Eſdaini partim cadunt, partim pedem referunt.

multitudo, quæ longiùs aberat, conſpecta ſuorum clade, terrore perculſa, pedem referre, ſeruatis tamen ordinibus, cœpit, Belgis equitibus vnà cum expeditis aliquot ſclopetariis peditibus acriter eos ad duo milliaria inſequentibus, & eorũ terga carpentibus. Hîc Villarius Rothomagenſis Præfectus, & Galliæ Admirallius, dum vnà cum Nobilium globo prę- 1595
lium redintegrat, & inſequentes ſiſtere conatur, capitur, & mox ab Hiſpanis ſuperuenientibus, quòd Fœderatos deſeruiſſet, cõfoditur; fugatoque aut cæſo omni equitatu, pedites pænè omnes in vico, cui Pulchra quercus nomen, trucidantur. Commiſſa hæc pugna diui Iacobi profeſto, 24. Iulij. Ceciderunt Franci, præter gregarios milites, viri Nobiles plus minus centum, inter quos & Sencheuallius, Liramontius, & San-Dionyſius: capti & Atrebatum ducti, pedites circiter ſexaginta cum aliquot Nobilibus, inter quos eminebat Comes Belinius grauiter ſaucius. Initio huius menſis Iulij Hollandi exercitum ſub imperio Mauritij Naſſouij contraxerant, collectiſque nauibus circiter ducentis maioribus minoribúſque, omni apparatu bellico & commeatu oneratis, 7. Iulij Wahalim ingreſſi, aduerſo flumine Nouiomagum verſus velificarunt, famæque dederunt, ſe Siluamducis Brabantiæ ad fines Hollandicos oppidum obſeſſuros. Quamobrem Mondragonius arcis Antuerpianæ Præfectus, Cantaber, multis expeditionibus iam tum ab initio huius inteſtini belli notiſſimus, mox copias aliquot Regias collegit, & cum armatorum millibus quatuor Campiniam ingreſſus, in Turnhout viciníſque locis ſubſtitit, magno animo Mauritium expectans, ſperans iam oblatum iri occaſionem, quam anteà ſæpè optauerat, cum illo iuſto prælio confligendi. Sed Mauritius magna celeritate naues promouens, Iſalam flumen ingreditur, perque foſſam dictam Druſianam nauigans, inde terrâ copiis ductis, Grollam Comitatus Zutphanienſis oppidulum 14. Iulij obſidet. Habebat exercitum quinque millium peditum, & equites mille ducentos, præter eos quos Campis, Dauentriâ & Swollis expectabat, ad hoc octodecim tormenta maiora. Cœpit itaque, poſtquam caſtra communiuiſſet, mox mœnia verberare, & diuerſis locis cuniculos agere. Sed obſeſſi fortiſſimè ſeſe defendebant, aliquoties etiam ſtrenuè in obſeſſores irrumpentes. Mondragonius de hoſtis conſilio certior factus, qua potuit feſtinatione ſuos iuxta Venlonam Moſam traduxit, vt obſeſſis opem ferret. Hunc ſecutus eſt Comes Tſherenbergius Hermannus, cum ęre militari Bruxellæ accepto ad ſuos properans. Erant in caſtris Mondragonij legiones Hiſpanorum duæ, vna Germanorum, ducenti ſclopetarij Wallones, trecenti Hiberni, equites quingenti. Tſherenbergij cohortes adhuc per Friſiæ munitiones erant diſtributæ: quæ aliis iunctæ ſimul exercitum circiter quinque millium peditum & mille equitum conſtituebant.

Captus Villarius Admirallius, alijq; multi.

Interea Mauritius quoque copias educit, diſſimulãs quò.

Tandem Grollam obſidet.

Parat ſe Mondragonius, vt Grollæ ſuccurrat.

1595 bant. Antequam Rhenum traijceret Mondragonius, è Berkenſi oppido Generali ærarij Prefecto hæc inter alia ſcripſit: Spes mihi, Deo me cor- «
Litteræ eius ſpei plenæ. roborante, affulget, fore vt in feſto ſanctæ Annæ hoſtem in agro Grol- «
lenſi videam, modò me expectare audeat. Fama eſt, eum caſtra ſua quo- «
tidie augere: at illud multò erit nobis glorioſius: immota enim ſtat ani- «
mi ſententia, manum cum hoſte conſerere, auxilioque Dei & interceſſio- «
ne S. Iacobi victoriam conſequi. Ita ille. Cùm exercitus fluuium eſſet «
traductus, menſtruum militibus ſoluitur, & 24. Iulij in hoſtem ducun-
Mauritius appropinquante Mondragonio, in tutum ſe recipit. tur: quo Mauritius intellecto, nullo adhuc viſo hoſte, relictis caſtris, vn-
decimo poſtquam venerat die, ipſo D. Iacobi Apoſtoli feſto in tutum ſe
recepit. Metrius his verbis deſcribit: Mauritius cùm omnes copias ſuas
eò nondum deduxiſſet, metueretque ne viribus impari ipſi (tamen & ip-
ſe eumdem numerum vtriuſque exercitus iam poſitum iuit) hoſtis & cō-
meatum & ſubſidium intercluderet, in feſto D. Iacobi obſidionem Grol-
lenſem ſoluit. Regij, liberatis ſociis, caſtra metati ſunt 30. Iulij inter Lip-
pam fluuium, & Præfecturam Dinſlakenſem, noua mandata à Comite
Nihilominùs circa Lippam caſtra ſua caſtris Regiis opponit. de Fuentes expectantes; venitq; eò non multò pòſt etiam Mauritius co-
piis auctior, caſtra caſtris conferens. Pluribus velitationibus cruentis ſe
toto Auguſto mutuò exercuerunt, ſed vna præcipua die 2. Septembris,
de qua paulò pòſt. Interea, poſt victoriam Fuentæi, in profeſto dicti A-
poſtoli Iacobi, die 24. Iulij in Francia ad Dorlanum, vt dictum eſt, ade-
ptam, ingēs vis commeatus, & in militare ſtipendiū pecunia die 30. eiuſ-
dem menſis Atrebato in caſtra Fuentæi allata ſunt. Exiſtimarant hęc in-
tercipere Dorlani, emiſſa equitum turma, ſed quæ in Belgas incidēs equi-
tes, nemine Dorlanum redeunte, cæſa eſt, aut capta. Sedebat cum copiis
Regis Henrici Niuernius ad portas Ambianas, clade ſuorum timidior,
Ad Dorlanum nihilo ſegniùs vtrique quoque agunt. non auſus caſtra hoſtium inuadere, tamen ſciens quibus Dorlani egerēt,
per portam quæ Arteſiam reſpicit, vbi rariores erant Belgarum excubiæ,
feliciter noctu decem mulas puluere bellico onuſtas cum preſidio in op-
pidum intulit. At nihilo ſegniùs Comes de Fuentes obſidionem vrget.
Itaque pridie Kalendas Auguſti ab hora quarta matutina vſque ad ter-
tiam pomeridianam arx Dorlana continuò maioribus tormentis oppu-
gnata cùm eſſet, ruinam ad irrumpendum iuſtam prębuit. Dato ſigno,
Hiſpani, Itali ac Wallones mixti, ad ruinam hora quarta poſt meridiem
prouolant. Oritur cruentum per integram horam prælium, donec ob-
Tandem cruenta irruptione Dorlanum à Belgis capitur. ruti Franci, nec diutiùs inuadentium vim ferre valentes, opprimuntur,
deſertáque Arce in oppidum fugiunt. Sed inſecuti Belgæ illud vna ea-
demque opera capiunt. Fit cædes ingens, precipuè ab Hiſpanis, mortem
commilitonum Hanni interfectorum vindicantibus, nullique parcitum
quàm qui ſacris in locis reperti fuere. Tum Arx oppidúmque direptum.

Cecidere

Cecidere è Francis mille circiter quingenti, ac inter hos ducenti amplius Nobiles ſeu Prę fecti, ac viri Proceres, Comes Dynantius, Arganuillerius, Chalancius, Feſquerius, & Pouillius. Capti ſunt, Ronſæus arcis Prę fectus letaliter vulneratus, Haricurij frater itidē ad mortē ſaucius, Gribouallius, Bornouillius, Quercetius, Villeroius, Santrauius, Contoius, Foreſtius, Froſſartius, Ambræuallius, Tanquæus, Framicurius cum fratre, & alij, quorum magna pars vulnerati, quidam Atrebati, alij aliis locis obiere. Inter ſanos primæ notæ fuit Haricurius oppidi Præfectus, qui captus ad arcem Antuerpianam miſſus eſt. Reſtaurato ac firmo præſidio communito Dorlano, cùm Comes de Fuentes aliquot dierum quietem militi cōceſſiſſet, die Auguſti 13. Cameracum obſidere incipit, erectiſque munitionibus ac tranſuerſis terræ molibus (Trenceas vocant) diſpoſitis, vrbis foſſis ac propugnaculis magna contentione propinquabat, tormentáque locis idoneis conſtituebat. Promouebant inſigniter obſidionem, qui eam multis precibus Comiti de Fuentes extorſerant, Arteſij, Hannones, Duacenſes, Inſulani ac Tornacenſes, immanibus excurſionibus ac extorſionibus à Balignio vrbis Præfecto iam annos quatuordecim vexati, nouum adducentes militem, pecuniam ac commeatum: qua alacritate ac promptitudine lętatus Fuentæus ipſe cum præcipua Nobilitate, exercitúſque robore poſuerat caſtra in valle collis, qua Arx ædificata cōſpicitur, eam ab hac parte maiorum tormentorum globis continuò diuerberans. Chimaius cum Hannoniis (quorum erat Gubernator) ad diuerſam vrbis partem ex aduerſo caſtrorum Fuentæi ſedebat. Munitionem Allianam defendebat Auxij Baro. Bremianum propugnaculum receperant tuendum trecenti ciues Atrebatenſes, ad hanc militiam voluntariè profecti, aliis locis nobiles diuerſi præerant: vallum verò quo milites pro more commeantes tegi ſolent, magis magiſque ad vrbis foſſas indies promouebatur. Balignius ſeriò ſe peti videns, cùm ſeptingentos tantùm haberet præſidiarios, inceſſanter ab Eſdaino ſeu Bullonio auxilium petebat, à quo miſſus cum quadringentis Francis Vichius veteranus Prę fectus, Cruriligneus dictus, altero ſcilicet crure claudicans, noctis beneficio cum ſuis ſaluus penetrauit; nouiſſimum tamen agmen Baro Auxius aſſecutus, quinquaginta plus minus Francos proſtrauit. Vichius, culpato Balignio, quòd maioribus abundans tormentis, iis contra Belgas magis idoneis locis non vteretur, aliquot è vallo abducta tam opportunè collocauit, vt Belgicorum aliquot tormentorum euerſis rotis & tignis, oppugnationi inutilia redderet, ignitiſque globis nō paucos foſſores militeſq; interficeret. Tum in turrim Gaugericanam attractis aliquot mediocribus campeſtribúſque tormentis, complures ſtrauit Belgas milites, vixq; aliquem ſine certo periculo in aggerum ſtationibus vigilias agere per-

1595

Nomina præcipuorum Francorum ibi cæſorum aut captorum.

Obſidere incipit Comes de Fuētes Cameracum.

Diſpoſitio caſtrorum.

Vichius Præfectus veteranus in vrbem peruadens, ſtrenuè rem gerit.

1595 mittebat. Sed mox in turrim maioribus directis tormentorum globis, Francos eam deſerere Belgæ coëgerunt. Interea non ceſſabant maiora tormenta officium facere, vrbiſque propugnacula inutilia reddere, eoque res peruenerat, vt miles prædæ auidus oppugnationem ardenter peteret. Et experturus videbatur Fuentæus eorum animos, niſi Archipræſul Cameracenſis exul, è Barlaymontiis natus, rogando obſecrandóque effeciſſet, ne vrbem pulcherrimam ornatiſſimamque militum libidini permitteret, ciueſque, qui maiori parte nihil peccarant, nec à Rege defecerãt, carnificinæ obijceret. Quare, etſi dilata inuaſione, tamen continuò vrbs tormentis verberatur, ita vt nihil ferè quod oppugnatoribus nocere poſſit integrum conſpiceretur. Et iam expectabatur Eſdainus, vel Rex ipſe Henricus auxilium laturus: ſed cùm neuter eorum veniret, nec tamen Balignius deditionis faceret mentionem, vis per tormenta repetitur, ac præcipuè contra propugnaculum extra foſſam extans, eamque contra inuaſionem defendens; factáq; ingenti ruina, ſignum inuaſionis datur. Ceciderat autem prima aggreſſio ſorte Barlotto Lotharingo cum ſua legione; qui audax & intrepidus cum ſuis aduolans, poſt ſanguinariam horæ vnius cum dimidia pugnam expugnat, ac ſe in propugnaculo munit, tormentiſq; aliquot maioribus tantam Cameracenſibus injicit formidinẽ, vt iam iam vrbem capiendam timerẽt. Secundo Octobris iterata omnibus cum tormentis oppugnatione, exercitus armatus ſignum inuaſionis expectabat, cùm ecce trecenti Heluetij Balignio militantes, offenſi quòd Balignius eos ærea plumbeáque moneta aliquamdiu pacaſſet, tum videntes quòd ciues ipſi nec in extrema neceſſitate arma caperent, clàm cum ciuium præcipuis communicatis conſiliis, inconſulto Balignio, deditionis ſignum, ſublato in haſta pileo, expoſuere. Quod cùm Fuentæo eſſet nuntiatum, tormentorum exploſionem intermitti iubet; exeunteſq; aliquot ciues, & Heluetiorum Præfecti, ciuibus vitam, fortunas, ac immunitates ſaluas pacti, Heluetiiſque debita ſtipendia, reſerata Cantipratenſi meridie porta Regios intromiſere, tam inopinatè inexpectatéque, vt Præſidiarij Franci impedimenta in Arcem perferendi tempus non haberent. Erant ibi Balignius, Dux Rattelij, Vichius, Buſius cum quadringentis equitibus, ac ſeptingentis peditibus: quos cùm à defenſione, diſceſſu Heluetiorum alieniſſimos viderent, miſerunt ad Comitem de Fuentes qui cum eo de deditione agerent. Hi dicebãt Franciæ Regem nunc eſſe in diui Quintini fano, & ei adeſſe Ducem Neuerſium obſeſſi Principis Rattelij patrem; non poſſe ſine nota ſocordiæ ſtatim Arcem dedi, illis tam propinquis; petere ſibi tres dies moræ, & permitti duos de ſuis ad Regem proficiſci: ſi interea ſuppetiæ non adſint, ſe, legibus de quibus conuenirent, Arcem tradituros. Conceſſit Fuentæus non tres tantùm

Sed nec minùs ſtrenuè Comes de Fuentès, aliiq; obſeſſores.

Fruſtrà expectatur Eſdainus vel Rex opem laturus.

Barlottus ſanguinaria pugna capit propugnaculum mœnibus hærẽs.

Heluetij, ciueſq; aliquot, inconſulto Balignio, ſe dedunt.

Franci cõfugientes in Arcem, & ipſi poſt triduum eam tradunt.

tùm ſed ſex dies, dicens ſe diu optaſſe cum tam potente & militiæ perito Rege manus conſerere. Placuit adeò reſponſio, vt confeſtim de conditionibus conuenerint: conceſſum, omnes militariter Arce excederẽt vexillis expanſis, armatiq́ue, vt in prælium ſolent procedere, & cum omnibus impedimentis (ſolis relictis maioribus tormentis & ad ea omni apparatu) in tutum deducerentur. Intereà rediere Legati, & omnem auxilij ſpem præſciderunt. Ita die 9. Octobris poſt meridiem Franci cum ſuis Ducibus Arce exierunt, antecedente Carolo Gonzaga Ratellij Principe, Ducis Niuerſij filio, imberbi adoleſcente, quem amiciſſimè complexus Comes de Fuẽtes, honorificis dimiſit verbis, ceteris Ducibus capitis motione tantùm ſalutatis. Balignius autem neque à Fuentæo, neq; ab aliquo cuiuſcumq; conditionis ſalutatus. Metrius hoc addit: Quin non ſine ludibrio, per medias armatorum ſtationes, totã pænè coactus eſt circumire ciuitatem; tamen ipſe, ſicut & ceteri, cum omni comitatu & impedimentis nullam paſſus iniuriam, eodem die ſaluus perductus eſt ad conſtitutum locum. Tum arci Cameracenſi à Fuentæo præficitur Auguſtinus Mexia, omneſq́ue, præeunte Antiſtite Ludouico Barlaymontio, ſolemni ritu in templo Deo laudes decantant. Inde 16. eiuſdẽ Octobris Cameracenſes, conuocatis regionis ſuæ Ordinibus, poſt breuem deliberationem oblato Fuentæo ſupplici libello, rogant Rex Philippus deinceps ſit abſolutus vrbis & regionis Dominus, eorum priuilegiis ſaluis, quòd non poſſit vllus Antiſtes ſatis eam contra Francos defendere; actiſq́ue Fuentæus Regis nomine gratiis, ſub finem Octobris Atrebatum venit, indeq́ue per Inſulas Bruxellam, militem in hiberna diſtributurus. Tenebant ſe, vt ſuprà commemorauimus, toto menſe Auguſto tam Regij quàm Hollandi in Cliuia ad Lippam fluuium tutis vtriq; caſtris, niſi quòd ſubinde velitationibus mutuò concurrerent; at 2. Septembris acrior commiſſa eſt pugna. Miſerant Hollandi Philippum Naſſouium cum quinque equitum turmis exploratum, quæ eſſet caſtrorum hoſtilium cõſtitutio, quæ diſciplina; Mondragonius quoque binas & binas turmas ad diuerſa loca ablegarat. Harum duæ prope Lippam obuiàm Naſſouio factæ, etſi numero inferiores, tamen expeditis armis concurrunt: ſed tandem à Mauritianis Regij ſuperati, nonnullis cadentibus plures capti ſunt, pauci fuga euaſerunt. Hi duabus aliis Regiorum equitum turmis propinqui cladem ſociorum nuntiant. Perduci iſti ad hoſtes ſe iubent, repertoſq́ue ligandis captiuis, conſarcinandiſq́ue ſpoliis impeditos inuadunt, maiorem partem cędunt, captiuos ſocios liberant, prædam duplicatam recipiunt, captiuoſq́ue plurimos cum Philippo Naſſouio Nouiomagenſium Gubernatore grauiter ſauciato, fratreq́ue eius Erneſto Caſimiro Naſſouio Bercam perducunt, cum Præfecto Coenio ſimiliter le-

1595

Balignius inglorius Cameraco diſcedit.

Rogant Cameracenſes, vt ſaluis Priuilegiis, Rex ſit eorum abſolutus Dominus, & quare.

Acris pugna in Cliuia, inter Hollandos & Regios.

Nomina cæſorum Hollandorum, & captiuorũ.

1595 taliter vulnerato. Pesserarius ac Zallandiæ Drossardus inter mortuos reperti. Philippum Nassouium in ventre grauiter lęsum, ea nocte Bercę mortuum, aromatibus condîtum, Comes Tsherenbergius Hermannus Mauritio consobrino sepeliendum remisit; Ernestus postea lytro persoluto ad suos rediit. Ex Regiis etiam nonnulli cæsi; vulnerati autem hi: Comitis Hermanni Vicarius, item Catariolla, Caraffa, & Martinengus, Italorum Præfecti. Permanseruntque nihilominùs vtriq; in suis castris, immensa damna Cliuensibus aliisque vicinis inferentes. Priores tamen cesserunt Regij, quòd copiam vniuersæ pugnæ æquo loco dudum quærentes, numquam hostem ex castris extrahere potuerint; reuocatique à Fuentæo in Brabantiam, 12. Octobris Rhenum traiecerunt: Hollandi quoque paulò pòst die eiusdem mensis 26. motis castris ad sua redierũt. Sed vide quid intereà tentarant Hollandi, casso licet euentu. Dudum coniecerant oculos in ciuitatem Brabantiæ Liram, tribus Antuerpia Mechliniáque milliaribus distantem. Præerat Liræ Alonsus Luna præsidio circiter centum quinquaginta Hispanorum ac Wallonum, qui cum ciuibus custodias satis negligenter (quòd ciuitas esset situ arteque munita) obibant. Didicerant hoc Hollandi à suæ causæ fautoribus, ac proinde Harengiero, qui Bredam & Huiam astu occuparat, negotium dant, Liram itidem intercipiat. Is sub noctem quæ 14. Octobris præcedit, Bredâ cum suis egressus, inuentisque sociis in Goor, simul septingenti pedites, equitesque centum viginti, intempesta nocte, fidis vsi ductoribus, iuxta Liram magno silentio in insidiis haud procul porta Mechliniana considunt; pauloque ante auroram, delecti ad hoc milites promptissimi sine strepitu fossam, ducibus his qui eam vltra genua aquam eo loco non habere sciebant, ingrediuntur, ac in vallum ascendunt. Proximum vigilem vnus eorum apprehendit, alij nudis pugionibus mortẽ, si os aperiat, minantur. Ille re inopinata attonitus, os obligari sinit. Intereà ceteri ascendunt, qui fossam intrarant, ciuium stationem in proximo excubantẽ aggrediuntur, Præfectum interficiunt, alios sauciant, & apud se detinent; vnus tamen effugiens, hostemque in oppido esse vociferans, ad arma conclamabat. Interim portam Mechlinianam, adductis in hoc ferreis instrumentis, vi aperiunt. Ingreditur Harengierus cum copiis. Ciues armati ac præsidiarij contrà prodeunt. Dimicatur acriter ab aurora ad horam vsque octauam. Bis repulsi Hollandi, bis itetùm irruptione equitum ciues intrò repellunt, ac tandem in foro se defendere cogunt: quò in eos pedites equitesque per omnes plateas delati, quinque ciues occidunt, ceteri fugam arripiunt. Luna cum Hispanis ac Wallonibus, seruatis ordinibus retrocedens, Lisperanam occupat portam. Tum nuntios Antuerpiam Mechliniámque mittit, quo in statu res sint Liranorum expositu-

Plures itẽ Regij cæsi & capti.

Lira excubatur negligenter, hinc Hollandi sperant ea potiri.

Bis repulsi, tandem tamen forum sui iuris faciunt.

Præsidiarij occupata porta Lisperana, pro auxiliis mittũt.

poſituros, vtque ſtatim auxilia mittant rogaturos. Inde ſe, portæque introrſum aditus, protempore munit, vexillumque Regium, vt quò tendere debeant auxiliares videant, in vertice portæ exponit. Hollandi Lunam ſpernentes, paruoque negotio ſe vnam portam expugnaturos credentes, primùm ad prædam & ad menſas concurrunt, nocturno itinere ac diurno prælio fatigati, nec Harengierus ceterique Præfecti (quod plures mirati ſunt) obſtitere; atque interea dum hi cibum potumque largiter ſumunt, ac deinde templa, Monaſteria, ciuiumque ædes ſpoliant, nuntij Antuerpiam ac Mechliniam delati, omnes ad auxilia ferenda promptiſſimos inueniunt. Harengierus benè pranſus tubicinem ad Lunam mittit, promittens, ſi porta exceſſiſſet, eum cum omnibus impedimentis, armis, expanſiſq; ſignis in tutum dimiſſurum. Reſpondet Luna, ſe, quamdiu vita ſupereſſet, loco non ceſſurum. Tum Harengierus ad Carthuſianorum venit Cœnobium, locum oppugnandæ portæ idoneum circumſpiciens, ſed tardè progreditur. Iam vicini opem laturi in via erant. Antuerpiæ 15. Centuriones, ducibus Iacobo Daſſa, Ægidio de Mera, & Antonio à Berchem Patriciis, ſe ad hanc expeditionem accinxerant, adiunxerant ſe centum quinquaginta Hiſpani ex Arce; pauciores Mechlinia, ſed qui alacritate veniendi, ductoribus Vanderlaniis fratribus, ac Cuizerio rei bellicæ veterano, pęnè Antuerpianos anteuerterunt. Antuerpiani circiter erant bis mille, Mechliniani quadringenti. Vtrique conſpecto in portæ Liſperanæ patentis vertice Regio ſigno, cùm mutuò ex inſperato occurrẽtes paucis ſalutaſſent, copias iungunt, tres acies faciunt, & ſub horam diei primam in ciuitatem pergunt. Prima acies rectà forum petit, ſecunda dextrum mœniorum latus, tertia ſiniſtrum. Hollandi milites inexpectato eorum aduentu obſtupefacti, cùm pars ferè dimidia ſine armis adhuc prędæ aut epulis operam daret, paucis in ipſo ingreſſu pugnã tentantibus, ſtatimq; cæſis, ceteri omnes non expectata pugna in fugam ſe conijciunt, intérq; primos Harengierus Gubernator Bredanus, huius expeditionis anteſignanus, muros tranſiliens in foſſa periit, ac cũ eo partim in foſſis ſubmerſi, partim in oppido cæſi hi Centuriones, Lambertus Meiburgenſis, Bouettius, Ammannius Broſelerius, Biringius & Dorpius; Vicarij verò, Grenu, Gileſij, & Steiberchij, præter gregarios ſimul ſupra trecentos; multi quoque in itinere à præſidiariis Hoochſtratanis & Herentalenſibus, qui & ipſi Liram tendebant, occiſi ſunt; captique prętereà circiter ducenti. Metrius his verbis rem tranſmittit: Cæſi ſunt plurimi, maxima pars tamen, deſideratis quibuſdam Centurionibus, ſalua euaſit. Magiſtratus Antuerpienſis Centurionibus ſuis, aliiſque benè meritis, numiſma pignus memoriæ dedit; vbi hæc inſcripta, ab vno latere, LIRA RECEPTA; ab altero, SERVATOS OB CIVES; & in medio, PRID. ID.

1595

Hollandi, iis contemptis, largiter cibũ ſumunt, & templa ſpoliant.

Interea celerrimè adſunt auxiliares Antuerpiâ & Mechliniâ.

Hollandi, deſideratis amplius trecentis, ceteri fugiunt.

Numiſma rei geſtæ,

1595 ID. OCTOB. CIↃ. IↃ. XCV. Liranus verò Magiſtratus hoc diſtichon numerale Curiæ ſuæ frontiſpicio inſculpſit:

& carmen Chronicõ.

HeV deCIMa qVarta OCtobrIs, ſed fata tVLerVnt,
HoſtIbVs eXpVLsIs, Captа, reCepta LIra eſt.

Hoc eodem menſe Octobri, poſtquam Henricus Franciæ Rex die 27. Septembris ſolemni ritu Romæ per Legatos eſſet Eccleſiæ reconciliatus, Principes omnes qui Fœderatorum partes ſecuti erant (excepto Aumalio) ipſeque etiam Dux Męnius, ſacri Fœderis hactenus caput & protector Generalis, ſe ei iunxerũt: qui etiam Męnius ſtatim cum Baligneio à Rege in caſtra ad Feram, quam Hiſpani & Belgæ tenebant, obſidione arctiùs premendam miſſus eſt; tenuit tamen obſidio vſque in annum ſequentem. At verò Dux Mercurius omnes ciuitates, oppida, & Arces, quas in Britannia Armorica tenebat, ſciens eas ſe Britonum opibus non poſſe contra Regem Henricum defendere, certis legibus Ioanni Aguillario in vſum Infantis Hiſpaniæ Eliſabethæ tradidit. Iam Archidux Auſtriæ Albertus, idemque Cardinalis Toletanus, ac hactenus Portugalliæ magna cum laude Prorex, à Rege Philippo Belgarum nominatus Gubernator, rebus omnibus paratis inſtructiſque cum viginti ſex triremibus, tribus Hiſpanorum peditum millibus, ac ſexagies centenis aureorũ ducatorum millibus (vulgò ſex auri milliones vocant) Barcelonæ itineri ſe committens, felici nauigatione Genuam Idibus Octobris appulerat, captis in itinere duabus piratarum Turcarum triremibus, ac oneraria Anglicana ingenti, cum præda opima. Vehebat in ſua triremi Philippum Naſſouium Guilielmi Naſſouij Principis Orangij è prima vxore Egmondia filium, libertati à Rege reſtitutum: qui poſt aliquot dies datos quieti & triumphis à Genuenſibus celebratis, accepta à Cardinali poteſtate, Romam profectus, die 20. eiuſdem Octobris à Legato Regis Hiſpanię ei obuiàm prodeunte eſt receptus, & 24. ab eodem ad Pontificem perductus, pedes eſt oſculatus, obedientiam Eccleſiæ Catholicæ profeſſus. Tum ab omnibus, qui Romæ erant, ſacris profaniſque Proceribus, lautè exceptus ac magnificè eſt tractatus. Eodem quoque menſe Hollandi ex Fœderis pacto Francorum Regi, duce Iuſtino Naſſouio defuncti Orangij filio notho, duodecim peditum cohortes in menſes aliquot perſolutos, ac Middelburgi Zelandię nauibus impoſitos, auxilio mittũt: hos ſubſecuti ſunt mille quingenti Scoti recèns appulſi, atq; mox ad Regem Caletum miſſi. Angliæ verò Regina quatuor peditum millia in ſex menſes perſoluta Regi tranſmiſit. Nihilominùs menſe Nouembri videns Rex ſe oppidum Feram à iuſto Hiſpanorum ac Wallonum præſidio inſeſſam vi expugnare non poſſe, idoneis circumquaq; locis extructis munitionibus, longa obſidionis ratione ad famem perducere conatur, reliquum

Nauarræo Romæ reconciliato, omnes ſe ei ſubmittũt, excepto Aumalio.

Albertus Auſtriacus, deſignatus Gubernator, in Belgium tendit.

Princeps Orangius eius comes, Romæ ſe filium Eccleſiæ profitetur.

Auxilia ab Angla & Hollandis Franciæ ſubmittuntur.

quum exercitum in hiberna diſtribuens. Interim eiuſdem Nouembris 1595
die 13. Hollandi Weerteam oppidulum, vbi ciues, perſoluto clàm menſtruo Comitiſſæ Meurſiæ, ſe tutos credebant, admoto portæ crepitaculo bellico (Petardam vocant) ſub aurotam inuadunt, ciues duos ſternunt, Comitem Tsherenbergium Henricum, eiuſq; turmæ equites aliquot capiunt, ciues tẽpláq; ſpoliant, ac mox poſt tres horas cum præda Neomagum abeunt: Comes poſt tres menſes, perſolutis quinque florenorum millibus, libertati redditus. Sed iam & Externa inſigniora attexamus.

Hollandi VVeerteã inuadunt, & ſpoliãt.

Die 18. Ianuarij huius anni moritur Conſtantinopoli Amurates, VARIA.
Turcarum tyrannus, anno ætatis quadrageſimo octauo, ſucceſſitque illi filius natu maximus Mahumetes, qui ante ſepultum patrem, nouemdecim fratres ad ſolemne epulum vocatos ſtrangulari iuſſit, tum omnes patris vxores (ne fortè qua grauida eſſet) aquis ſuffocari; poſtremò propriam matrem Conſtantinopoli eiectam ad fines Perſarum relegauit, vt mirum non ſit, ſi bellum in Hungaria contra Chriſtianos magna ferocia continuari iuſſerit. Ad hoc bellum ob præclara ſua facinora ex Belgio Carolus Comes Mansfeldius à Rege Philippo miſſus, ducens inſignem exercitum ſex millium peditũ ac duûm millium equitum, die 24. Aprilis Pragæ Boëmiæ à Rudolpho Imperatore S. Imperij Princeps, & Matthię Archiducis (qui ſupremus Cæſaris aduerſus Turcas exercitus erat Imperator) Vicarius conſtituitur. Inde Strigonium vrbem Hungariæ munitiſſimam Kalend. Iulij obſidere cœpit, vbi 4. Auguſti quinque Turcarum millibus memorabili prælio cæſis, ipſe 14. eiuſdem Auguſti dyſenteria Comaræ exſtinguitur. Scriptum extat hoc diſtichon numerale in eius laudem:

Nouus Turcarum Imp. ſtrãgulat nouemdecim ſuos fratres.

Carolus Mansfeldius nonnullis feliciter cõtra Turcam geſtis, moritur.

QVI tVrCIs tIMor, hVngarICIs ſpes CaroLVs, hVnC bIs
ſeptena AVgVſtI toLLIt In aſtra dIes.

Et ecce Strigonium Kalendis Septembris Archiduci Auſtriæ Matthiæ à Turcis deditur. Iam anteà Aarone Moldauiæ Principe & Vaiuoda, violato fœdere quod cum Cæſare & Tranſiluano contra Turcam inierat, ob proditionis ſuſpicionem, iuſſu Sigiſmundi Battorij Tranſiluaniæ Principis capto, & Albam Iuliam 24. Maij adducto, Stephanus Roſuanus Tranſiluanus in Moldauiæ dominatu ſubſtituitur; & quidem paulò pòſt, eo à Polonis pulſo, Ieremias Mogila ab iiſdem eſt ſuffectus. At verò Battorius, celebratis 6. Auguſti Albæ Iuliæ cum Maria Chriſtina Caroli Archiducis Auſtriæ filia nuptiis, die deinde 18. Octobris Tergouiſtiam Valachiæ Tranſalpinæ metropolim, & Vaiuodæ ſedem, expugnat, ſuiq́ue iuris facit, omnibus præſidiariis cęſis. Anno ſuperiori 1594. Ordines Hollandici tribus nauibus omni apparatu & commeatu inſtructis, verſus Boream ad Orientem miſſis, nouum iter tentare cœperant ad

Tumultuationes in Moldauia locisq; vicinis.

1595 Regnum Cathaium, atque inde in Chinam, Iaponiam, Moluccas, aliaſque opulentiſſimas Indię Orientalis inſulas. Futurum erat illud bis mille milliaribus breuius, quàm illud quo Luſitani, circumnauigata Africa verſus Caput bonæ Spei, vtuntur. Spem viæ nouæ inueniendæ fecerat pręter alios Plinius, qui refert, quoſdam Indianos (& quid ſi Tartaros?) procellâ maris in littora Germaniæ eiectos, Quinto Metello Celeri Proconſuli Romano in Gallia à Rege Suecorum donatos eſſe. Itaque die 5. Iunij anni præteriti, dictæ tres naues ex Hollandia ſoluentes, Noruegia & Moſcouia præternauigatis, ſub finem menſis eiuſdem Kildinum attigerant, & inde Iulio & Auguſto menſibus inter inſularum anguſtias per multam glaciem, vltra Condoram & Obdoram continentis regiones, ad nouam Zemblam & Weigatum progreſſi, atque anguſtias freti (quod Naſſouicum nuncuparunt) penetrantes, ad littora Tartariæ pęnè vſque ad fluuium Obij peruenerant. Sed ſociis naualibus ob itineris incommoda in ſeditionem verſis, ductores, Guilielmus Barętſonius, Cornelius Cornelij, & Ioannes Hugo, (quorum poſtremus olim in China habitaſſe dicebatur) menſe Septembri per eiuſdem freti anguſtias in patriam erant reuerſi. Quare hoc anno 1595. nouem mercatorum ſumptu inſtructæ quatuor naues die 2. Aprilis ex Teſſalia Hollandiæ inſula ſoluentes, via trita Luſitanis, etſi nõdum Hollandis, & ipſæ nauigationem verſus Orientalem Indiam inſtituerunt, reuerſæ demum anno abhinc ſecundo menſe Auguſto. Hoc anno verò menſe Auguſto claſſis Anglicana ad inſulas Indiæ Occidentalis inuadendas ſeſe accinxerat, ductore Franciſco Draco. Sed ſtrenuè ad inſulam S. Dominici ab Hiſpanis repulſi Angli 22. Nouembris, tribus nauibus deſideratis, tandem die 4. Decembris reditum pararunt: ſed graſſante inter eos dyſenteria, magna pars claſſis amiſſa eſt; quo morbo cum plurimis aliis etiam Dracus famoſiſſimus conſumptus eſt. Quatuor tantùm naues laceræ ex viginti ſex in Angliam redierunt.

Hollandi breuius iter quærũt in Chinã, & quo fundamento.

Ea nauigatione nẽ ſuccedente, via trita & ipſi experiuntur.

Dracus Anglus cum aliis perit, fruſtrà tentata India Occidentali.

1596 Annus 1596. ſe aperuerat, nil ſui initio bellicorum facinorum ſuggerens, niſi quòd Franci ac Hollandi latrociniis potiùs quàm bello rem gerentes, calamitoſam agricolis ſtrenam præberent. Iam Archidux Albertus, futurus Belgij Gubernator, in Burgundia erat, cùm die 8. Ianuarij ei obuiàm profecti ſunt Lutzenburgum vſque Dux de Paſtrana, de Feria, Comes de Fuentes, totaque ſimul ferè Nobilitas Belgica. Quò cùm Archidux die eiuſdẽ Ianuarij 29. veniſſet, à dictis Proceribus vnà cum Philippo Orangij Principe ſummis gratulationibus honoribúſq; ſuſceptus eſt. Huc quoque Erneſtus Bauarus Elector Colonienſis cum Nobilitate Leodienſi aduolauit, cognatum honorificè amplexus: fuiſſetq; lętitia maior, niſi eam mors Ducis Paſtrani interturbaſſet: qui cùm diu afflicta

Archidux & Cardinalis Albertus ſumma gratulatione Lutzenburgi excipitur.

cta fuiſſet valetudine, Lutzenburgi hora vna, antequam eò appuliſſet Illuſtriſſimus Cardinalis & Archidux, placidè obdormiuit, filio relicto Bruxellæ decenni. Deceſſerat etiam paulò antè die 4. Ianuarij in arce Antuerpiana, eiuſdem Arcis Præfectus Chriſtophorus Mondragonius, Cantaber, veteranus militum dux, innumeris pęnè victoriis, à nobis ſuis locis commemoratis, iam inde ab aduentu Ducis Albani in Belgio clarus. Franci intereà cùm intellexiſſent, nobiliores melioreſque præſidiarios Atrebato cum Proceribus Belgicis obuiàm Archiduci Lutzenburgũ profectos, collectis vndique copiis, 5. Februarij ſtratagemate militari Atrebatum Arteſiæ caput occupare ſunt conati. Portam circa dirutam Templariorum ædem, adhibitis crepitaculis bellicis (*Petars* vocant) euertere erat animus. Verùm cùm Magiſtri rem non ſatis dextrè nec tranquillè adminiſtrarent, audito à ciuibus ibi excubantibus murmure ac ſtrepitu, ad arma concurritur, excitataque in vallo flamma, hoſtis magno numero conſpicitur. Exonerantur ſtatim in Francos maiora tormenta, ciueſque armati vallum complent. Quo Franci conſpecto, vrbem portamque deſerunt, ac illuceſcente die omnia circumquaque in prædam vertẽtes, ſuburbiis etiam Heſdinienſibus cum aliquot pagis vicinis exuſtis, in Franciam reuertuntur. Porrò Archidux Albertus haud diu Lutzenburgi moratus, quòd eum obſidio Ferenſis, afflictuſq; Belgij ſtatus mouerent, Namurcum perrexit, vbi adductum militem recenſes, ex duodecim equitum turmis vix ſex expleuit, reliquis vel morbo abſumptis, vel dilapſis; ac ſimiliter ex ſexaginta cohortibus peditum vix viginti repertæ, vt iam totus iſte nouus exercitus ad ter mille viros pęnè eſſet redactus. Quò igitur aduentus ſui dignitatem, & diuulgatam nouę militiæ famam ſuſtẽtaret, veteranas legiones nouem, itemque duo equitum millia, quæ iam in procinctu circa Belgij fines ſtabant, acciuit: verùm equites iſtos, quòd ſtipendia animoſiùs efflagitarent, in hiberna remiſit, atque 11. die Februarij inter tertiam & quartam pomeridianam vrbem Bruxellenſem hoc ordine ingreſſus eſt. Senatus illi ante portam quę Louanium ducit, claues obtulit. Ingreſſus vrbem, omnibus locis prę-cipuis Arcus triumphales & theatra habuit obuia, magnis expenſis, ſed & maiori induſtria & artificio facta. Nauis ingens ſeu triremis, occultis rotis nauigans, expanſis velis, remigibúſq; fretum circumfuſum pulſantibus, equitantem Archiducem quaſi velificando ſequebatur. Ante palatium Pyramis ſtupendæ celſitudinis erecta, in cuius faſtigio Sol mira luce radiabat. Omnia hæc variis hiſtoriis, imaginibus, emblematis & inſcriptionibus, tempori, ſtatui patriæ, & Auſtriacæ familiæ accommodatis, erant exornata. Et quis recenſeat vniuerſa? Inter primos procedit Philippus Princeps Orangius: tandem ſequitur Cardinalis & Archidux,

1596

Moriuntur, Dux Paſtranus, & Mondragonius.

Franci fruſtrà Atrebatũ intercipere moliũtur.

Afflictiſſimus militia Regia in Belgio ſtatus.

Archiduci & Cardinali Bruxellam ingredienti omnia fauſta acclamata.

à ſini-

1596 à ſiniſtra habens Comitem de Fuentes, qui hactenus militiæ ſupremus fuerat adminiſtrator. Nec multò pòſt data acceptáque fide Archidux in Gubernatorem ab Ordinibus magna lætitia ſuſceptus, cùm de Belgij ſtatu ab iiſdem, ſimulque Conſiliariis Regiis & Proceribus, quantū pro tempore licuit, pleniſſimè didiciſſet, ante omnia, licet ad bellum æquè atque ad pacem paratus, litteras ad Ordines Hollandiæ & Mauritium miſit, quibus aduētus ſui cauſam ſignificabat (verba ſunt hominis Hollandicæ cauſæ alioqui valdè addicti) ſe nimirum à Maieſtate Regia in has Prouincias miſſum, vt omnes controuerſias componeret, pacemque poſtliminiò Belgis reſtitueret. Petere igitur nunc vt oſtendant ſe pacis ſtudioſos, & mittant, aut decernant, qui cum ſuis de pace colloquantur. Simileſque litteras ad eoſdem ſcripſit Princeps Orangius Philippus, öfferens ſe in hoc negotio mediatorem. Sed illi pacis tractationem (vt hactenus) exploſerunt. Sic ille. Alius affirmat, eos pacem in tantum faſtidiiſſe, vt ne reſpondere quidem dignati ſint. Quare Cardinalis Archidux officio ſuo ſe abundè ſatisfeciſſe ratus, & ipſe magno animo ad bellum ſe parat. Fera Franciæ à Belgis inſeſſa, tota hieme, vt diximus, arctiſſima obſidione premebatur, iamque præſidiarij ob commeatus inopiam in magnis verſabantur anguſtiis. Archidux Albertus igitur obſeſſis ſubuenire cupiens, Georgio Baſtæ veterano militum ductori id negotij dedit: qui abſque vlla mora decem ſelectorum equitum turmas ad pōtem Raſchium in agro Duaceno conuenire iuſſit ad diem 12. Martij, & eadem nocte ſilentio Chaſteletum ingrediuntur. Die facto, portis non reſeratis, Præfectis omnibus aperit Baſta, Feram iuſſu Archiducis proficiſcendum: ferant ſinguli ſaccum frumento plenum, ac in collo funiculos ſclopetarios, quibus obſeſſi egebant. Rebus paratis, hora poſt meridiem quarta die 13. eiuſdem Martij amnem Somonam prope Fornacēſe Monaſterium tranſmittunt, Fanoque D. Quintini à dextris relicto, intempeſta nocte ad pagum veniunt Trauerſum, pauloque ante auroram Feram in conſpectu habentes, præmittunt Gabrielem Rodrigum cum prima acie, qui in Francorum incidens ſtationem paludi propinquam, fundit pellitque, Baſta cum ceteris ſubſequente. Præmonitus fuerat de eius aduentu Aluarus Oſorius Feræ Præfectus; qui eodē tempore cum multis erumpens, ſcaphis ad hoc paratis recepto commeatu, feliciter in oppidum rediit. Intereà in Francorum caſtris ad arma conclamatur, & mox octingent i equites circa Fanum S. Quintini in inſidiis locantur. Quo intellecto Baſta, aliud iter ingreſſus, cæſis paucis Francis iter ſuum carpentibus, vno etiam atque altero ex ſuis deſiderato, in agrum Cameracenſem cum copiis eſt reuerſus. Iam Archidux Albertus, in vnū coactis quindecim peditum millibus, ac ter mille quingentis equitibus, in agro Valen-

Magna lætitia ab Ordinibus in Gubernatorem ſuſcipitur.

Hollandis tum ipſe, tum Princeps Orangius pacem offert, ſed fruſtrà.

Mittitur Baſta, vt Feræ diu obſeſſæ opē ferat.

Perficit id ipſe, commeatu aliquanto in vrbem illato.

Valencenenſi caſtra fecerat, moxque cum Philippo Orangio ceteriſque Proceribus die 30. Martij eódem peruenit; iam ad Feram obſidione liberandam rectà tendere eum cum exercitu omnes exiſtimabant, ipſeque Rex Franciæ Henricus idem ſuſpicatus, cum nouem peditum ac tribus equitum millibus Feram verſus proficiſcitur, caſtraque idoneo loco firmiſſimè munit, Archiducem expectaturus, & an per caſtra ſua vi ad oppidum penetraret, experturus. At is nil minùs quàm tam periculoſam totius belli aleam cogitans, Carolum tamen Arſchoti Ducem, Auxij Baronem, ac Georgium Baſtam ad oppidum Cambreſium, datis quatuor tum equitum tum peditum millibus mittit, Feram ſe profecturum ſimulans; Ambroſium verò Landrianum cum turmis aliquot equitum leuis armaturæ Monſtreulium tendere iubet, quaſi id oppugnaturus, Rhoſnium verò 5. Aprilis cum prima peditum acie verſus Audomaropolim ire præcepit, ipſe cum reliquo exercitu Arteſiæ latitudine ſumma celeritate emenſa, magnis itineribus eum ſubſequente Auguſtino Mexia Cameracenſium Præfecto, cum octodecim peditum cohortibus, ac octo maioribus tormentis, in ditionem venit Guinenſem, cuius Caletum ciuitas inſigni portu nobilis caput eſt. Præcedebat cum expeditis copiis Rhoſnius, qui primùm Nilæum pontem, deinde & promontorium Caletani portus Risbancum appellatum, eo tempore à triginta tantùm & ſex præſidiariis cuſtoditum, die 9. Aprilis, paucis tormẽtis oppugnatum ad deditionem cogit. Quibus locis valido præſidio communitis (quòd mari tunc Caleto ſuccurri non poſſet) Archidux poſt biduum Rhoſnio ſe iungens, omnibus copiis Caletum terra mariſque obſidet. Commiſſa eſt Risbanci cuſtodia Bij Comiti, littora verò Grauelingam tendẽtia inſederunt iuſtis cum copiis Boſſuuius, Mendoſa, ac Barlottus; ipſe Archidux ad vicum à diuo Petro cognominatum caſtra ponit. Rex Franciæ nuntio perculſus, cum parte exercitus celerrimè, deſerta Fera, Boloniam contendit, opemque ab Anglis ac Hollandis petit, qui armatis nauibus mox ſe ad Risbanci promontorium oſtenderunt, ſed maiorum tormentorum continua exoneratione repulſi, portum intrare non ſunt auſi. Rex verò Præfectum Boloniæ Campagnolam cum Moncaurelio veterano Præfecto, pauciſque militibus, Caletum proficiſci iubet: quod feliciter ab iis eſt peractum. Exiguis enim profecti lembis, maiorum tormentorum globos facilè vitauere, ſed eos ſubſequens oneraria maior, vino pluereque bellico plena, à Risbanciis eſt capta. Oppidum Caletum ea parte qua mare reſpicit minùs munitum oppugnare Archidux decreuerat. Quare 15. Aprilis ſuburbia quæ ibi ſunt ſatis munita, aggreditur, ac poſt acerrimam oppugnationem, militibus enixè annitentibus, exiguo cum damno expugnat. Deinde contra oppidum conſtitutis tormentis, die 17. eiuſ-

1596

Venit Archidux ad ſua caſtra in agro Valencenenſi.

Magna dexteritate ſuſpenſũ tenet Francum, quò tendat.

Subitò Archidux portum Caletanũ occupat, vrbemq; obſidet.

Accurrit mox Rex Franciæ cum parte exercitus à Fera.

Archidux ſuburbia occupat, hincq; continuò vrbẽ quatit.

1596 eiuſdem menſis mœnia ac munitiones continuis ictibus diuerberat, tanta edita ruina, vt ciues militeſq; metu victi, primùm aliquot dierum, deinde viginti quatuor horarum inducias fruſtrà rogarent, tormentis interim numquam ceſſantibus. De defenſione itaque diffidentes, deditionis ſignum exponunt. Miſſis Legatis, ciuibus vita fortunæque conceduntur; qui vellent, liberè in oppido manerent; qui nollent, in Arcem ſe reciperent, armis tamen impedimentiſque quæ ſecum ferre non poſſent, in oppido relictis. Hinc iis qui in Arce erant, ſex dierum datæ induciæ; vt ſi iis elapſis Rex Henricus auxilium non ferret, Arcem Archiduci aperirent. Sed apertis portis, ciues pęnè omnes inexpectata correpti formidine ac metu, relictis domi rebus omnibus, ad Arcem confugerunt. Ingreſſi oppidum Belgæ, immenſam inuenere prædam. Archidux verò ſua oppidique tormenta cõtra Arcem ſtatuens, ſexto induciarum elapſo die, eam aperiri dedique poſtulat. Negant ciues & præſidiarij. Boloniæ enim Præfectus clàm ad Regem Henricum profectus, ac cum ducentis peditibus feliciter reuerſus, Regem mox cum magnis copiis terrâ, Anglos autem Hollandoſque mari auxilio adfuturos aſſerebat. Moxque ex Arce Belgas maiorum tormentorum pilis impetere cœperunt. Nec mora. Iratus Archidux ſua tormenta reſpondere iubet: quæ cùm ruinam feciſſent, hiatumque idoneum, 24. Aprilis, inuaſionis dato ſigno, horæ vnius ſpatio vi in Arcem peruadunt. Cadit inter primos Vidoſamus Gubernator Caletenſis cum vigilum Præfecto, ac octingenti circiter viri. Campagnola capitur cum iis qui ſine armis fuere reperti, ceteri omnes interfecti. Præda in Arce reperta oppidi ſpolia ſuperauit; in hanc enim ex oppido omne factum infectumque cõtulerant aurum argentumque. Rex Henricus deſerta Bolonia, ſed valido in ea relicto præſidio, Ambianum contendit, Monſtreulio ac Ardea, oppidis Caleto vicinis inſigniter prouiſis, Angliſque ſimiliter ac Hollandis domum reuertentibus. Archidux, euocatis Duynkerkâ armatis nauibus, portui præſidio eſſe iuſſit; reparatiſque oppido & arce Caletenſi, nouiſq; etiam extructis munitionibus, magnas prædas eius exercitus ex agro Bolonienſium interim agit, ita vt bos vnus pinguis dalero, veruex decem ſtuferis venderetur. Tum Hollandi, vt cladem Francicam vtcumque vindicarent, Brabantiam milite vacuam inuadunt, ac ſub finem Aprilis circum Bruxellam, Mechliniam, Antuerpiam ac Namurcum, quidquid reperire poterant, in prædã vertunt, domumque cum ea multiſque captiuis reuertuntur. Archidux victoriam ſuam proſequens, primùm oppidum Guinenſium cum propinquis aliquot Arcibus & munitionibus deditione accipit, deinde motis caſtris Ardeam oppidum 7. Maij obſidet. Erat id valdè munitum, ac à copioſo defenſum præſidio. Diſcedens enim Rex Henricus Boloniâ,

Dedunt ſe ciues Caletenſes, ſex dierum induciis, his qui in Arce erãt conceſſis.

Archiducales hoſtiliter habiti, Arcem vi occupãt.

Rex Henricus loca vicina validè munit.

Hollandi vt Francũ vindicent, Brabantiã populãtur.

Comitem

Comitem Belinum, Ramburium & Montlucum cum duobus tum peditum tum equitum millibus Ardeam miſerat; qui omni hora erumpẽtes, non paucis hinc inde cadentibus ſtrenuè oppugnationem prohibere conabantur. Ad hæc ſuburbia vallo foſſaque munierant, maioribus tormentis inſtruxerant, Ardeæ portas, irridendis Belgis, ſingulis diebus, vt pace fieri ſolet, aperientes. Tandem ad ſuburbia conſtitutis ab Archiduce tormentis, iiſque idoneis locis inſigniter verberatis, cum hiatus placuiſſet, petenti Barlotto ſua cum legione permittitur prima inuaſio, ſubſequẽtibus Hiſpanorum ac Wallonum aliorum aliquot cohortibus: qui per duas horas acerrimè rem gerẽtes, vi ſuburbia ſui iuris faciunt, Ardeæ portis iam nõ ampliùs patentibus. Sauciatus eſt hac oppugnatione Barlottus, ac Audomaropolim curando vulneri profectus. Inde die 19. Maij Ardeenſes ſubitò erumpentes in Antonij Cocquelij ſtationes impetum faciunt, paucíſque prima inuaſione cæſis, à Cocquelio, ceteríſque in auxilium conuolantibus, in oppidum ſunt repulſi. Cecidit ex oppidanis Montlucus cum duobus Vaſconum peditum Præfectis, & gregarij milites non pauci, plures etiam vulnerati. Quibus cladibus ciues ac præſidiarij moti, multóſque ſe fortiſſimos milites variis pugnis perdidiſſe cõſpicientes, nec vllum à Rege ſubmitti auxilium, tum quòd Archidux diſpoſitis tormentis oppugnationem pararet, die 23. Maij his legibus deditionem fecere. Præſidiarij cum armis, explicatis ſignis, tympanis ſonantibus, omnibúſque impedimẽtis, quę humeris aſportare poſſunt, abeunto: infirmos ſaucióſq; plauſtris euehũto: qui velit, oppido diſcedito; qui manere cupit, Regi Philippo ſacramentum dicito: tormenta maiora cum omni apparatu relinquuntor. Atq; his legibus Franci numero circiter mille ducenti, Hurlinum in tũtum deducti, Ardeam Belgis reliquerunt. Deſideraſſe feruntur toto obſidionis tempore Franci ſupra octingentos, Belgæ verò circiter quadringentos. Sed ecce intereà die 16. Maij Belgæ & Hiſpani, Feræ ſeptem menſium obſidione exhauſti, viciſſim ſe Franco dediderant, conditionibus tamen hiſce, fortiſſimis militibus dignis: Seneſchallus Monlimarius ac Aluarus Oſorius præſidij Præfecti cum ducibus militibúſq; armis ac impedimentis, vnóque ingenti æneo tormento poſt ſex dies explicatis ſignis, tubiſque ac tympanis ſonantibus, Fera diſcedunto. Æs alienum à præſidiariis in oppido contractum Rex Henricus ſoluito. Ciues qui velint, liberè manento, aut cum fortunis abeunto; qui manſerint, Regi Henrico ſacramentum dicũto. Nemini quòd Marchioni Mienelæo nocuerit, damno eſto. Quidquid Montlimarius durante bello egit, Rex ratum habeto. Cum quibus conditionibus Iacobus Carlegus centum ſclopetariorum equitum Præfectus Fera ex pacto cum ſuis emiſſus, in caſtra ad Ardeam venit, ac ab Archiduce vt

1596

Archidux capta Guina, etiam Ardeam obſidet.

Obſeſſi erumpẽtes in vrbem repellũtur.

Dedit ſe Ardea Archiduci, Rege non ſuccurrẽte.

Sed ecce altera parte, Fera ſe tandem Francis tradit.

1596 in deditionis leges extrema neceſſitate extortas cõſẽtiat, petit. Quo facto, 22. Maij Oſorius cum Hiſpanis ac Wallonibus egreſſus, Regi Henrico Feram magno Picardorum gaudio reliquit. Archidux Albertus poſt Ardeę deditionem quietum per aliquot dies continuit exercitum, expectãs quò Franci belli molem verterent; ſed poſtquam animaduertit eos nihil magnum moliri, ſed tantùm populationibus Arces aliquot Nobilium & pagos limitaneos incurſare, ipſe relicto Heſdini Marchione Warenbonnio, qui Arteſiam tueretur, in Flandriam cum copiis ſub finem Iunij cõtendit, atque in agrum Oſtendæ vicinum peditatum omnem conuenire iuſſit, Oſtendam rogatu Brugenſium & aliorum Flandrorum oppugnare ſe velle ſimulans. Sed non multò pòſt oppidum Hulſtum in ditione Waſenſi ante ſexennium ab Hollandis occupatum (etſi, vt videbatur, inexpugnabile, velut inſulare redditum) obſidere decernit. Die 10. Iulij itaque Barlottus Præfectus paruis nauiculis duo millia peditum in terram exponit, qui in aggere quodam munimentum dictum *De cleyne Rape*, ab agricolis hactenus defenſum, illis fugientibus, occuparunt, duo ibidẽ inuenientes tormenta bellica. Ita in agrum Hulſtenſem, ſeu potiùs eius partem, dictam *S. Paulus Polder*, penetrarunt. Sed hîc aſſiduè cum præſidiariis Hulſtenſibus erat confligendum, biduóque pane caruerant, donec Rhoſnæus ex Brabãtia cum ſex peditum adhuc millibus & cõmeatu aduenies eos liberaret, etſi non ſine clade. Nam ob continuam ex propugnaculo, vulgò *De groote Rape*, tormẽtorum exploſionem, accidebat, vt ex quinque ſcaphis ſæpè duæ colliderentur; idemq; fiebat ex nauibus armatis Hollandorum & Zelandorum ibidem excubantibus, nec non ex munimento, à palude *De Moerſchans* nuncupato. Confeſtim itaq; Regij, vt poterant, ſe muniebãt in pomario quodam, loco excelſiori. Occuparunt quoq; propiùs ad oppidum ædes aliquas, eaſdémq; munierũt. Decimo quarto Iulij ipſe Archidux fuit in propugnaculo Auſtriaco & Blommenſi, addens ſuis animum, omniáque præſcribens, inſtanſque vt tormenta intempeſta nocte tranſueherentur, inde Bruxellas tantiſper ad ſolemnitatem Sacramenti miraculoſi profectus. Nec multò pòſt multis copiis collectis, iiſque nullo modo parcens, foſſas Hulſtenſium, vulgò *Trencheen*, inter oppidum & munimentum *De Moerſchans* à palude dictum, die 19. Iulij occupat. Inde munimentum, idem à paludibus nomen habens acriter tormentis verberatum eſt, & (non obſtante quòd Comes Solmenſis Hulſtenſium Gubernator iam paratus videretur, non ſolùm ab aſſultu illud liberare, ſed etiam hoſtem rurſus ex prædictis foſſis eijcere) deditione 20. Iulij occupatum eſt. Hac opportunitate in Poldrum S. Pauli, vbi caſtra locata erãt, omnia, quibus Regij indigebant, facili iam negotio adduci poterant, cùm priùs vix vllo potu vterẽtur quàm aqua

Archidux, relicto in Arteſio Varenbonnio, in Flãdriam contendit.

Hulſtum, etſi velut inſulare, obſidere parat.

Summa vi tamen vix quidquam Archiducales profeciunt.

Tandem Archidux nullis militibus parcens, quadam loca occupat.

aqua paluſtri, paniſque vnus venderetur triginta ſtuferis, qui in oppido tribus emi poterat. Quotidie interim eruptiones fiebant, præſertim autem 25. Iulij, vbi multi vtrimque cæſi & vulnerati ſunt, oppidanis fruſtrà in Regiorum foſſas perrumpere conantibus. Nitebatur Archidux viam, qua ad propugnaculum Naſſouianum perueniri poſſet, ſternere, (per illud enim miles quotidie & commeatus tutò poterat ex Zelandia in oppidum ſubmitti) ſed Zephyro continuo flante, foueæ aquis repletæ ſunt. Nihilominùs Archidux in obſidione conſtanter perſeuerabat, ſerioque rem gerebat. Die 2. Auguſti propugnaculum oppido adiacens, diu tormentis verberatum, oppugnari iuſſum, ſed amiſſis vtrimque multis, Hiſpani retrocedere coacti ſunt. Inter alios quoque Rhoſnæo Franco, pridem Ducis Mænij Legato, veterano Præfecto, in tentorio ſuo ſedenti & ſcribenti caput globo è ciuitate emiſſo ablatum eſt, cuius funus poſteà Archidux magnificè curauit. Interim die 6. eiuſdem Auguſti Regij aliud propugnaculum ſubſtrato & incenſo puluere euerterunt, in quo quinquaginta ampliùs milites perierunt, ceteri in oppidum fuga euaſerũt. Volebant Hiſpani eò tormenta attrahere, locumque hunc rurſus munire, atque inde oppidi vallum muroſque vehementiùs tormentis ſuis quatere, ſed tanta vi præſidiarij reſtiterunt, vt id perficere non potuerint. Duodecimo Auguſti quoque Hollandi, nauibus ex improuiſo egreſſi, magno tumultu in caſtris Regiis excitato, nonnullos ex obſidentibus peremerunt, ſic ad naues reuertentes, ſtylis ferreis in ſpiracula duorum tormentorum adactis. Et rurſum 14. eiuſdem menſis obſeſſi animaduertentes, Germanos, qui in vallo verſabantur, excubias negligentiùs agere, inopinatò in eos irruentes multos trucidarunt, maioremque profectò ſtragem edidiſſent, niſi cum ſuis cohortibus Barlottus opportunè laborantibus opem tuliſſet. Porrò die 16. Auguſti, tormentis iam in vrbem conuerſis, Archidux mœnia toto die duobus locis immani fragore feriri iuſſit, oppugnationem tamen in diem ſequentem diſtulit, quòd anguſtior adhuc ruina videretur, cùm Hollandi intereà, dum hoſtibus ſtudent nocere, aditum ipſis commodiorem in oppidum aperuerunt. Quippe, incenſo cuniculo, quem in ipſis mœnibus excauarant, ingenti collapſorum murorũ ruina foſſas oppleuerunt: eodemq; momento Archidux, admotis copiis, eam diruti muri partem obtinuit, Hollãdis in obliquas & flexuoſas munitiones, quas ad ſimiles caſus in oppido excitarant, refugientibus. Nec mora, 17. Auguſti poſt meridiem ciues cum propugnatoribus perterriti, impendente iam periculo, colloquium obtulerunt. Deputantur Comes Solmenſis Gubernator, Erneſtus Naſſouius, & alij, qui poſtridie acceptis obſidibus Comite de Soor & Teruiſano, his legibus oppidum cum propugnaculo Naſſouiano Archiduci dediderunt: Præfecti omnes & mili-

1596

Eruptio valida, multis vtrimque cæſis.

Rhoſnæo caput in tentorio globo auffertur.

Acres iterũ pugnæ, nunc his nunc illis vincentibus.

Obtinent Archiducales partẽ murorum proſtratã.

1596 tes ſolẽni & plena cum bellica põpa, impedimentiſque, in tutum abeun- ‹‹
Dedunt ſe Hulſtenſes. to. Ciuibus omnia condonantor, priuilegiáq; omnia inuiolata manento: ‹‹
abire ablatis rebus, ſeu manere, iiſdem liberũ eſto. Actum in caſtris Hul- ‹‹
ſtenſibus 18. Auguſti, 1596. Ita oppidum hoc, ait Metrius, in Regis poteſtatem venit honeſtis conditionibus, quamuis multi arbitrentur, Comitem Solmenſem oppidum diutiùs defendere potuiſſe. Sic ille. Archidux Bichium veteranum ducem Hulſto præfecit, & 24. Auguſti Antuerpiæ maximo triumpho exceptus, paulò pòſt Bruxellas profectus eſt. Durante hac obſidione, menſe Iulio tandem ſeditioſo militi Regio, cui Thenarum ciuitas à menſe Martio anni præcedentis maioris mali vitandi cauſa conceſſa fuerat, ſtipendia ab Archiduce perſoluta ſunt, quæ æſtimat Lanarius ad trecenta triginta ducatorum millia, vltra alia trecenta ſexaginta millia, quæ durante ſeceſſione perceperant. Rex Franciæ Henricus, qui poſt Feram receptam per tres continuos menſes conſiliis capiendis fuerat intentus, tandem vt Picardis ſatisfaceret, quibus vrbes amiſſas ſeſe reſtituturum promiſerat, pedeſtres equeſtreſque copias ductore Bironio ſub finem Auguſti in Picardia contraxit. Conuenerant, prẽter numeroſam peditum nõ admodum ſelectam multitudinem, duo equitum millia. Hi traiecto Somona flumine, cœperunt ſeſe Kalend. Septembris mouere. Deinde fines Arteſiæ ingreſſi, arcem Imbercuriam, duobus milliaribus Dourlantio diſſitam, 4. Septembris dolo occuparunt, & eodem die Feruenium vicum populoſũ, & Cericampium Bernardinorum Cœnobio celebrem inuadentes, Monachos & agricolas ingenti pecuniæ ſumma mulctarunt, qua ſe ſuáque redimerent. Intereà Marchio Warenbonius, ſupremus Arteſiæ Prẽfectus, quingentos equites celeriter contraxit, cum quibus Heſdino egreſſus, dum hoſtem ab effuſis populationibus prohibere vult, apud Fanum S. Pauli 5. Septembris poſt meridiem in Francorum equitatum incidẽs, à ſuis deſertus, & ab hoſte circumſeptus, fortiter dimicans, capitur vnà cum Comite Montecutio Italo, & nõnullis aliis, deſideratis prætereà è ſuis circiter viginti quinque. Inde ergo Bironius cum ſuis Francis inualidum oppidum S. Pauli die 7. eiuſdem Septembris facilè occupauit, Betuniam vſq; deinde populabundus diſcurrens. Venit quidem mox 10. Septembris Atrebatum Archiducis iuſſu Dux Arſchotanus, qui loco Warenbonij Francis ſe obiiceret, iamque 12. eiuſdem cum quingentis equitibus Betuniam profectus erat: ſed dum maiores copias expectat, Franci per octo dies continuos feliciſſimum Arteſiæ tractum impunè depopulati, cum multo pecore & magna captiuorum turba in Picardiæ fines præda onuſti reuertuntur, Arſchotano Feruenium vſque fruſtrà eos inſequente. Quin prædæ dulcedine ineſcati, depoſitis ſarcinis & captiuis, 21. eiuſdem Septembris rurſus in agrum Bapalmen-

Seditioſi Thenenſes tandem pacati immẽſa vi auri.

VVarenbonius Francorum populationibus ſe obijciens capitur.

Franci octo diebus impunè in Arteſiam graſſantur.

palmenſem infeſto agmine irrumpunt, Hebuternas, Benuillerium, Curcellas, & finitimos vicos deprædantur. Arſchotanus interea 22. Septembris ſub ipſa mœnia Atrebatenſia in ſuburbiis Ronuillianis ſe ſuoſque munit, vlteriorem inuaſionem impeditus. Quod cùm Bironius per exploratores intellexiſſet, neque Belgas facilè Martis aleam periclitaturos, copias, obuia quæque deprędando, vlteriùs promouit, & 27. Septembris caſtra primo ab vrbe Atrebatenſi lapide ad Riuerium vicum poſuit, adeò vt inter vtrumque exercitum admodum exiguum intereſſet ſpatiũ. At nihil memorabile actum eſt, Belgis ſeſe in caſtris continẽtibus, Francis verò longè lateque rapinis atque incendiis graſſantibus, ciuibus interea & agricolis fruſtrà indignantibus atq; ringentibus. Bironius noctem vnam ad Riuerium moratus, incenſo vico 28. Septembris caſtra mouit, & Picardiam repetens, prædatores rurſus Betuneam, Lilerſam & Aream verſus emiſit, qui magna hominum & pecorum abacta præda, intra fines Picardiæ regreſſi, tandem apud Blangiacum initio Octobris conſederunt, caſtris in planitie Azincuriana collocatis, tertiam populationem Atteſiæ meditantes. Et quidem Arſchotanus auctus octingentis peditibus, quos Barlottus recenter in ſuarum cohortium ſupplementum conſcripſerat, 5. Octobris caſtra ab Atrebato abducit, & eodem die ad Fanum S. Pauli peruenit, ibi Gallos obſeruaturus: at nihilominùs Bironius 12. eiuſdẽ equitatu Atrebatum vſq; improuisò emiſſo, nõnullos agricolas qui ad ſua redierant, vnà cum pecore intercipit, exercitumque ad montem S. Eligij inſigni Cœnobio celebrem rapit. Hic Tacconius cum ſua turma in viginti equites Francos ad radices montis Eligij incidens, nonnullos ſtrauit, & decem ex iis captiuos Atrebatum abduxit. Tandem Bironius agris euaſtatis & deſolatis Picardiam cum exercitu 17. Octobris repetit, multis ſuorum cadaueribus per agros quà ierant relictis, qui peſte & dyſenteria, nonnulli etiam hoſtili gladio interierant. Vigeſimo primo Octobris Hollandi quodam ſtratagemate Hulſtum nuper amiſſum recuperare ſe poſſe ſperabant. Secundo vento cum claſſe per Scaldim Hulſtum ex improuiſo nauigantes, triginta equites in terram expoſuerunt, qui ſe prædatum exiſſe ſimularent. Spes erat, præſidiarios in eos apertis portis impetum facturos, longiúſq; proſecuturos; interea alij qui in inſidiis erant ab alia oppidi parte, ſcalis illud inuaderent. Sed oppidani prẽmoniti, ita eos veniẽtes exceperunt, vt cum dedecore nec ſine damno, vnde venerant, redire coacti fuerint. Eliſabetha Angliæ Regina iam inde à fœdere cum Hollandis anno 1585. inito ingentem iis pecuniarum vim ad quotidianos belli vſus ſubminiſtrauerat. Eius partem cùm in Februario anni ſuperioris per Thomam Bodlæum, ad meditatam tunc nauale irruptionem in Hiſpanicas terras repetiuiſſet, Hollandi verò in-

1596

Arſchotanus VVarenbonio ſuffectus, iuxta Atrebatum ſe munit.

Franci ſecundò vicos populantur, & incendunt.

Eos tertiò incurrẽtes Arſchotanus vtcũq; fugit.

Hollandi Hulſtum fruſtrà recuperare conantur.

Rationes nummariæ inter Angliæ Reginã & Hollandos non ſatis conueniunt.

1596 opiam cauſati, eam petitionem differri poſtulaſſent; ita tandem vtrimq; conuentum eſt, vt Hollandi ad iſtam expeditionem triginta naues militares, commeatu, viris, puluere aliiſque neceſſariis probè inſtructas mitterent, ſuiſque impendiis quinque menſibus ſuſtentarent. Sed poſteà mẽſe Martio præſentis anni rurſum eadem de re Hollandi interpellati hoc menſe Octobri ad Reginam mittunt, qui negotium cum ea tranſigant; neque enim exacerbare eam tutum aut honeſtum videbatur. Verumenimuerò iſte tractatus primo ſtatim acceſſu tantas difficultates reperit, vt exitus non cerneretur. Exigebat Angla, vt fama eſt, vltra quadragies quater centena millia florenorum. Legati econtrà aſſerebant, eius crediti magnam partem ex fœdere in Cõfœderatorum communem vtilitatem expenſam eſſe, partem etiam ſuſtentandis ipſi Reginæ ex fœdere ſubmiſſis Anglorum certis cohortibus compenſatam. Querebantur prætereà de damnis quę tulerant, quando à Regina ſtato tempore vel pecunia vel miles tranſmiſſus non fuiſſet. Quo animaduerſo Regina, cui de claſſe, quæ in Hiſpania parabatur, in horas varia nuntiabãtur, ne inopportuno tempore, Hollandis Neptuni filiis & ad nauales expeditiones ipſi commodiſſimis, ſpeciem diſſidij inijceret, Legatos, quæ acta eſſent, Ordinibus interim nuntiare iuſſos 11. Nouembris dimiſit. Et eodem ferè tempore Archiduci quoq; non modica difficultas in re pecuniaria (quæ neruus belli eſt) conflanda accidit. Incredibilem pecuniæ vim in tanto feruore belli hac æſtate Archidux à mercatoribus acceperat, quam ſtatis tẽporibus cum lucro redderet. Aderant conſtituti dies; mittuntur in Hiſpanias ſyngraphæ, repetuntur quæſtuoſæ pecuniæ. Accidit, vt dum ſyngraphæ leguntur, Rex ipſe ſuperuenerit. Is audiens mercatorum immodicam cupiditatem (pro ſingulis namque nummũm centenis, lucrum ſeptuaginta pacti erant) ira percitus ſyngraphas lacerauit, vſuram intolerabilem proclamans; factúmque contra eam 19. Nouembris decretum. Quo in Belgium perlato, cùm ſolutio non præſtaretur, nonnulli mercatores ceſſerunt foro, alij in magno metu verſabantur, ſed plures ſpes confirmabat, fore vt cùm Rex ſine ipſorum opera bellum in Belgio gerere non poſſe videretur, aliquando pacatior factus, debitum exolueret. Interea Mercatores nihil aut parum pecuniarum Archiduci ampliùs mutuare volebant, neque cogi honeſtè poterant, quòd cauſam ſuam Iudicibus Eccleſiaſticis competentibus ſubmittere parati eſſent, cùm vix tandem anni ſequentis exitu poſt multas bonas occaſiones idcircò Archiduci, vti audiemus, elapſas, damnáque aliquot accepta, mercatores pacati ſunt, nouumque inſuper cum iis initum pactum, quo octodecim mẽſibus inſequentibus, eidem Archiduci in belli ſumptus ſingulis menſibus in Belgio numerent ducenta quinquaginta ducatorum millia, & totidem in Hiſpa-

Multa prætexunt pro ſe Hollandi.

Diſſimulat ad tempus Regina.

Magna quoque nummaria rei difficultas apud Archiducem.

Quin nec componitur ea res ante finem anni ſequentis.

Hiſpania, vel alibi vbi ei placuerit, ſingulis ducatis in Belgio ad quinquaginta tres ſtuferos computatis. Porrò ſub finem anni huius Archidux quatuor millia peditum, & quinque alas equitum in Campiniam Brabanticam iuxta Turnhoutum miſit, certo cõſilio, ſiue eo vt incolas à tributis menſtruis, quæ hoſti pendere conſueuerant, liberaret, ſiue etiam vt aquis glacie conſtrictis paratas haberet copias ad expeditionem aliquam ſeu irruptionem in Hollandiam tentandam. De euentu narrabimus initio anni ſequentis. 1596

In Externis hæc præcipua ſunt. Ingens claſſis Anglicana Hollandicis nauibus aucta, triginta circiter armatorum millia vehẽs, medio Iunij Plimutha Angliæ portu ſoluit, & 29. eiuſdem Portugalliam præternauigantes in conſpectu Gadium (vulgò Caletum Hiſpaniæ vocant) die eiuſdem Iunij 30. conſtiterunt. Stabat hîc non exigua item claſſis Hiſpanorum; quatuor galeones, quarum ſingulæ mille circiter pedites vehebant, & triremes viginti duæ. Prætoria nauis S. Philippi nomine inſignita ante aciem ſtabat cum alia S. Andreæ. In has prætoria Anglorum inuecta diu atrociſſimè pugnauit, aduolat & Archithalaſſus Hollandorum & alię naues, quæ omni ex parte maioribus pilis ita Hiſpanos lacerarunt, vt propugnatores partim cæſi ſint, partim enatarint, ipſæ autem naues duæ ab hoſtibus occupatæ incenſæ ſunt, non tamen ſine inſigni clade Anglorũ, quorum tria maiora nauigia, & aliquot minora depreſſa ſunt. Hiſpanica claſſis, amiſſis S. Philippi & S. Andreę nauibus, in tutum ſe recepit. Angli & Hollandi in inſulam egreſſi, poſtquã oppidum etiam multo ſanguine expugnaſſent, promptioribus fugientibus, in reliquos inſigniter ſe vindicarunt. Tandem regnicolis ad defenſionem pontis vicini fortiter ſeſe obijcientibus, cùm Angli ſe nihil præclari ampliùs præſtituros viderẽt, collecta præda, incenſo Gadium ſeu Caleti oppido in Angliam reuerſi ſunt. In initio huius anni die Februarij 17. Guiſius Regi Henrico recõciliatus, & ab eo Prouinciæ, vbi Maſſilia eſt, præfectus, ipſam Maſſiliam dudum Fœderatis iunctã, & ab Hiſpanis adhuc inſeſſam, partim proditione partim vi occupat. Cæſus Conſul Caſſaultius qui pro Hiſpanis ſtabat, ſimúlque omnes Hiſpani qui reperti ſunt, & quicumque illis fauere putabantur. Italis parcitum eſt. Tanta hæc omnia celeritate ac trepidatione acta ſunt, vt Auriæ Princeps Italus vix triremes portu educere, & ſuos in eas recipere potuerit. Die 29. Auguſti Chriſtiernus IV. Daniæ Rex Hafniæ coronatur. At verò tota hac æſtate Mahumetes Turcarum Imperator cum numeroſo exercitu Hungariam populatur, nunc victor nunc victus, ac tãdem Agriam vrbem, Hungariæ propugnaculum, 13. Octobris deditione occupauit. Promiſſum erat vt præſidiarij in tutum deducerentur, ſed non longè progreſſi, in latiſſimo quodam campo à Tartaris & Turcis

VARIA. *Angli cum Hollandis ingenti claſſe Hiſpaniam populari parant.*

Claſſem Hiſpanicã ad Gades ſeu Caliz ſtantem ſuperant, oppidumq; ſpoliant.

Guiſius Maſſiliam Nauarrae vindicat, cæſis Hiſpanis.

Turca Agriam in Hungaria occupat.

Turcis plerique occiſi ſunt, quidam quoque viui excoriati, dicentibus Turcis, ſe fidem ipſis ſeruare non debere, quòd anteà tam crudeliter ſuos Hatuæ tractaſſent.

1597 Hoc anno 1597. Archidux, vt diximus, hac hieme copias non cõtemnendas ad Turnhoutum Campiniæ conuenire iuſſerat, incertum quid de iis animo meditatus; plures opportunitatem per aquas gelu conſtrictas Hollandiam inuadendi ſperaſſe exiſtimant. Verùm quia hiems erat mitis, nec frigus vel aura huic inſtituto ſeruiret, cœpit Regios milites loci illius in omni rerum penuria tædere. Conſumptum enim erat, quidquid apud agricolas, alioqui & per ſe ſatis inopes, anteà inueniebatur, & in magno pecuniæ defectu, nihil quoque aut perparum aliunde aduehebatur. Hollandi horum non ignari Mauritio belli Duci in mandatis dãt, vt coactis copiis in Campiniam contendat, aleamque fortunæ experiatur. Paruit ille, & ſummo cum ſilentio, incredibilique celeritate, quinq; millia peditum, & octingentos equites corraſit, & 22. Ianuarij Dordracum primò, deinde cum ſex tormentis campeſtribus & duobus maioribus Bredam venit. Vigeſimo tertio eiuſdem Bredâ diſcedens noctu cum copiis in Rauels pago non longè à Turnhouto ſubſtitit. Regij de aduẽtu hoſtium edocti, eadem nocte omnia cõuaſarunt, omnia impedimenta Herentalium verſus præmiſerunt, ipſi ſummo manè inſtructis ordinibus inſecuti ſunt. Quod cùm intellexiſſent Mauritius & Holachius Hollandorum Ductores, relictis à tergo peditibus, magna illos celeritate ſequuntur. Holachius per compendium eos anteuertit, & à fronte adortus eos ſiſtit. Pugnatur acriter, cadunt vtrimque multi, & ſe quiſque virum exhibet. Dum pugna hæc ad horam circiter dimidiam protrahitur, Mauritius cum ſuo equitatu aduolat: redintegratur prælium, & quidem acriùs quàm anteà. Sed numero equitũ inferiores Regij, dum vim non poſſent diutiùs ſuſtinere, in fugam ſeſe equites, deſertis peditibus, effuderunt. Pedites cùm loco iniquo & equitatui hoſtili omni ex parte patenti pugnarent, relictis ordinibus & ipſi fugere cœperunt, cùm multos ex ſuis cecidiſſe cernerent. Mauritius & Holachius fugientes inſecuti plurimos trucidaruut, multos ceperunt, & campum obtinuerunt. Ceciderunt in hac pugna è Regiis Germani præcipuè qui in prima, & Neapolitani qui in vltima acie fuerant; nonnulli bis mille, alij pauciores numerant. In his primarij fuerunt Comes Warauxij, dictus Dominus de Balanzon, Vicarius legionis Neapolitanæ, Vicarius Comitis de Zulte Germanus, & Vicarius Daricourtij. Signa militaria à fugientibus abiecta triginta Hollandi in triumphum duxerunt, & Hagæ ſuſpenderunt. Commiſſa eſt hæc pugna 24. Ianuarij in ericeto Tiletano, non longè à Turnhouto. Poſtridie arcem Turnhoutanam obſederunt, & quatuor tormen-

Copiæ Archiducales circa Turnhoutum, incertum quo conſilio.

Subitò educit contra eas Mauritius.

Mauritiani recedentes ad pugnã lateſſunt.

Vincuntur Regij ſeu Archiducales.

tormentis verberarunt. Qui in ea erant præſidiarij, cùm viderent ſe tueri non poſſe (eſt enim locus ad voluptatem magis quàm contra vim conſtructus) ſeſe hoſtium fidei vita & fortunis ſaluis dediderunt; ſicq; 26. Ianuarij Mauritius & ſocij victores cum captiuis & vulneratis Bredam reuerſi, & magno applauſu excepti, inde poſt biduum ad Hagam-Comitis peruenerunt. Hac parta victoria, totis deinceps ſex méſibus Mauritius ſuos quietos magna hominum cum admiratione detinuit; plurimorum enim erat opinio, eum in tanta pecuniæ inopia, qua Archidux laborabat, multa efficere potuiſſe; ſed creditur & Hollandiam eodem morbo laboraſſe, ex iis quæ anno ſuperiori commemorauimus. At verò Archidux mox in Ducatum Lutzenburgenſem miſit, qui nouum peditatum, & Marchionem Badenſem in Germaniam, qui nouum equitatum cõſcriberent. Die 31. Ianuarij in Haga-Comitis de lite inter Groningenſes & Ommelandios antiqua pronuntiatum eſt in hanc ſententiam: Vrbs & ager Groningenſes (hi ſunt Ommelandij) pro vno dominio porrò habeantur. Hominibus illius agri libera ſint cum omnibus cõmercia, domi tamen nata, vt butyrum, caſeos, equos, boues, frumenta & talia non priùs aliò exportent, quàm in vrbe vænum propoſuerint, exceptis quę ad ſingulorum vſus domeſticos neceſſaria ſunt. Cereuiſiam quoque hominibus in agro ad ſimiles vſus tantùm coquere liceat, at non niſi Groningâ allatam ad menſuram vendere. Municipalium petitio de pecuniario ad vetera debita exſoluenda & neceſſarios ſumptus ſuſtinendos ſubſidio, ad Ordinum Generalium conuentum reijcitur. Et eodem ferè tempore etiam lis quædam inter Hollandos & Zelandos ratione vectigaliũ orta, ab iiſdem Ordinibus compoſita eſt. Sed ecce dum vbique arma propter pecuniæ inopiam aliquantiſper ſuſpenſa ſunt, memorabili ſtratagemate Ambianum Picardiæ metropolis auſpiciis Archiducis Alberti die 11. Martij occupatur. Præerat Dorlantio, nuper à Comite de Fuentes capto, Hernatellus Portacarera Hiſpanus, vir quidem exiguæ ſtaturę, ſed magni animi, militiæque gnarus. Is ab Ambianenſi quodam exule de ſtatu vrbis plenè edoctus, re cum Archiduce maturè cõmunicata, dicto die 11. Martij octodecim milites ruſtico habitu indutos (inter quos præcipui erant Dognanus Centurio cum fratre, Lacroiſius Allemannus, Artus & Cainus) manè ad portam vrbis Ambianenſis adeſſe iuſſit, quidq; ab iis dici & fieri vellet edocuit: ipſe cum cohortibus aliquot poſt rudera collapſi templi non procul ab vrbe in inſidiis latebat. Nec tamen res ita celari poterat, quin rumor hoſtis propinqui (nam & quædam cohortes circa Dorlantium huius ſtratagematis cauſa pridie conuenerant) in vrbem permanarit. Perſonati illi ruſtici veluti diuerſis itineribus venientes, à ſtatione quæ ad portam excubabat, ecquid de Hiſpanorum copiis ſcirent

1597

Potitur quoque Mauritius arce Turnhoutana.

Antiqua controuerſia Groningẽſium Hagæ deciſa.

Similiter lis quædam inter Zelandos & Hollandos.

Stratagema memorandum, quo Ambianum captum eſt.

1597 ſcirent rogantur. Reſpondent, quod edocti erant, famam eſſe, in ſeditionem verſos Dorlantio inſidiari, vt ibi ſtipendia extorqueant. Pars plauſtrum ductabant, pars ſaccos nucibus plenos humeris ferebant. Eorum vnus, cùm veluti fortè fortuna, ſacco ſoluto, nuces effudiſſet, iamque currus ita portam occupaſſet, vt claudi non poſſet, excubitores vrbanos nucibus legendis intentos armis, quæ ſub veſtibus occultata gerebant, inuadunt, quoſdam confodiunt, reliquos in fugam agunt. Mox ſigno dato, excitus Portacarera, & Caraffa Montis nigri Marchio, cum ſuis ex inſidiis prorumpunt, vrbemq; ſub ſignis ingreſſi, admonitis & aliis qui longiùs poſiti rei euentum præſtolabãtur, munitiora mox loca capiunt, præſidiiſque firmant. S. Pauli Comes, penes quem tum erat Picardiæ adminiſtratio, cùm in ciuibus nec virium ſatis nec voluntatis ad reſiſtendũ videret (& præſidium dudum à Rege oblatum recipere noluerant) fuga elapſus cum aliis nonnullis, Proteſtantium maximè Religioni addictis, periculo ſe ſubduxit. Mox Hiſpani metu obſidionis ſuburbia & pagos vicinos incenderunt, omniáq; ad obſidionem tolerandam neceſſaria ſtatim magna cum diligentia procurarunt. Nec inanis metus. Nam Rex Henricus ſecundo ſtatim poſt vrbem captam die S. Pauli Comitem cum Bironio obſidionis initium facere iubet; quin etiam ipſe cum magno Nobilium agmine Beaucanij conſedit. Intereà verò dum reliqua ad obſidionem neceſſaria comportantur, etiam ſibi contra hoſtes aliquid tentandum eſſe ratus, vnà cum Eſpernonio, Bironio & aliis ad Atrebatum vrbem proficiſcitur, & de nocte, quæ 25. Martij ſequitur, pyrobolo ſiue petardo admoto, portam vnam effringit; ſed artifex, dum ad alterã idem molitur, occiſus rem infectam relinquit. Ab altero latere alij ſcalas muris applicuerant. Sed exciti ciues cum præſidiariis, ductu inprimis Comitis Buquoij, armis correptis, hoſtes iam mœnia ſubeuntes proturbant ac deijciunt. Hoc modo re infecta, & quinquaginta circiter è ſuorum numero deſideratis, multiſque vulneratis, Rex in caſtra ad Ambianum eſt reuerſus, quæ magno ſtudio tam cõtra obſeſſorum eruptiones, quàm contra eos qui auxilium eis laturi eſſent, paulatim communiuit. Deniq; murorum verberatio quadraginta quinq; machinis inſtituta, oppugnatioque continuata, donec tandem 26. Septembris vrbs dedita eſt, de quibus ſingulis poſteà latiùs. Sed nũc quid intereà in Belgio contigerit, priùs enarremus. Tentata & hîc militaria vtrimque ſtratagemata, ſed ſine effectu. Steenwicum Regij, ductoribus præcipuis Richardo Vandenſandio, Hermanno Ens, & Malagambo Italo, 26. Martij noctu ferè ceperãt. Nam collectis octingentis circiter militibus foſſas ea parte, quæ Septemtrionem ſpectat, quanto poſſunt ſilentio, traijciunt, & per vallum aduerſum, reuulſis repagulis, enituntur, aliis interim ad Meridionalem plagã,

Ruſtici perſonati vigiles nucibus colligendis occupatos trucidant.

S. Pauli Comes, relicta vrbe, in tutum ſe recipit.

Mox Rex Ambianũ obſidet, ſimulq; Atrebatum tentat, ſed fruſtrà. Ambianũ fortiter hinc oppugnatur, illinc defenditur. Archiducales fruſtrà Steenvvicam tentant.

vt

vt eò ciues & præſidiarij concurrerent, aſſultum ſimulantibus, ſed ab excubitoribus, dum ceteri ſeſe armant, fortiter ſuſtinentur, ac multis cum vulneribus, nonnullis etiam cæſis, repelluntur. Nec melior fortuna Hollandis in tentanda menſe Maio Venlona affulſit. Erat eo tempore oppidum omni præſidio nudatum, quod Hollandos minimè latuit. Exiſtimarunt igitur, ſi de excubiarum ratione & aperiendarum portarum modo certi quid cognouiſſent, ſe irrumpendi occaſionem facilè inuenturos. Res per duos, qui ſe tædio cauſæ Hollandicæ ſigna deſeruiſſe ſimulabãt, & eo nomine ciuibus haud erant ingrati, exploratur: cum his de rei gerẽdæ modo eſt conuentum; duæque naues, in quibus milites occultabantur, ad conſpectum oppidi adductæ. Porta aperta, duo prædicti cum paucis proditionis ſuæ conſciis ſuperiorem portæ partem occupant, datoque ſigno latitantes adhuc milites euocant: qui mox ex vna naui accurrentes, cuſtodibus quibuſdam cæſis, aliis in fugam actis, Anglos, qui in altera erant expectabant, ſine ipſis prodire vlteriùs veriti. Sed Angli, ſiue metu prohibiti, ſiue nauem ad littus appellere non valentes, (in vadoſo enim loco eam ſubſtitiſſe quidam aiunt) in naui ſe continuerunt. Ciues intereà ad improuiſum tumultum excitati, hoſtem remouere parãt, eorúmque paucitatem conſpicati, vehementiùs recuperandæ portæ incumbunt. Hollandi deſertos à ſociis ſe videntes, pedem retulerunt: qua in fuga præter ductores ſuos Heldium & Schalcum, etiam octo gregarios milites deſiderarunt, quidam etiam vulneribus debiles capti ſunt. Menſe Iunio nihil memoria dignum in Belgio actum. Menſis Iulij die 22. Diabinus Regis Poloniæ Legatus ab Hollandis in Haga-Comitis auditus. Summa legationis fuit: Regem ſuum ab aliis rogatum, eos rogare, eniti vellent, vt cum Hiſpaniarum Rege, quem natura ipſis Dominum dederit, tandem in gratiam redeant: hoc ſanè, Turca tam immaniter Chriſtianos iam incurſante, quò iunctis viribus illi reſiſti poſſit, curandum. Sed reſponſum, vt aliquoties iam ad ſimiles Cæſaris Legationes, (imò proximo menſe Auguſto iterùm) Hiſpanorum obſtare tyrannidem, & ſimilia. Nec commodius reſponſum tulit idem Legatus ab Angliæ Regina, ad eam paulò pòſt profectus: quin cùm is liberiùs de violatis huius belli tempore per claſſiarios Anglos Polonorum ſeu Prutenorum cum Anglia fœderibus, locutus videretur, acriter eum Regina perſtrinxit, dicens inter cetera, cùm Legatus eſſet ex Regis ſui litteris, pænè Fecialem agere. Nihilominùs ſicut in Hollandia, ſic & hîc cum ture aulico dimiſſus eſt. Eiuſdem Iulij die 25. Zelandus quidam Nauarchus Ketlerus nomine, dum nauem bellicam Duynkerkanam ad Caletum vſque perſequitur, naui ſua arenæ infixa, acerrimè nihilominùs pugnans, à præſidio Caletenſi ſociis ſuppetias ferente, cum omnibus ferè ſuis interfectus

1597

Similiter ab Hollandis tentata Venlona, item irrito conatu.

Legatus Polonus quomodo in Hollandia & Anglia fuerit exceptus.

Nauis Zelandica à Caletenſibus victa & capta.

1597 fectus eſt; inde nauis direpta, & affluente iterùm æſtu Caletum abducta. Archidux vt Ambianenſes obſidione liberaret, initio Auguſti quantas vndique potuerat, contraxerat copias. In hoc dudum intenti Hollandi, quæ in rem ſuam erant prouiderant. Præter menſtrua ordinaria ducenta aureorum millia, in expeditionem, abſente in Francia Archiduce, promiſſa & alia nongenta millia. Itaque è ducentis peditum ſignis quæ tunc Fœderatis militare dicebantur, (quorum quædam recèns conſcripta) Mauritius ſexaginta octo, cum omni ferè equitatu (is viginti turmis & vna conſtabat) ad 4. Auguſti ad Greuenwerdam, vbi propugnaculũ Schenkianum eſt, ſibi præſtò eſſe iuſſit. Ibi omni apparatu caſtrenſi nauibus impoſito, exercitum per agrum Cliuenſem ducit, & Alpam oppidulum ex itinere aggreditur, & deditione 7. eiuſdem Auguſti captũ præſidio munit: inde ad Rijnbercam 10. Auguſti caſtra ponit, Colonienſis quidem Epiſcopatus oppidum, ſed à Regiis inſeſſum, loci natura atque operibus, præſidio etiam benè munitum. Caſtris bifariàm diuiſis, quindecim Friſiorum, tredecim Anglorum, decem Hollandorum ſigna, adiunctis quinque equitum turmis, ſuperiorem vrbis partem claudere iubet. Hohenloius, Solmenſis, Scoti, & alij nonnulli eam partem quæ Xanthas Cliuiæ oppidũ ſpectat, oppugnare iuſſi. Medium locum Mauritij tentoria occupabant. Interim Mauritianæ naues centum viginti numero, nequidquam eas maioribus machinis petentibus oppidanis, Bercam præteruehunt, & inſulam, quam fluuius ex ſuperioris oppidi regione efficit, cum continenti ab vtraque parte ponte iungunt. Initio obſidionis Ludouico Naſſouio, cùm incautiùs mœnibus adequitaſſet, crus pila traiectum fuit; vulnus tamen breui ſanatum. Perductis ab vtraque vrbis parte ad Rhenum munitionibus, diligenterque non ſolùm contra oppidanorum eruptiones, verùm etiam ſi qui obſeſſis opem ferre conarentur, omnibus conſtitutis, die 19. eiuſdem Auguſti triginta quinq; machinis bellicis oppidum pulſant. Iam murorum ingens hiatus patebat, & Telonij turris ſeu Telonium, ex quo multam hactenus ſtragem præſidiarij hoſti intulerant, planè erat euerſum: propugnaculum quoq; quod extra oppidum iuxta Telonium fuerat erectum, ſubiecto puluere conciderat. Oſtendebantur præterea à Mauritianis varij ad euertenda propugnacula acti & perfecti cuniculi; denique 20. eiuſdem inſtructæ ſtabant acies ad irrumpendum. Quo conſpecto oppidani, quibus anteà in propugnando ſumma alacritas fuerat, trepidare cœperũt, & miſſis qui de deditione agerẽt, Centurione Bentingio, Dulkio & Paſmannio, acceptis obſidibus Schafio, Ingenhouio & Waddelio, poſt longam diſceptationẽ in has conditiones conuenerunt, vt præſidiarij ſub ſignis explicatis cum « omnibus ſuis armis & fortunis in tutum deducerentur, ciuibus vita for- «

Archidux & Mauritius vterque, quantas poſsũt, colligunt copias.

Mauritius Rijnbercã obſidere aggreditur.

Inſulam vrbi præiacentem, vtrimque ponte iungit.

Paratis omnibus ad irruptionem, Rijnberca Mauritio deditur.

tunæ

tunæ & priuilegia omnia essent salua. Ita 21. Augusti Regiorum quinq; 1597
signa, octingentos circiter armatos cõtinentia, sub Gubernatore Snatero Rijnbercam Hollandis cessere, Geldriam deducti: vbi à ciuibus excluſi, postridie præsidiariorum ope portis occupatis, seditiosè tumultuari, & stipẽdia flagitare cœperunt; & Hermannum Comitem Bergensem cum alijs quibusdam Præfectis compescere eos adnixum oppido expellunt, alios custodia includunt. Venerat idem Comes Hermannus ad ferendã Rijnbercanis opem, iamque ad duo peditum millia & octo turmas equitum collegerat, quorum illos Alfonsus de Luna Liræ Gubernator, hos Franciscus Padilia ducebat: sed cùm oppidum deditũ accepisset, & Geldrenses tumultuarẽtur, Arsenam ad Mosam retrocessit. Expugnata Berca, dirutis castrorum munitionibus, ac refectis oppidi muris, præsidioq; impositio, Mauritius quosdam ad Mutilianam (Camilli propugnaculũ vulgò appellatum) occupandam mittit. Eam Arnoldus Bucopius, Mursensis Præfecti Legatus, exiguo cum præsidio tenuerat; sed loco diffisus, & ab Hermanno Bergensi Comite permissus deseruerat; quam & Mauritius mox solo æquari iussit. Hinc 28. Augusti ad Meursam castra ponit. Prærat hîc Andreas de Miranda Hispanus, qui ex suis aliquot emittit, qui cum Mauritianis alacriter prælium ineunt, sed multitudine oppressi retrocedere coguntur. Nec multò pòst 1. Septembris, etsi pluuio cælo, oppidum Mauritius tormentis acriter verberat; quod cernens Miranda, pulueris nitrati, vt volunt, inopia laborans, sequenti die de deditione agit. Permissum, vt explicatis signis armati præsidiarij cum tormento vno curuli exeant: sic die 3. Septembris octingenti & triginta præsidiarij egressi, quorum sarcinis auehendis Mauritius quadraginta currus concessit. Hîc Mauritius paucos dies commoratus, castra ad Rhenum mouit, & ponte strato, omnem exercitum die 8. Septembris traducit, posteroq; die Lippia traiecto, ad Grollam deinde modicis itineribus die eiusdem mensis 11. peruenit. Sed iam quid interea Ambiani Hernantellus ipseque Archidux Albertus egerint, videamus. Sub mensis Iunij exitum, Hernantellus, postquam Francorum exercitum nouis auxiliis augeri, atque tormenta bellica cum reliquo apparatu maiori in castra attrahi aduertit, seriam obsidionem atque vrbis oppugnationem sibi imminere ratus, ciues plures cum imbelli mulierum multitudine vrbe emisit. Habebat selectissimum peditatum atq; equitatum ex Hispanis, Wallonibus, Burgundionibus, Hibernis atq; Germanis, præter mille quingentos calones, qui armis instructi, & in varias cohortes distributi, nihil à pugnacissimis militibus differre videbantur. Ipse locis idoneis in muro contra hostium castra maioribus minoribusque tormentis collocatis, quorum magnum habebat numerum, Francos propius vrbem accedere haud pa-

Regij in Geldria ciuitate pro stipendiis tumultuantur.

Obsidet Mauritius Meursam.

Item & hanc deditione accipit.

In Francia Hernantellus omnẽ imbellem multitudinem Ambiano emittit.

1597 tiebatur, crebriſque eruptionibus hoſtium caſtra infeſtabat. Sic Kal. Iulij equitatus ſui partem cum ſelectis peditibus ex vrbe in caſtra emiſit; qua eruptione Hernantellus ſedecim ex ſuis deſiderauit; ex hoſtibus plus minus centum & quinquaginta permiſſi ſunt ſepeliri. Facta & altera eruptio 18. eiuſdem Iulij, Francis dicta Magna, qua oppidani octingentos ipſo ſtatim acceſſu ſtrauerunt, moxque pedem retulerunt, ita ab Hernantello iuſſi. Ipſe Dux ad hortos ſuburbanos progreſſus, vbi cum reliquo exercitu ſubſiſtebat, ſuos anxiè expectabat: quos Angli ex proximis ſtatiuis impetentes conglobatim proſequebantur. Sed Anglis his cataphractos ſuos Hernantellus obiecit, qui incurrentes acriter exceperunt, ſuiſq; tutum receptum ad vrbis portas reddiderunt. Die 30. eiuſdem Iulij Franci tormentis aliquot maioribus vrbem oppugnarunt, quibus tamen parum profecerunt, quoniam obſeſſi è propugnaculo in foſſæ labro extra vrbem excitato fortiſſimè repugnabant, hoſteſque proximos in ſuis munitionibus obuerſantes, quas intra lapidis iactum vrbem verſus iam promouerant, ſine intermiſſione maioribus minoribuſque tormentis petebant, quibus plurimi quotidie ſternebantur. Tandem vallum illud exterius ante portam & propugnaculum Montrecutium (vulgò *Contr'eſcarpe* dictum) cùm per dies quadraginta fortiſſimè oppidani illud defendiſſent, ipſis Kalendis Auguſti Franci occuparunt. Sub idem tempus Legatus Pontificius vltrò citroque commeabat, nũc ad Archiducem, nunc in caſtra Regis Henrici, ſi qua ratione pax fieri poſſet, quæ tamen ante 2. Maij anni ſequentis non coaluit. Erat extra vrbem aliud propugnaculum, Calcar minus dictum, quod cùm Franci die 5. Auguſti tormentis laceraſſent, mox per aggeris ruinas infuſi occupare tentarunt. Hîc acerrimè dimicatum eſt, donec à triginta propugnatoribus Burgundis reiecti ſunt Franci numero trecenti, è quibus in prima oppugnatione ad quinquaginta ceciderunt. Nihilominùs Franci poſteà eam munitionem incenſo cuniculo 10. Auguſti euerterunt. Itaq; die ſequenti ab hora quinta matutina muros ciuitatis duobus locis diuerſis vehementiſſimè tormentis verberarunt, expectabátque Hernantellus poſtridie inuaſionem, ſed 13. Auguſti Franci tormẽta decem, quæ etiam ad muros ciuitatis verberandos promouerant, retraxerunt, atque in alium locum tranſtulerũt; ſimulque oppidanis nuntiatum eſt ſubſidium propediem adfuturum. Sed longiùs protractum eſt. Nam cùm Archidux Duacum, vbi auxiliares copiæ coierãt, 24. Auguſti veniſſet, non niſi poſt viginti ampliùs dies 15. Septembris in conſpectum Ambianenſis vrbis exercitum duxit. Interea plurimæ cruentæ pugnæ (quas ſingulas deſcribere nimij eſſet operis. Earum vna etiam ipſe Hernantellus Dux & miles fortiſſimus 3. Septembris occubuerat, glande tormentaria caput traiectus; ſuffectuſque illi

Fiunt ibi aliquot cruentæ eruptiones.

Franci obtinent vallum exterius ante portam.

Occupant Franci & aliam munitionem.

Cadit pugnans Hernantellus.

Caraffa Marchio Montis nigri Italus; hoſtē nihilominùs, etſi iam mœnibus inhærentem, fortiter ſuſtinebat. At verò cùm videret Archiducem biduo non niſi eminus Francorum caſtra tormentis oppugnaſſe, velitationibuſque æquo Marte certaſſe, atque inde die 16. eiuſdem Septembris cum exercitu regreſſum (idcircò, vt ferebatur, quòd plures militiæ Duces temerarium iudicarent, tam munita caſtra inuadere, deinde & pro vrbe, quam non poſſit Archidux vel Hiſpanorum Rex perpetuò tueri, etiamſi Buquoius & Barlottus, tranſito Somona, viâ commodam monſtraſſe, nonnullis crederentur) tandem ipſe pro ſe, ſociis & ciuibus omnia honeſtiſſima pactus, 20. Septembris Ambianum Regi Franciæ reddere promiſit. Die 22. eiuſdem, fauciorum & ægrorum turba Dorlanum præmiſſa eſt; inde 25. eiuſdem Septembris, die S. Firmino Ambianenſium Patrono ſacro, vexillis explicatis, tubiſq; & tympanis ſonantibus, armati omnes numero circiter adhuc bis mille cum opima præda carris impoſita, Dorlanum ſimiliter in tutum ſunt deducti. Commemorauimus antè, Hollandos duce Mauritio ad Grollam obſidēdam 11. Septembris veniſſe. Erat in oppido Ioannes Limburgenſis Comes, duodecim cohortium & trium turmarum equitum ſatis valido præſidio: ipſum oppidum etiam ſuis propugnaculis, loricis, vallo & foſſis munitum: quibus de cauſis permultis difficilis putabatur fore obſidio. Verùm Mauritij indefeſſa celeritate & induſtria munitiones intra pauciſſimos dies, præſidiariis licet ſæpè fortiter erumpentibus, ita ſunt perfectæ, vt neque exitus neque aditus ſine maximo diſcrimine cuiquam daretur; cuniculi etiam diuerſis in locis ſubter vrbis munitiones iam erant perducti, è foſſis aqua deriuata. Ad hæc pyroboli in oppidum coniecti incendia ſubinde excitabant, quibus reſtinguendis vix iam aquæ ſuppetebant, puteis, poſt deductas ex foſſis aquas, ſenſim deficientibus. Quibus incommodis obſeſſi, & maximè quòd auxiliorum omnis ſpes appareret eſſe præciſa, omnibus pēnè copiis Archiducis in Franciam abductis, deditionis mentionem facere cœperunt: qua honeſtis conditionibus facta, 27. eiuſdem Septembris, poſtridie oppidum Mauritio ceſſerunt. Antecedebat Budbergius cum octuaginta equitibus, quem centum viginti currus impedimētorum ſubſequebātur, inde Sanchius de Leua quinquaginta tribus equitibus ſtipatus, demum duodecim peditum cohortes, earumque Centuriones cum Comite Limburgenſi, omnes mille circiter benè exercitati viri. In oppido præter vnum tormētum murale, & tres colubrinas cum perpaucis glandibus, & pauciore adhuc puluere tormētario, nihil armorum repertum, nec relictum. Rebus his ex animi ſententia confectis, Mauritius recreato ad paucos dies exercitu, Breuordam die 8. Octobris munitiſſimum & in circumiectis paludibus extructum oppidum ducit.

1597

Regredientibus auxiliaribus copiis Ambianum ſe dedit.

Grolla à Mauritio obſeſſa præeſt Comes Limburgenſis.

Tradunt ſe Mauritio Grollenſes.

Obſeſſa hinc à Mauritio Breuorda, licet in paludibus ſita.

1597 Habebat ſecum Mauritius pontes quoſdam noua arte confectos: trabes binæ erant decempedali longitudine vel etiam longiores, aſſeribus abiegnis contignatæ, quorũ ea erat latitudo quæ quinos homines iuxtà ſtantes admittat: ſingulis angulis ſingulæ rotulæ erant; quod medium eſt inter trabes cauum, ſubere erat expletum. Vtrimque funes dependebant, quibus machina à paucis qui primi petuaſerant, protrahebatur, nectebãturque, cùm opus eſſet, plures eiuſmodi machinæ. Hoc ergo pontis genere paludibus ſuperatis, tormenta bellica ad muros diuerberandos magna cum omnium admiratione ſunt perducta. Hîc obſeſſos nimia confidentia in exitium pęnè præcipitauit. Præerat oppido & Arci Damianus Gardotte. Iuſſus eſt ſecundò deditionem facere; qui cùm quaſi per contemptum viginti quatuor horarum ſpatium ad deliberãdum ſaltem petiiſſet, detonantibus machinis, milites qui in foſſis latebant, animaduertẽtes mœnia defenſoribus nudata, magna cum alacritate in proximũ vallũ enituntur: quod conſpicati oppidani in Arcem ſe trepidi recipiunt. Sed mox 12. eiuſdem Octobris ſine vlla conditione ſeſe dedere ſunt coacti. In deditos tamen nulla ſæuitia animaduerſum, octo tantùm millium florenorũ mulcta militibus ſimul & ciuibus indicta: quæ, ſequenti nocte oppido fortuito incendio pęnè conſumpto, magna parte quoque condonata eſt. Mox reparatis muris & vallo, ad Enſchedam Tventiæ oppidum caſtra ſunt tranſlata. Erat oppidulum vallo & duabus foſſis benè munitum, ſed ad tantam victoris exercitus vim & alacritatem ſuſtinendam impar. Itaque Vaſquius & Grotfeldius Centuriones cum Mauritio deditionem paciſcuntur, & 19. dicti Octobris, cum omnibus quæ abſportare poterant in Brabantiam abeunt. Poſteà Oldenſelam Mauritius profectus, poſt quatuor dierum oppugnationem ad deditionẽ 23. Octobris cogit. Præſidiarij ſe excuſabant, quòd ciuibus diffiderent, ipſi tantùm quadringenti numero. Ex itinere miſerat quoque ſigna aliquot ad Otmarſiam cogendam, quæ etiam biduo priùs, hoc eſt 21. eiuſdem menſis ſe tradiderat. Oldenſala capta, Mauritius die 26. Octobris primum agmen Northornam ablegat, ipſe cum nouerca & ſorore Brabantina, quæ ad valedicendum ipſi venerant, ad Benthemiam arcẽ paululùm ſeceſſit. Nec diu moratus, poſt biduum inde digreſſus, 28. Octobris cum exercitu Amaſim flumen traiecit, & ad Lingam caſtra poſuit. Eſt Linga dynaſtia in extremis Belgij finibus ſita, oppidum, Arcem, & quatuor pagos ſub iuriſdictione habens, quam Imperator Carolus V. anno 1546. Teclaburgico Comiti, Smalcaldici Fœderis ſocio, pro mulcta ademit. Oppidum verò eſt non ignobile, cum Arce aduerſus omnem vim egregiè communita; nam & ipſa quatuor è terra propugnaculis, & oppidum duplici vallo & foſſa cingitur. Arcem, vt & ſubiectam regionem

Miri põtes paludi inſtrati. tormentaq; iis impoſita.

Subitò diſiectis mœnibus, Breuorda Mauritio deditur.

Tradunt ſe quoque Oldenſala, & Otmarſia.

Deſcriptio Lingæ, & quando primùm Belgio ſociata ſit.

nem, Hiſpaniarum Regis nomine tenebat Fredericus Comes Tsherenbergius cum prę ſidiariis circiter ſexcentis, & vna equitum turma, ſub Indeueltio ſatrapa, Laukema, & Verdugi Legato, & copioſo ſatis omnis generis commeatu. Antequam obſidionis initium fieret, Tsherenbergius ædificia quædam ſuburbana, ne hoſtibus vſui eſſent, incendit, ac primis aliquot diebus ac noctibus tam ex oppido quàm ex Arce tanta vi in caſtra fulminauit, vt Arx ipſa flammis ardere videretur. Eruptiones etiam aliquot fortiter tentatæ ſunt, præſertim 30. Octobris, nonnullis vtrimq; deſideratis, ſed pluribus ex obſidentibus, & inter ceteros Petro Lewardio Centurione. Nouembris initio, diſpoſitis tormentis, verberatio à Mauritio inſtituta eſt, ſimulque cœpti cuniculi, & breui ad foſſas vſque propugnaculi, quod molari portæ prętenditur, ſunt perducti, aqua etiam ex foſſis paſſim deriuata. Nec interim obſeſſi quieſcebant, ſed & ipſi cõtrà cuniculos agebant: quorum aliquos cùm 5. Nouembris Hollandi deprehendiſſent, ac puluerem nitratum diffuſum pileis aſportare conarentur, ſubiecto ab obſeſſis igne ambuſti fuerunt. Paulò pòſt 9. & 10. Nouembris nauibus aliquot bellicum apparatum vehentibus, quæ aduerſo vento aliquamdiu detentæ fuerant, appulſis, Mauritius vna ſerie collocatis 24. maioribus machinis Arcis vallum 12. Nouembris verberare cœpit, foſſoribus nihilominùs opera ſua alacriter continuantibus, fulminatumque eſt horis octo, tum, facta ruina, miſſo tubicine Mauritius Arcem & oppidum dedi poſtulat. Obſeſſi vnius horæ ſpatium ad deliberãdum petũt: qua non impetrata, cùm omnia ad inuaſionem eſſent parata, aliis etiam locis propugnacula ſuffoſſa, duos obſides Verdugi Legatum & Eberardum ab Ens ſatrapam Couordienſem in caſtra miſerunt; ac tandem multa iam nocte deditionem pacti ſunt, his conditionibus, vt cum armis, equis, vexillis & impedimentis præſidiarij omnes egrederentur, ac Rhenum Moſamque traijcerent; Mauritius ſubuehendis impedimentis quinquaginta currus ſubminiſtraret: ciuibus ſex hebdomadas commorari in oppido, tũc qui velint, diſcedere cum fortunis permiſſum. Poſtridie Hollandi ingreſſi ſunt, Martino Cobbenio Arci & Tailingio oppido præpoſitis; Regij milites nihilominùs concedente Mauritio in gratiam cognati Comitis Tsherenbergij eo adhuc die in oppido manſerũt, & non niſi 14. Nouembris inde diſceſſerunt numero circiter quingenti, ductoribus Frederico & Adolpho Tsherenbergiis. Multa erat ex his victoriis per omnes Hollandici fœderis Prouincias lætitia; cui & hoc acceſſit, quòd ex quatuor nauibus (quas menſe Aprili ante biennium ad tentandam numquam anteà Hollandis vſitatam in Indiam Orientalem nauigationem ex Hollandia ſoluiſſe diximus) tres menſe Auguſto huius anni, vna licet deſiderata, pipere in Bantan portu Iauæ maioris onuſtæ, ſaluę rediiſſent,

1597

Obſidetur & illa à Mauritio, nec minùs ſtrenuè defenditur à Tsherẽbergio.

Nihilominùs & ipſa, nullo ſuccurrente, tandem deditur.

Multa ex his victoriis apud Hollandos lætitia. Acceſſit & hoc, quòd prima naues Indica ſalua rediiſſent.

1597 ſent, ſpemque darent, nouam hanc nauigationem inprimis quæſtuoſam fore. Vnde mox plures certatim in eam nummos contulerunt, legibus certis tam lõginquæ negotiationi ab ipſis Ordinibus ſolemniter prę-ſcriptis. Die 11. Decembris Ordines Prouinciarum Belgicarum Regi Hiſpaniæ fidelium eidem reſpondẽt ad litteras 10. Septembris ſcriptas, quibus iuſſerat fidem adhiberent Archiduci Alberto, ipſis explicaturo benignum ſuum erga Belgas conſilium (hæc erant eius verba) id quod declararat Archidux eſſe de tradenda ipſi in vxorem filia Iſabella cum dote Burgundiæ & Belgij. Quare Belgarum Ordines rogant S.M. quandoquidem ſic viſum ſit, ſimul continuare dignetur ſumptus paci in Belgium poſtliminiò reducendæ neceſſarios, quandoquidem dolerent alioquin filiam eius chariſſimam ad tantam molem miſeriarum venturam: & cauſam addunt his verbis: Non enim (inquiunt) ab hoſtibus modò « diuturnitate belli Prouinciæ iſtæ exhauſtæ ſunt, ſed à domeſtico etiam « milite, qui ſtipendiis non ſolutis, corruptáque diſciplina ad eas diripien- « das flagitioſè eſt prolapſus. De matrimonio hoc diuerſæ tum circumfe- « rebantur opiniones ac iudicia, aliis certam pacis ſpem, aliis multò incertiorem belli exitum inde ominantibus: ſed hæc maximè ſe prodiderunt, cùm anno ſequenti poſt menſem Maium matrimonij illius leges in publicum ſunt prolatæ.

De nuptiis Archiducis; & quid de iis Ordines Regi reſponderint.

Varia de iis nuptiis hominum iudicia.

VARIA. Ad Externa quod ſpectat nobiliora huius anni, Rex Franciæ Henricus, vt mutua ſubditorum diffidentia ſublata, vtroſque quantum poſſet placaret, menſe Maio Edictum promulgat, in quo hæc inter cetera: Re- « ligionis dictæ Reformatæ vſus iis in locis vbi iam viget non impediatur; « ac præterea tres in ſingulis Prouinciis ciuitates deſignantor, quæ eadem « libertate gaudeant. Comitibus porrò & Nobilibus, qui merũ mixtumq; « imperium tenent, vti pro arbitrio Religione in ſuis ditionibus licitum « eſto: reliquis autem illuſtribus & equeſtris ordinis viris permiſſæ quidẽ « in ſuis domiciliis conciones, ſed ne vno tempore plures quàm triginta « homines conueniant. At verò in Regni primariis vrbibus, Pariſiis ſcili- « cet, Rothomagi, Toloſæ, Lugduni, Aureliæ, Burdigalę, & ſimilibus, vni- « ca Catholica antiqua Religio colatur, nullumque intra ſecundum dicta- « rum vrbium lapidẽ alterius dogmatis exercitium toleretur. Hinc Rex in « Aquitania & Gallia Narbonenſi binas Cameras inſtituit, vbi cum Catholicis quidam Caluiniſtæ Iuriſconſulti præſiderent. Pariſienſe autem & reliqua Parlamenta non mutauit, niſi quòd Pariſiis ſimul Curia aperta eſt, in qua cum duodecim Catholicis ſex Caluiniani ſuper omni contractuum & ſucceſſionũ genere cognoſcerent. Menſe Auguſto Eſſexius Comes cum claſſe Anglica ad Azoras inſulas curſum flectit, Indicas naues argento & auro onuſtas expectaturus. Et quidem (etſi ſpeculato-

Edictum Regis Frãcia ſuper libertate Religionis.

Pariſiis Curia Noua, in qua etiam quidam Caluiniani.

ciis

riis nauigiis omnibus ſine indicio reuerſis) verſus inſulam ſancti Michaëlis vnam ex Azoribus tendit. Quem curſum eius ſociæ naues in æquore ſparſim nauigantes cùm minùs adhuc potuiſſent percipere, earum vna, cui ab inſigni Iris nomen erat, à reliquis longiſſimè abrepta in mediam pęnè hoſtium claſſem ex Occidentali India venientem incurrit: ſed tempeſtiuè hoſtem ſubodorata periculum effugit, ſociiſq; reuertentis claſſis nuntium tulit, ſed ſeriùs. Terceram enim iam tenebant Hiſpani, in qua Arx ad portum eſt ſita ex India redeuntibus præſidio, & tuto receptui, in quam de Anglicana claſſe certiores facti, aduectas opes comportarunt, donec ex Hiſpania maiores copiæ ſociarũ nauium aduenirent. Huius claſſis Indicę Thalaſſiarchus fuit Antonius Oſorius, qui ſeptuagies centum millium, vulgò ſeptem millionum ducatorum pretia aduehebat (ſi litteræ non fallunt ex Hiſpania 7. Octobris miſſæ:) quarum duæ tertiæ ad Regem ſpectabant. Eſſexius prædam elapſam dolens, ad inſulã S. Michaëlis exſcenſione facta, de inſulanis prædas agit; deinde doliis recenti aqua completis ad naues redit, veliſq; in altum ſublatis 5. Nouembris in Angliæ portum Pleymuthum reuertitur. In Hungaria Maximilianus Cæſaris Rudolphi frater Iuarinum, & Sigiſmundus Tranſiluaniæ Princeps Temeſuarum arcem obſidione, ſed fruſtrà, hoc anno tentarunt, validè contrà nitentibus Turcis. Vario interim Marte ſæpiùs pugnatum eſt, nunc noſtris nunc illis victoribus. Sed & hoc præterea graue Chriſtianis, & Turcis gratum accidit, quòd interim Perſarum Legati cum Ottomannicis ſeu Turcis pacem firmarint. In Italia Alphonſo Duce Ferrariæ ſine liberis menſe Octobri defuncto, ea ditio, vt Romanę Eccleſiæ feudum, ad Clementem VIII. Romanum Pontificem eſt deuoluta. Hinc bellum inter ipſum & Cæſarem Eſtenſem eſt exortũ: quod tamẽ anno ſequenti, in fine Ianuarij, vt dicemus, compoſitum eſt. Menſe Nouembri obiit Catharina vxor Ducis Sabaudiæ, Philippi II. Hiſpaniarum Regis filia, relinquens quatuor filios & aliquot filias ſuperſtites.

Eſſexius Anglus fruſtrà inſidiatur auro Indico.

In Hungaria vario Marte pugnatur.

Moritur vxor Sabaudi, filia Regis Hiſpan. Catharina.

1598

Primis anni 1598. menſibus Mars apud Belgas pęnè ſiluit. Nihilominùs menſe Februario Edmundus Scotorum equitum Magiſter Batauis militans, cum ſex turmis Bercâ in agrum Limburgenſem ad intercipiendos milites quoſdam Regios profectus, detectis inſidiis, non tãtùm fruſtrà fuit, ſed periculum etiam ægrè euaſit. Quin ijdem equites 22. Februarij, præda, quam ex agro hoſtili ducebant, rurſum amiſſa, ad Budericum cæſi ſunt. Similiſque fortuna fuit Bredani præſidij in Campinia Brabantica à Regiis itidem oppreſſi, viginti octo equis & ſedecim equitibus captis. Eodem menſe Rex Philippus quatuor Hiſpanorum millia, nauibus impoſita, Caletum Galliæ tranſportari iuſſit. Hi exeunte menſe Februario feliciter eò appulerunt, cùm Fœderati Belgæ tempeſtatibus iactati,

Prædationes mutuæ aliquot.

Adſunt Archiduci ex Hiſpania, Caleti noua copia.

1598 iactati, paulò antè, ſolutis anchoris, ſtationes deſeruiſſent: quibus ſuperuenientibus, ex vltimis naues quatuor in littus eliſæ ſunt, milite ſaluo; vnam à ſe expugnatam Zelandi Vliſſingam deduxerunt, in qua centum & quinquaginta erant claſſiarij. Erant, receptis hiſce nauibus, Caletenſes Hollandis & Zelandis formidabiles, adiuncta præſertim Duynkerkanorum toto mari volitantium claſſe; à quibus multæ naues captæ, eorum præſertim qui haleces piſcantur. Qua re coacti plerique, ſalui conductus litteras ab Hiſpanis Præfectis redimere, quàm nauis & fortunarũ vel vitæ etiam iacturam facere maluerunt. Hinc claſſiariorum & rei naualis apud Hollandos Præfecti multorum ſermonibus traducti, & ignauiæ accuſati. Quamobrem ab iis qui rei naualis apud Confœderatos curam gerunt, 3. Martij conuentu habito conſultatum fuit, de piratarum (vt ipſi vocabant) reprimenda inſolentia, ac tantò diligentiùs, quòd Caleti 14. nauium claſſem armari (cui quinquaginta adhuc aliæ poſteà acceſſuræ eſſent) rumor percrebuiſſet. Multa quidem de maiori communibus impenſis alenda claſſe, & de obſidendis Flandriæ portubus tum propoſita, ſed illud tantùm decretum, vt tricenæ ad minimum, vel quadragenæ naues continuò in mari excubarent, hoſtemque obſeruarent, quibus proximis tribus menſibus Petrus Vanderduſſius rei tormentariæ Præfectus, tribus deinde ſequentibus Duuenuordius Admirallus præeſſet. Ineunte menſe Aprili ſeditio Geldrienſis præſidij perſolutis ſtipendiis ſedata fuit, militeſque exauctorati. Hermannus enim Comes Bergenſis cum quatuor ſignis oppidum ingreſſus, per præconem edici iuſſit, vt receſſionis complices oppido quamprimùm omnes excederent. Pars ergo eorum aliis vexillis nomina dederunt, pars iter Colonienſe ingreſſi à Berkenſibus præſidiariis oppreſſi ſunt ac ſpoliati. Dudum de pace inter Hiſpaniæ & Galliæ Reges tentanda ſermo erat. Nihilominùs Hagam-Comitis 24. Ianuarij à Rege Galliæ venerat Roſelius, qui traditis Regiis litteris, quibus Legatorum aduentum à ſe expectari Rex ſignificabat, expoſuit, Regem quidem ad pacem vndique vehementer ſollicitari, ſed nihil Angliæ Regina ipſiſque inſciis facturum. Miſſos ergo à ſe ad Fanum S. Quintini, qui Pontificis Legatum, eiuſque poſtulata audirent; interim nihilominùs bellum ipſi curæ fore. Eodem quoque tempore, ſcilicet 25. Ianuarij, Fœderatorum conuentui, Angliæ Reginæ litteras exhibuit Georgius Gilpinus, quibus ſimilia iam cõmemoratis, quæ è Gallici Oratoris ſermonibus & ipſius Regis litteris intellexiſſet, narrabat. Nihilominùs inter hãc moram Hiſpaniæ & Galliæ Regum Legati Veruinum in Veromanduis diem ſibi condixerunt ad 8. Februarij; quo die præter Pontificis Legatum, Cardinalem Medices, ab Alberto Archiduce venerunt Ioannes Richardottus, Ioannes Baptiſta Taxius, & Ludouicus Ver-

Reddunt ſe vnà cũ Duynkerkanis Hollandis terribiles.

Opponunt ſe eis armata naues Hollandica.

Significat Francus à ſe peti pacẽ, ſed eam inſciis Hollandis non daturum.

Adſunt vtriuſq; Regis Hiſpaniæ & Franciæ Legati Veruini.

Verreyckius : à partibus Galliarum Regis adfuerunt Pomponius Belieurius Grignonius, Nicolaus Brulartus Sillerius : Bonauentura Calatagiron Franciſcanæ familiæ Generalis intermedium ſe tamquam ſequeſter ferebat. Primis aliquot diebus ad Martium vſq; de eorum, quæ in mandatis habebant, fide ac plenitudine diſputatum fuit. Die 9. quidem Martij Regis Hiſpaniæ mandatum Procuratorium ab Archiducis Legatis exhibitum fuit, hoc ferè argumẽto, ſe à Pontifice rogatum, vt cum Franciæ Rege pacem faceret ad honorem Dei, & Catholicę Eccleſiæ ſalutem, & publicam quietem, tam iuſtam petitionem & tam ſanctum Pontificis deſiderium fruſtrare noluiſſe. Galli initio, nihil, Confœderatis ſuis inſciis & inuitis, facturos ſe aut decreturos declararunt. Archiducis Legati econtrà, quàm parum ab illis hac in re ſperandum eſſet, multis argumentis oſtenderunt. Harum rerum nuntiis in Hollandiam perlatis, Legati tam in Angliam quàm in Galliam Euro flante, naues conſcendunt; & illi quidem 20. Martij Diepam, hi verò in Angliam feliciter appulerunt. Legationis ad Galliæ Regem duo erant capita. Primum, Pacem diſſuadere; alterum, cum eo & Angliæ Legatis de belli in futurum gerendi rationibus conſultare. Quod ad primum, multis illi rationibus oſtendere conati ſunt, quàm huic pacis oblationi nihil fidendum; qua Hiſpanus ideò vtendum ſibi putet, quòd Gallorum, Anglorum & Belgarum viribus coniunctis imparem ſe agnoſcat. Id ergo agere vt eos diuellat, & ſingulos deinde ſucceſſiuè aggrediatur. Ad hęc Rex in Nannetum oppido, quò Legati 5. Aprilis venerant, ita reſpondit; Non eſſe nihil quæ illi de incommodis & periculis diſſeruiſſent, at Regnum nuper tantis laboribus ſibi acquiſitum, vix alia re quàm pace (qua hoſtis rationes & conſilia turbatum iri nihil dubitet) confirmari poſſe. Auditi ſunt & Reginæ Angliæ Legati ad Concilium Regium admiſſi, in quo Cancellarius, Eſpernonius, Bullonius, Maiſſius, Buſanuallius. Demum Regis nomine Cancellarius reſpondit, Regem in eo quod facturus eſſet, non ſui tantùm, ſed ſociorum etiam habiturum rationem. Et ſecundùm hęc Angli 24. Aprilis diſceſſerunt, Confœderati Belgæ etiam paulò pòſt, cùm mox die 2. Maij Veruini in Veromanduis pax inter Hiſpaniæ & Galliæ Reges ſancita eſt, etſi non ante menſem Iulium in publicum prolata. Eſt ea 37. Articulis comprehenſa, quorum hi prȩcipui: Primus, Placuit & vtrimque conuenit, vt pacis & concordię pactio inter Reges Philippum II. & Henricum IV. ineatur, & concludatur iuxta tenorem & in approbationem conditionum pactionis Cameracenſis inter prædictũ Regem Catholicum & Henricum II. Chriſtianiſſimum anno quinquageſimo nono ſupra ſeſquimilleſimũ initæ & confectæ. Quam quidem pactionem dicti Legati denuò confirmarunt, non ſecùs ac ſi ad verbum eſſet

1598

Diſceptare incipiunt de pace.

Eo intellecto, Hollandi Legatos tam in Angliam quàm Frãciam miſerunt.

Quid Rex Francia reſpondederit Anglis & Hollandis.

Pacis inter Hiſpan. & Francum, præcipui Articuli.

1598 eſſet hîc inſerta. Secundus, Inter dictos Reges, liberos eorum, natos vel « naſcituros, heredes & poſteros, Regna, Prouincias, & ſubditos eorum, ſe- « cura & ſtabilis pax erit, ſocietas, & amicitia perpetua, & alter alterius ſa- « luti, honori, & exiſtimationi quantum poterit conſulet, & alterius dam- « num pro viribus ſuis fideliter auertet, nec in alterius detrimẽtum quem- « quam gratia aut fauore iuuabit, quibuſuis pactionibus, fœderibus, ſocie- « tatibus & commerciis, quæ in partis alterius detrimentum poſſent verti, « per præſentem pactionem nuntium remittentes. Septimus, Subditis & « Miniſtris alterutram partem ſecutis, tam Eccleſiaſticis quàm ſęculari- « bus, tametſi partis aduerſæ ſtipendia meruerint, reditus in beneficia & « officia patebit, de quibus fine Decembris anni octogeſimi octaui pro- « ſpectum illis erat, exceptis Paſtoratibus regulariter in alios collatis, exce- « ptis etiam fructibus à publicatione bonorum immobilium perceptis, « quos repetere non licebit vſque ad diem promulgatæ pacis, nec æs alienũ « ante dictum diem Fiſco illatum. Vndecimus, In pacis huius promouẽdę « gratiam pactum & concordatum eſt, vt alter alteri cum effectu & bona « fide reddat & reſtituat ea quæ per ipſos aut eorum nomine adempta, oc- « cupata & detenta ab altero in alterius Regno aut ditione deprehenden- « tur. Dictus nimirum Rex Chriſtianiſſimus Catholico Regi reddet poſ- « ſeſſionem & dominium Comitatus Caroleſij cum omnibus eò ſpectan- « tibus ab ipſo & heredibus abſolutè & pacificè poſſidendum & fruen- « dum, & ſub ſummo Regum Galliæ imperio retinendum. Et ſimiliter ſi « quæ adhuc alia loca ſunt à Rege Chriſtianiſsimo vel ſuis ab anno quin- « quageſimo nono occupata, omnia bimeſtri ſpatio à die præſẽti reſtituen- « tur. Duodecimus, Eodem quoq; modo Rex Catholicus Chriſtianiſsi- « mo reſtituet Caletum, Ardeam, Montem Hullinum, Dorlanum, Capel- « lam & Caſteletum in Veromanduis, Blauetum in Britannia, & omnia « alia loca quæ à dicta pactione per eum aut ſuos detinentur. Duodeci- « mus, Dictum autem Caletum, Ardea, Mons Hullinus, Dorlanum, Ca- « pella & Caſteletum à Rege Catholico vel eius miniſtris cum effectu & « bona fide reſtituentur Regi Chriſtianiſsimo aut eius conſtitutis intra « duos iuſtos menſes à die huius pactionis, in eo ſtatu quo nunc reperiun- « tur, ſine vllius rei demolitione aut deterioritate quouis modo, & ſine re- « petitione aut prætenſione compenſationis pro munitionibus in dictis lo- « cis factis, nec pro ſtipendiis, quæ habentibus ibidem præſidia militibus « debentur. Caletum & Ardea primò reſtituentur, & deinde loca reliqua, « vt omnium reſtitutio bimeſtris dicto ſpatio plena & abſoluta ſit. Deci- « musquintus, Blaueti reſtitutio eodem quo ſuprà pacto ſine mora aut re- « cuſatione intra trimeſtre à die præſentium fiet. Et ſi quid Rex Catholi- « cus vel ibi vel in aliis locis Britanniæ per ipſum reddendis communiuit, «

Inter cetera, Neuter in alterius damnum quemquã iuuabit.

Beneficia & officia reddentur, exceptis Paſtoratibus.

Quæ ditiones & vrbes vtrimque reſtituenda.

Omnia reſtituentur ante duos menſes,

Blauetum ante tres.

id

» id demoliri poterit. Decimusnonus, Quod ad ea attinet, quæ pactio- 1598
» ne continentur anni quinquagesimi noni, eorum defectus in conditio-
» nibus, quarum executio desideratur, explebitur; vtpote de feudo Comi- *Supplebitur & illa quæ adhuc desiderantur in pace anni 1559.*
» tatus Fani sancti Pauli, de regionum vtriusque Principis limitibus, & de
» agris quorum est suspensa decisio, de immunitate vectigalium & exter-
» narum impositionum à subditis Comitatus Burgundiæ prætensa; & ab
» Episcopo Terouanæ de Abbatia S. Ioannis ad montem Ducatus Bullo-
» nienſis; de quorumdam locorum hinc inde restitutione, quæ ex formu-
» la prędictæ pactionis fieri debuit, & de omnibus aliis controuersiis non-
» dum, vti pactum erat, definitis. Ad quarum rerum decisionem arbitri
» nominabuntur, & recipientur iuxta dictæ pactionis tenorem, qui proxi- *Eligendi in eam rem intra semestre arbitri.*
» mo semestri loco per dictam pactionem designato de consensu partium
» cõuenient; sin minùs, alium locum eligent. Vigesimusprimus, Bello ca-
» pti, & adhuc vtrimque detenti, expensis persolutis & legitimis debitis si-
» ne lytro liberabuntur, nisi de eo soluendo conuenerit. Quòd si quis mo-
» dum excedere conqueretur, Princeps regionis, vbi captiuus detinetur, il-
» lud moderabitur. Vigesimustertius, Christianissimo Regi Franciæ &
» Nauarræ eiusque heredibus & actionem habentibus reseruantur quæ-
» uis iura, actiones & prætensiones, quibus nec per ipsum nec per maiores
» eius expresse renuntiatum est, vt de iis etiam amabiliter, vel iudicialiter,
» non armis experiri possit. Vigesimusquartus, Quemadmodum etiam
» Regi Hispaniarum & Infanti Serenissimæ filiæ eius maiori, eorumq; he- *Si quid adhuc inuicẽ prætendatur, id amicè vel iudicialiter, non armis petendum.*
» redibus, aut actionem habentibus, nihilominùs iura omnia, actiones &
» prætensiones, quibus nec per ipsum nec per maiores eius expresse renun-
» tiatum est, reseruantur, vt de iis amabiliter, vel iudicialiter, non ar-
» mis experiri possit. Vigesimussextus, Conclusum & concordatum, vt
» Dux Sabaudiæ in hac pactione comprehendatur. Qui vt suum desi-
» derium testetur de satisfaciendo Regiæ voluntati, oppidum cum castro *Conditiones, quibus Dux Sabaudiæ hoc tractatu gaudeat.*
» Berrensi intra bimestre à die huius pactionis cum effectu suæ Maiestati
» vel constituto eius restituet, conditionibus & restrictionibus omnibus
» iisdẽ, quibus suprà alia loca restituenda constituuntur. Vigesimusocta-
» uus, De aliis verò inter Regem Christianissimum & Sabaudiæ Ducem
» controuersiis prædicti Legati consentiunt & conueniunt, vt ad Pontifi-
» cis Clementis VIII. arbitrium deferantur, vt per eum componantur &
» decidãtur intra annum à die pactionis, iuxta Regium rescriptum pridie
» Nonas Iunij ea de re datũ. Trigesimustertius, Dux itaq; Sabaudiæ cum
» suis Prouinciis, ciuitatibus & subditis neutrarum partium Princeps erit,
» & cõmunis Regis vtriusq; amicus. Trigesimusquartus, Similiter ex pacto
» & consensu communi in hac pactione, si visum ipsis fuerit, comprehen-
» duntur summus Pontifex & sancta Sedes Apostolica, Romanorum Im-

perator,

1598 perator, Ordines Imperij, Septemuiri Electores, &c. Trigeſimusquintus, Comprehendentur ſimiliter præſenti pactione vniuerſi, qui communi Regum conſenſu nominatim inſerentur, modò poſt ſemeſtre à die pacis promulgatæ nomina ſua per litteras profiteantur, & conſuetas hoc caſu obligatorias tradant. Trigeſimusſeptimus, Quæ pacta & cõuenta recognita ſunt, interpoſita à dictis Legatis ſtipulatione, qui mãdatorum ſuorum vigore promiſerunt & promittunt per præſentes, eos hanc pactionẽ inuiolatam obſeruaturos & completuros, & authentica documenta Approbationis ſubſignata & ſigillata inuicem tradituros, præſenti pactione ad verbum inſerta, idque infra mẽſis ſpatium à die præſenti quantum ad Regem Chriſtianiſſimum, Archiducem Cardinalem, & Ducem Sabaudiæ; promittente porrò Archiduce Cardinali, ſe intra trimeſtre ſimiles approbatorias à Catholico Rege litteras daturum. Inſuper promittunt per præſentes, prædictis approbatoriis litteris traditis, eoſdem ſolemniter ſuper Cruce Domini & ſuper ſanctis Euangeliis, & ſacroſanctæ Miſſæ Canone iuraturos, ſe plenè reverà & bona fide omnes conditiones huius pactionis obſeruaturos & completuros. In quarum rerum fidem dicti Delegati huic pactioni nomina ſua ſubſcripſerunt Veruini in Veromanduis, die ſecundo Maij, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo octauo. Itaque Caletum 9. Iulij vigore huius pactionis S. Pauli Comiti, & Vicquio Gubernatori redditum fuit, auecto ab Hiſpanis, ex vi contractus, omni apparatu. Naues tamen in portu aliquamdiu hęſerunt, nauigandi opportunitatem expectantes. Ardea paulò pòſt & Dorlanum quoque reſtituta ſunt, pacatis militibus, qui ob ſtipendia nõ ſoluta egredi detrectabant. Capella etiam & Caſteletum menſe Auguſto reddita, ac demum quoque Blauetum, cùm intereà menſe Iulio magno vbique cum gaudio promulgata hæc pax in Belgio fuit, & obſides in Galliam profecti ſunt Dux Arſchotanus, Comes Arenbergius, Franciſcus Mendoza Admirallus Arragonię, Ludouicus Velaſcus, cum ſplendido comitatu. Bruxellas viciſſim à Rege Franciæ venerunt Bironius, Belieurius, & Sillerius; qui ſimul tamquam teſtes iuramento paci firmandæ intereſſent. Quo præſtito, per præcipuas vrbes priùs circumducti, 27. Auguſti verſus Franciam rurſus iter ingreſsi ſunt, Regiis muneribus ſinguli donati. De Hiſpaniæ Regis conſilio tradendi Belgicas Burgundicáſque Prouincias filiæ Iſabellæ, eamque Alberto Archiduci tum Cardinali, de Pontificis diſpenſatione in matrimonium elocandi, ſub finem anni ſuperioris dicere cœpimus. De eo itaque poſt multam conſultationem tandem 6. Maij huius anni publicum Decretum factum, & ſcriptis conſignatum eſt. Eodem enim die vnico ſuo filio, & proximo Regnorum heredi, viginti tum annos nato, vnà cum filia Iſabella Clara Eugenia

Nominantur & alij, qui hac pace comprehendũtur.

Littera approbatoria vtrimque tradenda.

Hac itaq; pace Caletum Francis reſtituitur, aliaq; loca.

Publicatur ea pax menſe Iulio.

Agit Rex Hiſp. de filia elocanda Alberto, eiuſq; dote.

nia Hiſpaniarum Infante (quæ trigeſimum & ſecundum ætatis annum tum agebat) Rex Philippus pater ſenio & morbo valdè debilitatus, ſed integris ſenſibus ad extremum vſque diem, vt ſuo loco à nobis commemorabitur, vſus, ad ſe introductis, mentem ac voluntatem ſuam expoſuit, præſentibus D. Gomeſio de Auila, Velladæ Marchione, magno Aulæ Magiſtro, D. Chriſtophoro de Mora Comite caſtri Rodericij, magno ſacræ Alcantarenſis militiæ Commendatore, D. Ioanne de Idiaques magno Legionenſi Commendatore, Status Conſiliariis; nec nō Nicolao Dammantio Equite, Conſiliario, Præſide & Cancellario Brabantiæ, vnà cum rerum Belgicarum Secretario Laloio, aliiſque. Scripta quidem ad matrimonij huius confirmationem pertinentia, Gallico ſermone erant concepta; quæ eadem prædictis omnibus audientibus perlecta, chirographis & ſigillis confirmata ſunt hoc tenore: Philippus, &c. Omnibus præſentibus & futuris litteras has legentibus, vel legi audituris Salutem. Poſteaquam filiam noſtram chariſſimam Iſabellam Claram Eugeniam cum Alberto Archiduce matrimonio copulare decreuimus, quòd eas nuptias ad vniuerſæ Chriſtianæ Reipub. quietem & commodum maximopere pertinere intelligeremus; eidem noſtræ filiæ, vt & chariſſimo noſtro nepoti & cognato, de facultatibus pro ipſorum dignitate quàm liberaliſſimè proſpicere volentes, omnes noſtras Belgicas Prouincias ad dictarum nuptiarum promotionem dedimus, ceſſimus, contulimus, hocque ipſo damus, cedimus, conferimus. Primò, Hac primùm lege, vt ex vi diſpenſationis à Sanctiſſ. Patre noſtro Pontifice, in eum finem conceſſæ, filia noſtra cum Alberto Archiduce matrimonio copuletur, ac dotis nomine Prouincias Belgicas & Burgundiæ Comitatum accipiat: quo matrimonio quacumque ex cauſa impedito, donationem hanc reuocamus, ceſsionemque hanc pro non facta volumus haberi. Secundò, Hac item lege, vt qui ex hoc matrimonio naſcentur liberi, maiores natu minoribus, maſculi feminis prę ferantur; eaque prærogatiua, de manu in manum traditam vniuerſam Prouinciarum hereditatem accipiant, omni vel diuellēdi eas vel alienandi facultate adempta. Cui illud addimus, natos ex filio & filia primogenitis, patruo, auunculo, ceteriſque in collaterali linea potiores habendos. Tertiò, Si fortè ſterile fuerit hoc matrimonium, aut liberi ex eo nati, mortuo coniugum altero, viuere deſierint, ceſsio hæc ſiue tranſportatio vigorem omnem amittat. Quo in caſu ſi filia noſtra vidua permanere voluerit, ſua ei legitima pars tam ex bonis paternis quàm dote materna aſsignator. Sin Archidux Albertus filiæ noſtræ ſuperſtes fuerit, dictarum Prouinciarum adminiſtrationem eius nomine, ad quem earum hereditas deuoluta fuerit, quoad viuet, obtineto. Quartò, Quòd ſi heredes alterutrius ſexus è linea deſcē-

1598

Conſcribuntur, leguntur & ſolemniter Matrimonij tabulæ.

Dat Rex omnes ſuas Belgicas Prouincias, & Burgundiam, ad dictas nuptias, certis legibus.

Inter alias, nati ex filio ſeu filia ſemper præferuntur collateralibus.

Si ſterile ſit matrimonium, omnis hac ceſſio erit nulla.

1598 dente nulli procreati fuerint,ita vt nemo ad quem ea iure pertineat here- «
ditas,ſit ſuperſtes, vniuerſas Prouincias ad Hiſpaniarum Regem, qui à «
nobis deſcenderit, redire iubemus; cui vel quibus hoc ipſo ratam eam «
volumus eſſe donationem. Septimò,Hac item lege, vt quicumq; dicta- «
rum Prouinciarum Principatum tenuerint, filiis vel filiabus ſuis, de no- «
ſtro aut heredum noſtrorum Hiſpaniæ Regum cõſilio & aſſenſu, vxores «
maritóſve dare teneantur. Sunt & aliæ conditiones ſimul tredecim,quas «
matrimonio iam exiſtenti ſterili(quod plures vehementer dolent) com-
memorare ſuperuacaneum duximus. Actum Madritij Caſtulonum die
Confirmatur hæc donatio etiam à Principe Hiſpan. 6. Maij, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo octauo. Acceſſit Principis Hiſpaniarum fratris Iſabellæ per publicum inſtrumentum ſuperioris donationis conſenſus & confirmatio, itemque Iſabellæ acceptatio, gratieque tum Patri tum fratri ſolemniter actæ; ac demum Diplomatum horum exempla, ſimulque Diploma eiuſdem Infantis Iſabellæ in Belgium ad ſponſum Archiducem mittuntur,ad capiendam eius nomine Belgicarum Prouinciarum poſſeſsionem. Signatum erat hoc eius Procuratorium Madritij pridie Kal.Iunij. Mandatis acceptis Archidux
Refert Archidux de omnibus ad Ordinum Comitia. Albertus Ordinum omnium Comitia ad 16.Auguſti indicit, quibus de voluntate Regis cognoſceretur, atque interim de ſtatu Prouinciarum componendo ageretur. Ad eum diem cum omnes conueniſſent coram Præſide Richardotto, Ordines Brabantiæ per ſuum Graphiarium ſententiam protulerunt; qui palàm pronuntiauit,Ordines ita cenſuiſſe,ſe
Reſpõdent Ordines ſibi placere,modò tamen ſaluis priuilegiis. Alberto Archiduci, Sereniſſimæ Infantis nomine, tamquam Principis legitimæ harum Prouinciarum,iuſiurandum dicere paratos quidem eſſe,ſi mutuum ipſis iuſiurandum præſtetur,ac de obſeruandis patriæ Priuilegiis, & de iis ſarciendis quæ contra maiorum inſtituta innouata aut abrogata ſunt, promiſſo caueatur. In hanc quidem ſententiam omnes tranſierunt,& de legatione ab Ordinibus vniuerſis in Hiſpaniam mittẽda ſimiliter cõſenſerunt. Gratiæ à Præſide Ordinibus ſunt actæ de propenſa omnium ad dicendum iuſiurandum & recipiendum voluntate. Dies huic rei poſterus, locus in magna Palatij aula dictus eſt. Ibi exor-
Dies & locus cõſtituuntur, acceptadis nouis Principibus. tis inter Ordines ſermonibus,de eo conſtituendo, qui ad propoſitionem omnium nomine reſponderet, Brabanti ſuum hoc ius eſſe aſſerebant, tum quòd Brabantia prima ordine ſit Prouincia, tum quòd apud ipſos Comitia agerentur: quam tamen rem ad iniuriam cuiuſquam, quæ in tali caſu ius aliquod prætenderet, Prouinciæ, pertinere ſe nolle publicè ſunt proteſtati. Omnium demum aſſenſu, relatu Præſidis,partes reſpõdendi Philippo Maſio delatæ & ab eo ſuſceptæ ſunt. Die itaque & loco dictis,conuenerunt Brabantiæ & aliarum Prouinciarum Ordines, hinc Archidux Albertus cum aurei Velleris equitibus, Prouinciarum Præfectis,

ctis, Conciliis Status, Priuato, & Ærarij Magiſtris, prę-euntibus caduceatoribus, magnáq; Nobilium frequentia comitante, in conſeſſum venit, ſolioque editiori & ſplendidè apparato conſedit. Facto ſilentio omnibuſque ad attentè audiendum compoſitis, Præſes Richardottus inſigné habuit Orationem, in qua hæc inter cetera: Rex Sereniſſimus Philippus, cùm aliquot annos eſſet in Hiſpania commoratus, Prouinciæ verò Belgicæ in ſummo ſplendoris & felicitatis culmine conquieſcerent, exiguæ primùm belli faces domeſticum nobis incendium excitarunt. Princeps, vt hoc malum à nobis auerteret, aut vt tempeſtiuè præſenſque mederetur, profectionem parauit, ad nos certò venturus, niſi diſſuadentes, ipſoq; hinc abſente nihilominùs res in Belgio componi & ſedari poſſe allegantes, audiuiſſet. O præpoſtera conſilia! ô noxios conſultores, ignaroſq; potentiæ quam Principis oculus habet! Sed errorem conſiliorum Rex breuî animaduertit, neq; quidquam omiſit, nulliſque rebus pepercit, quas ad reſtituendum Prouinciarum ſtatum, noſtramque ſalutem, pertinere iudicabat. Hoc Indicæ fodinæ, quas pænè exhauſit, & exercitus florentiſsimi, quos bellum hoc Belgicum abſumpſit, demonſtrarunt; quin etiam nihil non tentauit, nihil reliquit inexpertum, vt eos qui ab eius obſequio deſciuerant, lenitate reduceret, eorum animos ab ipſo alienatos beneuolentia ſibi adiungeret. Sed cùm neque hoc neque illo modo quidquam proficere ſe cerneret, illis culpam ſeceſſionis diffidentiâ prætexentibus, vel criminum conſcientia de reditu in gratiam & venia deſperantibus, alia via aggrediendum, vt nos ex his ærumnis aliquando eximeret, cenſuit. In hanc demum ſententiam ſanctæ eius cogitationes & conſilia abierunt; & ad commune bonum orbis Chriſtiani, & vt malo, quo angimur, remedium applicaret, Sereniſſimam Infantem filiam ſuam Iſabellam nuptum dare decreuit Alberto Archiduci Principi clementiſſimo, & has Belgij Prouincias cum Burgundiæ Comitatibus in dotem concedere. Nolite exiſtimare, ſalutare hoc conſilium ab humanis ſenſibus, ſed à diuina prouidentia defluxiſſe. Reliquum eſt, vt gaudium, voluptatem & lætitiam, quam cogitatione futuri boni præcipimus, hilari vultu teſtatam faciamus, & conceptis votis Deo ſupplicemus, vt eos nobis ſoſpites, omniumque bonorum affluentia cumulatos & ornatos cõſeruet, & fecundo ipſorum thalamo poſteritati Principum conſulat, ad quem Regnum ſerò tranſmittant; nobis denique ad voluntatem quam habemus propenſiſſimam, debita ipſis obſequia præſtandi adiungat facultatem; vtriſq; exoptatæ, rebus reſtitutis, fruendæ pacis copiam. Cùm ſic Præſes peroraſſet, Philippus Maſius, cui erant delatę reſpondendi partes, omnium Ordinum nomine, hæc inter alia facundo ore prolocutus eſt: Per litteras Regiæ Maieſtatis, Sereniſſime Princeps, pridie Kal. Iu-

1598

Oratio Richardotti pro Rege & Archiduce.

Inter cetera ait, O noxios cõſultores, ignaros quid Principis oculus poſſit.

Hinc tamen, correcta aſſerit Regis conſilia.

Denique quòd hoc Matrimonio omnia bona promittãtur.

Reſponſio Maſij nomine Ordinum.

1598 nij ad Prouinciarum Ordines ſcriptas, dotalem conceſſionem & dona- «
tionem Belgicarum ditionum cum Comitatu Burgundiæ & Caroleſij, «
quam in fauorem & promotionem futurarum nuptiarum Sereniſſimæ «
Infantis filiæ ſuæ cum veſtra Celſitudine contrahendarum, Principis et- «
iam Hiſpaniarum accedente conſenſu, facere decreuit, ijdem Ordines «
Cur Ordines audita hac ceſſione primùm commoti. intellexerunt. Nec mirum videri debet, quòd accepto primo nuntio Or- «
dines rei nouitate nonnihil ſint conſternati. Exiſtimabant ſcilicet, cala- «
mitoſum hoc & diuturnum bellum, ſi non Regiis opibus, non Regia au- «
ctoritate confici potuit, multò minùs hac via finem fore habiturum. in- «
primis quòd hoc ipſo bello publicæ Prouinciarum opes funditus ſunt «
exhauſtæ, ac priuatæ omnium fortunæ tam in vrbibus quàm in agris e- «
uerſæ, vti ex creberrimis querimoniis animaduertere potuit Celſitudo «
veſtra. Sed res vna nos conſolatur, quòd cùm grauibus Regnorum ne- «
gotiis Maieſtas ſua detineatur, & affecta iam ætate, & aduerſa valetudi- «
ne, quominùs ad nos venire, præſenſque malo mederi poſſit, excuſetur, «
filiam ſuam Principem nobis dederit, quæ pręter ceteras quas habet exi- «
mias virtutes, eamdem in ſubditos ſuos pietatem, quam à paterna educa- «
tione accepit, ſecum allatura ſit, maximè cùm eiuſdem nominis & fami- «
liæ Principem, quam nos & maiores noſtri ſumma perpetuò obſeruãtia «
meritò coluimus, maritum habebit, qui & iiſdem virtutibus eſt prædi- «
At confidunt, non mutatum ſed continuatum Principatum. tus. Quapropter confidimus, quòd vt forma quædam continuati potiùs «
quàm mutati Principatus eſt; ita Regia Maieſtas nihil ſimiliter de pater- «
no affectu ſuo erga filiam dilectiſſimam optimóſque ſubditos, nec de «
ſua pietate aut ſubſidiis quidquam remiſſura ſit, ſicuti pari, qua ſolet, li- «
beralitate per litteras ad nos datas declarauit; vti poſt tam diuturnum «
ac calamitoſum bellum Prouinciæ conquieſcere, ac nitori ſuo priſtino «
reſtitui tandem queant. Qua ſpe freti Prælati, Nobiles, & Ciuitatum «
Legati, ex benigno Regis hoc conſilio, de hac ceſſione & donatione ingẽ- «
tem lætitiam tandem animo conceperunt, eiuſque Maieſtati ingentes «
Itaque Regis voluntati Ordines libenter parẽt. gratias agunt, ac virtute mandatorum, quibus ſunt muniti, eidem ceſ- «
ſioni intereſſe parati ſunt, veſtræque Celſitudini in rem Infantis Sereniſ- «
ſimæ, ſeu Prouinciarum Principis legitimæ, iuſiurandum & omnia of- «
ficia neceſſaria ac ſolita præſtare, ea conditione, vt Celſitudo veſtra vi- «
gore Procuratorij Inſtrumenti, quod ab ea habet, mutuum dicat Ordi- «
nibus & Patriæ iuſiurandum, eiuſmodi quale in ſimili Imperij tranſla- «
tione Maieſtas ſua dixit; de conſeruandis antiquis patriæ iuribus, priui- «
legiis, libertatibus, immunitatibus, conſuetudinibus, Læti Introitus ob- «
ſeruantia, reconciliationibus, conuentionibus, rebúſque eò ſpectantibus; «
iis reſtitutis, quæ aut derogata aut perperàm innouata ſunt, & iis quæ in «
præſens emendari nequeunt, intra annum inſtaurandis; & vt intra idem «

ſpatium

» in aduentu Sereniſſimæ Infantis idem iuſiurandum per eius ac veſtram 1598
» Celſitudinem renouetur, ac in ſingulis Prouinciis lociſque præſtetur, in
» quibus Regia Maieſtas idem fecit. Reliquum eſt, Sereniſſime Princeps, *Perorat Maſius ad Archiducem, omnia vouens fausta.*
» Deo ſupplicare, vt his cœptis faueat, ad nominis ſui gloriam, Catholicæ
» fidei propagationem, & vt omnia in commodum veſtrarum Celſitudi-
» num & poſteritatis, in commune afflictæ Reip. bonum, ſolamen ac pro-
» ſperitatem totius Belgij, cedant & benè vertant. Hæc 17. Auguſti. Itaque
die poſtero ad eumdē locum reuerſi ſolemni ritu Princeps in Ordinum, *Poſtero die Princeps Ordinibus, & hi viciſſim ipſi iurant.*
Ordines in Principis verba iurarunt ſigillatim euocati, Princepſque ſin-
gulos accedentes, atque ea qua par eſt obſeruantia gratulantes, benignè
compellauit. In Archiducis iuramento, quod Bochius integrum ponit,
» hæc inter cetera: Ego Albertus, &c. Promitto ac iuro, quòd ex nunc ob-
» ſeruabo & curabo benè & fideliter obſeruari omnes & ſingulos pūctos,
» ſeu Articulos in præſentibus iſtis litteris Iucundi Introitus & Additio-
» num eiuſdem contentos; quarum litterarum tranſlationem audiui legi,
» & benè intellexi. Sic me Deus adiuuet, &c. Hinc gratiæ actæ, tum Rex
caduceatorum Franciſcus Damantius vniuerſum conſeſſum poſtero die
ad conuiuium Celſitudinis ſuæ iuſſit adeſſe; cui etiam omnes dicto die
interfuerunt. Sed ad paulò ſuperiora vertatur ſermo. Die 13. Iulij Regij *Velitationes duæ, vna ad Neomagū, altera ad Ruremōdum.*
milites ad Neomagum quingenti circiter equites in inſidiis latebant.
Contra paucos, qui adequitarant, Præfectus ſexaginta pedites via Gen-
nepenſi emiſit, & paludes ibi ſitas tueri iuſſit. Sed ex his, dum paludibus
æſtu ſiccatis diffiſi in proximam ſiluam cōfugere parant, à Regiis erum-
pentibus nouemdecim occiſi, ceteri capti aut fugati ſunt. Simili ſtrata-
gemate 18. eiuſdem Iulij vice verſa Confœderatorum milites turmam
Henrici Comitis Bergenſis Ruremundâ elicere conati ſunt; ſe re patefa-
cta, leuis tantùm velitatio commiſſa fuit, in qua Comiti prædicto crus
vulneratum. Exeunte menſe Iulio Liræ in Brabantia præſidiarij Hiſpa- *Tumultuantur Hiſpani Lyræ. Similiter & in arce Antuerpienſi.*
ni tumultuari ac feceſſionem facere cœperunt, electiſq; Centurionibus,
indecenter multa patrarunt. Sed obſtinatior etiam fuit magiſq; impor-
tuna Hiſpanorum in arce Antuerpienſi rebellio: qui 8. Auguſti & ipſi
Præfectum Arcis Auguſtinum Mexiam proturbarunt, inde furentes in-
ſania, ædes ciuium, & inprimis Curiam Senatoriam globis tormentorū
vi adactis impetunt. Sonitu exciti ciues, ad arma conclamant. Mittunt
ad Arcem, qui cauſam inquirerent tumultus. Reſpondent, viginti duo-
rum menſium ſtipendia ſibi deberi, ea exſolui velle. Mox Ducem eli-
gunt (hinc Electo illi nomen) qui pro omnibus verba faceret, & ipſorum
ageret cauſam. Cum hoc & aliis ei adiunctis congreſſi aliquot de Ma-
giſtratu vrbis polliciti ſunt, ſe ſedulò operam daturos, vt ipſis ſatisfiat, in-
terim in ſumptum quotidianum ſingulis daturos pediti duodenos, equi-

1598 ti vicenos quinos ſtuferos; erant verò numero circiter ſexcenti. Ita ſpe ſolutionis illi aliquantiſper conquieuerunt; qua non procedente, rurſum machinis rem agere cœperũt; quin etiam hoc veluti tabellione vel internuntio tandem vtebantur, vt quotieſcumque aliquid peterent, aut Magiſtratui quid indicare vellent, in vrbem iacularentur. Accepto hoc nuntio, Lirani eis ſe coniunxerunt, inito veluti quodam fœdere. Primùm ſeptem menſium ſtipendia eis oblata: quæ contemptim reſpuerunt. Neque enim quæ in Belgio tantùm, ſed & quæ in Italia feciſſent ſtipendia quidam flagitabant: nec ceſſarunt ab inſolentiis, donec tandem menſe Nouembri oblatis centum quinquaginta coronatorum millibus partim re, partim promiſſis, placati ſunt. Intereà Ordines Alberto Archiduci Principatui pro ſpõſa iam inaugurato perſuadere conati fuerant, ne Belgium tam difficilibus temporibus deſereret, iteráque in Hiſpaniam omitteret. Verùm nequaquam impetrare potuerunt, Rege ſcilicet ita iubente; qui intereà, vt mox dicemus, è viuis exceſſit. Omnibus igitur ad profectionem comparatis, Andream Auſtriacum, Cardinalem, ſuo nomine Belgicis rebus cum imperio præeſſe iuſſit; atque Ordines vniuerſos, vt eum operâ & conſiliis adiuuare vellent, ſeriò eſt cohortatus; belli verò adminiſtrationem Franciſco Mendozæ Admiralio Aragoniæ demandauit. Cum Archiduce Alberto 15. Septembris Bruxellis in Hiſpaniam profecturo, publico nomine ab Ordinibus ad agendas Regi ac Principi gratias, & nouæ Principi Iſabellæ congratulandum deputati ſunt Philippus Naſſouius Princeps Orangij, Comes Barlaymontius, Soræus, & Carolus Egmondanus. In Gynęceo erant Barlaymontij vxor, Comitiſſa Buquoia ſenior, Duciſſa ſenior Arſchotana, Comitiſſa Mansfeldia, Henninij & Hoochſtratani olim vidua, aliæq; Nobiles & honeſtæ matronæ; quibus è nobili iuuentute non pauci Comites ſeſe adiunxerant, Comes Lignius, Barbanſonius, Fontenaius, Haurechij filius, & alij. Porrò Philippo Hiſpaniarum Principi & heredi, patre viuo, deſponſa fuerat Margarita Caroli Archiducis filia; pactumque erat, vt eam Albertus in Hiſpaniam deduceret, ibiq; geminis celebratis nuptiis, ſuam inde ſponſam Infantem Sereniſſimam Iſabellam in Belgium tranſportaret. Ita per Niuellam & Namurcum Luxemburgum profectus, deinde per agrũ Treuirenſem & Wirtenbergicum (vbi diem obiiſſe 13. Septembris Regem Philippum triſtis intellexit, de cuius morte poſteà pleniùs) in Bauariæ fines, inde in Tirolenſem Comitatum peruenit, quacumq; tranſierat magnificentiſſimè exceptus. Oenipontem tranſuectus, & aliquot millia progreſſus, Margaritæ Auſtriacæ, quam Philippo III. Hiſpaniarum iam Regi deſponſam diximus, occurrit. Venerat illa cum matre Maria è familia Bauarica, & quingentorum hominum comitatu è Pannonia.

Quarto demum menſe vix pacantur.

Comitatus Archiducis in Hiſpaniam proficiſcẽtis.

In itinere audiunt triſtes, Regem Cathol. Philippum obiiſſe.

Iungit ſe Comitatui Margaretæ Auſtriacæ Philippo III. deſponſatæ.

nonia. Ad Sterringam igitur coniunctis caſtris, oppidum ſunt ingreſſi. 1598
Inde Bolſenâ Tridentum peruenerunt 29. Octobris, ibiq́ue dies aliquot venerandis Sanctorum Reliquiis dederunt. Haud procul inde abeſt Venetorum ditio: quam vbi attigiſſent, duo à Senatu eius Reip. Legati adfuerunt, & Reginam in pago, cui Dulci nomen eſt, in Atheſis ripa ſito, magno cum honore exceperunt. Fluuio ibi, quem ponte ſubitario eum in vſum eius loci Magiſtratus conſterni iuſſerat, ſuperato, per reliquam Venetorum in iis oris ditionem progrediuntur. Erant in vniuerſo comitatu Reginæ ſponſæ & Archiducis equi circiter bis mille, hominum tria millia & quingenti. His omnibus hoſpitia & lautia per nouem cõtinuos dies Senatus nomine ſunt præbita. Veronam præterueĉti, Ducis Mantuani territorium ingreſſi ſunt. Oſtia oppiduli nomen eſt, in Padi ripa poſiti. Huc Vincentius Gonzaga Dux Mantuæ cum triginta primariæ nobilitatis viris ad Reginam ſalutandam celeribus equis aduolauerat. Inde ſecundo flumine Ferrariam ſunt deueĉti, vbi tum Pontifex erat, cum bono Cardinalium numero ad res Ferrarienſes turbatas componẽdas eò profectus. Incredibile pęnè eſt quanta ibi pompa ſumptuq́; fuerint excepti, de quibus tunc integri libelli ſunt conſcripti, quos adeat qui hæc exactiùs ſcire deſiderat. Deniq; die Dominico, qui erat 15. Nouembris, & celebrandis ſponſalibus dictus, depoſita lugubri veſte, quam audita Regis morte in via ſumpſerant, ad ſolitam omnes veſtem redierunt. Ad ſummum templum Summus Pontifex prĕceſſerat, acceptoq́; habitu & diademate Pontificio, Sacrum celebraturus in ſolio conſederat. Regina candido amictu, vnionum & gemmarum mundo pretij inæſtimabilis, & ſplendore exculta, radiánſq; inter duos Cardinales, Santiquatrium & Farneſium, matre cum Archiduce proximè ſequentibus, cum frequẽti Principum & Nobilium comitatu ad idem templum, quod aureis & argenteis periſtromatis effulgebat, deducta fuit. Poſtquam ſub aureo cum matre velo eſt excepta, & Archidux è regione ſub ſuo itidem conſedit, Sacrum ſolemne Pontifex auſpicatus eſt. Apoſtolico fidei Symbolo decantato, Regina à Cardinalibus ad Pontificem deducitur cum matre & frequenti ſui ſexus comitatu: Archidux cum ſuo item ex altera parte accedit. Tum prælecto publicè mandati inſtrumento, quod à Rege Catholico Archiduci datum erat, Pontifex Matrimonij ſponſionem inter Regem Philippum per Albertum auunculum Legatumq́ue eius nomine comparentem, & Reginam Margaretam præſentem, celebrauit: cui ad ſolium reductæ omnes Principes auſpicatiſſimas nuptias reuerenter ſunt gratulati. Subſtitit coram Pontifice Archidux Albertus, dum Seſſæ Dux accederet, qui cum ſimili mandato Infantis Sereniſſimæ nomine comparebat: quo lecto, Iſabella Clara Eugenia per Legatum ſuum Al-

Comitatus vniuerſus equi bis mille, hominũ tria millia & quingenti.

Omnibus hoſpitia & lautia per Italiã magnificè præbentur.

Summus Pontifex Ferrariæ in templo eos excipit.

Celebrantur ſponſalia primò Regis, deinde Archiducis.

1598 berto Archiduci per Pontificem desponsatur. Sacro peracto, Pontifex Reginæ ad Altare adductæ Auream Rosam consecratam dedit. Tota dehinc ciuitas ad lætitiam, ad ludos, ad hilaritatem se conuertit. Quibus, paucis diebus ibi Ferrariæ impensis, Mantuam contendunt. Vbi quos sumptus Dux Mantuæ in Regina, Archiduce, eorúmque comitatu tractandis fecerit, hinc coniecturam quis faciat, quòd præter dona pretiosissima in Gynęceum distributa, nouem dierum alimoniam hominũ quinque, equitum quatuor millibus præbuit. Mantuâ per Cremonam Mediolanum sunt profecti. Vbi à 30. Nouembris porrò vsq; Martium anni proximi hæserunt, cùm propter incommodum anni tempus, tum ob luctum defuncti Regis, quo tota Hispania occupabatur, de quo & nos sub finem anni. Interim in Belgium remigret oratio. Ineunte mense Septembri Mendoza Aragonius, quem bello gerendo præfectũ fuisse ab Archiduce suprà diximus, Mosam cum valido exercitu traiecerat. Erant peditum plus minus viginti, equitum duo millia, cum magno omnis generis bellico apparatu. Præmissus cum copiarum parte Barlottus vtramq; Rheni ripam occupat, naues bellicas ad obsidendũ tuendumq; amnem ab Hollandis passim collocatas inuadit, atque in tuta se recipere cogit. Reliquus exercitus per agros Iuliacensem & Colonienſem in Cliuiam cõtendit. Est ad Rhenum oppidulum Orsouia, paulò supra Rhijnbercam; non illud quidem tunc valdè munitum, tenentibus tamen multas ad res, inprimis ad amnem præcludendum, opportunum. Loci commoditate ductus Admiralius Mendoza portis adequitat, admitti petit. Id cùm facere ciues & præsidiarij abnuerent; scalas expediri, & muris applicari iubet, frustrà protestante & deprecante Horstio, Cliuiensis Ducatus Marescallo. Oppidanis inde timor incessit, ne vi oppressi prædæ & rapinæ militum permitterentur. sic portæ patuerunt. Intromissus cum suis Admiralius quamprimùm Arcem sibi dedi iubet, præsidiariis omnibus, si vim expectarent, suspendium interminatus: qui abire, quàm suspendi ibi maluerunt. Oppido & Arce acceptis, ac diligenter communitis, copiarum partem Rhenum traijcit, & in aduersa eius ripa, ad pagum Valsum munitioni excitandæ fundamenta iacit, ac dies noctesque continuatis operibus breui tempore cœptam absoluit. Intereà milites Regij loca vicina frequentes peruadunt, ac longè lateque terrorem sui fundunt. Frisiæ præcipuè & Transisulaniæ horribilis imminere videbatur tempestas, quæ tamen posteà in Westphaliam & Cliuiam magis recidit. Inde Alpa & Meursa præsidiis occupãtur, quarum illam Palatina, hanc Nuenaria, viduæ tenebant, impetratis ab vtraque parte salui conductus litteris. Econtrà Mauritius nomine Ordinum fœderatorum, audito hostium apparatu, suas & ipse copias apparat; apparatum castrensem per flumẽ aduersum

Tandem Mediolanũ veniunt, harentq; ibi vsque Martium anni sequentis.

Mendoza Admiralius validum exercitum ad Rhenum ducit.

Occupat Orsouiam oppidum Ducis Cliuiensis.

Imponit præsidia Alpæ & Meursæ hactenus liberis.

uerſum nauibus ſubuehi iubet: quæ diutiùs cum ventis & tempeſtate colluctatæ, tandem earum pars Arnhemum, pars Neomagum ſunt perductæ. Mauritius Grauenweertam cum copiis properat; ibique de itinere Regiorum edoctus, loca circumiecta præſidiis munit. Interim Admiralius, deliberatione habita, variantibus licet ſententiis, quòd quidam in hoſticum penetrandum, alij nullos à tergo hoſtes relinquẽdos eſſe diceret, Rhijnbercam oppugnare decreuit. Eſt id oppidum in Rheni ripa, ad Colonienſem pertinẽs Diœceſim, quod Regiis anteà ereptum præſidio tunc tenebant Hollandi. Paulò infra oppidum inſulam paruam facit Rhenus. Eam Mauritius, intellecto Regiorum conſilio, præſidio firmat. In oppido tum peſtis vehementer graſſabatur, adeò vt ex prę ſidiariis vix quadringenti ſani eſſent. Admiralius de oppidi ſtatu edoctus, ad Schafium Præfectum loci, eodem morbo decumbentem, litteras mittit; quibus oppidum ſibi Archiducis nomine dedi poſtulabat. Reſpondet Schafius, miſſum ſe eò ab Ordinibus & Mauritio cum præſidio, vt oppidum, dum de reſtitutione Archiepiſcopo Colonienſi faciẽda tranſigeretur, defenderet; rogare vt à vi intereà abſtineat, nec actionem cœptam turbet, ſimul de litteris humaniter ſcriptis gratias agit. Admiralius Mendoza, vbi hoſtem minimè obſtinatum, vti putabat, animaduertit, denuò ad eumdem ſcribit: & quia breuî vi morbi periturus videbatur, eodem argumento litteras ed coniugem eius adiungit; quibus petebat, vt deditionem, quantum in ſe eſſet, promoueret, multa pollicitus. Earum litterarum exemplis Schafius è veſtigio ad Mauritium miſſis, quo in ſtatu res ſit, docet, & paulò pòſt vitam finit. Ei ſuffectus Lucas Heddingus, maiori animo quàm ſpe, loci ſuſcipit defenſionem. Nam & inſulam, cuius modò fecimus mentionem, iam occupauerant Regij; & tormentis vndique muros vrbis ita conuerberabant, vt iam tum appareret, non niſi expugnato oppido, inde diſceſſuros. Intereà nihilominùs Admiralius copiarum partem ad Budericum Cliuienſe oppidum, Veſaliæ vicinum, occupandum mittit. Ciues grauiſſimè iniuriam ſibi fieri conqueſti, impetrare non potuerunt, quominùs externũ reciperent militem. Iam enim Hiſpani ignem portarum alteri iniecerant, & vi introrupturos ſe minabantur. Deniq; ad Rhijnbercam die 14. Octobris exercitu propiùs ad oppidum admoto, iterùm de deditione interpellantur prę ſidiarij. Qui cùm reſpondiſſent ſe velle extremum experiri; ſimulque monerent, ne quis iterùm cum talibus poſtulatis rediret, Admiralius ſumma vi oppugnationem aggreditur. Cùm horas aliquot in vrbem fulminaſſet, ecce horam circiter diei nonam puluis tormentarius in turri quadam non procul à mœnibus aſſeruatus, à globo candente illapſo incenſus, ipſam turrim primùm à fundamentis euertit, deinde proxima ædificia, atq; inprimis

1598

Educit quoq; ſuos Mauritius; interim Admiralius Rhijnbercã obſidere parat.

Admiralius Rhijnbercam ſibi dedi petit.

Occupata inſula, vrbem crebris ictibus verberat.

Iterùm requiſiti oppidani de deditione reſpondent ſe extremum velle experiri.

1598 primis vnam ad portam Rhenanam Regiis obiectam munitionem tanto cum fragore diſijcit atque diſturbat, vt oppidum vniuerſum funditus conuelli videretur. Regij hac ratione aditum ſibi ad oppidi inuaſionem faciliorem patefactum cernentes, occaſioni minimè defuerunt, & iam iamque irruptionem parabant. Quare obſeſſi, cùm, puluere præcipuo incenſo, in armis exiguam ſibi ſpem eſſe intelligerent, nec munitionibus, tormentorum vi & dicta calamitate vehementer laceris & deformatis, ſatis fiderent, vltrò citroque datis vadibus, ęgrè obtinere potuerunt, vt cum armis & ſarcinis abire in tutum liceret, iureiurando præſtito quòd intra ſemeſtre contra Archiducem non militarent. Ita paucis diebus Admiralius, Rhijnberca in poteſtatem redacta, Hollandis omnẽ Rheni nauigationem præcluſit. Expugnata Rhijnberca, aliiſq; ad Rhenum præſidio firmatis locis, Admiralius cum exercitu ad hoſticum propiùs accedit, Dotecemum, in Zutphanienſi Comitatu oppidum, obſeſſurus. Ex itinere ad Veſalienſes mandata mittit, vt duo peditum millia, cum mille equitibus in vrbem reciperent, quò ſui in illis partibus contra Mauritianos tutum haberent iter. His de rebus conuocato Senatu, deinde vniuerſa ciuium multitudine, placuit vt Legati mitterẽtur, qui precibus aliiſq; rationibus Admiralij animum inflecterent, & tolerabilibus conditionibus cum eo tranſigerent. Poſt multam diſceptationẽ conuentum eſt, vt aureorum centũ millia, & frumenti modios mille darẽt, ſuiſq; ſumptibus traijciendo Lippæ fluuio pontem facerent. Poſtquam imperata fecerunt Veſalienſes, Admiralius Reſam, Embricam, Santonam, Dinſlacam, aliáque quædam in vicino loca præſidiis firmat, hominibus ruſticanis paſſim ex agris profugiẽtibus. Caſtris ad Dotecemum 6. Nouembris poſitis, eodem ſtatim die portam qua Dusburgum itur, quati iubet. Erant in præſidio quatuor peditum ſigna, ciues longo militiæ vſu bellicoſi, commeatuum quantum ſatis eſſet ad lõgam obſidionem ſuſtinendam. Sed quò minùs diu oppidum defenſum ſit, fecit, vt aiunt, & munitionũ infirmitas, & Regiorum in iis vi tormentorum diſturbandis conſtantia. Quantò ergo periculo propiores, tantò magis de vita ſua ſolliciti, poſt tridui oppugnationem per internuntios deditionem offerunt: qui aliquoties repulſi, quòd Admiralius nulla conditione vniuerſa ſibi permitti vellet, tandem impetrarunt, vt pręſidiarij cum armis & ſarcinis, relictis ſignis egrederentur, & ſex menſibus contra Regios arma non ferrent. Ciuibus negatæ conditiones; quibus tamen Admiralius vitæ & fortunarum incolumitatem permiſit. Schulenburgum inde, paruum, ſed loci natura munitum caſtellum oppugnat, præſidiariis omnibus, niſi quamprimùm ſe dederent, necem minatus: qui tamen minarum ſecuri, oppugnationem ſatis viriliter aliquamdiu ſuſtinuerunt. Sed cùm viribus

Incenſus puluis tormentarius Rhijnbercæ viam Hiſpanis magis patefat.

Itaque paratis ſimul Hiſpanis ad irruptionẽ, Rhijnberca eis deditur.

Veſalienſes præſidia magno redimunt; alia ea impoſita.

Dotecemum poſt tridui oppugnationem Admiralio ſe dedit.

Mox & Schulenburgum, caſtellum munitum.

bus multò inferiores ſe eſſe animaduerterẽt, Regiis Arce cum impedimẽtis omnibus tradita, nudi & inermes abierunt. Intereà Mauritius ad Seuenas cum copiis, quas non ita multas habebat, conſederat, & magna diligentia communitis caſtris, Regios obſeruabat. Vbi captum Dotecemum cognouit, Dusburgum ad Iſalam poſitum oppidum proficiſcitur, vt vicinis locis præſidio eſſet. Sed priùs Seuenarum oppidum & caſtellũ, teloneum itidem, quæ iis locis Cliuienſis tenebat, ſibi vindicat, præſidioque firmat, in omnes occaſiones intentus; viiſq; omnibus obſeſſis, commeatuum penuria Regios affligit. Ita multa iam hieme, pabuli alimoniæque inopia preſſus Archiducis exercitus, in hiberna deducitur in Cliuiam, Weſtphaliam & Marcanam Imperij ditiones. Hoc ſanè anno, veluti in ſcena quadam, fortunæ variæ facies illuſtres ſe oſtenderunt. Dum enim illinc in nuptiarum apparatu Principem mox Regem Hiſpaniarum & Albertum Archiducem lætis omnibus ciues exteriq; proſequuntur, hinc Regij exercitus ad Rhenum fulminantis metu conſternantur hoſtes, premuntur Imperiales neutri parti addicti, eodem menſe Septẽbri Rex potentiſſimus Hiſpaniarum & Indiarum Philippus, poſt grauiſſimos exantlatos labores die eius menſis 13. fatis concedit, ac pro hymenæo leſſus & planctus tota paſſim Hiſpania auditur. Ad ſenectutis imbecillitatem, erat enim ſeptuagenario maior, arthritis, ſed chiragra inprimis acceſſerat; cuius dolore totum corpus cõfectum febris inuaſit. Vim morbi ſentiens, etſi ita fractis erat artibus, vt geſtationem vix ferre poſſet, Madritio tamen ad diui Laurentij, quod incredibili ſumptu Palatium extruxerat, ferri voluit. Ingraueſcente morbo, cùm finem vitæ adeſſe animaduerteret, peccata de more Catholicę Eccleſiæ confeſſus, Euchariſtiam ſumit; mortui cranium, iuxtáque auream coronam abaco iunctim ſuperponi, capulum etiam cupreum cubiculo inferri iubet, vt iis ſignis humanæ mortalitatis admoneretur. Inde filio filiæque corpus pęnè iam tabidum commonſtrans, En tibi, inquit, ô fili, ſpecimen gloriæ mundanæ: aſpice miſerabile hoc corpus. Nullus locus vltrà eſt humanæ opi, nec de remediis morbi, ſed de ſepultura iam nobis cogitandum. Hæc locutus, non ſine multis adſtantium lacrymis, è cubiculariis miniſtris vni ciſtellam (alius vidulum dicit) adferre mandat: qua aperta, monile pretioſiſſimum auro & gemmis confectum depromit, filiæq; traditum his verbis commendat: Matris hoc quondam tuæ fuit, id iam tu habeto, & aſſeruato memoriæ monumentum. Ex eodem deinde chartam acceptã filio porrigit, in eo dicens deſcriptam eſſe omnem Imperij adminiſtrandi rationem; eamque vt omnino ſequatur monet. Scuticam inde multilorem omnibus conſpiciẽdam proponit, cuius extrema cruoris quædam veſtigia monſtrabant. Eam, cùm in altum tolli iuſſiſſet, Hic, inquit, ſanguis

1598

Regij per Imperij ditiones in hiberna diſtribuũtur.

De morte Philippi II. potẽtiſſimi Regis.

Munitus ſacra Euchariſtia, tabidus; En, inquit, ſpecimen gloriæ mũdanæ.

Tradit filio & filiæ cimelia pietatis.

1598 guis eſt de meo ſanguine: non meus quidem ipſius, ſed patris mei, qui hoc flagello corpus ſuum caſtigare ſolitus fuit. Id ego, vt auitæ vos pietatis & deuotionis commonefacerem, hucuſque inter pretioſiſſima aſſeruari iuſſi. Denique vrgente non multò pòſt vi morbi, Extremę vnctionis Sacramentum petit. Qua ab Archiepiſcopo Toletano ritè adminiſtrata, ad exitum ſe parat; atque interim lectulum circumſtantibus Principi & Infanti filiæ, miniſtros commendat, & in his præcipuè Chriſtophorum de Mora, cuius fideli opera & conſilio maximis in rebus vſus eſſet. Poſt vltimum valedictum, vox eum deficere cœpit: eoque in ſtatu biduum permanſit. Non multò antè, cùm mortis mentio fieret, Rex eo die moriturum ſe negauit; horámque ab homine Religioſo præſignificatam ſibi dixit: ita die decimo tertio Septembris circiter horam tertiam matutinam exceſſit, cùm vixiſſet annos vnum & ſeptuaginta, & menſes quatuor. Mors eius variè mentes hominum affecit, prout eum quiſq; amabat, aut metuebat. Vxores quatuor duxerat, quibus omnibus fuit ſuperſtes. Primam anno 1544. duxit Mariam Ioannis Luſitaniæ Regis filiam, è qua anno ſequenti ſuſcepit filium Carolum, matre paulò pòſt puerperio extincta. De Caroli morte actum anno ſexageſimo octauo. Secundum matrimonium contraxit cum Maria Anglię Regina anno 1554. qua ſine liberis mortua, Iſabellam Henrici II. Francorum Regis filiam natu maximam anno 1560. accepit vxorem; quæ duas ei peperit filias, Infantem Iſabellam Claram Eugeniam Belgij Dominam, & Catharinam quæ Carolo Emmanueli Sabaudiæ Duci nupſit, multiſque relictis liberis anno ſuperiori 1597. deceſſit. Quartum ei matrimonium fuit cum Anna Auſtriaca Cæſaris Maximiliani filia, & Philippi ipſius ex ſorore nepte, Pontificis permiſſu anno 1570. celebratum: è qua tres ei nati ſunt filij, vnaque filia; ſed tribus immatura morte ſublatis, ſolus hic, qui iam potitur rerum Sereniſſ. & Potentiſſ. Rex Philippus III. tantarum opum relictus eſt heres, natus anno 1578. menſe Iunio.

Petit & accipit Sacramẽtum Extremæ Vnctionis.

Moritur anno ætatis ſeptuageſimo ſecundo.

Vxores eius quatuor; & ex tribus liberi.

VARIA. Sopitur hoc anno menſe Ianuario bellum inter Pontificem & Eſtenſem de Ferrarienſi Ducatu. Cæſari, defuncti Ducis nepoti notho, permiſſa Feuda, quæ Sedi Apoſtolicæ non erant obnoxia; Ferraria Pontifici reddita. In Hungaria Adolphus Viennæ Gubernator Raab ſeu Iauarinum 29. Martij egregio ſtratagemate Turcis eripit, primùm moloſſis extra mœnia latrãtibus & excubantibus, venenatis offis ſtrãgulatis; hinc effracta petardæ tormenti ictu porta principali, demum violenta inuaſione & pugna. Quatuor horas certatum eſt intra vrbem: cæſi ex mille ſexcentis Turcis, mille trecenti: ex Chriſtianis vix vltra trecentos. Repertus copioſus omnis generis bellicus apparatus, tormenta maiora ampliùs centum, & in palatio ad trecenta ducatorũ millia. Sigiſmundus Tranſil-

Raab in Hungaria Turcis eripitur.

uaniæ

uaniæ Princeps, qui ineunte Aprili Tranſiluaniam & Valachiam ceſſit Rodolpho Imperatori, rurſus præter hominum opinionem è Sileſia rediit Claudiopolim menſe Auguſto. Valachi, deletis vndecim Turcarum millibus, mox Nicopolim captam incendunt. Matthias Archidux Budæ obſidionem à Kal. Octobris ad 11. Nouembris protraxit: ſed ſuburbio alteráque vrbis Arce receptis euerſiſque, præcipuam Arcem ad deditionem compellere non permiſit cæli inclementia. In Hibernia Comes Tyronius, ſubmiſſis aliquantis ex Hiſpania auxiliaribus copiis, pugnat pro Religione Catholica Romana contra Anglum Proregem. Suos hoc anno Martyres Iaponia dedit, ſex Franciſcanos, qui inſigni conſtãtia in crucem, iubente Quabacundono, acti obierunt. Romam Tiberis intumeſcens nauigabilem fecit, ipſis Chriſti Natalitiis. Extat prodigioſæ inundationis notata altitudo in Pronao Baſilicæ in Minerua. Diem clauſerunt extremum Thomas Stapletonus Anglus & Benedictus Arias Montanus, Theologi inſignes, ac linguarum Latinæ, Græcæ & Hebraicæ notitia probè inſtructi. Enituit autem inprimis Montani in Bibliis Regiis à Plantino editis induſtria. Obijt Hiſpali in patrio ſolo.

1598

Alia item minora in locis vicinis.

Romæ prodigioſa Tiberis inundatio.

Anni 1599. pęnè initio haud modicus Antuerpiæ fuit tumultus. Qui enim in Lillo & Liefkenshoeck (munitionum vicinarum ſunt nomina) in pręſidio erãt Confœderatorum milites, cognito per exploratores, vallum, quo traiectus ab Antuerpia in Flandricum ſolum cuſtoditur, negligenter teneri, non iuſtum vigiliarum ordinem, non ſtationes eſſe, die 18. Ianuarij, circumducto per loca paluſtria agmine, à tergo, nec opinatò propugnaculum aggrediuntur, interfectiſque paucis qui armati ſe obiecerant, cum præda domum per nota itinera reuertuntur. Eiuſdem menſis die 22. Dauentriæ cædes in ipſo templo audaciſſimè perpetrata, variis ſermonibus anſam præbuit. Cùm enim eo die Franciſcus Schoricmannus Eccleſiaſtes ſermonem ad populum habuiſſet, eoque finito, medius inter duos ponè Chorum inambularet, ecce præualidus iuuenis, Hęricus Achterfeldius, à tergo accedit, cultrumque per ceruices otiosè cum altero comitum verba miſcentis ad iugulum vſque tranſadigit, ipſa quoque lingua confixa. Concidit ſtatim Eccleſiaſtes, ac vix domum reportatus exſpirat. Achterfeldius, facinore perpetrato, quàm ocyſſimè è templo atque ex ipſa vrbe ſe proripit; ſed à lictoribus retractus, crudeles pœnas luit. Per tormenta de auctoribus vel conſciis huius conſilij rogatus, nihil aliud faſſus eſt, quàm vltrò à ſe, odio illius Religionis, quam pręco hic diſſeminauerat, id eſſe ſuſceptum. Intereà Hiſpaniæ Rex per omnes Regni ſui portus in naues omnes tam Batauicas quàm Balthicas, Dantiſcanas, Lubecenſes & ex locis vicinis, accuratè inquiri iuſſerat. Compertum enim erat, Batauos ceteroſque Confœderatos Hiſpania excluſos, vel

1599

Hollandi ſpoliant propugnaculum è regione Antuerpiæ.

Dauentriæ Eccleſiaſtes in templo confoditur.

Detenta multa naues in Hiſpania, & quare.

1599 alienas naues conducere, atq; ita pro amicis fallere, vel cum aliarum nationum mercatoribus eas merces, quæ in Hiſpaniam & ex ea vehuntur, habere communes, atque ita ad ſe magnum lucrum deriuare. Itaque in Belgio quoque ad impediendas eorumdem Confœderatorum nauigationes, in quibus eorum opes præcipuè ſitæ ſunt, Bruxellis ab Andrea Cardinali Auſtriaco res Belgicas pro Sereniſſ. Archiduce Alberto adminiſtrante, 9. Februarij Infantis Hiſpaniarum nomine Edictum promulgatum eſt, in quo hæc inter cetera: Multas hactenus ab initio huius ciuilis motus Batauis eorumque ſociis oblatas eſſe conditiones honeſtiſſimas, vt armis poſitis, ad obedientiam redirent. Quin etiam, cùm nuper Rex, ad tollendam penitùs illam de exterorum imperio querimoniam, Prouincias Belgicas filiæ ſuæ Sereniſſ. Infanti Iſabellæ Claræ Eugeniæ, eloeata ea in matrimonium Alberto Archiduci, dare conſtituiſſet, & ceterarum Prouinciarum Ordines Batauos cum ſociis cohortati fuiſſent, ne hanc tam præclaram reconciliandi ſe, & publicam quietem promouendi occaſionem elabi paterentur; Legatos ſine certo reſponſo dimiſiſſe, quòd nonnullos è ſuis, quorum conſiliis grauioribus in rebus vterentur, abeſſe dicerent. Quàm hæc indigna ſint, omnium ſe cogitationi & iudiciis permittere. Quandoquidem ergo lenitate & beneficiis vinci nequeant, aliam ſibi eſſe ineundam rationem: Velle igitur, ac pro ea quæ legitimo Principi debetur auctoritate iubere, ne quiſquam ſuorum ſubditorum poſthac vllum mercium genus, ſiue exoticarum ſiue domeſticarum, ad Batauos, Zelandos, eorúmve ſocios, ſiue rectà ſiue obliquè ac per alios tranſmittat, aut miſſa ab eis mercimonia recipiat, quoad illi ad obedientiam fuerint reuerſi. Omnes etiam litteras ſalui conductus ad nauigationem ac piſcationem pertinentes, caſſas atque irritas hoc ipſo Edicto pronuntiare; ita tamen, vt menſtruum ſpatium omnibus iis concedatur, qui intereà ad ſuos redire velint. Vix hoc promulgatum erat mandatum, cùm Ordines Fœderati & ipſi Edictum ſanciunt. Ac primùm aiunt: Quid Hiſpani moliantur, cùm ſæpè aliàs, tum maximè ſuperioribus annis in Anglicana expeditione, tum Gallica irruptione potuiſſe animaduerti, nimirum vt non Belgicæ ſolùm, verùm etiam ceterarum omnium regionum libertatem ſubruant, & non in corpora tantùm & fortunas, ſed animas etiam & conſcientias imperium ſibi vindicent. Inde illud quoque eſſe, quòd Religionem, reiſque publicæ adminiſtrandæ rationem in ciuitatibus Romano Imperio ſubiectis per vim immutarint. Itaque ſeuerè ſe interdicere, ne quis ſuorum vllum mercimonij genus iis Prouinciis, quæ Hiſpanis eorumque complicibus parent, importet. Vetare etiam, ne piſcatores alijque qui maritimam exercent mercaturam, ab iiſdem ſaluum conductum, vt vocant, accipiant, quo antehac

Promulgatur Edictum in Belgio ad eumdem ſcopum.

Scilicet Hollandi ſapiùs pacẽ inciuiliter repudiarant.

Itaq; nullus ſaluus conductus in poſterũ ipſis concedatur.

Promulgãt Fœderata Prouincia & ipſa tale Edictũ.

» hac non ſemel irretiti & in grauiſſima damna fuerunt coniecti. Homi- 1599
» nes etiam, bona fortunáſq; ſub Hiſpanico degentium imperio quocum-
» que loco deprehenſa, ſe prædæ omnibus permittere. Hæc illi. Narrauimus anno ſuperiori, Mendozam Admiralium multis Cliuiæ locis militem impoſuiſſe, quædam etiam eiuſdem Prouinciæ loca ſimiliter à Batauis occupata. Cæſar itaque ab Imperij Ordinibus interpellatus, menſe Decembri Edictum condiderat, quo vtriuſque partis Duces exercitum quamprimùm ex Imperij finibus abducere, oppida & caſtella Dominis reſtituere, deque damno dato ſatisfacere iubentur, addita in contumaces Proſcriptionis ſeu Banni Imperialis pœna. Sed ſerum hoc fuit iam expilatis Prouinciis remedium. Legati nihilominùs Electorum Principum ac Ciuitatum Coloniæ cõuenerant, deque rationibus pacandæ Prouinciæ conſultabant. Ad hunc Conuentum (vt & ad alios, qui iam antè Francofurti, Magdeburgi, & alibi celebrati fuerant) Mendoza Legatos miſit, & litteras, in quibus ea quæ ab Hiſpanis in Imperij finibus tentata erant, ita excuſauit, vt culpam omnem Regi rebellantibus imputandam diceret. Non ad vexandas, ſed tuendas potiùs ab hoſtium excurſionibus Imperij Prouincias, atque inprimis ad Catholicam conſeruandam Religionem, expeditionem hanc ſuſceptam. Quas curas, labores & ſumptus in Colonienſis Archiepiſcopi dignitate & ſalute defendenda Rex impenderit, notum cuiuis eſſe, qui Truchſeſium profligatum, Noueſium, Bonnam & Rhijnbercam à Regio exercitu hoſtibus ereptas, & Archiepiſcopo reſtitutas meminerit. Quin etiam Cliuienſium oppidorum ciues, ſuis ab oculis Regios milites ac Tribunos ab hoſtibus captiuos abduci paſſos eſſe, vt Schenckium & Bitburgium ex Zanthenſium oppido. Quapropter monere atque orare, vt ob maius bonum adipiſcendum, moleſtiæ aliquid & oneris perferre non recuſent, & quæ facta ſunt, in bonam partem interpretentur. Poſt multam diſceptationem, cùm res grauior videretur, quàm quæ paucorum viribus ſuſtineri poſſet, Legati ita diſcedunt, vt rem vniuerſam ad ceterorum quoque diſtrictuum Proceres reijcerent; interim tamen afflictis ſuos non defuturos aſſeuerarent. Alteri igitur Conuentui habendo dies indictus eſt Confluentiam ad 21. Martij. Adfuerunt ibi, quinque, quos vocant, circulorum Legati. Factum deni-
» que decretum, vbi hæc præcipua: Intereà (inquiunt) ad Cæſaream Ma-
» ieſtatem mittẽdi ſunt, qui quòd res Imperij tantæ hactenus curæ habue-
» rit, & adhuc habeat, gratias agant, & vt Imperij vniuerſi Comitia indi-
» cat, rogent; tum inprimis, vt pacis Belgicæ tractationem, quanto poſſit
» ſtudio, promoueat. Nec verò hoc ſic accipi volumus, quaſi oppreſſis ni-
» hil intereà opis præſtare cogitemus: quibus iam nouem menſium auxi-
» lia decernimus, hac tamen lege, vt conatus omnis bellicus non ad offen-

Diſceptat Colonia Imperiales cõtra vim Imperio illatam.

Comparẽs apud eos Admiralij Legatus multa prætexit.

Indicitur alter Conuentus ad eamdem rem Confluentiæ.

Decernuntur auxilia belli defenſiui in nouem menſes.

1599 ſionem, ſed defenſionem tantùm dirigatur. Ita decretum. Et quidem « magnis querelis, aſſiduiſque Germanorum precibus fatigatus Andreas Auſtriacus Cardinalis, militem ex hibernis, vixdum ineunte vere, educi iuſſerat. Vt tamen Rheno veluti compedes iniectos, aditumque in Geldriam retineret, quinque Cliuienſis Prouinciæ oppida, Reſam ſcilicet, Calcariam, Gocham, Gennepium, & Embricam iterùm præſidiis munienda ſibi duxit. Et Embricæ quidem poſſeſſio Schenckianum munimentum oppugnaturo omnino erat neceſſaria. Miſſi ergo, qui ciues, vt præſidium reciperent, amicè monerent: quibus tergiuerſantibus, Mendoza demiſſis aliquot ſecundo flumine nauibus, præſidiarias Batauorum, quæ ſtationes ſub ipſis oppidi mœnibus habebant, ſubmouit: dein admotis tormentis, & muro circiter viginti ictibus percuſſo, eam in deſperationem ciues adduxit, vt miſſis Cõſulibus imperata ſe facturos pollicerentur, inuito admodum & renitente Cliuienſium militum (ducenti erant) Tribuno, qui oblatis Batauorum auxiliis quæ in propinquo ad Grauenwerdam erãt, vtendum potiùs, quàm Hiſpanis portam aperiendam vociferabatur. Ita 28. Februarij præſidiarij circiter mille, Itali, Hiſpani, Galli intromiſſi: quibus præerat Carolus Longiuallius, is qui non ita pridem Atrebatum vrbe contra Francos fortiter defenſa, magnam laudem fuerat adeptus; cuius patrem Vauſſij Toparcham Hiſpaniarum Rex paucis antè annis ad Comitis Buſquoij titulum ſublimarat. Cliuienſe præſidium & Tribunus nauibus impoſiti Grauenwerdam delati, Batauorum militiæ nomina dederunt. Mauritius his de rebus certior factus, relicto ad Geldriæ inſulæ defenſionem Sideniſcio, ad Seuenaram veterem copiarum partem traduxit. Ne verò ſuis vallum iaciẽtibus Embricenſe præſidium eſſet impediméto, Ludouicum Naſſouium Regios diſtinere, & ſi qua ſe offerret occaſio, fortunam periclitari iubet. Is partem aliquam equitatus ad oppidi mœnia ſubmittit, pecora, quæ in proximis paſcuis erant, abacturam. Milites Regij turpe ſibi fore exiſtimantes, ſi ante oculos prædam hoſtes agere ſinant, mox portis erumpunt, & ductore Buſquoio abigeos inſequuntur; quos longiùs iam progreſſos & palantes Naſſouius ex inſidiis conſurgens adoritur. Buſquoius cùm diu fortiter ſe defendiſſet, tandem accepto vulnere ab hoſtibus cingitur, & non ſine preſentiſſimo vitæ periculo per paludes adacto equo, capitur, cumque ipſo Paciotus, & aliquot alij. Buſquoius curato vulnere, tandem 21. Nouembris perſolutis viginti aureorum millibus, dimiſſus fuit. Interea Andreas Cardinalis Auſtriacus, accepta in militum ſtipendia ex Hiſpaniis pecunia, Traiectum ad Moſam magnum apparatum belli cõuehi iubet; & cum Mendoza, & reliquis militaribus Præfectis Venlonæ deliberatione habita, diẽ 12. Aprilis conſtituit, quo miles è preſidiis euocatus

Educta ſemel præſidia, iterum Embricam reducuntur.

Longiuallius ſeu Buſquoius Embricam ſeruare iuſſus.

Mauritio vallum iaciente ad Seuenarã, velitatur ad Embricam.

Buſquoius fortiſſimè pugnans capitur, nonnullique alij.

catus ad Ręſam recenſeretur, & luſtratione habita, in hoſticum ducere- 1599
tur. Id cùm Mauritio è litteris interceptis innotuiſſet: copias ſuas, quanta potuit celeritate, contraxit, & per proximos Batauiæ inſulæ pagos, Bemmel, Gent, Angeram, Dorenburgum, Art, Heuinum & Teloneum Cliuienſe, diſtribuit, præter decem peditum ſigna quę intra naues continuit, pontibus iam antè ad traducendum, quacumque opus eſſet, militem, Wahali & Rheno impoſitis. Ad Dusburgum itidem decem peditum vexilla & turmas aliquot equitum, quæ tam oppido quàm agro præſidio eſſent, reliquit. Iam Andreas Cardinalis ad 16. Aprilis, Ræſam, vbi Mendoza hibernauerat, venerat, ac poſtridie recenſitis copiis, cum militiæ ducibus Mendoza, Frederico Vandenbergio, Velaſco & aliis deliberauit, quà potiſſimùm in hoſtile ſolum irruptio eſſet tentanda. Nec multò pòſt, traiectis ibi aliquot cohortibus, Embricam verſus deſcendit: vbi per pontem magna exercitus parte traducta, ab vtroque latere, hinc ad Wahalim, inde Rhenum, caſtra obſidẽtium ſpecie metatus eſt. Mauritius etſi Schenckiano munimento parum metuebat, vtpote non ignarus, quantum eius oppugnatio, ea præſertim anni tempeſtate fluminibus niue ſoluta auctis, difficultatis eſſet habitura, extrema tamen illius pęninſulæ mirum in modum communire non ceſſauit, vt ab ea parte ſecurior, cum copiis alibi hoſti occurrere poſſet. Interim Grauię pontones, & reliquus naualis apparatus à Regiis præparatur; ſtatimque Sapena, Barlottus & alij cum Alphonſi d'Auali, Caroli Colomnæ, & Stanlæi legionibus, ſecundo flumine, ad Moſæ & Wahalis confluentem delapſi, Batauorum naues ſpeculatorias ſtationibus depellunt. Griethuſij adhuc non procul ab Embrica Cardinalis & Mendoza hærebant, vt Mauritius dubitaret, qua parte hoſti occurrendum eſſet, cùm Barlottus, adducto è Siluaducis terreſtri itinere nauali apparatu, in Bommelianam inſulã 9. Maij inter Caſtellam & Marem traijcit, fluuiumque ponte iungit. Quibus cognitis, Mendoza quoque cum reliqua exercitus parte è caſtris ad Haltam, ad prædictam inſulam contendit, euocato etiam, quod Embricæ hactenus fuerat, præſidio: Cardinalis verò 11. Maij Siluamducis venit. Dici non poteſt, quanta fuerit ciuium Bommelenſium primùm trepidatio, inde fuga etiam quorumdam; ſed Mauritij, qui tota nocte ſecum rapto agmine item 11. Maij, vix albeſcente cælo, vrbem ingreſſus fuerat, aduentu recreati, animum recollegerunt. Eſt munimentum, Creuecœur dictum, in ipſo angulo, vbi Dieſa fluuius Siluamducis pręterlapſus in Moſam influit. Id cùm Regiis ad conuehendos commeatus planè eſſet neceſſarium, mox 11. Maij, tribus admotis tormentis, cœpta eſt eius à Mendoza oppugnatio. Cui ſuſtinendæ cùm impar eſſet præſidium, impetrata facultate cum armis ad Hemerdam concedendi, deditionem fa-

Admirallio ſuos recenſente, Mauritius quoque aduigilat.

Regij ad vtramque Rheni ripam non longè à Schenckiano caſtra habent.

Barlottus ſubitò in Bommeliã inſulam traijcit.

Creuecœur à Regiis capitur.

1599 cit. Pontem ibi flumini impoſitum Mendoza hemicyclo, quà Helam pagum ſpectat, firmauit. Inde ad Roſſemum pagum, quaſi per Wahalim in Tilanum territorium traiecturus, exercitum duxit; ſed mox, ſiue rei difficultate territus, ſiue aliud conſilium iamdiu voluens, conuerſo agmine caſtra ſub ipſis Bommeliæ mœnibus, & poſt aggerem Veſanum poſuit, huius obiectu ab hoſtilibus iaculis maximè tuta. In eius exercitu erant duodecim circiter peditum millia, & trecenti equites; reliqui enim, quorum in inſula foſſis & paludibus impedita non magnus vſus futurus erat, cis Moſam ſtationes habebant. Eò quoque Mauritius quantum potuit virium contraxit, ac breui iuſtum exercitum, veteranorum magna ex parte confecit. Mendoza nihilominùs 17. Maij extremas hoſtium munitiones nondum perfectas magno animo, ſed parum proſpero ſucceſſu, oppugnauit. Cæſi nonnulli, & capti; & poſt hunc conatum Regij intra ſua caſtra ferè ſe continuerunt, à iaculatione tamen vix vmquam ceſſarunt. Quare Mauritius ipſe 21. Maij caſtra Regiorum inuaſit, ſed æquè parum fauente fortuna. Nam, vt aiunt, & ſignum pugnę è conſtituto datum non fuit, & Regij tempus nacti, relicto exteriori, in interius vallum ſe receperunt, atque inde ſeruatis ordinibus progreſſi, nullo negotio Mauritianos irruentes & ſuſtinuerunt & repulerũt. Mauritiani ampliùs centum cæſi, inter eos Centuriones duo, Coplandus & Gala, duo Legati, & vexillifer Anglus. Cæſi ex Hiſpanis pauci, captiq́ue vnus & alter. Ad inſultus eiuſmodi reprimendos, & ad vrbem caſtraq́; hoſtium infeſtanda, cùm Mendoza ingentes aggeres excitaſſet; Mauritius quoq; magnas moles paſſim oppoſuit; & ne hoſtis in Batauiam ſeu Batuam inſulam traijceret, citeriorem Wahalis ripam ad duo ferè millia paſſuum velut lorica cinxit, diſpoſitis pęnè continuatis ſtationibus & excubiis. Sed audi rem magis etiam miram. Dum ad Bommeliam vna pars ſic alteram laceſſit, magiſq́ue eminùs quàm cominùs impugnat, iidem Batui eorumq́ue ſocij claſſem ſeptuaginta nauium ad infeſtanda ipſius Hiſpaniæ, aut inſularum quæ Hiſpanorum ditione tenentur, littora adornant, eiq́ue vniuerſæ Petrum Duſam præficiunt. Ea 25. Maij vela in altum fecit, & ad Coronnam Galiciæ portum 15. Iunij interim ſubſiſtit, dum de primo aſſultu faciendo deliberat. Ibi ex captiuis cognitum eſt, eam oram, quòd de aduentu ipſorum iam antè fama increbuiſſet, à quatuor peditum millibus & aliquot equitum turmis pręſidio miſſis teneri. Quare iis in locis manifeſto cum periculo fortunam experiri minimè conſultum videbatur. Iter igitur verſus promontorium S. Vincentij dirigunt; & Lancerottam, Forteuenturam, aliaſq́ue inſulas prætercuecti, in magnam Canariam 26. eiuſdem Iunij appellunt, & ad Alegonam oppidum inſulæ anchoris iactis, in terram deſcendunt. Multum ibi

Admirallius caſtra ſub mœnibus Bommelenſibus conſtituit.

Erumpentes Geuſij à Regiis cæduntur.

Batui interea nihilominùs audẽt mittere qui Hiſpaniã infeſtent.

Fruſtrà tentatis Hiſp. littoribus Canariam inuadunt.

ibi & cruentè pugnatum eſt toto ferè biduo. Tandem inſulanis in montium cauernas & ſpeluncas ſe abdentibus Bataui oppido & vtraq; Arce defenſoribus vacuis potiuntur. Aliquoties Inſulani, miſſis internuntiis, cum Thalaſſiarcho de redimendis ſuis ab incendio egerunt; ſed tranſigi inter eos nihil potuit. Comportari ergo prædam omnem inuentam ad naues iubet, & in primario templo ſuæ Religionis ritu ſacris peractis, duo circiter hominum millia ad eos perſequendos mittit, qui in ſiluas & mõtes profugerant; qui tamen nullo operæpretio facto, ſeptuaginta etiam ſuorum amiſſis, paulò pòſt reuerſi ſunt. Demum 4. Iulij Arcem oppidi puluere ſubiecto euertunt, ſimulque oppidum incendunt, & ad claſſem redeunt. Vix à terra ſoluerant, cùm Inſulani è latibulis ſuis, cognito hoſtium diſceſſu, prodeunt, & ad reſtinguendum incendium accurrunt. Exſcenderunt etiam Bataui ad Gomeram, item ex inſulis Fortunatis, vno oppido munitam. Vbi cùm omnia fugientium veſtigiis eſſent plena, oppido vacuo potiti, quadringenti ex eis, vt fugientes cum præda intercipe-rent, alia parte in vallem quamdam deſcendunt, ſed eluſi, ad montana vſque perſequuntur. Hîc claſſiarij loci iniquitate circumuenti, præcluſo omni ad fugam exitu, armis quàm poſſunt fortiſſimè ſe tuentur, tãdemque multis vtrimque occiſis, trepidè, ſole iam ad occaſum vergente, in vrbem vacuam ad ſuos reuertuntur. Ibi per ſtationes diſtributi pernoctãt; manè ſequenti omnia loca, in quibus defoſſum aliquid credebatur, excutiunt, ſed præter pauca vini dolia, tres machinas æneas, & campanas aliquot, nihil repertum. Itaque Thalaſſiarchus concilio habito, ne pluribus ſuos obijceret periculis ſine fructu, ex omni numero naues triginta & quinque firmiores ſeligit, ceteras præfecto Ioanne Gerbrandi cum exigua præda domum remittit. Ipſe cum ſuis S. Thomæ inſulam ſub ipſo Æquinoctiali ſitam petit. Habitant ibi Luſitani. Inſula tota cùm aliis rebus, tum maximè ſaccari prouentu abundat. Expoſitis in terram militibus, Thalaſſiarchus oppidum Pauoaſam oppugnat, & parum ſtrenuè ſe defendentibus Inſulanis, ſine magna ſuorum iactura expugnat, capto Franciſco Meneſio totius Inſulæ Præfecto. Hîc cùm gens è Septemtrionalibus locis profecta, & frigoribus potiùs ferendis quàm æſtibus, qui ibi ardentiſſimi ſunt, aſſueta, cupidè ſe aqua ingurgitaret, humi etiam aſſiduè cubaret, morbus & vehemens & contagioſus vniuerſum exercitum peruaſit, quo plures magno cum dolorum cruciatu quotidie extinguebantur. Præda igitur aliquantò ampliore, quàm quæ in Canariis reperta, nauibus illata, domum redire Thalaſſiarchus decreuit. Sed iam plerique omnes morbi peſtilentiſſimi ſemina receperant, qui tanta immanitate graſſatus eſt, vt, præter magnum claſſiariorum & nautarum numerũ, Thalaſſiarchus ipſe omneſque cum eo Centuriones, duobus tantùm ex-

1599

Incenſo oppido, ad naues cum præda reuertuntur.

Inuadunt & Gomeram inſulam, ſed exiguo ſuo commodo.

Denique ad inſulam S. Thomã peruadũt, ſub ipſo Aequinoctiali.

Pluribus tabe conſumptis pauciſſimi in patriam redeunt.

1599 ceptis, Campis & Caluardo, ibi perierunt. Pauci qui ſuperfuerunt, vt vix regendis nauibus ſufficerent, tandem menſe Februario anni ſequẽtis domum redierunt. Intereà ad Bommeliam magna itidem vtrimque contentione terreſtribus copiis res geruntur. Et Hiſpani quidem, exeunte Maio, duobus ſupra Tielam milliaribus ad Drutam vicum traijcere Wahalim conati, à Mauritio, qui confeſtim cum ſexdecim peditum ſignis, & quinq; equitum turmis eò aduolauerat, pedem referre coacti ſunt. Ad hæc graues ſimultates inter Mendozam & rei tormentariæ Præfectum, itemque Barlottum & Sapenam alioſque Chiliarchas Hiſpanos exſtiterunt, fruſtrà diſſidia componere annitente Cardinali. Barlotto homini impigro & rei militaris perito, & ex gregario milite per omnia bellica munia ad magnam dignitatem euecto ſuccenſebant Hiſpani, quòd is Bommeliæ obſidendæ præcipuus auctor atque inſtigator fuiſſet. Sic enim ille diſſerebat, nullibi in hoſticum penetrandi commodiorẽ monſtrari occaſionem; hincque etiam Hiſpanici exercitus terrorem multò longiùs ac latiùs ſparſum iri. Contrà Sapena & alij, aliò quocumque potiùs arma conuertenda cenſebant. Milites præterea multarum rerum inopia confecti, & ad omnem hoſtis impetum expoſiti, vix à ſeditione poterant cohiberi, vulneratis & ægris vicina omnia xenodochia & noſocomia erant referta, ſic vt multi obſidionem ſoluendam eſſe cenſerẽt. Concilio ſuper ea re coacto, dum alius aliud cenſet, transfuga Germanus caſtrorum metandorum peritus ad Cardinalem venit, locumque caſtello ædificando valdè opportunum commonſtrat, in iſthmo quodam inſulæ, ad pagum Roſſemum, inter Moſam & Wahalim, quo vtriuſque fluminis nauigatio impẽdiri, viciniſque locis velut compedes inijci poſſint. Cardinalis ipſe poſt alios cum prẽcipuis Ducibus ad inſpiciendum locũ profectus conſilium probat, operiſque initium quamprimùm fieri iubet. Preſidiis deinde diſpoſitis, & incenſis tuguriis, 3. Iunij caſtra ad Roſſemum transfert. Mox quoque Mendoza pontem, quo ad Creuecœur Moſam iunxerat, aduerſo flumine ſubducere, & inter Alenium & Matrem pagos ſternere iuſſit. Mauritius interim admotis itidem propiùs vndiq; ad hoſtem caſtris, in id vnicè intentus, vt tranſitum fluminis intercluderet, in Teruora inſula ſupra Bommelianam prætorium fixit. Ad 5. diem Iunij prima Regij propugnaculi, cui à S. Andrea deinde nomen fuit, iacta ſunt fundamenta. Magno ac propè incredibili & labore & ſumptu caſtelli huius conſtitit exædificatio, pomeriis ad inſtar oppiduli ſanè quàm latis deſcriptis, tum molatrinis, piſtrinis, omniſque generis ædificiis, & ſacello etiam D. Andreæ ab ipſo Cardinali conſecrato ornati. Periculum quidem, ſi Regij loco tam opportuno ſtatiua ſibi figerent, intelligebat Mauritius; opus tamen prohibere non poterat, quòd ad eum locum

Interim in caſtris Regiis ad Bommeliã oriuntur ſimultates.

Multis cæſis vulneratiſq; Hiſpani nonnulli ſoluendam obſidionem cenſent.

Sed ecce ſubitò locus eos detinet, vbi poſteà munitio S. Andreæ.

Munitio S. Andreæ inſtar oppiduli erigi cœpta.

locum terrâ vnus tantùm per aggerem à Regiis inſeſſum & munitum, iſque anguſtus admodum pateret aditus. Nihilominùs Mauritius nouum opus, quacumq; poſſet ratione, Regiis oppoſiturus, 3. Iulij veſperi è Teruora inſula, traiecta per pontem ibi confectum copiarum parte, Heruerdum vicum, & nonnihil ſubiecti agri, ſubitariis munitionibus amplexus eſt. Lorica erat iuſtæ altitudinis, foſſa lata duodenos, profunda ſenos pedes, ligneis tignis confertim admodum infixis vndique munita. Idque mirum, tantum opus quatuordecim horarum ſpatio eò perductum, vt etiam vehementi aſſultui ſuſtinendo par eſſet. Seriùs is conatus à Regiis animaduerſus, quã vt impediri poſſet. Interim inclinante iam die (is erat 4. Iulij) ad opus diſturbãdum, cum tribus Hiſpanorum & Italorum millibus à Mendoza miſſus Gaſpar Sapena, magno animo impetũ fecit; tantoq; ardore nõnulli irruerunt, vt & ſuperata foſſa, & conuulſo vallorũ ordine, ipſam loricam aſcenderint, & haſtis ac gladiis cominus pugnarint; ſed miſſilibus, quæ tam è munitionibus, quàm nauibus in proximo flumine ſtantibus (quarum vna tamen ab Hiſpanis tormentorum ictibus perforata & demerſa fuit) iaciebantur, confecti, ampliùs centum amiſſis, ad ſuos ſe receperunt: quorum à diſceſſu dies ac noctes continuatis operibus Naſſouiani totum ferè pagum permunierunt; econtrà Regij vallum à Moſa ad Wahalim ductum ad ſui defenſionem obiecere. E regione Teruoræ in vlteriori Moſę ripa itidem Mauritius Litſenhammenſem agrum munitionibus incluſit, Moſæ ponte impoſito; atque ita pontem Regiorum infeſtauit, vt ad Creuecœur rurſus Mendoza eum demiſerit. Nec intereà ceſſabat equitatus. Et quidem 12. Iulij Henricus Naſſouius, comitantibus Briautæo & aliis è nobilitate Gallica, è munitionibus Heruerdianis progreſſus, inque armis ſe oſtentans, temerè prælium committit, in quo Monglaſſius, magnæ in Francia expectationis iuuenis, grauiter vulneratus paulò pòſt obiit. Triduo quoque pòſt Mauritius ipſe, traiecto ad Litſenhammum Moſa, cum ſex millibus circiter equitum ac peditum ad Brabantiæ pagos Liddam, Caſtellam & Maram contendit, eo conſilio vt circumducto exercitu, Regios per hoſpitia diſtributos à tergo (frontem enim tantùm hoſtibus obuerſam munierant) aggrederetur; quod Gallorum nimis celeriter procurrentium imprudentia fertur diſciſſum. Regij enim, re intellecta, ſtatim ſigna extulerunt, & inſecutos Naſſouianos, iamq; vallum aſcendere conatos deturbarunt. Hinc Mauritius opera firmiora cernens, iamque ad Regios vndique auxilia confluere intelligens, receptui canere iuſſit, amiſſis circiter centum. Denique exædificato caſtello S. Andreano, inq; id & proximas munitiones è Barlaymontij, Aſſicurtij & Comitis Embdani legionibus, trium millium circiter virorum præſidio cum neceſſario commeatu, & tredecim tor-

1599

Econtrà Mauritiani muniũt Heruerdũ.

Alio item loco propugnaculum propugnaculo opponitur.

Velitatio vna & altera.

S. Andreano præſidio munito, Regij in Brabantiã redeunt.

1599 tormentis maioribus, impoſito, Mendoza exercitum, totum ferè ad ſeditiones ſpectantem, Ducumq; diſcordiis in factiones ſciſſum, 22. Iulij è Bommeliana inſula in Brabantiam traduxit, & inde per hoſpitia diſtribuit. Vbi dum Regius hęret exercitus, Guilielmus Naſſouius cum decem equitum & quinquaginta peditum ſignis ad Dotecemum in Friſiæ & Geldriæ limite poſitum oppugnandum mittitur, & facto 25. Auguſti oppugnationis initio, & tribus machinis muralibus collocatis, & ſua & omnium opinione faciliùs expeditionem eam confecit. Præſidiarij enim (erant verò quatuor ſigna, Præfecto Inico Ottaiola) metu perterriti, vt cum armis & impedimentis ſibi exire liceret pacti, biduo poſtquam hoſtem ad mœnia vidiſſent, & oppidum & vicinam arcem Schulenburgum Naſſouio tradidere: qui loco vtroque præſidiis firmato, exercitum die 30. eiuſdem Auguſti in Mauritij caſtra reduxit. Intereà copiæ Germanorum ſeu Imperij, de quibus antè dicere cœpimus, conuenerant peditum & equitum ſimul, vt ferebatur, viginti millia, quibus præerat Comes Lippienſis. Quæ cùm infra Coloniam veniſſent, Lippienſis mox Orſouiam Cliuienſe oppidum occupat, & præſidio firmat. Inde 26. Iulij munitionem in inſula ad Rhijnbercam poſitam expugnat, interfectis nonnullis. Verùm cùm maioribus machinis & apparatu tormentario, cuius procurandi curam Weſtphalici ſuſceperant, & non miſerant, deſtitutus, totum fermè mẽſem arma inaniter oſtentaſſet, inter Duces cõſultatum fuit, vtrùm à Mauritio & Confœderatis ea ſumere liceret. Iis acceptis, cõiunctis cum Mauritio auxiliis, decreta fuit Gennapij oppugnatio: ad eámque rem Mauritius pontem Wahali ad Nouiomagum imponere parabat. Sed id veritus Mendoza, ſuos 15. Auguſti è præſidio Gennapienſi quàm celerrimè euocauit, hacque ratione, ne Germani cum hoſtibus ſe coniungerent, impediuit. Ita progreſſi Germani Arcem ab Hiſpanis relictam præſidio firmarunt, & nihilominùs in Brabantiam facta excurſione, monaſterio, pago & templo Audenroiæ direptis, primam hoſtilitatis actionem contra Hiſpanos extra fines Imperij exercuerunt, eamque rem non Hiſpani tantùm ſeu Regij, ſed ipſi etiam Weſtphalici circuli Ordines ęgerrimè tulerunt. Quibus rebus cognitis, Mendoza Ferdinandum Madrutium in Germanorum caſtra mittit, rogatque, cùm in eo iam totus ſit, vt miles ab Imperij finibus abducatur, & Archidux de iniuriis, quas illatas ſibi multi conqueruntur, ſatisfacere paratus ſit; ecquam ob cauſam ad ſe veniant oppugnandum? Hîc Lippienſis, ceterique Duces, pro re nata conſilium ſe capturos, & tum deniq; Cardinalem certiorem facturos, reſponderunt. Gennapio recepto, ad Rhenum eſt reditum. Ræſam Hiſpani adhuc præſidio tenebant. Huic præerat Ramirus Guſmannus nobilis Hiſpanus cum tribus Hiſpanorum, duobus Burgun-

Dotecemũ poſt biduũ obſidionis Mauritianis ſe tradit.

Germani Imperiales Orſouiam ad Rhenũ recuperãt.

Iiſdẽ verſus Gennapium tendentibus Regij eam deſerunt.

Arrogans reſponſum Germanorum ad Legatum Regium.

Burgundionum, vno Gallobelgarum, & tribus Germanorum ſignis. 1599
Equitatus in oppido nullus erat, præter quinquaginta equites, Botbergio ductore. In aduerſa Rheni ripa munimentum erat, è quo facilis erat in oppidum traiectus. Præfectus, vbi ſeriò rem agi, ſeque oppugnari vidit, Franciſcum Blumium ad Mendozam mittit. Is ex iis copiis, quas ſecum habebat, mox ſexcentos deligit, eiſque Andream Orticium ſtrenuum bellatorem præficit, qui ſequenti die cum delectis Moſam paulò infra Gennapium traijcit, & in munimentum, quod contra Ræſam erat, peruenit. Inde noctu, tanto cum ſilentio, nauibus priùs cõductis, Rheno ſuperato, Ræſam ingreditur, vt omnem aduentus ſui præuenerit rumorem. Nec multa mora: manè 10. Septembris dato ſigno, porta ſexcenti circiter in tres manipulos diſtributi erumpunt, & obſidẽtium munitiones ingreſſi, quinquaginta circiter interficiunt, ſupra centũ vulneratis; tum tormenta quædam clauis ferreis adactis corrumpunt, vnum etiam in vrbem trahunt, plura abſtracturi, ſi funes neceſſarij ad manus fuiſſent. Magnum hic tumultus in Germanorum caſtris terrorem excitauit; hacque offenſione accepta, caſtra, quà hoſtis venturus timebatur, meliùs communiuntur: eamque ob cauſam cùm Orticius ſequenti die ſecundam eruptionem, vbi Hohenloius ſtationem habebat, tentaſſet, fruſtrà fuit, aditu vallo ligneo cuſpidibus ferreis præfixis obſepto. Iam antè quoque non vno incommodo Germanorum exercitus laborabat, & inprimis Ducum diſcordia & conſiliorum diuerſitate. Accedebat quòd Brandeburgica legio ob vnius & alterius menſis non ſoluta ſtipendia ferè ad tumultum inſtigaretur, vt & Heſſica. Erant in caſtris, qui quam primùm ad Mauritium mittendum, eumque rogandum cenſerent, vt Guilielmum Naſſouium patruelem cum delecta veteranorũ manu mitteret; cuius interuentu & diſſidia componerentur, & prudentia res meliùs adminiſtrarentur. Miſſus ad id Smelzingus. Is cùm vix in viam 12. Septembris ſe dediſſet, ſeditiones paſſim in caſtris, terrore inſuper hoſtium qui iam bis eruperant accenſæ, tantopere inualuere, vt caſtra transferenda, atque aliò deducendum militem plures ſuaderent, antequam maior offenſio acciperetur. Id 13 Septembris fieri cœptum, tanta confuſione ac trepidatione, vt vix abductis machinis muralibus, non exiguam vim commeatus Hiſpanis diſcedentium veſtigia prementibus diripiendam reliquerint. Plures maximè ex Brunſwicenſi & Heſſica legione turmatim dilabebantur. Qui reſtabant, ad veterem Seuenaram conceſſere. Sed nec diu ibi morati, quà cuique commodum, profugerũt, præcipuè hoc adferentes, numquam paſſuros, vt ab Imperij finibus deducantur, aut in Confœderatorum Batauorum ſtipendia adigantur. Soluta diſciplina, & diſſipato exercitu, Hohenloius & Solmenſis Comi-

Germani Ræſam obſidere inſtituunt.

Obſeſſi magnam cladem obſeſſoribus inferunt.

Diſſident inter ſe Duces Germanorum, pars etiam pro ſtipendiis tumultuari incipit.

Diſcedunt turpiter Germani ab obſidione Ræſæ.

tes

1599 tes 24. eiuſdem Septembris, hic Gorcomium, vbi Ordines Fœderati comitia habebant, ille Hagam-Comitis profecti ſunt, inſtanter petentes, vt Gennapij & Embricæ præſidiariis ſtipendia numerarentur, ne, tumultuante milite, duo tam opportuna loca Hiſpanis iterùm velut in manus traderentur. Orſouiam quoque adhuc Imperij nomine tenebat Lanſbergius; verùm is, audito expeditionis ſucceſſu, ſibi quoque in tempore diſcedendum exiſtimauit. Quid Gennapio & Embricæ acciderit, dicemus, vbi Albertum Archiducem cum Sereniſſ. Infante in Belgium priùs reduxerimus. Is (vt anno ſuperiori narrauimus) Mediolani trigeſimo Nouembris, cum ſponſa Regis Philippi III. ob incommodum anni tempus mortemque Regis patris ſubſtiterat; vnde demum 3. Februarij huius anni per Ticinum itinere facto, Genuam venerunt. Vtroq; loco magnificè & ſplendidè excepti, 18. eiuſdem Februarij triremes conſcendunt, & claſſem ad portum Sauonenſem appellunt: vbi aliquot dies ob aduerſam tempeſtatem commorati, Liguſtici littoris oram legunt, Naulum, Finarium, Bargetum, Albingaunum, portum Mauritij, D. Remi fanum, Vallem Oneliam, Villam-frācam ſiue portum Herculis Monœci, & Niceam, Genuenſis territorij oppida præteruecti, tandē ad portum Maſſiliæ, iactis anchoris, ſubſiſtunt. Dux Guiſius, Prouinciæ Narbonenſi præfectus, Franciæ Regis nomine quæuis officia cum obſeruantia quanta potuit maxima Regiis ſponſis obtulit & præſtitit, amiciſſimeque in Arcem, oblatis etiam, vti ferè apud Principes mos eſt, portarum clauibus, inuitauit, & claſſem commeatu iuuit. Regina ſua naui non deſcendit, niſi vt rei diuinæ, quæ ſub poſitis quotidie in littore tabernaculis fiebat, intereſſet; Archidux verò Albertus cum duabus triremibus Maſſiliam profectus eſt, ibique viſitatis Sanctorum reliquiis, ad ſuos eſt reuerſus. Inde 20. Martij, ſinu Narbonenſi traiecto, in portum Colibrēſem ſunt delati. Hinc maritimam oram Tarraconenſis Hiſpaniæ legentes, Rhodam portum, Lunarium promontorium, ipſam denique Barcinonem celeri nauigio præteruecti, in portu conſtiterunt, Alfaques vulgò dicitur. Hinc Valentiæ Regni fines attigerunt, iamque peracto curſu, in portu Biuaros, vt Hiſpani indigetant, Regina deſcendit; miſſuſque ad Regem Principis Auriæ filius, qui de ſecunda nauigatione & aduentu certiorem faceret. Die 31. & vltimo Martij terreſtri itinere ad D. Matthęi fanum perrexerunt; quo loco Deniæ Marchio è Borgia familia, iam Dux Lermæus, ſuperuenit, & Reginæ reuerenter ſalutatæ Regis expoſuit mādata. Vnde ad Gabannas, tum ad Villam regalem (locorum ſunt nomina) progreſſi, Regina cum matre ad Sagunti ruinas, vbi nunc Moruedre vicus eſt, iter inſtituit; Archidux Albertus eſſedo expedito ad Regem ſponſámque ſuam Infantem complectendam perrexit. Inde Madritum ad viſi-

Solliciti ſunt Fœderati, ne Embricâ & Gennapio iterùm Regij potiantur.

Sed nunc iter Archiducis porrò eſt proſequendum.

Excipitur comitatus Archiducis ſplendidè ad Maſſiliam nomine Regis Franciæ.

Littora legentes denique in Valentiæ Regno deſcendunt.

ad visitandam matrem Augustam profectus, Valentiam reuertitur. Rex 1599
intereà sponsæ suæ videndæ miro desiderio incensus, assumpto communi Equitis nobilis habitu, Regis nomine ad salutandam Reginam missi, ad eam se confert. Vbi à matronis quibusdam, quas tum in suo comitatu Regina habebat, agnitus, incredibili cum omnium lætitia & plausu excipitur. Interea Valentiæ ad Regias nuptias celebrandas maximi & incredibiles fiebant apparatus; quibus iam paratis, 18. Aprilis Regina solemnem ingressum Valentię fecit Regali verè magnificentia, in quam dicuntur insumpta tricies cẽtena coronatorum millia. Portam arcu triumphali splendidissimè exornatam transgressa Regina, gradario candido vecta sub vmbella aurea, quæ à Valentinianis viginti Nobilissimis gestabatur, ad templum deducitur, ponè sequentibus matre & Alberto Archiduce, cum Reginæ gynæceo, & infinita Nobilitate. Cùm autem Regia Maiestas cum Infante Sereniss. per scalam secretam descendissent; Nuntius Pontificius post solemnes cęrimonias, Regem primùm, deinde Archiducem interrogat, vtrùm matrimonia promissa per Legatos, coram Pontifice Maximo inita, rata haberent. Cùm vterque annuisset, omnes simul ad Altare accedunt, genibusque flexis dum preces decantantur, coniugium confirmant. Discessum est inde ad Palatium, vbi nuptialis festiuitas, quanta potuit vel cogitari magnificentia peracta est, & producta in dies octo, nullo genere spectaculorum, quibus animi recreantur, prętermisso. Octauo spectaculorum die Rex Philippus Albertum Archiducem, aliosque duos Principes viros, aurei Velleris creat equites. Demum 14. Maij vniuersa pompa Barcinonem traducitur; ibique Regno Rex & Regina inaugurantur.

Rex habitu ignoto sponsam salutat.

Ingreditur Regina Valentiam incredibili pompa.

Celebrantur binæ nuptiæ simili magnificentia.

ANNALES TVMVLTVVM BELGICORVM SVB ALBERTO AVSTRIÆ ARCHIDVCE ET ISABELLA CLARA EVGENIA HISPAN. INFANTE XLIV. BRABANTIÆ VII. BELGII VNITI PRINCIPIBVS.

1599

Archidux & Sereniſſ. Infans verſus Belgium feſtinant.

ALBERTVS & Infans Sereniſſima, de rerum Belgicarum ſtatu ſolliciti, 7. Iunij Barcinone ſoluunt, & Tarraconenſe littus præteruecti, traiecto ſinu Narbonenſi, oramque Liguriæ legentes, eodem itinere, quo Archiducem in Hiſpaniam veniſſe deſcripſimus, in portum Genuenſem paucis diebus appellunt: à cuius ciuitatis Duce Laurentio Sauli in Grimaldi mortui locum nuper ſuffecto, & reliquis Magiſtratibus multis cum honoribus excepti, omnibuſq; officiis, quamdiu ibi ſubſtiterunt, culti fuerunt, vt & Ticini, ac inprimis Mediolani. Relictâ Italiâ per Heluetiorum fines profecti, ſuperatis celſiſſimis Apennini iugis, Lucernam primùm, Baſileam inde perueniunt, vbi pro more gentis comiter excepti, & boue auenaque donati, in Burgundiam iter deflectere decreuerant: ſed rebus Belgicis aductum eorum quàm celerrimum flagitantibus, per Alſatiam, Lotharingiam, agrumq; Luxenburgicum, Namurcum celeriter ſunt digreſſi, ibique dies aliquot diſcutiendis longinqui itineris moleſtiis dederunt. Ad Brabantiæ fines Duci-

Veniunt celeriter per Italiã, Heluetiã, & Lotharingiam, in Belgium.

ALBERTVS ET ISABELLA CLARA EVGENIA
XLIV. BRAB. VII. BELGII VNITI PRINCIPES.

1599 Ducibus præſtò fuerunt Ordinum eius Prouinciæ Legati, cum magno honeſtiſſimoq; comitatu, qui Principibus aduentum gratulati, Hallam eos, inde Bruxellam 5. Septembris deduxerunt. Pompas incredibiles ibi exhibitas, qui volet, legat in Bochio; nobis ſufficit obiter ſuprà attigiſſe exhibitas in eadem vrbe Archiduci nondum ſponſo: quantas ergo ſimul præſenti ſponſæ & Dominæ? Intereà poſt paucos dies quoq; Fredericus Spinola, ex illuſtri apud Genuates familia, cum ſex triremium inſtructiſſimarum claſſe, inter Caletum Galliæ, & Doueram Angliæ, Septemtrionem verſus curſu paululùm deflexo, ne in Batauos, Flandriæ littus duce Iuſtino Naſſouio obſidentes, incideret, & præter hoſtium opinionem, & præter ſuam ipſius ſpem ſine pugna 11. Septembris portum Sluſenſem tenuit. Quæ claſſis quantum negotij Zelandis & Batauis exhibuerit, ſuis locis dicetur. Archiduces cùm ab itinere quieuiſſent, ſeque collegiſſent, 24. Nouembris Louanium, quæ Brabantiæ metropolis eſt ab antiquo, magna ciuium gratulatione ingrediuntur, & ſequenti die, qui D. Catharinæ feſtus eſt, Ordinibus ſolemne præſtant & ab iiſdem accipiunt iuramentum, à nobis ſcilicet breuiter ex Bochio anno ſuperiori 17. Auguſti relatum. Qui idem Bochius addit hoc loco & iſta verba: Deinde Læti « Introitus priuilegium, ſuarum Celſitudinum manibus ſignatum, ab Au- « dientiario eſt perlectum. Tum Infans Sereniſſima tactis manu Euange- « liis iuſiurandum præſtitit; quod & ab Archiduce ſeparatim factum eſt. « Habitæ ibi deinde Orationes gratulatoriæ doctiſſimæ & grauiſſimæ à Doctore Theologo Iacobo Baio, & poſtridie ab Vniuerſitatis Rectore: quæ quia prolixiores ſunt, & ſeorſim exſtant, hîc prætermittentur. Hoc præterire nulla ratione queo, rarum & eximium, quòd non ſolùm diſputationi publicæ intereſſe Archiduces, ſed inopinatò prætereà ad Clariſſ. Viri I. Lipſij Auditorium accedere, eumq; ex re nata aliquid ſubitò dicere voluerint. Exſtat grauiſſima Oratiuncula auditorum calamis celerrimè excepta. Ex ea non poſſum quin pauca ſaltem carptim Annalibus inſeram. Sereniſſimi, inquit, & potentiſſimi Principes; etſi, fateor, haud « planè rudem & tironem me eſſe in dicendo; tamen hic ſplendor veſter, « qui oculis meis inopinatus apparuit, turbat me aliquid (non nego) ſed & « delectat. Itaque parebo libens Serenitati veſtræ, quæ me voluit ſubitò & « ex tempore pauca dicere. Non recedam autem longè (nam & ſic iuſſiſtis) à more lectionis ſolitæ. Annæum Senecam (æternum Hiſpaniæ decus) in manus ſumo, & pauca eius verba, à confeſſu & tempore hoc non « aliena, explicabo. Ait 1. de Clementia cap. 3. Illius demum Principis « magnitudo ſtabilis fundatáque eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe quàm « pro ſe ſciunt; cuius curam excubare pro ſalute ſingulorum, atque vniuerſorum, quotidie experiuntur. Quo procedente, non tamquam malum « aliquod

Appellit paulò poſt etiam Spinola Sluſa cum ſex triremibus.

Inaugurantur Principes Louanij.

vbi & Lipſium volunt aliquid ex tempore dicere.

Lipſius modeſtè prolocutus, quod petebatur, aggreditur.

Verba ſunt Senecæ, deſcribentis Principem, cuius magnitudo ſit ſtabilis.

» aliquod aut noxium animal è cubili proſilierit, diffugiunt; ſed tamquam 1599
» ad clarum & beneficum ſidus certatim aduolant, obijcere ſe pro illo mu-
» cronibus inſidiantium paratiſſimi, & ſubſternere corpora ſua, ſi per
» ſtragem illi humanam iter ad ſalutem ſternendum ſit. Pauca verba,
» vt ſolet ille Scriptor, ſed magnæ rei incluſæ, & à me breuiter educen-
» dæ. Ait, Illius demum Principis magnitudinem ſtabilem eſſe.] Cuius?
» qui hæc faciet, quæ ſuggerit. Quem omnes tam ſupra ſe eſſe.] Dignitas *Quid ſit Principem ſupra & pro populo eſſe.*
» Principis tangitur & eminentia. Quis autem neſcit? Ille eſt imago & ex-
» emplar Dei in terris, rerum moderator & arbiter. Quid amplius? pro ſe
» eſſe.] O monitum eximium! ô in duobus verbis incluſum finem mu-
» nuſque Principatuum! Addit noſter: Curam eius excubare pro ſalute
» etiam ſingulorum.] Itáne excubare? vt nec noctes vacuę exceptæq; ſint?
» Nec noctes. Magna fortuna magna ſeruitus eſt, ait quiſpiam. Imperator
» Rudolphus, ille, dico, primus auctor & fons magnitudinis veſtræ Au-
» ſtriacæ, cùm tenuiores aliquot homines aditum ad eum captarent, & ſa-
» tellites aſpernati reijcerent, Per Deum, inquit (ipſa Annalium verba po- *Illuſtre dictum in eamdem rem Rudolphi I. Auſtriaci Imp.*
» nam) ſinite homines ad me venire: non enim ideò Imperator ſum, vt in
» arcula includar. Pergit noſter: Quo procedente, non tamquam malum
» aliquod aut noxium animal (tigris, lupus, ſerpens) è cubili proſilierit, dif-
» fugiunt; (quod in Caligula, Nerone, Domitiano obſeruare licuit) ſed tam-
» quam ad clarum & beneficum ſidus certatim aduolant.] Ita ſanè, ad-
» uolãt, non accurrunt; certatim, non lentè aut timidè; viæ, domus, oppida
» ſunt anguſta. Videtíſne, ô noſtri Principes, tamquã ad clara & benefica
» duo ſidera cõcurrimus; tamquam ad gemellos illos Caſtores reſpicimus
» in diuturna hac Belgica tẽpeſtate. Sequitur: Obijcere ſe pro illo mucro-
» nibus paratiſſimi.] Ego, Sereniſſ. Principes, publica Belgarum voce & *Voto Lipſius claudit; ardẽter inprimis in ſtirpem.*
» ſenſu offero. Voto claudam; vt felicibus auſpiciis cœptum hoc Impe-
» rium diuturnum ac ſtabile vobis, & ſtirpi veſtræ (ô Deus eam donet) ſit,
» cum Dei ipſius, cum veſtra gloria, & publica Belgarum ſalute. Hæc ex
illa inſigni Oratione carptim. Louanio relicto, Duces Bruxellam repe- *Inauguratur Principes quoq; Bruxellæ & Antuerpiæ.*
tunt, ibidemque 28. Nouembris itidem inaugurati, 5. Decembris arcem
Antuerpienſem ingrediuntur, ac quinto poſteà die ante domum Senato-
riam iuramentum conſuetum præſtant & accipiunt, incredibili pompa
& magnificẽtia: quam ſi quis cognoſcere cupiat, Ioannis Bochij librum
ea de re ſcriptum legat. Sed iam reliqua huius anni bellica, quæ poſt ad-
uẽtum Principum in Cliuia & alibi geſta ſunt, adnectamus. Recedente
ab obſidione Reſæ Germanorum Fœderatorumque exercitu, ac tãdem
ante 24. Septembris, eo omnino diſſipato, Hohenloius & Solmenſis, vt
diximus, inſtãter agebant apud Ordines Confœderatos, vt his qui Gen-
napij & Embricæ in præſidio erant, ſtipendia numerarentur, ne tumul-

1599 tuante milite, duo tam opportuna loca Hiſpanis iterùm veluti in manus traderentur. Ita qui Gennapij collocati erant, ad 3. vſque Nouembris oppidum & Arcem cuſtodierunt, quo tempore Mendoza, admoto exercitu, & pulſatis muris, locum recepit, ſuumque ei præſidium impoſuit. Embrica reſtabat, cui Bilandij Baro Reidanus præerat. Is idem veritus, ſuoque militi diffidens, à Mauritio auxilia poſtulauit: qui ſine mora Edmundum Scotum & Duuenuordium cum quindecim peditum, & Sideniſcium cum quinque equitũ turmis eò miſit. Hi aduentantes 16. Nouembris, portas oppidi clauſas repererunt, tam ciuium quàm militum quorumdam ſtudiis. Vbi dum Præfectus cura æſtuat, ac ferè de rei ſucceſſu deſperat, iam Edmundus portam Rhenanam arietabat; quam etiam accurrentium quorumdam intus auxilio tandem perfregit. Sic ingreſſus ſub ſignis, rectà ad lapideam portam contendit, ac per itidem efractam ſocios accipit, paucis amiſſis. Poſtridie Sideniſcius, Edmundus & Duuenuordius, conſtitutis rebus, & pacatis vtcumque ciuibus, Reidano decem peditum ſigna ad oppidi cuſtodiam tradunt, reliquos verò in vicina Confœderatorum præſidia reducunt. Sic Embrica ad 18. Ianuarij ſequentis anni in Confœderatorum poteſtate manſit. Et quidem illi Germanos ſub ſignis Reidani militantes, magnis promiſſis ad ſe pellicere conati fuerant, ſed fruſtrà, Duce Brunſwicenſi copias omnes ſuis auſpiciis coactas domum reuocante; cùm Mendoza iam anteà 18. Decembris ſuos quoque Reſâ eduxiſſet. Idem vſque medium Decembris copias circa Brabantiæ, Geldriæ & Cliuiæ confinia cõtinebat, occaſionem, vti videbatur, per flumina & ſtagna gelu concreta in hoſticum penetrãdi præſtolaturus. Et profectò ſi vmquam, ea certè hieme, hac quidem in re aura Hiſpanis fauere videbatur, fluminibus & aquis paſſim totum ferè menſem tam craſſa glacie ſtantibus, vt vel grauiſſima onera ſuſtineret. Quominùs verò quidquam tentarit Mendoza, cauſa putatur, quòd copias, ceteroquin etiam ob non ſoluta ſtipendia imperij non valdè patientes, longiùs haberet diſperſas, quàm vt breui tempore contrahere eas, & ſumma cum celeritate (qua vna huiuſcemodi inuaſiones conficiendę ſunt) in hoſtem ducere poſſet. Quæ res vt ad iam dictum conatũ magno fuit incommodo, ita ſeditioni interim, quę alioqui totum exercitum Archiducum peruaſura videbatur, vires quodammodò ſubtraxit. Seceſſiones nihilominùs aliquot factæ. Slegelij vexillatio Germanica, adiuncta ſibi Nicolai Baſtæ Epirotarum equitum ala, Peram oppidulũ Leodienſis agri, per ſcalas ſuperatis muris, & aliquot ciuibus occiſis, diripuerunt. Ad eos miſſus Ioannes Iacobi Belgioſa Comes, nec admiſſus nec auditus fuit. Equites etiam, præſertim Henrici Vandenbergij Comitis, per agrum Iuliacenſem & Colonienſem licentiosè graſſabantur. Tandem quoque

Admiratius Gennapiũ Cliuiæ iterùm capit.

Ex altera parte Fœderati Batauí occupant Embricam.

Exiſtimãtur Archiducales per glaciem in hoſticũ penetraturi.

Seceſſiones Archiducaliũ pluribus locis, magno vicinorum damno.

quoque exeunte anno, mille & ducenti circiter equites peditesque variis 1599
è nationibus Wertam in Campiniæ finibus, & Hamontium Leodiensis ditionis oppidum vi occuparunt, & vt imperij aliquam speciem retinerent, Ioannem Alfonsum Maium peditatui, & Martinesium equitatui præesse iusserunt. Ad hos quoque pacandos missus Sapena, conuitiis ac minis ab insolente milite est abactus. Optimum ergo factu, & ad res præsentes commodissimum ratus Mendoza, ne frequentiores cœtus coirent, militem quàm latissimè dispergi, eos qui reliqui erant in agrum Limburgensem, Falckenburgensem, Luxemburgensem, & Namurcensem distribuit, nonnullis etiam Eindhouiæ, Helmontij, Thienæ & Liræ collocatis.

Admirabilius itaque reliquum militem quàm latissimè dispergit.

VARIA.

In Francia agi cœptum de nouis nuptiis Henrici Franciæ & Nauarræ Regis, deserta Margareta Valesia Henrici II. Regis filia, quæ vxor iam inde ab anno septuagesimo secundo vltra sesquimillesimum habita fuerat. De hoc ista Gordonius: In Gallia, cùm Margareta Regina Valesia, magnis naturę dotibus ornata Princeps, sed quæ tertio sanguinis gradu Regem contingebat, de quo impedimento matrimonij cum Henrico nulla Pontificis venia intercesserat, aliam etiam, vti plures scribunt, dissoluendi matrimonij aperuisset causam; effectum vt Summus Pontifex, ex Principis vtriusque consensu, improbato hoc matrimonio, locum iure fecerit nouo coniugio cum Maria Medicæa, Francisci Hetrurię Ducis filia. Peractas nuptias vendicat sibi proximus annus. Sic ille. In alia Europæ parte Andreas Battorius Cardinalis, inito cum Soltano Thraciæ fœdere, Transiluaniam occupans, Valachiam etiã sibi subijcere parabat. Sed Michaël Vayuoda, qui pro Cæsare ibi stabat, collecto exercitu, fudit Transiluanos, potitus vrbibus Clausenburga, Husta, & Alba Iulia. Periit Cardinalis, à Valachis in fuga trucidatus: sicque Transiluania ad Rodolphum rediit tota. Henricus Ioyoseus Illustrissimi Cardinalis Ducis Ioyosei frater, spretis magnis opibus, quas annuente Pontifice Prorex in Occitania nuper ciuilium bellorum tempore colligere potuerat, iterùm nuntium sæculo remittens, in pristinam se Patrum Capuccinorum abdit disciplinam. In qua posteà egregius Concionator factus, sanctissimè obiit, vnica filia superstite, quæ Monpenserio Principi Borbonio nupsit. Quo etiã tempore Marchionissa Bellinsulana, Fuliensium Monialium institutum secuta, egregium contemptarum deliciarum exemplum posteris reliquit. Mense Februario Ienicopiæ in Suecia celebrata Comitia; quibus declaratum, Sigismundum Poloniæ Regem, non ampliùs Suecis Regem esse aut haberi, quòd receptam in eo Regno Religionem mutare tentasset; nî filium Vladislaum quinquennem, aut Ioannem intra menses sex in Sueciam mittat, illic educandum, quò deinde secundùm

In Frãcia agi cœptũ de nouis nuptiis Henrici Regis.

Turbæ in Transil uania & Valachia.

Illustria duo exẽpla spreti mũdi in Frãcia.

1599 leges & Religionem Regni is regere noſſet. Quorum cùm neuter mitteretur, decretum; Dux Carolus Sigiſmundi patruus, & hactenus Prorex, vniuerſa quæ Regij muneris ſunt gerat, amiſſaq; armis recuperet, & defendat. Menſe Maio, Antonia Ducis Lotharingiæ filia Coloniam Agrippinam venit, & 20. Iunij, Duſſeldorpij Duci Cliuiorum nupſit.

Rex Sueciæ Regno priuatus, & quare.

1600 Dum noui anni 1600. initia, inaugurationibus nouorum Principum Alberti & Iſabellæ variis in vrbibus deinceps parantur (ſcilicet vt nuper Louanij, Bruxellæ & Antuerpiæ, ſimiliter inaugurati ſũt Gandaui 28. Ianuarij, Cortraci 3. Februarij, 6. eiuſdem Tornaci, 9. Duaci, aliiſq; diebus alibi.) Mauritius à transfugis edoctus Wachtendonckum Geldriæ oppidum, quod Carolus Mansfeldius ante 12. annos poſt duorum menſium obſidionem ceperat, inſidiis eſt aggreſſus. Id negotij Ludouico Naſſouio & Edmundo Scotorum Tribuno datum. Hi 22. Ianuarij ad Bebberenſe non procul à Cliuia Monaſterium octo equitum turmas & octingentos pedites lectiſſimos cõuenire iuſſerunt; & circa meridiem iter cum plauſtris aliquot ingreſſi, multa iam nocte Nievvkerkam peruenerunt. Hîc curatis aliquantulùm corporibus, per foſſas glacie concretas, aliaque loca aditu nõ admodum difficilia præmiſſi aliqui, multò quàm ſperauerant procliuiora omnia repererunt. Erant omnino in oppido & Arce tantùm octoginta præſidiarij pedites (equites nulli) qui illis ipſis diebus in agrum Colonienſem pabulatum ſeu prædatum egreſſi, in itinere Vanderflutam arcem ſpoliarant, præda tamen à Bonnenſi & Brillano milite iterùm exuti. Maturè quidem inſidias ſenſerant Wachtendonckani, ac magno tumultu ad arma vndique conclamabant; at in tanta propugnatorum paucitate Naſſouiani facilè per raras ſtationes in oppidum penetrarunt. Quo occupato, Arx reſtabat; ad quam capiẽdam, interim dum ceteri ſcalas expediunt & applicant, à Naſſouianis ſclopetarij aliquot primarij in editiori oppidi vallo collocati ſunt, qui continuis iaculationibus defenſores muris ſummouere niterentur. In Arce erat Gelenius, magno tum ſuo incommodo à milite ferè nudus. Triginta enim tãtùm circa ſe habebat: & quamuis extemplò maiores copias per celeres equos à Comite Vandenbergio Ruremondâ miſſos expectaret, tamen & vulnere circa fauces accepto debilitatus, & hoſtium numero ac pertinacia victus, tandem manus dare coactus fuit. Nam & equitum quidam ex equis deſcenderant, & magno animo per vallum & muros enitebantur: quos vbi intra Arcem iam ferè conſiſtentes viderunt, vitæ incolumitatẽ pacti deditionem fecerunt. Militare tum puella ex ancillis Præfecti vna edidit facinus: quæ, arrepta furca, irruentibus ſeſe opponens, ſtrenuè locum ſuum tutata eſt, & vno ictu, euerſa ſcala, quinque viros deiecit. Magna in oppido & Arce præda fuit reperta ex agris vndique, vtpote in locum

Inaugurationes Archiducum variis in oppidis.

Fœderati VVachtendonckum per inſidias aggrediuntur.

Poſt aliquantam pugnam oppido & Arce potiuntur.

Militare facinus euiuſdam puellæ.

cum tutiſſimum à ruſticanis congeſta, quæ militi ceſſit. Quinto Februarij ſingulare illud certamen iuxta Siluamducis inter oppidum & pagum Hiluort fuit inter Belgas & Francos, hac ex occaſione. In exercitu Batauorum inter ceteros militabat ex nobilitate Francica, ætate & viribus ferox Dominus Briautæus, è Normannia: qui ob ſtrenui militis armis acquiſitam exiſtimationem turmam equitum ducebat. Eius in bellico hoc munere Vicarius cum turmæ ſuæ parte, in parem ferè equitum numerum ſub nobili Domino Antonio de Grobbendonck militantium, méſe Nouembri ſuperioris anni fortè inciderat. Dimicatum fuit acriter. Francis ceteris fuſis fugatíſve, prædictus Vicarius in Grobbendoncanorum viuus venit poteſtatem; abductuſque Siluamducis, de re infeliciter geſta litteris fecit certiorem Briautæum turmæ Ducem. Ille hunc ſuorum caſum indignè ferre, ignauiam eorum increpare, minimè dignos eſſe addens, qui ſub Briautæo militent; quorum virtuti tantum tribuebat, vt nō modò vicenos equites cędendis quadragenis eius turmæ ſufficere diceret, verùm etiam reipſa, data occaſione, hoc demonſtraturum ſe, litteris aſſeueraret. Quæ cùm in manus Vicarij turmæ Grobbendoncanæ peruenissent (ſiquidem omnes ad captiuos litteræ à cuſtodibus aperiuntur priùs & leguntur, quàm eis tradantur) indignè admodum tantam contumeliam, vti interpretabatur, ferens, eidem reſpondit; ſe nec cauſæ pro qua militabat æquitati, nec contubernalium virtuti diffidere; non tamen ſuæ nationi, nec turmæ ſuæ Præfecto, nec commilitonibus huiuſmodi ignominiam velle inurere, vt tam diſparis numeri conditione velut ſuperior manus cum hoſte ſuo conferat; ſed ſi equitum ſuorum vires tantopere cupiat explorare, pari ſe, cùm vellet, numero dimicaturum. Miſſis igitur vltrò citroque per tubicines litteris, ac pugnæ die ac loco conſtituto, cùm de armorum genere, quo in bello nunc vtuntur, binis ſcilicet tormentis manuariis longiuſculis, gladio & lorica, quoque conueniſſet, datis vtrimque cautionibus de partis victricis ſecuro ad ſuos reditu, viginti duo vtrimque (ſic enim conuenerat) in certamen dicto iam die 5. Februarij in ericetum Vuchtenſe inter oppidum Siluamducis, & pagum Hiluort deſcenderunt, dicto priùs per Grobbendoncanos ſacramento, ſe nemini, ſi victoriam Deus ipſis conceſſerit, poſt conflictum parcituros, ſed ad vnum omnes, etiam deditionem facere cupiētes, præter tubicines, interempturos. Signo pugnæ per tubicines dato, tam vehemens prima impreſſio fuit, vt viginti ſex equi in vniuerſum ſternerentur, & ex Grobbendoncanis Gerardus Abrahami, vulgò Laccerbetius, turmæ Vicarius, à Briautęo deiectus & plumbea glande ictus, cum fratre Antonio, & vno & altero caderet. Briautæus, equo quo vehebatur interfecto, in recētem, à ſuis adiutus inſiliit: itaque pugna vtrimq; recruduit, in qua Briautæus, iterùm

1600

Occaſio duelli inter 22. & 22. iuxta Siluamducis.

Franci aliquot Fœderatu militantes à Grobbendonckiis funduntur.

Briautæus turmæ Dux arroganter Grobbendonckio inſultat.

Hinc ergo indictum duellum, ſcriptæq; leges.

1600 iterùm amiſſo equo, tertium nactus eſt. Nec Gerardi & fratris eius morte Grobbendoncanorum animi conciderunt, ſed ad vindictam acriores ſunt facti. Concurſu ergo iterùm facto, cùm nonnulli Francorum primo ſtatim impetu diffugerent, plures verò, amiſſis equis, pedites pugnarent, ad Grobbendoncanos victoria inclinauit. Franci qui ſupererant, paulatim in fugam omnes abierant, præter ipſum Briautæum eiuſq; cognatum; quorum vtrumque, licet grandi pretio vitam paciſci vellẽt, cùm aliquamdiu in victorũ poteſtate fuiſſent, turmæ Grobbendoncanæ alij, qui victoribus gratulatum occurrerant, multis vulneribus confecerunt, & eorum cæde manibus ſuorum parentarũt. E Grobbendoncanis quinque deſiderati ſunt; è Gallis quatuordecim, vt quidem libellus Gallicè Siluæducis editus habet: alij nouem tantũ ex iis cecidiſſe aſſerunt. Briautæi temeritatem plerique omnes, etiam amici, damnabant; econtrà Regij, Siluæducenſes inprimis, ſuorum virtutem ad cælum vſque laudibus efferebant: ſereniùs iudicabũt poſteri. Inter hęc Claudius Barlottus cum duabus, ſua videlicet & Aſſicurtij legionibus in procinctu ſtabat, per glaciem in aliquam confœderatarum Prouinciarum, vti putabatur, alibi irrupturus. Verùm ſeditioſos, qui Hamontium occuparant, copiis ſuis adiungere fruſtrà conatus, 15. Februarij Sanct-Andreanũ caſtellũ peruenit, habitaq; ibi luſtratione, partem aliquam præſidij eam in expeditionem ſecum ducturus videbatur, nec tamen, vt creditur, adeò de eius euentu ſollicitus, quàm ſeditionem, quæ ibi quoq; ſcintillabat, amoto turbulentiſſimo quoque militum, anteuertere, & in ipſa herba extinguere cupiẽs. Milites primùm tumultuari, & magna voce ſtipendia poſcere, minari etiam; Barlottus econtrà & Prẽfecti obteſtari, promittere, periculum, hoſte tam vicino, reiq́ue indignitatem oſtendere. Cùm iam placatus videretur miles, imperiumq́ue accepturus; ecce ſub veſperam pleriq; omnes, coitione facta, Præfectorum hoſpitia effringunt, eoſq́ue captiuos in vincula conijciunt, direpta etiam Gubernatoris domo, captiuoſq́ue ſequenti die 16. eiuſdem Februarij cum vxoribus & liberis Siluamducis ire permittunt. Horum exemplum imitati Creuecœurdienſes vicini, ſtatim & ipſi imperium abiecerũt; ſic vt Barlottus ſpe deiectus, ad Moſam iterùm, nulla re perfecta, ſed ſeditione magis accenſa quàm reſtincta, ſe receperit. Ad famam huius expeditionis quam Barlottus inſtituiſſe dicebatur, in Batauia inſula ſeu Batua vehementer fuit trepidatum; adeò vt Mauritius ipſe cum numeroſo militum agmine, & machinis aliquot campeſtribus Dordraco per glaciem Papendrechtum attractis, Goricomum profectus fuerit, in omnem euentum ad Archiducalium conſilia intentus. Intereà ſeditio inter Archiducales milites magis magiſq; inualeſcebat, de cuius remediis varia erat & anceps apud Archiducem deliberatio. Alij, in quibus

Poſt tres cruentos congreſſus, Grobbendonckani vincit.

Numerus caſorum vtrimque.

Barlottus fruſtrà ſeditioſos Hamontio educere conatur.

Quin & Sanct-Andreani pro ſtipendiis tumultuantur.

Conſilia varia pro ſeditioſo milite cõprimendo.

bus Mendoza, aſperiora ſuadebant, inſigni exemplo ad ſiſtendam tam præcipitis mali contagionem opus eſſe dictitantes. Eam ob cauſam tria tormenta Traiecto Moſano educta, & Mendoza cum duobus Burgundionum millibus à Varabonio nuper conſcriptis, totidemque Germanis & Gallo-Belgis, quibus non multum debebatur, ad caſtigandos rebelles proficiſci iuſſus. Sed nec hi, nec quiſquam aliorum contra commilitones proficiſci ſatis parati erant. Quapropter alij minimè conſultum dicebant, vt inuitus miles contra profligatæ audaciæ homines duceretur, vel certam cladem accepturus, vel ijſdem ſe mox coniuncturus; repetita memoria eorum quæ annis abhinc quinque Sichemi ab Italis & Hiſpanis conſimili ſeditione laborantibus facta eſſent. Conniuendum ergo aliquantiſper; interim verò mutandis præſidiis, & expeditionibus minoribus contra hoſtes ſuſcipiendis rebellium vires infringendas eſſe. Cùm verò nihil horum ex voto ſuccederet, & tumultus latiùs indies graſſaretur, ſeditioſis Hamontij commorantibus de Principum conſenſu Dieſtæ ſtatiua aſſignata ſunt, & equiti quidem viginti octo, pediti decem ſtuferi in dies ſingulos ad ſumptus quotidianos, donec ſtipendia exſoluerentur, promiſſi. Mox ergo à Teſſeda duo peditum millia, & mille circiter equites in oppidum introducti; qui non ſemper ad diem repræſentata pecunia, non vicinas tantùm, ſed remotas etiam regiones, factis in Hannoniam vſq; excurſionibus, grauiter afflixerunt, & imperata dum adhuc Hamontij eſſent tributa, ad aſſem dependere coëgerunt, fruſtrà intercedente, ac rei indignitatem multis verbis demonſtrante Ioanne Iacobo Belgioſa Comite, eum in finem à Principibus miſſo. Carporum quoque Arcem, non longè à Colonia, viginti duo pedites, & pauci equites initio tenebant, quorum mox numerus, accurrentibus vndique ſeditioſis, in tantum excreuit, vt ducenti equites, Hiſpani ferè omnes, numerarentur. In iis reconciliandis Ferdinandus Lupus Arci præfectus multùm deſudauit, neque tamen ante Auguſti menſis exitum quidquam perfecit. Inter Grauiam & Venlonium pars exercitus Archiducum adhuc conſidebat; quæ antequam inde abduci poſſet, vicinorum exemplo à ſignis ferè diſceſſit, & plures coitione facta, cùm iam numero fiderent (erant quippe equites trecenti, quingenti pedites) Hamontium (vnde paulò antè ſocij Dieſtam conceſſerant, petierunt) electis ex more, qui ius inter ipſos dicerent. Ea propter veritus Ludouicus Velaſcus, ne reliquæ copiæ itidem ad ſeditioſos dilaberentur, vltra Moſam, quaſi Rhijnbercã petiturus, eas duxit; ſed priuſquam, quò intenderat, perueniſſet, ea nocte qua circa Venlonum in pagis Nieuwkerkam & Altkerkam caſtra habebat, trecenti ferè equites ad ſeditioſos transfugerant. Ex quibus rebus ſanè facilè intelligi poteſt, quantis difficultatibus initio ſui Principatus Archidu-

1600

Tentantur atrociora, ſed fruſtrà.

Hamontianis Dieſtæ ſtatiuæ certis legibus aſſignantur.

Quin & ad arcem Carpen Archiducales tumultuantur.

Noui itein per tumultum Hamontium occupant.

1600 chiduces fuerint conflictati. Illic enim hoſtis vrgebat vigilantiſſimus, & magna agitans animo; hîc, vt diximus, milites ob non ſolura ſtipendia imperium detrectabant; ciues & agricolæ à militibus miſerè diuexati, luctu & querelis omnia complebãt. Quibus vniuerſis vt medicinam adhiberet Archidux, Comitia omnium Ordinum Bruxellis habuit ſub finem Aprilis. Multa ibi propoſita & replicata, ſed plura non niſi menſe Iulio, vt tunc dicemus, confecta. Seditionibus his apud Archiducem graſſantibus, Mauritius iam tum 18. Martij Hagâ profectus, Dordracum venerat, quò octoginta peditum ſigna ex hibernis exciuerat: ſtatimque & milites & commeatus ducentis nauibus impoſitos per aduerſum Moſam ſubuehi iuſſerat, ſparſo interim rumore, Flandriam peti, & 21. eiuſdẽ Martij ad Creuecœur munimentum nõ longè à Siluaducis eos expoſuerat: quo die è Sanct-Andreano præſidio circiter centũ & triginta milites miſſi in munimentum recepti ſunt. Mauritius nihilominùs poſtridie, munitiones agere, & obſidionis initium conſtituere cœpit, excitatis aggeribus in quibus tormenta locarentur, miſſoque tubicine, deditionem fieri poſtulauit. Præſidiarij (quatuor ſigna erant, Gallo-Belgæ omnes) rebellionis ſibi conſcij, & hoſtium in oppugnando diligentiam conſpicati, deditionem, non expectata oppugnatione, pacti ſunt: quæ 24. Martij facta eſt, his conditionibus; vt qui è Sanct-Andreano eò venerant, ad ſuos eis receptus permitteretur. Ex his & duobus reliquis ſignis centum circiter milites Mauritio & Confœderatis ſacramentum dixerunt, reliqui facti veniam à Præfectis impetrarunt; quæ niſi plena concederetur, ſe quoque, qua cuique proximum, abiectis armis dilapſuros interminati. Creuecœur capto, Mauritius deinde 26. eiuſdem Martij promotis Alemum vſque caſtris, & mira celeritate, qua Brabantiam præſertim ſpectabant, communitis, omnes aditus, quibus Sanct-Andreanis ſuccurri poſſit, obſedit, tantò faciliorem ſibi ſucceſſum promittens, quantò certiùs de præſidiariorum rebellione conſtabat: perforatiſque ad Liddam aggeribus plana omnia circa Oſſam, Geffam, & Nieuvlandiam ita inundata fuerunt, vt aqua Siluamducis vſque ſtagnaret. Giſtellus Littoiam cum duodecim peditum ſignis miſſus, eius loci quoque pertuſo aggere, eluuionem valdè auxit, & ne hiatus ab Archiducis militibus obturaretur, ducta circùm foſſa & vallo, præſidio manſit. Marenæ interim ex aduerſo Sanct-Andreani in editioribus locis duodecim murales machinæ collocatæ, quibus caſtrum vndique diuerberaretur; omniáque ab aquis vacua munitionibus incluſa & præſidiis firmata. Obſeſſi nihilominùs aſſidua tormentorum diſploſione impigrè ſe initio defendebãt. Obſeptis omnibus partim diluuio partim hoſtili opere viis, Archiducales, Ludouico Velaſco & Barlotto ductoribus, obſeſſis opem ferre tentarunt, ſed re infe-

Interim Mauritius ſuos ex hibernis eduxit.

Capiunt Mauritiani Creuecœur iuxta Siluamducis.

Mox etiam obſident munitionẽ Sanct-Andreanam.

Fruſtrà tentant Archiducales Sãct-Andreanis ſuccurrere.

re infeliciter tentata, retroceſſerunt. Siluęducenſes inprimis, vt obſeſſis animum adderent, nihil omnino intermittebant. Semel 10. Aprilis nauigia aliquot planis carinis per loca aquis ſtagnantia, Maram vſque penetrarant, ſed ab hoſtibus conſpecta repulſa fuerunt. Iam multarum rerum, & inprimis medicamẽtorum inopia laborantibus præſidiariis, tum duobus ibi hominum millibus ſine legitimo Magiſtratu, præterquam eo quem ipſi elegerant, exiſtentibus, Mauritius propiùs atque adeò ad ipſum vallum actis munitionibus, & ponte ab Alemo ad aggerem vſque Roſſemianum trecentos ſexaginta paſſus longo ſtrato, ad aſſultum ſuos comparabat. Tum præſidiarij, abiecta omni auxiliorum ſpe, internuntium miſerunt ad Mauritium, cum his poſtulatis: Tradituros ſe caſtellũ, ſi quater centena aureorum millia, quæ ipſis ab Hiſpaniarum Rege & Archiduce ſtipendij nomine debebantur, Mauritius numerari curaret. Datis vltrò citroque binis obſidibus, poſt multam diſceptationem oblata ipſis fuerunt centum & viginti quinque aureorum millia. Ita 6. Maij

» pacta eſt deditio; Pecunia omnis inter milites pro cuiuſq; ſtipendij præ-
» tenti ratione, aut eo quem ipſi approbaſſent modo, diſtribueretur. Om-
» nibus domum diſcedere cupientibus recepto argento ſaluus conductus
» præſtaretur. Ægri & vulnerati, quoad conualuiſſent, in oppidum aliquod
» vicinum Confœderatorum reciperentur. Qui ſub Mauritio Confœde-
» torum militiam ſequi vellent, non peiori haberentur quàm ceteri qui-
» cumque milites conditione. Ad hoc militibus, interueniente Mauritij
» Principis conſenſu, fas eſſet octo è Gallo-Belgarum, & tres è Germano-
» rum numero ſibi eligere Centuriones. Hæc 7. Maij communi vtrimque conſenſu firmata, 8. & 9. eiuſdem menſis facto ipſo completa ſunt. Ceſſerunt ibi Fœderatis machinæ maiores octodecim, vaſa pulueris nitrati circiter ſeptuaginta, ferreorum globorum quatuor millia, frumenti & polentæ ſatis magna vis, & inprimis copioſa omnis generis armatura. Qui Ordinibus ſacramentum dixerunt, ſub vndecim ſignis in vnam legionem redacti, Noui Geuſij appellati ſunt. Tribunus eis datus Comes Henricus Naſſouius, Vicarius Marquettus. Occupato hoc pacto munimento Sanct-Andreano, nihil prius fuit Mauritio, quàm vt maritimum aliquod Flandriæ oppidum tentaret, Zelandorum maximè precibus fatigatus, quibus biremes Sluſenſes, aliæq; naues armatæ è portubus Duynkerkano, Neoportano & Sluſano egredientes quotidie multum damni dabant; ſimul vt Oſtendam, cuius excurſiones exactioneſque incendiariæ, circumpoſitis caſtellis ſeptem, (Alberto, Iſabella, Ianſtæno, Grootendorſta, Columba, Plaſſendal, & Bredena, caſtellorum nomina ſunt) ab hoſte ad annum integrum & ampliùs fuerant intercluſæ, diutina obſidione liberaret. Itaque 17. Iunij deceſſit in Zelandiam Mauritius, ibiq;

1600

In munitione duo millia hominum ſine legitimo Magiſtratu.

Dedunt ſe Sanct-Andreani, quadrageſimo obſidionis die.

Plures ex eis dant nomina Fœderatis, dicti vulgò Noui Geuſij.

Mauritius Oſtendam caſtellis ſeptam liberare tentat.

1600 impoſito in claſſem exercitu, in quo centum viginti octo peditum erant ſigna, & viginti quinque equitum turmæ, triginta machinæ murales, & ſeptem campeſtres, cùm ventum ſecundum aliquamdiu fruſtrà expectaſſet, imminuto valdè equis pabulo, ſoluere tandem, & ad quamcumque Flandriæ oram, cùm Oſtendam tenere non poſſet, appellere conſtituit. Ne verò intereà Prouinciæ detrimenti aliquid caperent, Guilielmum Naſſouium patruelem in Friſia, & Comitem Hohenloium ſeu Holackium in Brabantiæ finibus hoſtium conatus obſeruare iuſſit. Sic igitur oram legens Mauritius, & ad Scaldis oſtium non procul à portu Gandauenſi appulſus, 21. & 22. Iunij exercitum in terram expoſuit, in quo duodecim circiter peditum & duo equitum erant millia, cùm iam anteà, qui primi exſcenderant, munitionem Hiſpanicam, Philippinam nomine, à quadraginta præſidiariis deditam occupaſſent. Luſtrato ibi exercitu, datiſque poſtridie in dies ſex militibus ſingulis cibariis, Aſſenedam inſtructo agmine contendit, & inde ad vicum Ekeloum; vnde, circumducto ad vrbem Brugas exercitu, Audenburgum verſus. Quod etſi mediocriter munitum, diffugientibus tamẽ ſua ſponte præſidiariis, vnà cum munimento Bredena, Naſſouianis patuit. Audenburgum quidem ſitu valdè opportunum Mauritius quingentorum circiter peditum, ſub Tribuno Pironio, & centum quinquaginta equitum præſidio muniuit; Bredenæ verò Brugeſium cum quinq; peditum ſignis & vna equitum turma impoſuit. Sic ergo Oſtendam peruentum eſt 28. Iunij. Mox miſſus cum parte copiarum Comes Solmenſis ad caſtellum Alberti, ſitum in tumulis arenoſis inter Oſtendam & Neoportum, quod 29. Iunij, vt & poſtridie munimentum Snaskerkanum, deditionem fecit. Aperto iam aliquo modo itinere, & ſoluta obſidione Oſtendana, itum in Neoportanos eſt à Mauritio. Vbi occupato vrbis portu, expugnatiſque munimẽtis ibi excitatis, in vtraque ripa caſtrametatus eſt, relicto à parte Oſtendæ, vbi minus ab hoſte periculum videbatur, Erneſto Naſſouio, cum tertia circiter militum parte, reliquo exercitu in vlteriorem ripam, quæ Duynkerkam ſpectat, traducto. Archidux Albertus, vbi in Flandriam appuliſſe Mauritium cum exercitu accepit, periclitanti Flandriæ opem ferre feſtinauit. Quin etiam magni aliquid gerendi oblata videbatur occaſio; in medio ſcilicet hoſtiũ Naſſouianos, procul à ſuis, illinc Oceano, hinc vrbibus hoſtilibus incluſos poſſe, interceptis itineribus Oſtendanis, ſi non obrui, certè inedia abſumi. Quare ſine vlla mora ſigna aliquot in Geldriæ finibus, ad prohibendas Wachtendoncanorum excurſiones collocata, per Ludouicum Velaſcum euocauit, & magnis itineribus in Flandriam contendere iuſſit. Vna reſtabat cura, quomodo ſeditioſi, apud quos flos ferè militum erat, ad arma capeſſenda inducerentur.

Exponit ſuos non procul à portu Gandenſi.

Occupata Philippina, luſtrat Mauritius exercitum.

Capit & alias munitiones; deinde ad Neoportũ caſtrametatur.

Archidux & ipſe quã celerrimè copias contrahit.

Ad

Ad eos profecti Archiducũ iuſſu Comes de Sore, Gandauenſis arcis Prę- 1600
fectus Herrera, & Alphonſus Daualus, promiſſis atq; obteſtationibus tã-
tum effecerunt, vt in bellum exire, hancq; operam Principibus nauare ij
qui Dieſtæ erãt annuerint. Gallo-Belgis ſiue Wallonibus nouem men- *Promiſſis ſtipendiis ſeditioſi quoque Dieſtenſes prodeunt.*
ſiũ fuere promiſſa ſtipẽdia, Hiſpanis, Italis, & Germanis plena eius quod
ipſis deberetur, intra nouem mẽſium ſpatium ſolutio. Non parum ſedi-
tioſos mouit, quòd Archidux ipſe in prælium exiturus, & vel cum capitis
periculo hoſtem propulſaturus dicebatur; quem eo rerum ſtatu deſerere
turpiſſimum, & in multa ſęcula ſibi ignominioſum videbant. Ita hi qui
Dieſtæ erant ſeditioſi (nam qui Hamontij erant, nullis precibus aut pro-
miſſis Marchionis de Monte nigro & Aſſicurtij flecti potuerunt) relicto
Dieſtę ad ſarcinas præſidio, equitum & peditũ ſimul duo ferè millia ſub
vnius ſui Electi vexillo & imperio ad deſignatũ ipſis locum (erat is pagus *Cõueniunt Archiducales ad Lãgebruggam propè Gandauũ.*
Langebrugge prope Gandauum) alacriter properarũt; quò iam Barlottus
etiam, aliiq; Tribuni ſuas quiq; adduxerant legiones. Vbi copias omnes
ad Langebruggã conueniſſe Archidux accepit, die 28. Iunij Gãdauo vnà
cum cõiuge Iſabella profectus vniuerſum exercitum luſtrauit, in quo re-
cenſita dicũtur centum & quadraginta peditum ſigna, equitũ verò octo-
decim turmæ, quibus additus fuit ſeditioſorum Dieſtenſium globus, in
quo ſexcenti circiter optimè inſtructi & lectiſſimi erant equites vetera-
ni. Et Iſabella quidem, luſtrato animatoque ad fortiter agendum exer-
citu, Gandauum rediit; Archidux verò poſtridie Brugas verſus exercitũ *Luſtrato exercitu, Archidux verſus Brugas ducit.*
duxit, in quo Mendoza Admiralius, Velaſcus rei tormentariæ Pręfectus,
Fredericus Comes Vandenbergius, Campi, vt vocãt, Mareſcallus, Comes
Buquoius, Sapena, Monroius, Villarius, Daualus, Barlottus, alij. Non-
nulli autem Belgæ Nobiles Bruxellæ manere iuſſi erant, & in Ordinum
Conuentu propoſitam de tributis conferendis deliberationem expedire.
Brugas cum exercitu tranſgreſſus Archidux Audenburgum contendit,
quod Pironius cum ſex peditum ſignis & duabus equitum turmis tene-
bat. Qui, moliente oppugnationem Archiduce, 1. Iulij tam ſuo quàm eo- *Recuperat Archidux Audeburgum, & Snaskercã.*
rum, qui Snaskercæ in præſidio erant nomine, ita tranſegit, vt & cum ar-
mis & ſarcinis, ſine tamen fomitibus incenſis, & Snaskercani ſine vexil-
lis incolumes diſcederent, nec pontem poſt ſe deijcerent; ab hoc tamen
cõtractu Sanct-Andreani excluderentur. Et Pironius quidem ęgrè cum
ſuis Oſtendam euaſit, actumque de omnium vita videbatur, niſi Velaſ-
cus vim ab eis prohibuiſſet. Snaskercanos Hiſpani ſeditioſi ad vnũ om-
nes interfecerunt, inuito quidem Archiduce, qui Fredericum Vanden-
bergium ad tuendam deditorum vitam miſerat, ſed ſeriùs aduenerat.
Brugeſius, qui Bredenam præſidio tenebat, hoc nuntio conſternatus,
nondum viſo hoſte, Oſtendam in tutum ſe recepit. Nuntius harum re- *Similiter Bredenã.*

1600 rum Centurio Vagemannus à Pironio miſſus, circiter mediam noctem ad Mauritium caſtris metandis ad Neoportum, vt diximus, occupatum venit. Qui primùm vix credens, cùm Archiducem ipſum in exercitu eſſe è chirographo ipſius pactæ cum Pironio deditioni ſubſcripto, amiſſumque cum Snaskerka Audenburgum intellexit, ratus id quod erat, intercludendis itineribus Oſtendanis operam inprimis daturum, confeſtim Erneſtum Naſſouium Leſſingam præmiſit, ad intercipiendum pontem inter Audenburgum & munimentum Albertinum, viamque inſidendam qua Archiducalibus tranſeundum erat; aut ſi minùs hic conatus ſuccederet, ſaltem ſiſtendos, datis in eam rem duabus legionibus, Scotorum vna Edmundi Tribuni, Zelandorum altera Caroli Vander Noot. Tum quatuor equitum turmas iiſdem addiderat. Cùm Leſſingam Erneſtus perueniſſet, iam pontem atque aditus omnes ab Archiducis milite occupatos inuenit. Quod ergo proximum, ſuorum globum facit, copiaſque omnes, quas ſecum adduxerat, in cuneum contrahit, ratus aliquamdiu ita ſuſtinere ſe poſſe, quoad maiora ſubſidia mitterentur. At impreſſione ab Archiducalibus facta, pedites ab equitatu abſtracti, confuſis ordinibus retroacti, & ferè omnes cæſi ſunt, & duo tormenta cum omnibus vexillis capta. Commodè Archiducalibus tum cecidit, quòd viam Leſſingenſem apertam adhuc offenderant; quam ingreſſi, hanc victoriâ adepti ſunt, cùm anteà Neodamum verſus contendere pænè conſtituiſſent. Intereà magnis in anguſtiis verſabatur Mauritius. Tandem habito concilio, copias omnes in Borealem ripâ fluminis ad Neoportum reducere, & acie inſtructa Archiducalibus obuiàm ire ſtatuit; naues quoq; omnes è portu ſoluere, & in altum vela dare iuſſit, ne præſidiariis oppidi, ęſtu deſtitutę, prędę eſſent. Traductas in diuerſam ripam copias Mauritius confeſtim in aciem diſpoſuit, adiunctis impedimentis & ſex machinis. Qua cura occupato, de Erneſti clade nuntium fuit allatum. At Mauritius omnia diſſimulans, nuntios ſtatim nauibus impoſitos ablegauit, capitis pœnam ſingulis interminatus, ſi vel verbum ea de re effutirent. Circiter horam diei decimam (erat is 2. Iulij) Archidux cum victricibus copiis & octo tormentis aduentare nuntiatus fuit, quem illa diſceptatio, vtrùm Albertinum munimentum priùs eſſet expugnandum, non parum remorata fuerat. Inter Mauritianos Præfectos tum quoque diſputabatur, an non melius eſſet & tutius vallo & foſſa exercitum includere, quàm prælij aleam ſubire? At Mauritius aleam iaciendam, & vel ferro viam aperiendam, vel Oceanum epotandum eſſe dictabat. Hoc conſilio Mauritius cum inſtructa in littore (quod tum refluente æſtu latum admodum erat) acie, inter arenarum colles à dextra, & Oceanum à ſiniſtra procedens, ſtatim poſt meridiem, & ſolem & ventum

Mauritius vix credit Archiducē ipſum eſſe in exercitu.

Mauritiani cadūtur ad Leſſingam.

Magnis in anguſtiis verſatur Mauritius.

Nihilominùs inſtructa acie Archiduci occurrere parat.

Vires & ordines exercitus Mauritiani.

ventum à tergo habuit; quæ duæ res Naſſouianis non paruo auxilio fue- 1600
runt. A fronte autem aciei Mauritius ſex tormenta eratibus & aſſeribus impoſita(ne arenis mergerentur) collocarat. In prima acie equitatum ducebat Comes Ludouicus Guntherus Naſſouius, in qua nouem equitũ turmæ; peditatui, in quo quadraginta duo ſigna, cum ſummo imperio præerat Franciſcus Verius. Mediam aciem Comes Solmenſis ducebat, eratque in ea ipſe Mauritius cum fratre Comite Henrico ſexdecim ſolũ annos nato, Duce Holſatiæ, Principe Anhaltino, Coligneo & Caſtillonio Gallis, Graio Anglo, & aliis Nobilibus. Conſtabátque hęc acies media viginti quinque peditum ſignis, & ſeptem equitum turmis. Extremæ aciei præerat Oliuerius Tempel Corbequij Dominus, in qua viginti ſex peditum ſigna, & tres equitum turmæ. Sed nunc Archiducalem quoq; exercitum deſcribamus. In hoc octodecim erant equitum turmæ, qui- *Robur exercitus Archiducalis.*
bus adiunxerant ſe ſexcenti equites ſeditioſorum Dieſtenſium vno ſub globo. In peditatu tres erant Hiſpanorum legiones, duæ Italorum; legiones Buquoij, Barlotti, & Baſtoci; tum ſigna aliquot è legionibus Frederici Vandenbergij, Varrabonij, Barlaymontij, Barbanſonij, Aſſicurtij, & pedites circiter mille quadringenti ſeditioſorum Dieſtenſium ſub vno vexillo. Acies paulò pòſt inſtructas videbimus. Et erat ſanè firmus exercitus, vtpote magna ex parte veteranorum. Ex alia tamẽ parte Archidux graui conſultatione angebatur, vtrùm ſcilicet hoſtem obſidere, an rectà in eum ducere conſultius eſſet. Franciſcus quidem Mendoza Arragoniæ Admiralius, Gaſpar Sapena, & alij nonnulli ſuadebant Albertinum propugnaculum priùs expugnandum, ac paulatim hoſtem carpendum, qui itinere Oſtendam verſus obſeſſo, diutiùs in hoſtili ſolo morari non poſſit. Sic ergo fore, vt aut turpi fuga in naues ſe recipere, aut iniquo prælio dimicare cogatur. Reclamabant alij, Hiſpani præſertim, fortunæ, quæ tam facilem hactenus ſe præbuerat, inſtãdum, & militum alacritate prælium vnicè poſcentium vtendum eſſe. Tunc iactatum illud fertur, *Quanto mas Moros, tanto mas ganançias*, id eſt, Quantò plures Mauri, tantò illuſtrior victoria, ſolemne apud Hiſpanos prouerbium. Itaque cùm priores, ne ignaui viderentur, in horum etiam ſententiam conceſſiſſent, Archidux primam ſuorum aciem promouit, in qua ſeditioſi erant è variis nationibus conflati, ſine Centurionibus, ſub vnius Electi, quem vocant, imperio. His adiunctæ erant Monroij & Baſtoci cohortes, quibus à fronte circumfuſæ erant equitum alæ. Hos media ſequebatur acies, quam Villarij, Dauali & Barlotti tuebantur legiones. Extremum agmen Sapenæ, Buquoij, & aliorum claudebant legiones. Equitatus autem magna ex parte læuum cornu tenebat, peditatui verò adiunctæ quoque erant cohortes è Comitis Vandenbergij, Varrabonij,

Diſceptat Archidux rectà ne cõfligendum, an hoſtis carpendus.

Vincunt, qui totis viribus cõcurrèdum cenſent.

Acies Archiducalium.

1600 Barlaymontij, Barbanſonij, & Aſſicurtij legionibus. Et quidem pares ferè numero vtrimque erant copiæ. Cùm itaque vtraq; acies in conſpectu alterius conſtitiſſet, vterque & Archidux & Mauritius ſuos quiſque

Concurrũt acies. neruosè ad fortiter agendum hortatus eſt. Nec mora: inuocata ab vtriſque diuina ope, Ludouicus Naſſouius in hoſtem prouolans, pugnæ initium facit, ac deinde ſenſim retrocedendo, ſeptingentos Archiducis equites, ductore Petro Galero, eouſque pertraxit, vt machinatum ictibus, quas loco opportuno collocarat Mauritius, ſeſe pęnè inuoluerent; quibus diſturbati, intra tumulos & arenarum colles (maris ſunt repagula, Dunæ dictæ) ſeſe receperunt, diſploſis quoque interim in littore ſuis tormentis maioribus, ſed quæ ad primam exploſionem, fatiſcente ſubtus arena, eò quòd nec crates nec aſſeres ſubſtrauerant, immobilia redderentur. Poſt hos prima peditum acies, ductore Verio Anglorum Tribuno, Monroij

Magna alacritas Archiducalium in prima congreſſione. legioni occurrit. Diu anceps hîc peditum fuit pugna; quam equidem nemo facilè ad plenum deſcripſerit, quòd modò hi modò illi pulſi, pedem retrò ferrent, mox verò auxiliis recreati rurſus promouerent. Et ſanè quãdiu prima hæc durauit cõgreſſio, incredibilis fuit Hiſpanorum peditum alacritas & audacia, eorum præſertim, qui ſeditionis maculam inſigni aliquo facinore aut morte etiam expiare conabantur. At equitum minimè par virtus fuit. Interim, relabente maris æſtu, locus ita coarctabatur, vt pars vtraque aciem in proximos arenarum cumulos ſubducere neceſſe haberet. Acie itaque denuò ibi vtrimque diſpoſita, magnis animis iterùm concurritur. Initio tam pedites quàm equites Naſſouiani cęduntur, atque impelluntur; ſed auxiliis in tempore ſubmiſſis, in ordines reſtituti pugnam rurſus capeſſunt. Iam media etiam acies Naſſouiana incli-

Congrediuntur ſecundò, æquè magnis animis. nare cœperat; cùm vltima acies à Mauritio excita aduolat, & laborantibus fert auxilium. Ad tormenta quoque, quæ in littore collocarat Mauritius, acerrimè pugnabatur, ac parum aberat, quin, Sapena ductore, in Archiducalium ea peruenerint poteſtatem. Poſt quatuor circiter horarum in ſummis caloribus, & vento Archiducalibus contrario, conflictum, iam ſole ad occaſum vergente, prima ac media Archiducis acie ferè diſſipata, è poſtrema haſtati aliquot globo facto, prælium redintegraturi videbantur, dum ceteri ſe colligerent: quos vbi extrema ſubſidia à Mauritio ſummiſſa in fugam compuliſſent, totis caſtris Mauritij incer-

Poſtrema congreſſione Archiducales retrocedere coguntur. tus victoriam ingeminantium clamor eſt exortus; qui eos etiam qui pugna exhauſti ferè deficiebant, aut de fuga cogitabant, ad pugnam rurſum reuocauit. Vnde factum, vt Archiducales cohortes iam vltimam impreſſionem molientes, à fronte ab hoſtili peditatu, à tergo verò & lateribus ab equitatu circumuẽtæ, perturbatis ordinibus, retrocedere coactæ fuerint. Mendoza Admiralius in medio conflictu à Petri Pannerij turma

ma equo deiectus, & beneficio duorum Hiſpanorum Naſſouianis militantium ſeruatus, durante adhuc conflictu ad Mauritium ductus fuerat. 1600

Archidux Albertus, vſque ad extremum à ſuis ne latum quidem vnguē diſceſſit, multaq; pericula generosè excepit, accepto etiam, quamuis leui, in maxilla vulnere. Capti ſunt præter Mendozam ex Archiducis Nobilitate Montlimarenſis & Sapena, ſed vterque paulò pòſt vulnerum dolore extinctus: præterea Idiaques, Monroius, N. Dauila, Motta, Peroſa, aliiq; aliquot Hiſpani Præfecti. Ex Italis Magij duo, Stanga, Roius, alij. E domeſticis quoque Archiducis capti ſunt aliquot pueri nobiles cum ſatellitibus nonnullis, quos Mauritius ſtatim liberos reliquit. Baſtocus etiam Anglus & Belgæ aliquot Præfecti capti. Italorum Tribunus Alfonſus Daualus grauiter ſaucius ægrè miniſtrorum officio euaſit, vt & Dux Aumalius Gallus, & Rodericus Laſſus. E Mauritianis, præter eos qui manè ad Leffingam deſiderati ſunt, cæſi fuerunt tres equitum Præfecti, & vndecim peditum Centuriones. De numero cæſorum vtrimque in vniuerſum, admodum variant. Qui de his Gallicè ſcripſit titulo Flandriæ Conſeruatæ, Archidux, inquit, conſpiciens tandem aduerſum prælij euentum, ſine vlla animi perturbatione decernit ſe conferre ad ſuos, qui Leffingæ ad pontem iteráque tuendum erant relicti, atque ita deductus à ſua cohorte, intrepidè iuxta Oſtendam vix ab ea vltra iactū bombardæ, ad ſuos in Leffingam venit, vbi reliquum copiarum ſuarum collegit, maioremq; tormentorum & impedimentorum partem in tutum deduxit, vulnuſque ſuum obligari curauit. Et pergit idem Auctor qui cum Archiduce pugnæ interfuit: Si viritim ſupputes, plures multò ex hoſtibus cæſi ſunt, quàm ex noſtris. Nempe ceciderunt ex eis vltra quatuor millia, ex noſtris non ampliùs quàm duo millia, ſed plurimi nobiles, periitque ibi ſelectus ſtrenuæ nobilitatis Hiſpanicæ & Italicæ numerus, ex hoſte autem plerique erant inferioris ſortis, & nullo generis ſplendore inſignes. Sic ille. Mauritianus Scriptor iſta habet: In vniuerſum ſex millia Hiſpanorum cæſa dicuntur; nihilominùs tamen Hiſpani pellem ſuam perquam carè Mauritianis vendiderunt. Hoc modo ille. Victoria ergo, quamuis cruenta, potitus Mauritius, eo ipſo loco, quo prælium commiſſum fuerat, ea nocte ſub pellibus manſit; poſtridie verò manè cum exercitu ad reficiendum militem Oſtendam profectus eſt, cum ſuis quid porrò gerendum eſſet deliberaturus. Decretum ibi eſt ad Neoporti obſidionem quamprimùm redeundum; quod tamen ad tertium vſque diem ob tempeſtatem extractum eſt. Intereà Archidux per Brugas facto itinere Gandaui ab amantiſſima coniuge amantiſſimè, à ciuibus verò non vt victus, ſed vt victor ſummo cum honore exceptus, ſuos collectos iterùm ad pugnam animauerat: miſſis etiam

Archidux ipſe in maxilla læſus.

Nomina præcipuorū hoc prælio deſideratorum.

De prælij euentu ex Scriptore Archidu-cali.

De eodem ex Scriptore Mauritiano.

Vtrique iterùm ſuos edu-cere parāt.

1600 ad Ordines Bruxellis congregatos litteris & nuntiis, eos de omnibus certiores fecerat; & ſanè alio prorſus, quàm Mauritius & Ordines confœderati imaginabantur, euentu. Cùm enim anteà Ordines Bruxellis diu congregati multa grauia ac difficilia propoſuiſſent; iam nemo ferè fuit ex omnibus, quin ſtatim ſine vlla tergiuerſatione auxilia ſtrenuè conferenda, ac hoſti omnibus viribus reſiſtendum cenſeret. Cumque mox de iterata Neoporti obſidione eſſet nũtiatum, primùm eò miſſus Barlottus quingentos, inde alij ſimul ad duo ferè millia lectiſſimorum militum introduxerunt. Cum his Ioannes Iacobus Belgioſa vrbi Præfectus, aliquoties facta eruptione, multum hoſtibus damni intulit, adeò vt Mauritius, præſertim cùm alibi quoque magnæ fieri militum coitiones diceretur, obſidionem ſoluere, priùs quàm vi inde depelleretur, decreuerit. Sic ergo tormenta vix collocata Oſtendam cum omni caſtrenſi apparatu reduxit. Ne tamen nihil egiſſe videretur, ex itinere Iſabellam munitionem oppugnat. Sed non tam citò caſtra ponere potuit, quin idem Barlottus Catricio munitionis Præfecto cum valida militum manu ſubſidio aduolarit: qua quidem in expeditione prædictus Barlottus glande plumbea per caput traiectus occubuit, tantò maiori cum Archiducis dolore, quantò pauciores iam eiuſmodi militares duces habebat. Fuit hic Lotharingus ex intrepido milite gregario per omnes militię gradus ad ſummam Tribunatus Præfecturam promotus. Iſabella itaque munitione fruſtrà oppugnata, caſtellum Albertinum Mauritius dirui ac ſolo æquari iuſſit, & cùm, Archiduce in propinquo validum exercitum habente, nulla omnino ſpes in illis locis aliquid rebus ſuis commodum gerendi reliqua eſſet, Oſtendam reuerſus, copias tam equeſtres quàm pedeſtres, cum omni apparatu bellico nauibus rurſum impoſuit, & initio Auguſti in Zelandiam rediit. Inde Ludouicum Naſſouium cum magna equitatus parte in Brabantiam miſit, nihil dubitans Archiducem ipſi ſuos obuiàm miſſurum, ſeque interim conuerſis velis Caſſandam Inſulam Sluſę vicinam occupare poſſe ſperans. Sed conſilium hoc ſucceſſu caruit. Ludouicus interim Naſſouius magnam equitatus partem in Brabantiam duxerat, & 29. Auguſti Werthæ adequitãs militem inde elicere, & in inſidias pertrahere fuerat molitus: ſed is numero diffiſus (magna enim pars aberat) intra muros ſe continuit. Idem poſteà Naſſouius 29. Octobris conatus, itidem fruſtrà fuit. Maius ergo aliquid tentandum ratus, Venlonium per inſidias intercipere aggreſſus eſt, adductis ſecum duobus peditum millibus, & equitibus ſeptingentis. Sed & hunc conatum imbres continui, & viæ lutoſæ irritum reddiderunt. Et his quidem rebus poſtrema pars æſtatis à Mauritianis eſt tranſacta. Apud Archiducem verò Hamontiani ſeditioſi oppidum & caſtellum Werthanum iam tenebant, iiſque

Fruſtrà tẽtat Mauritius ſecundam Neoporti obſidionẽ.

Inſtante exercitu Archiducis, cum ſuis Oſtendam redit.

Equitatus Fœderatorum pars in Brabantiam ſe infundit.

Fœderati Venlonium intercipere conantur, ſed fruſtrà.

que ſingulis quatuordecim ſtuferi quotidie in ſumptum numerabantur, quamuis nec ſic grauia damna vicinis inferre ceſſarent. Itaque cùm extra ordinem immenſi fierent ſumptus, & infrequẽtibus etiam ſignis ſtipendia nihilominùs procederent, Archidux vniuerſas ſuas copias luſtrauit & reformauit, quamuis non eo quo par erat ſucceſſu, vt poſteà manifeſtum erit. Sed iam omiſſa aliquantiſper pugnarum mentione, quæ de pace interim quoque, etſi fruſtrà, tentata ſunt, perſequamur. Anni huius initio 28. Ianuarij (quod anno præcedenti, ita poſtulante narrationis ſerie, attigimus) Ordines Batauici ſuos Embricâ deduxerant, agebaturque deinde per Cæſaris Legatos apud Archiducem vt Rhijnberca quoque Colonienſi Archiepiſcopo ſimiliter reſtitueretur; eamq; ob cauſam Bruxellam erant profecti. Archidux poſtulata eorum ad proximum Delegatorum vtrimque Conuentum reiecerat. Et Legati quidem Ordinum Brabantiæ, Flandriæ, aliarúmque Prouinciarum Archiduci parentium, acceptis à Fœderatis tuti commeatus litteris, Antuerpiâ Bergopzomam 19. Iulij profecti ſunt, ſcilicet Gerardus de Hornes Comes Baſſignius, Philippus Bentingius, & alij. Eódem quoq; octo aut decem à Confœderatis Ordinibus miſſi venerant, à Baxio oppidi Gubernatore omnes aduentitia cœna eo die excepti. Sequenti die in Delegatorum conuentu litteræ Ordinum Bruxellis congregatorum ad Fœderatos perlectæ ſunt, hoc ſummatim argumento: Cùm Belgicis Prouinciis nihil magis neceſſarium ſit quàm bona & firma pax, miſſos à ſe quoſdam, qui eius confi-
» ciendæ rationes cum ipſis meditarentur. Hortari ergo, vt omni depoſita
» diffidentia ſincerè cum ſuis agant, neque tot hominum vota pacem ex-
» petentium diutiùs fruſtrentur. Perlectis his litteris, Fœderatorum Legati in eodem conclaui ſeorſim paululùm conceſſerunt; deinde cùm rurſum
» conſediſſent, Barneueldius verba fecit; quorum iſta poſtrema: Confœde-
» ratos nec poſſe nec velle cum Hiſpanis aut eorum ſociis vllam ſuſcipere
» tractationem, niſi Ordines coniunctis ſecum viribus exteros omnes &
» peregrinos è Prouinciis eijciant & profligent; quod ſi id fiat, facilè dein-
» de inter Belgas pacem coire, formamque Reip. inſtitui poſſe, in qua ne-
» mini Religionis cauſa vis adferatur. Ad hæc Ordinum Archiduci parentium Legati, Æquum non eſſe, vt ipſis arma retinentibus, reliqui Belgæ eo quo tuti ſunt præſidio, ſe nudent. Tum Barneueldius replicans, multis verbis formam & conditiones, quibus Belgium Iſabellæ & Archiduci in dotem conceſſum eſt, exagitauit, oſtendere conatus non iam Belgas ab Hiſpanis liberatos ſed etiã magis implicitos, quòd præter alia, liberi ex hoc matrimonio nati, non niſi ex Hiſpaniarum Regis voluntate matrimonia poſſint contrahere. Hîc Legati Ordinum Bruxellis congregatorum apertè reſponderunt, Principem ſe habere, ſine cuius conſenſu

1600

Hamontiani ſeditioſi VVertam trãſlati, nihilominùs fœdè graſſantur.

Inſtant Legati Cæſaris vt reddatur Rhijnberca.

Conuentus Bergopzomæ, ſi Pax ſanciri poſſit.

Fœderatis petentibus ante omnia exteros eijci, reſpondent alij, ipſos inæquum petere.

Replicant Fœderati, perſiſtunt alij.

&

1600 & auctoritate nihil ipſi agere velint. Eam verò eſſe ipſius humanitatem & manſuetudinem, vt omnibus in rebus quibus fieri poſſet, Fœderatis gratificaturum ſperent. Fœderati viciſſim reſponderunt, fœdus ſibi cum Principibus quibuſdam & Rebus publicis intercedere, ſine quorũ conſilio nullam ſe quoque tractationem pacis ſuſcepturos receperint. Intereà ergo dum vtrimq; communicantur conſilia, rogare, vt pacem quantum in ſe eſt, promoueant, cuius ipſi quoque ſtudio nihil prius ſint habituri. Hoc modo Conuentus hic 22. Iulij re infecta ſolutus eſt. Digredientibus Legatis, ad Ordines Bruxellis congregatos litteras obſignatas dederunt; quibus pacis eis ſtudium commendabant, & vt peregrinorum excuterent imperium, hortabantur. Cùm ergo pacis ſpem exiguam aut potiùs nullam ſupereſſe animaduerterent, Ordines Bruxellis congregati, maiorum exemplo, quorum mira ſemper fuit in Principibus iuuandis alacritas, præter indictum mox poſt conflictum ad Neoportum in ſingulos focos viginti ſtuferorum tributum, alias prætereà conficiendæ pecuniæ rationes inierunt, qua decem peditum & tria equitum millia alerentur; in quos ſingulis menſibus ter centena aureorum millia eroganda fore ſubductis rationibus eſt deprehenſum, quamuis multæ poſteà difficultates iectæ ſint; & nihilominùs bis centena illa & quinquagena ducatorum millia, quæ ſingulis menſibus in belli ſumptus à Rege promiſſa fuerant, præſtarentur. Inter hæc menſe Auguſto ad impediendas Hollandorum nauigationes, piſcationem inprimis, Dominus de Wackene è portu Duynkerkano duodecim bellicas naues militibus egregiè inſtructas eduxit. Nec mora: vix in Oceanum Septemtrionalem prouecti fuerant, cùm tres præſidiariæ Batauorum eis occurrerunt; quarum vna capta, reliquæ duæ laceræ euaſerunt. Inde in piſcatores conuerſi, manibus pedibúſque conſtrictos, & in inferiora detruſos, nauibus perforatis, foriſque ſeu tabulatis nauium clauis obfirmatis, ne enatare aut in tabulis ſeruari fortè poſſent, vnà cum nauibus in profundum demerſerunt. Contra hos Batavi claſſem aliquot nauium armarunt, quæ Domini de Wackene naues pęnè iam incluſas, ſiue negligentia, ſiue ignis, qui naues quaſdam corripuerat, violentia, iterùm amiſerunt. Earum tres Duynkerkam redierunt, cum reliquis Dominus de Wackene, è nothorum Burgundionum ortus proſapia, in Hiſpaniam euaſit, & cùm circa Gallica quoq; littora Batauicas aliquot naues cepiſſet, in portu Bilbaenſi contabuit, quòd, vt ferunt, alium ſibi prælatum videret. Hoc tempore Sluſenſes triremes non adeò Batauos aut Zelandos infeſtabant, remigibus Turcis, quos adduxerant, deſtitutæ, quorum magna pars hiemis aſperitate erat extincta, Belgæ verò captiui remis tam facilè non poterant aſſuefieri. De Turcis ex Hungaria adducendis non ſemel actum fuerat, ſed obſtabat itineris diffi-

Re infecta diſceditur.

Abiecta ſpe pacis tantò diligentiùs de bello cogitatur.

In piſcatores Hollãdos Archiducales durè graſſantur.

Admiralius de VVackene contabeſcit in portu Bilbaenſi.

difficultas. Quare Flandri, vt tantò magis ad Oſtendam obſidendã Archiducem mouerent, triremes illas à Spinola emere, & nouas inſuper fabricare voluiſſe dicuntur. Batauí interim inſignem & ipſi triremẽ, quadraginta octo paſſus longã, quindecim ęneis tormentis inſtructam, Nigram cognomine, Dordraci exędificarãt; quæ primò à Sluſenſibus captã ſuorum nauem iterùm eripuit, poſteà verò 29. Nouembris Zelandi cum prædicta triremi & celocibus aliquot per aduerſum Scaldim tenebrarum beneficio Ordammum prętereuecti, Prętoriam Antuerpienſium nauem, octodecim licet tormentis æneis inſtructam, ex aduerſo eius vrbis partis, quæ Noua ciuitas dicitur, in anchoris ad Flandricam ripam ſtantem aggreſſi ſunt, & tanta vi remorum & velorum ferreum triremis roſtrum prædictæ naui impegerunt, vt vtraque inuicem connexa hæreret, nec loco ſe mouere poſſet, donec nautarum quidam ferra ligneum Prætoriæ roſtrum abſciderunt. Intereà vtrimque acriter pugnatum eſt. Antuerpienſes quidem initio exoneratis tormentis ex Zelandis non paucos proſtrauerunt; verùm cùm & numero vincerentur, & ſubitò oppreſſi, & Nauarchi primarij præſentia deſtituti, nullam aliam expediendæ ſalutis rationem cernerent, natando ferè omnes ad ripam euaſerunt. Inde Zelandi cum Prætoria illa Antuerpienſi, & octo prętereà nauibus captiuis, Lilloum ſunt reuerſi. Antuerpiæ quidem audax hoc facinus magnum excitauit tumultum, hoſtium tubis ante ipſa mœnia clangentibus, & vulgatum illud vernacula lingua de Guilielmo Naſſouio Principe Orangiæ carmen per triumphum canentibus. Interim paulò pòſt Arenbergij Comes maris Præfectus Antuerpiam venit, vt in eos, quorum negligentiâ damnum hoc acceptum fuerat, inquireret; idemque, ne quid tale poſthac ab hoſte eſſet metuendum, in ipſa ripa propugnaculum quoque exſtrui iuſſit.

1600

Triremibus Sluſenſibus opponunt Fœderati triremem dictam Nigram.

Capiunt Zelandi plures naues ſub ipſa Antuerpia.

Ita q; propugnaculũ hãc occaſione in ripa exſtruitur.

VARIA.

In Veruini pace (de qua prolixè ante biennium) Pontifex Romanus nominatus fuit, qui de Sabaudiæ Ducis cum Franciæ Rege diſſidio arbiter pronuntiaret. Sed res infecta hactenus manſit. Dux Marchionatum Saluſſianum reddere procraſtinabat; vrgebat Rex. Cœptum inde bellum Sabaudicum ſeu Allobrogicum. Paucis diebus Rex magnam Sabaudiæ partem occupat, expugnato Burgo, Camberiaco, Mõtmeillano, aliiſque locis vſque ad Cibennica iuga (vulgò *Montcenis*) nec pax potuit, niſi ineunte anno proximo, componi, operâ Illuſtriſſimi Cardinalis Aldobrandini, ad id à Summo Pontifice delegati. Marchionatum Dux retinet; cedit Regi agrum Breſſianum; centum inſuper aureorum millia numerat ad belli reparanda diſpendia. Inter hæc Maria Medicæa, de qua anno ſuperiori attigimus, Regi Franciæ & Nauarræ Henrico deſpõſata Auenione, Regio ſpectaculorum apparatu, demum exeunte anno

Rex Francia magnã iterùm partem Sabaudiæ occupat.

Maria Medicæa nubit Regi Franciæ.

Lugduni

1600 Lugduni ab ipſo Rege excepta eſt. In Scotia ingens hoc anno & inauditum orbi innotuit Gaurienſium fratrum ſcelus, qui parricidali auſu Regem, ſpecie videndi potiundiq́ue priſcorum numiſmatum theſauri, iam iam, vt fingebant, inuenti, in Arcem quam vicinam habebant, benignè poſt venationem abductum trucidare aggreſſi ſunt, dum Rege pranſo, eius comites prandent. Admiratione dignum eſt, in tam inopinato difficiliq́ue caſu, nec Regi inermi dignos Principe ſpiritus, nec pediſſequo, qui tandem ad vocem luctantis cum parricida Regis vnicus accurrit, defuiſſe animum ad armatos duos ſicarios vnico enſe tollendos è medio. Hoc prętereà anno Sigiſmundus Battorius, olim Tranſiluanię Princeps, nunc Moldauiæ Regulus, dum Tranſiluaniam recuperare ſtudet, profligatur à Valachiæ Prorege, qui Moldauiam quoque ad Cæſaris iura tranſire cogit. Cæſar tamen Georgium Baſtam, Valacho exauctorato, præficit illis Prouinciis. In Italia interim omnium ferè animi metu ſuſpenſi hærebant, quòd Comes de Fuentes Inſubriæ regendæ nuper à Rege præfectus, magnos paſſim haberet delectus, & inſidiæ variis vrbibus ſtructæ ferebantur. Venetiis quidem Ioſephus Donatus, quòd Brixienſem arcem Fontano prodere voluiſſe argueretur, capitis ſupplicio affectus fuit, copiæ tamen magna parte in Hungariam miſſæ ſunt. Fuit hic annus in Vrbe & per orbem Chriſtianum, quà Catholicus eſt, Iubilei Religione piè cultus.

Rex Scotorum miro ſtratagemate euadit manus ſicariorũ.

In Italia trepidatũ, ſed fruſtrà.

1601 Quomodo in prelio ad Neoportum Franciſcus Mendoza Arragoniæ Admiralius à Mauritianis captus ſit, anno ſuperiori menſe Iulio narrauimus. Is anni 1601. principio Wordâ (munita Arx & oppidum eſt inter Vltraiectum & Leidam) vbi hactenus in cuſtodia fuerat, Hagam-Comitis deductus, cum Ordinibus de liberatione ſua agere propiùs cœpit: nam & iam anteà per internuntios agi cœptum erat. Et quidem cùm præter Admiralium multi quoque alij Nobiles tam Hiſpani quàm aliarum nationũ in Confœderatis Prouinciis captiui haberentur (inter quos etiam erant Franciſcus Menezius inſulæ S. Thomæ, & alius Canariæ inſulæ Præfectus, inſulis illis nuper ab Hollandis, vt diximus, inuaſis:) è contrà verò in Hiſpania, & Luſitania, aliiſq́ue Catholici Regis Regnis & Prouinciis multi nautæ, mercatores, piſcatores, & alij Confœderatarum Prouinciarum ſubditi, partim carceribus incluſi, partim etiam ad remos damnati, malè haberentur; Ordines de captiuis omnibus permutandis deliberationem ſeu ſententiam ſuam proponunt, his tamen conditionibus: Paratos ſe eſſe tam Mendozam quàm reliquos nobiles Hiſpanos alioſq́ue Regis & Archiducis miniſtros ac milites è cuſtodia dimittere, ſi viciſſim Belgicæ Confœderatæ ciues omnes, vbicumq; ipſi ſub Hiſpanorum aut Archiducis imperio belli cauſa captiui detinerentur, in libertatem

Propiùs agitur de liberando Admiralio ex carcere Hollandico.

Occaſio tranſigendi, multi vtrimque captiui.

tatem reſtituerentur, ita præterea, vt Mendoza quinquaginta aureorum millia, & ceteri quoque conſtitutum iam lytrum ſeu redemptionis pretium, & ſumptus quos fecerant, exſoluerent. Sed Mendoza pecuniam quantam Ordines petebant, à ſe ne expectarent, petiit; illud verò de captiuis liberandis à Regis ſui & Archiducis voluntate, à qua totum hoc negotium pendeat, expectandum reſpondit; illud ſimul proteſtatus, non paſſurum ſe, vt è ſuis quiſquam eximeretur. Ordines enim Fœderati Ludouicum de Villar nobilem Hiſpanum excipi volebant, petente Franciſco Verio, à quo is captus fuerat; eo conſilio, vt ſuæ gentis Anglum nobilem Ioannis Hauquini filium in India iamdiu captiuum, Villarij beneficio aut permutatione liberaret. Tandem allato Regis ex Hiſpania & Archiducis reſponſo, 16. Ianuarij res confecta eſt, & Contractus vtriuſq; partis conſenſu firmatus. E cuſtodia tum quidem exire cupiebat Mendoza; ſed cùm Ordines ſexies centena aureorum millia cautionis loco, omnes Contractus conditiones impletum iri, ab ipſo peterent, in cuſtodia manſit, vltrò citroque interim Oliuera quodam commeante. Cùm verò intereà nonnulli è captiuis Belgis in Hiſpania & alibi ſitu & ſqualore confecti, ij maximè qui ad remos ſedebant, exſtinguerentur, plerique tamen ſuperſtites in Hollandiam liberi iam eſſent reuerſi, reliqui pauci ex Indiis expectarentur, Mendoza miſſionem impetrare non potuit, quoad tria & viginti aureorum millia adhuc penderet. Ac ſic demum 29. Maij anni ſequentis poſt viginti amplius menſium carcerem Antuerpiam à Mauritij celoce fuit deductus. Memorabile eſt quod eidem captiuo & in carcere conſtituto obtigit. Eum captiuum Vlrici Falcoſteinij & Brochæ Comitis vidua apud Fœderatos Ordines immanis latrocinij, iuſſu eius, vt dicebat, in maritum ſuum à Ludouici del Villar militibus perpetrati, accuſabat, ſibiq́ue de eo ius dici petiit. Tum Mendoza, arguto reſponſo ex re nata aſſumpto, cùm ſupplici libello Comitiſſa ad mouendos Fœderatorum animos hæc verba inſeruiſſet; Maritum ſuum Brochæ Comitem Ordinum rebus ſemper fauiſſe, & non ſemel bonam nauaſſe operam: Et quis, inquit Mendoza, eum non merito ſupplicio affectum dicat, de quo ipſi ſui non fatentur tantùm, ſed iactant etiam, noſtris partibus ſemper aduerſatum, alteras pro virili propugnaſſe? Sic fruſtrà querimonia fuit. Sed iam ad alia narranda accingamur. Primis tamen quinque anni huius menſibus nihil magnum neque hi neq; illi armis tentarũt, credo, memores neutros ſuperiori prælio ad Neoportum commodum multum retuliſſe. Interim Zelandi aliquot mercatores, contracta ſocietate, non permittentes ſolis Hollandis laudem lucriq́; ſpem, & ipſi claſſem quatuor nauium in Indiam Orientalem 28. Ianuarij huius anni ablegarunt. Ex Hollandia item adhuc naues tredecim 23. A-

1601

Admiralius Hollandis nimium petentibus modeſtè reſpondet.

Nihilominùs proteſtatur ſe non paſſurum, quin omnes ſui gaudeant.

Dũ vtrimque captiui liberantur, Admiralius adhuc in cuſtodia manet.

Argutum eius reſpõſum ſuper cæde Falcoſteinij.

Zelandi æmulati Hollandos, & ipſi in Indiam Orientalem naues mittunt.

1601 prilis ex portu Texellenſi idem iter ſunt ingreſſæ, omnes præter lucrum, vt ferebatur, hoc quoque inprimis ſpectantes, vt quoquomodò Indicas nauigationes, ex quibus Hiſpanis immenſæ opes, infeſtas, aut etiam inutiles redderent. Inciderunt itaque 19. Maij in Hiſpanicam claſſem alto Oceano circa decimum quartum eleuationis poli gradum, & acriter pugnarunt. Cruentum fuit prælium, tandemque occiſis vtrimque haud paucis, pluribus verò ſauciatis, dubia victoria diſceſſum eſt. Ex Hollandica claſſe, nauis Leo ruber dicta, tot ictibus perforata fuit, quòd ſpe itineris conficiendi abiecta, mercibúſque in alias naues importatis, ſocij tandem eam ſeptem nautis commiſerint (erat ex eo nauium genere quæ Celoces dicuntur) qui eamdem ſaluam poſt multos labores in Hollandiam reduxerunt. Ab anno ſuperiori tumultuabatur adhuc variis in locis miles Archiducis Alberti (neque enim tam immenſa ſtipendiorum debitorum ſumma conflari facilè poterat, & iniqua plurium videbatur petitio) quin prætereà qui in propugnaculis circa Oſtendam præſidia agebant, ob non ſoluta ſtipendia etiam imperium detrectare incipiunt; adeò vt Verlanius, Freſinij Vicarius, militis furore occiſus fuerit; quem tamen Riuaſius prudentia magis & benignitate quàm diſciplinæ ſeueritate ſedauit, ac præſidiariis in Iſabella & Grootendorſta, hoſti, litteris etiam eos ad defectionem ſollicitanti, nimiùm vicinis, perſuaſit, vt acceptis in ſingulos dies vicenis ſtuferis, Winoxbergam ſe contulerint, donec ſtipendia ſoluerentur. Ad Antuerpiam quoque nautæ & claſſiarij ſeceſſionem minabantur, obſeſſo tam infra quàm ſupra vrbem flumine. Sed & hos Arenbergius Comes, & Marchio Hauræus, à ciuibus pecunia mutuò ſumpta ſedarunt. Dudum ex Italia exſpectabantur nouæ copiæ magnaque auri vis, ſed quòd per Franciæ fines non plures quàm quingenti ſimul iter facere permiſſi ſunt (erant autem ad ſeptem millia) non niſi menſe Iulio, vt mox dicemus, in Belgium appulerunt. Intereà Mauritius, magna vi pecuniæ vndecumque corraſa, initio Iunij copias ſuas ad munimentũ Schenckianum conuenire iubet; cuius loci is eſt ſitus, vt Archiducales, quónam ducendus eſſet exercitus, nõ facilè ſcire poſſint, cùm in omnes partes facilis inde & commodus ſit traiectus. Ipſe 4. Iunij Arnhemũ profectus, patruelis ſui Ludouici Guntheri cum Margarita Manderſcheitia, Vlrici Falckenſteinij Comitis vidua, nuptias per dies aliquot agitauit, ac deinde præmiſſis triginta tribus equitum turmis, & cẽtum duobus peditum ſignis Rhijnbercam 10. eiuſdem Iunij cingere obſidione cœpit. Oppido tum pręerat Bernardus Dauila cum magno ſatis è variis nationibus peditum præſidio, equites verò tantum quinquaginta erant Botbergio ductore. Et quamquam magna vis alimoniæ & reliquorum commeatuum iam antè eſſet in oppido, prę-

Cruentum prælium claſſis Hollandicæ cum Hiſpanienſi.

Variis locis Archiducales adhuc pro ſtipendiis tumultuantur.

Quibuſdã VVinoxbergã conceditur, dum ſolutio præſtetur.

Mauritius ad Schenckianum copias cogit.

Obſidere incipit Rhijnbercam.

ſidiarij

ſidiarij tamen obſidionem inſtare cernentes omnia prætereà ex agris in vrbem conuehunt, naues perforatas demergunt ne in hoſtium venirent poteſtatem, nihilque quod ad obſidionem tolerandam pertinet, omittunt. Mauritius econtrà (qui ob validiſſimas eruptiones oppidanorum non niſi ineunte Iulio propiùs caſtra ſua oppido admouere potuit) validiſſimè ſe communiebat, vt quantumlibet irruentium multitudinem ſuſtinere poſſe videretur. Nihilominùs obſeſſi aliquoties eruptione facta, multum damni in caſtris Mauritianis paſſim dabant, maximè iam priùs 18. & 19. Iunij, ita tamen vt tandem in vrbem redire compellerẽtur. Præfectus interim Archiducem de ſuo periculo certiorem factum nihil dubitans, auxilium opemque expectabat. Sed cùm eodem tempore in recipiendis ex Italia nouis auxiliis, de quibus ſuprà, occuparetur Archidux, itemque Iulij die 5. obſidionẽ Oſtendanam eſſet auſpicatus (de qua mox, ac deinde toto triennio plura) Rhijnbercani præſidiarij ſuſtinendæ obſidioni pares eſſe putabantur. Et ita quidem, animus non deerat nec commeatus, ſed vnius rei inopia vehementer premebantur obſeſſi, medicamentorum ſcilicet & fomentorum; quæ tamen in primis erant neceſſaria, multis quotidie vulneratis obligandis. Nec enim vmquam tormentorum fulmina ceſſabant; tum cuniculi poſt medium Iulij tanta diligentia & contentione agebantur, vt ea res plures viros fortes vtrimq; abſumpſerit. Ante vrbis mœnia munitiones quaſdam præſidiarij excitauerãt, eáſque hactenus tutati fuerant; quibus demum ſuffoſſis, & vi pulueris tormentarij diſſipatis, Mauritius deinde, miſſo tubicine dedi ſibi oppidum poſtulat. Vbi cùm Præfectus idem periculum imminere mœnibus animaduertit, etſi initio cum ſuis oppidum ad extremum vſque ſpiritum defendere decreuiſſet, preſenti periculo commotus, nec quidquam de ſubmittendis auxiliis intelligens, Mauritij poſtulata ſcripto ſibi tradi petit: quibus cognitis, Botbergium cum Italo quodam Centurione in caſtra ad Mauritium mittit; is viciſſim Clutium equitum & Dortium peditum Præfectos obſidum loco oppidanis tradit. Poſt multas vltrò citroque propoſitas conditiones, tandem 30. Iulij in has conſenſum eſt:

1601

Validè aliquoties oppidani in obſeſſores erumpunt.

Obſeſſa interea ab Archiduce Oſtenda, Rhijnbercani ſibi relinquuntur.

Itaque tandem Rhijnberca Mauritio deditur.

» Oppidum dederetur; militibus, nautis, aliiſque cuiuſcumque generis aut conditionis, nemine excepto, libera exeundi eſſet facultas cum armis, ſarcinis, & omnibus impedimentis; neque is damnum pateretur, qui ſuperiori tempore Ordinibus Fœderatis militaſſet, aut quocumque alio modo noxam commiſiſſet. Præfecto duas machinas campeſtres cum duobus vaſis pulueris ſulphurei, & quinquaginta globis, abducere liceret. Mauritius ad impedimenta, ægros & vulneratos vectandos, preſtita cautione de reſtituendo, ducentos currus ſuppeditaret; ceteris, qui vel vulnerum vel morbi atrocitate vectionem ferre nondum poſſent, tantiſper

Leges deditionis Rhijnbercanæ.

1601 dum conualeſcerent, in vrbe manere liceret, ſalui poſteà ad ſuos bona fi- "
de remitterentur. Debita omnia obſidionis tempore contracta Præfe- "
ctus ciuibus ſolueret ex iis bonis quæ fiſco erant addicta. Ciuibus, qui ad "
alia loca commigrare vellent, tempus ſemeſtre datum, intra quod de fa- "
cultatibus ſuis, quod videretur, ſtatuerent; captiui vtrimque liberi dimit- "
terentur, perſoluto dumtaxat victu. Ita vltimo Iulij Præfectus cum mille "
circiter militibus egreſſus, Traiectum ad Moſam eſt profectus, cum
Numerus caſorum vtrimque. magna ſauciorum multitudine. Et ex obſeſſis quidem plus minus mille deſiderati perhibentur, ex obſeſſoribus verò, vt ſemper iniquior eſt obſidentium quàm propugnantiũ ratio, multò etiam plures. Sed iam ad celeberrimam Oſtendæ obſidionem narrandam accingamur. Menſe hoc Iulio ineunte, in Belgium ex Italia Archiduci auxilia venerãt ſeptem plus minus millium, tum Italorum tum Hiſpanorum, ductoribus Theodoro Triuultio & Ioanne Braccamontio, cùm 5. eiuſdem Iulij Archidux triennalem illam Oſtendæ obſidionem eſt aggreſſus. Eſt Oſtenda oppidum Flandriæ maritimum, tribus miliaribus Neoportu, & quatuor horarum
Oſtenda priùs piſcatorum pagus, nunc dudum terror Flandriæ. itinere Brugis diſtãs. Pagus non ita pridem fuit, piſcatoribus inhabitatus, ſed initio huius belli ciuilis ab Ordinibus ſecutis loci opportunitatem, leuibus primùm (è palis ſcilicet & longuriis) deinde firmioribus operibus & vallo muniri cœpit; eamque iam excreuerat in formam, vt Hollandi loci firmitate commoditateque confiſi, dudum toti pęnè Flandriæ tributa imperarent, & nec munitionibus aliquot circumcircà licet erectis, impediri ſatis poterant eorum excurſiones extorſioneſque. Quare id non diutiùs ferendum ratus Archidux, tum fatigatus aſſiduis Flandrorum
Diligenter promouet caſtra Archidux ad Oſtendam. precibus, dicto die 5. Iulij oppidum obſidione cincturus, exercitũ in duas diuiſit partes: quarum vni ad munitionem S. Alberti conſtitutæ ipſemet pręerat, altera autem verſus Bredenã collocata, copias paulatim vrbi propiùs admouere inſtituebat. Quod ea ratione perfectum, vt Hieronymus Monroius, ſupremus Hiſpanorum caſtrorum Præfectus, & Nicolaus de Catris Generalis Wallonum ſeu Gallo-Belgarum ductor, intra trium noctium ſpatium ad collem arenarium non longè ab oppido diſtãtem promouerint; ex quo tormentis bellicis terribiliter detonantes, luculento admodum damno oppidanos afficiebant; præterquam quòd etiam Receptui militari Septoque initium feciſſent, in quibus non exiguam militum manum collocarant. Quin & Fredericus Vandenberghe ſtationis Bredenenſis Præfectus, in eminenti collium marinorum iugo tormenta maiora exonerans, grauiter in ſubiecta ædificia detonabat. Erat eo tempo-
Aequè diligenter prouident Fœderati vrbi. re Oſtendæ Gubernator Carolus vander Noot; præſidium peditum viginti & vna cohortes. Quare is mox rei ſtatum Ordinibus ſuis ſignificauit. Qui ea quæ conſecuta ſunt præſagientes, omnibus quibus ad ſui

defen-

defẽſionem indigere videbatur neceſſariis, vrbem ſeu oppidum inſtruere cogitarunt: quòd videlicet intelligerent, multum omnino in illius incolumitate ſitum ſibi eſſe: vnde nulli rei parcendum rati, ea continuò illi ſubmiſerunt, quibus cõtra quemlibet hoſtilem impetum ſe tegere poſſe videretur, ſufficiendo etiam mox aliquot veteranorum manipulos; quò videlicet oppidani, & loci munitione, & verò etiam hominum præſidio freti excurſiones facere, hoſtemque à mœnibus propulſare poſſent. 1601

Ita die 13. Iulij Oſtendani in obſeſſores eruperunt, cędentes & cæſi. Interea Catricius ad S. Albertum (munitionis nomen eſt) Receptum militarẽ perficere nititur, ſublato de medio Monroio: cui globus tormento murali excuſſus cùm caput abſtuliſſet, eius in locum Simon Autunez ſuffectus eſt; qui ſimiliter inchoatum opus proſequẽs, alium inſuper Receptũ Valdes dictum conſtruxit; atque ex eo deinde Septum ad primum vſque vallum deduxit, vt ita facilior vtriuſque defendendi foret ratio. *Archiducales varios moliuntur militares Receptus.*

Decimoquinto Iulij Franciſcus Verius Anglus ex caſtris Rhijnbercanis euocatus, & Gubernator à Batauis miſſus, cum quatuor millibus peditum Oſtendam ingreditur; & mox ſequenti die eruptione facta, non ſine magna ſuorum clade ab Archiducalibus repellitur. Quare videntes Hollandi ſatius ſe facturos, ſi ad vrbis ſuæ debiliorem partem tegendam animos conuertiſſent, Septis inchoatis alacriùs inſtantes, tres inſuper Receptus, qui Poldri poſteà dicti ſunt, extruere, iuxtaque illos aliud in campo Septum quadrangulare ducere inſtituunt, quod à quinq; militum in eo diſpoſitis cohortibus defenderetur, quoad prædictos Receptus quanta poterant diligentia muniuiſſent. *Verius Anglus Oſtendam Gubernator ingreditur.*

Verùm dum hæc à Batauis Archidux geri conſpicatur, eam quoque partem quæ Poldros reſpiciebat, aggredi conſtituit, nõ modò vt obſeſſos à maioribus ſuſcipiendis prohiberet, ſed vt, milite etiam è Receptibus profligato, ab ea potiſſimùm parte vrbem adoriretur. Quare Comiti Frederico Vandenbergio iniunxit, vt Alphõſo Aualos ſibi ſuffecto, cum Germano milite & aliis ad S. Claram contenderet; vbi mox ipſe conſedit, & duas extemplò munitiones (S. Martinus & S. Clara nomen dederunt) inchoauit. *Vandẽbergius munitiones S. Martini & S. Clarã inchoat.*

Neque verò interea Batani feriari, ſed nouum continuò Receptum extruere ſatagunt. Quod ſimulac ad Archiducem perlatum eſſet, ducentos à duabus partibus milites dictũ opus adoriri iuſſit; qui quanto poterant impetu confertos hoſtium cuneos perrumpentes, quinquaginta propugnatores vnà cum eorum Centurione ſtrauerunt; ipſi Receptu illo die S. Annæ ſacro potiti, (eſt is 26. Iulij) idem deinde nomen ei indiderunt. Vix hæc ab Archiducalibus geſta erant, cùm ecce oppidani eruptionem ex vrbe parant, & bis mille numero in duas diuiſi turmas, Archiducales aggrediuntur; à quibus tamen fortiter repulſi, cum notabili ſuorum ſtrage ad viam militarem an- *Archiducales Receptu quodam hoſtili potiuntur.*

1601 temuralem ſe receperunt. Nec minor interea Comitis Frederici in ſancta Clara munienda cura eluxit; ſiquidem iam B. Mariæ Receptu abſoluto, tormentiſque in eo non paucis collocatis, pertinaciter in hoſtem fulgurabant; nec ſegniores in S. Alberto muniendo Archiducales Receptibus & Septis continuò extruendis inſtabant; quæ ſingula curioſiùs deſcribere, ac quotidianas propè velitationes velle recenſere, longi profectò ac nimiùm tædioſi operis foret; quippe cùm Oſtendanæ vrbis iſta obſidio in tertium vſque annum fuerit producta. quare præcipua tantùm ibimus recenſitum. Principio Archiducales ad S. Alberti munitionem, aggerem ſecùm dùm mare aggerere inceperunt, ex quo naues ex Zelandia aduentantes, & modò militem, modò alia neceſſaria inuehentes, ac ipſos etiã ſaucios & vulneratos efferentes, ab vrbis ingreſſu receſſuque prohibierent. Ad hunc aggerem extruendum, lignorum faſces viginti pedes longi coctis lateribus onuſti (*Saulciſſes*, quòd farcimina formâ referrẽt, dicti ſunt) in mare demittebantur, quò firmè conſiſterent. Quod opus etſi nõ paruam hominum multitudinem abſumpſiſſet, intra paucorum tamen dierum ſpatium ad eam altitudinem firmitatemque excreuit, vt non paucis tormentis bellicis in eo collocatis, Batauis ad vrbem aditus ea parte fuerit adeò impeditus, vt Oſtendam æquè atque Charybdim aut Scyllam metuerent, ideoque ægrè, vt eò proficiſcerentur, induci poſſent. Vicit tamen apud nonnullos amplæ mercedis cupiditas terrores omnes. Iam Archiducales ad oppidanorum aggerem penetrauerant, ſperantes fore, vt circa vrbis vicinum propugnaculum munitionem aggrederentur, cùm ſubitò 15. Auguſti oppidani partem, quam Archiducales adorituri erant, reſcindentes, mox quoque apertura illa à creſcentis aquæ reciproco fluxu maiore effecta, omnem ſpem vrbem ea ex parte inuadendi amputarunt. Tentanda igitur alia via. Menſis September erat, eiuſque octauus dies, quo Deiparæ Virginis Natalis celebratur. Eo Catricius Archiducis iuſſu oppidum iam multa verberatione concuſſum oppugnare parat, apparatu ad oppugnationem neceſſario comportato. Sed habuit is conatus infelicem ſucceſſum, multis interfectis; ipſeque Catricius globo ictus vitam ſimul cum imperio amiſit; cum biduo pòſt, 10. Septembris, Caſtillonius Gallus, qui magnam militum manum oppidanis adduxerat, eodem quoque mortis genere periit, eiuſque Legatus letale accepit vulnus. Non tamen hæc res abſterruit, quò minùs tam in caſtra quàm in oppidum, etiam Principes viri, nulla neceſſitate, ſed animi tantùm & diſciplinæ atque artis militaris diſcendæ gratia frequenter commearent; inter quos fuit Vlricus Holſatiæ Dux, Daniæ Regis frater, qui 15. Septembris oppidum vnà cum Hohenloio Comite ingreſſus, magna cum admiratione munitiones perluſtrauit. Eôdem ex Anglia Northumbriæ Comes Ceſſel-

Obſidio Oſtendanatrienalis; itaq; præcipua tantùm narrabũtur.

Nauta plures Oſtendam vt Charybdim reformidant; inuenti tamen, qui ingrederentur.

Oppidani partem quamdam vrbis reſcindunt.

Inter continuas eiaculationes, multi tamen animi cauſa Oſtendam intrant.

Ceſſellius, aliiq́ue Nobiles quatriduo pòſt appulerunt; cùm pridie Franciſcus Verius oppidi Oſtendani Gubernator, qui ad vulnus curandum in Zelandiam ſeceſſerat, eôdem rediiſſet; omneſq́ue illi, vnde venerant, ſine damno quidem, non tamen ſine ingenti periculo, ad ſua ſunt reuerſi: ſed non ſic Vchtenbroquius Conſul Vltraiectinus, quem peſtis tormentis excuſſa exeunte hoc menſe afflauit. Tanta enim machinarum vi certabatur, vt primis his menſibus quinquagies mille magni ponderis ferreæ pilæ in vrbem, econtrà ex vrbe in caſtra ſaltem ampliùs trigeſies mille contortæ ferãtur. Inde æſtimet Lector, quàm magnum numerum tam ingens grando percuſſerit. Non addo quot naues hoc vel illo die in portum ſint inuectę, quot ictus exceperint, quot declinauerint: huic brachium, alij caput ablatum; & quæ ſunt eiuſmodi ſpectacula. Menſis Octobris initio, inclinata iam in hiemem anni tempeſtate, augeſcẽtium aquarum vis, impellente etiam vento, aggerem, quem ſuprà perforatum diximus, magna quoque ex parte reliquum ſubruit, ſecumq́; in mare deuexit, ita vt tum à moleſtiis vicinis ad eam quidem plagã obſeſſi liberati ſint. Ea nocte quæ 16. diem Octobris eſt ſubſecuta, Archiducales ductore Comite Buquoio, in hemicyclum, ſeu ſemilunare propugnaculum prope Vaccarum pontem irruerant, & expulſis defenſoribus occuparãt, miſſo interim audaci homine, qui pontem ſuccenderet; ſed nec illi, quod occupauerant, diu tenere; nec hic, oppreſſus ab oppidanis, quod inſtituerat, potuit conficere. Vrgente iam hieme obſidionem ſolutam iri obſeſſi ſperabant, tantoq́ue alacriùs pericula omnia & labores excipiebant: verùm vbi caſtra quotidie, & exercitum augeri, ædificia & caſas paſſim extrui, plures apparatus, omniaq́ue quæ ad militum hiberna pertinent, comportari viderunt, ſibi quoque hiemem illam minimè per delicias tranſigendam fore facilè coniectabant. Nihilominùs, quò fortè Archiducem ab incepto reuocaret Mauritius, ipſis Kalendis Nouembris caſtra ad Siluamducis locat, exercituq́ue peditum octo millia, equitum duo millia & quingentos complectente, vrbem, quantum agri inundati patiebantur, vndiq; cingit, & celeritate maxima ſe communit. Ciuitas, quę militem præſidiarium non habebat, præter duas cohortes ex ciuibus dudum cõſcriptas, & vnam equitum turmam, cui Adolphus Comes Vandenbergius præerat, & quinquaginta equites turmæ Grobbendoncanæ, alacriter nihilominùs ad arma conuolat, atque ad defenſionem neceſſariam ſe componit. Extra portam Vuchtenſem Præfectus vrbis Antonius Baro de Grobbendonck excitari munitiones curat; quas etiam ciues cum auxiliaribus paulò pòſt ſubmiſſis, licet continuè ab hoſtibus oppugnarentur, ad extremum vſque obſidionis defenderunt. Magiſtratus vrbanus mox in domibus aquam ad incendia reſtinguenda, aliaq́; eiuſ-

1601

Vnam adhuc reſciſſi aggeris partem vis aquarum aufert.

Archiducales occupatum propugnaculũ iterùm relinquere coguntur.

Mauritius, vt Archiducẽ ab Oſtenda reuocet, Siluamducis obſidet.

1601 modi ad manus eſſe iubet, tum inprimis, ne quis annonam maiori pretio venderet, quàm tunc veniret, edicit. Gubernator, Vigilumque Præfectus ad muniendam vallis & propugnaculis vrbem, cuiuſuis ordinis & ſexus homines victu ſuppeditato inuitat, vt vno die ciuium alacritate plus operis cenſeatur confectum, quàm decem florenorum millibus à mercenariis præſtari potuiſſet. Excitantur in mœnibus nouæ munitiones, & ad portam Vuchtenſem ex præſcripto Præfecti vallum ducitur, forma dimidiatæ lunæ, quo, ſi fortè porta expugnaretur, tueri adhuc ſe poſſent. Acceſſerat iam propiùs ad portam Vuchtenſem hoſtis, cùm 7. Nouembris Grauia miſſi veniunt manè ante lucem ducenti ſexaginta lecti milites: qui etſi numero pauci eſſent, mirum tamen in modũ animos ciuium erexerunt, ſimulque eos poſtero die magnopere confirmarunt perlatę ab Archiduce litteræ, quibus nuntiabat, ſe de auxiliis quamprimùm ferendis Comiti Frederico Vandenbergio mandata dediſſe. Interea obſidionẽ vrgebat Mauritius: & cùm multis bombardarum ictibus turres & templa aliáſque ædes fruſtrà laceraſſet, tandem 13. eiuſdem menſis ad maiorem terrorem candentes igne globos in tecta vrbis emittit; qui tamen incendium nullum excitarũt, quòd Magiſtratus ciuibus edixerat, vt ſiccam in ædium tabulatis arenam ſufficientem haberent, qua igneas illas ſphæras exciperent, reſtinguerentque. Vicomagiſtris etiam iniunxerat, vt ædes, in quas ſphæram igneam incidiſſe ſuſpicarentur, mox conſcenderent, & exortum fortè incendiũ ſopirent. Paulò pòſt, die videlicet 15. Nouembris, ductoribus Hilario de Blijleuen & Vander Sterre, octingenti pedites per loca paludoſa, cęſis quinquaginta ſtationariis Mauritianis, in vrbem ſunt introducti. Nec deſtitit Mauritius frequentibus tormentorum ictibus vrbem concutere, cuniculos ſubterraneos, maximè ad Hintamenſem portam, agere, quibus portam euerteret: quibus cùm obuiàm fodiendo irent oppidani, duodecim foſſores re non ſatis prudenter inſtituta, terra obruti ſunt. Accidit etiam in vrbe alius caſus fortuitus, Gubernatore Grobbendonckio & Bardoulio Senatore mœnia obeuntibus. Hi enim cùm ad quemdam ſtationarium veniſſent, teſſeram pro more exigentem, is vt Gubernatorem agnouit, honorem eidem exhibere cupiens, brachium corpore inclinato comprimit, & ſclopi tractandi imperitus aut imprudens, igne non ſatis accuratè cuſtodito, nec auerſis per inſcitiam à Præfecti & Senatoris corporibus armis, ſclopo diſploſo, in coxa Præfectum Grobbendonckium vulnerat, & duobus locis Senatorem traijcit. Dum hæc ibi geruntur, Comes Fredericus Vandenbergius iuſtis cum auxiliis ex oppido Dieſta mouet, & per ericeta, quæ in regione illa vaſtiſſima ſunt, compoſitis agminibus ad Siluamducis contendit; cùm interea quoque tanta frigoris vis incidit, vt non modò, vt aiunt, ſtationarius

Parant ſe ſtrenuè ad reſiſtẽdum oppidani, etſi vix eſſent 400. præſidiarij.

Recreãtur ciues aduentu paucorum ex Grauia, tum inprimis Archiducis litteris.

Adſunt adhuc octingenti auxiliares.

Caſus duo triſtes in vrbe.

rius vnus in caſtris Mauritij algore obriguerit, verùm etiam glacie intercluſa flumina commeatum neceſſarium obſeſſoribus negare inceperint. Quare Mauritius duplici periculo, & ab aduentante Vandenbergio, & à tẽpeſtate territus, ſatius ſibi eſſe & ſecurius ducebat, cum integro exercitu ſuo recedere, quàm ancipitem belli aleam experiri. Ita 27. Nouembris in Hollandiam ſe recepit. De hac obſidione ſic luſerunt Batauí: 1601

Aduentãte Vandenbergio, Mauritius ab obſidione diſcedit.

Non Ducis obſeſſæ ſeruauit mœnia Siluæ
Alberti gladius, frigida ſed glacies.

Luſus vtrimque de hoc Mauritij receſſu.

At retorſerunt alij, duabus voculis tantùm immutatis hoc modo:

Tam Ducis obſeſſæ ſeruauit mœnia Siluæ
Alberti gladius, frigida quàm glacies.

Sed iam ad celebratiſſimam Oſtendæ obſidionem redimus, vbi difficilis erat per anni tempeſtatem nauigatio, nec commeatus tantùm inopia, verùm etiam morbis & frigore præſidiarij laborabant, quorum inſuper numerus tam erat imminutus, vt vix mille & quingenti, qui per valetudinem arma ferre poſſent, reſtarent, plurimis non tantùm Archiducis armis, ſed etiam peſte abſumptis. Quare Archidux vetus oppidum, cuius occupatio facilior videbatur, oppugnari iubet. Hoc conſilio è captiuo quodam 23. Decembris cognito, Franciſcus Verius Oſtendæ Præfectus ſuorum viribus diffiſus, ipſo naſcentis Chriſti peruigilio Legatos ad Archiducem in caſtra mittit, qui inducias impetrarent, vt intereà de conditionibus dedendi oppidi tranſigi poſſet. Obſidibus vltrò citroque datis, obſeſſi dies aliquot ad deliberandum petunt, annuit Archidux. Ita ergo dum de conditionibus diſceptatur, de induſtria tempus extrahente Verio, quinque naues è Zelandia militem & commeatum portantes in portum inuehuntur: quarum aduentu recreatus Verius, quibus potuit verbis apud Archiducem ſe excuſat, & redditis obſidibus, multò quàm vmquam anteà vehementiùs arma vtrimque exercentur, & Archidux oppidum ſumma vi quamprimùm oppugnari iubet: quod non multò pòſt, ſeptimo ſcilicet Ianuarij anni ſequentis, cum vtriuſque partis grauiſſimo damno factum eſt, vt ſuo loco commemorabimus; nunc inſigniora quædam externa ſeu varia huic anno ſunt attexenda.

Verius Oſtendanus Præfectus Archiducẽ vafrè deludit.

VARIA.

In Anglia hoc anno 17. Martij Eſſexius Comes, quo duce in Hibernia cum Tyronio Comite feliciter anno præcedenti debellatum eſt, nunc proditionis reus habitus capite plectitur: cuius cranium Bironio Gallo in Angliam Legato ipſa Regina conſpiciendum exhibuiſſe fertur, etſi Bironici caſus, de quo anno proximo, adhuc fortè neſcia. Certè obſcurè monebat, ne altùm ſaperet. Cum Eſſexio damnatus & Suthamtonius; ſed ei febris, qua laborabat, ſupplicium diſtulit. Denique, Reginâ mortuâ, non liberatus tantùm, verùm etiam in maiori honoris gradu fuit collocatus.

Comes Eſſexius in Anglia capite plectitur.

1601 locatus. In Francia 27. Septembris Regina Maria Medicæa Galliarum
Naſcitur in Francia Delphinus. Delphinum Ludouicum XIII. enixa eſt; cuius dexteræ gladij capulum Rex pater inſeruit, precatus, vt eo ad Dei gloriam, firmata ætate, vteretur. Venetorum Legati eidem Regi partas victorias, & Regni pacem firmatã gratulantur. Rex Aurelianum templum S. Cruci ſacrum, à Caluinianis euerſum, curat inſtaurandum, opus planè Regium, & ad quod promouendum aurum ipſe primus obtulit. Quatriduo ante natum Delphinum, Hiſpaniæ Regina Annam Mariam, futuram Delphini ſponſam, enixa feliciter eſt. Hoc anno Ludouica Lotharinga Henrici III. vidua vita exceſſit. Innotuit Europæ ille, qui multis ſe Luſitaniæ Regem Sebaſtianum (de cuius infelici in Africa pugna anno 1578. egimus) eſſe perſuaſit. Primùm à Venetis detentus, poſteà Neapolim miſſus, & inde in Hiſpaniam, vbi periit. Hoc anno naues aliquot ex Orientali India in Hollandiam appulerunt, pipere aliiſque aromatum ſpeciebus onuſtæ; & inter alias, tres, quarum vna Mauritij, altera Hollandiæ, tertia Celocis communi titulo erant inſignitæ, iamque ſecundò idem iter confecerant. At feliciori commercio apud Perſas Religio Chriſtiana mirificè propagatur per Sodales Auguſtinianos Eremitas, quorum familiæ & ipſe Ormuſij Princeps adſcribi voluit. Vide Antonium Goueam in Diario ſeu Commentario rerum geſtarum ab Alexio Meneſio, eiuſdem Ordinis, Archiepiſcopo Goano, Indiæque Orientalis Primate, conſcriptis.

In Hiſpania Anna, futura illius ſponſa.

Pſeudo-Sebaſtianus Luſitanus malè perit.

Apud Perſas fides Chriſti per Auguſtinianos propagatur.

1602 Annus milleſimus ſexcenteſimus ſecundus à cruenta illa oppugnatione Oſtendana (cuius anni ſuperioris fine meminimus) initium ſumpſit. Nempe Archidux Albertus deluſus, vt diximus, à Verio, mox ad vrbem veterem tormentis vibrandam molem quamdam excitari iuſſit, & die 7. Ianuarij quanto poſſet impetu impreſſionem facere hũc in modum: Duo Centuriones cum ducentis hominibus maritimum propugnaculum inuaderẽt, alij verò duo locum dictum Salſa braga, adorirentur; ac alij inſuper duo, cum ducentis ſuis, dicti propugnaculi coronam à ſiniſtro latere aggrederentur. Hos deinde vniuerſos Didacus Durangus Hiſpanorum ductor cum quadringentis ſubſequeretur, vt propugnaculum captum muniret, nihilque eorum omitteret, quæ occaſio offerret, ac temporis locique ratio exigeret. Præter hos, tribus inſuper aliis Centurionibus iiunctum erat, vt cum ſuis adorirentur vallum dictæ veteris vrbis, quod à propugnaculo læuo latere erat, & inter Antonium Gambaloytam Italorum Centurionem, qui cum ducentis militibus & quatuor ductoribus ſequebatur, dein dictum vallũ vnà cum Durango munirent ac tuerentur. Erant etiam in procinctu trecenti alij milites, cum quinque ductoribus, vnaque D. Mexias cum quadringentis, vt prioribus

Cruenta quædam Oſtendæ inuaſio.

Singulis Ducibus, quid agãt, diligenter præſcribitur.

bus neceſſitate aliqua laborantibus ſubuenirent. Similiter vniuerſus qui ſupererat exercitus in diuerſas turmas ac cohortes diuiſus, occaſioni cuicumque inuigilabat. Tum Comiti de Buquoy imperatum erat, vt refluo Oceano ſinum tranſiens, eam veteris vrbis partem aggrederetur, quæ ſuos reſpiciebat. Quibus omnibus ita conſtitutis, mari iam refluente, circa crepuſculum veſpertinum, qui ad S. Alberti miles conſederat, terribilem impreſſionem facere incepit, defendentibus ſe non minùs ſtrenuè oppidanis, & ignes circumquaque accendentibus, vt irruentes faciliùs poſſint agnoſci. Audiebatur ingens muralium tormentorum & minorum bombardarum ſtrepitus, vnum hoc vniuerſis deſiderantibus, vt ad manum veniretur. Intereà Buquoius alueum tranſiturus, multa nequidquam propter aquæ altitudinem moliebatur. Quo ab oppidanis animaduerſo, ſtatim in auxilium iis qui ab altera parte pugnabant, accurrerunt, & adeò fortiter dimicarunt, vt Archiducales, omnibus fruſtrà tentatis, videnteſque oppidanorum in ſe defendendo alacritatem, veſtigia ſe figere poſſe deſperarint, multóque plures repetitis tormentorum ictibus ex ſuis ſe deſideraturos præſagientes, pedem referre inceperint. Ipſi intereà oppidani, cataractis ſolutis, magno cum impetu aquã in alueum demiſerunt; quem cùm oppugnatores eſſent in reditu tranſituri, non exigua illorum pars aquis abſorpta eſt. Numerus occiſorum & vulneratorum ad octingentos excurrit, inter quos non pauci Centuriones & primarij. Occubuit ibi Gambaloyta, Durangus grauiter vulneratus. Inter cæſos magna cum omnium admiratione inuenta fuit Hiſpana iuuencula, quæ in primis ordinibus pugnans (aduerſa enim vulnera aliquot corpore acceperat) occubuit, aureo torque nudum corpus redimita, & pecunia aliiſq; precioſis rebus plenos loculos ſecum habens. Multùm hic conflictus oppidanorum quoque vires attriuit, quas tamen paucis diebus pòſt, ſubmiſſa è Zelandia auxilia Marquetto ductore, ſuppleuerunt. Poſt hæc Archiduci à nonnullis ſuaſum eſt, vt obſidionem ſolueret: fieri enim non poſſe finem vt ſuum conſequeretur, quòd præſertim grauiſſimum anni tempus & media bruma foret. Verùm ille ſe id dedecere ratus, perſeueranter negotium promouendum cenſuit; moxque iniunxit, vt ad S. Albertum iuxta Oſtendanum canalem, molem ingentem, quem poſteà *Dijck* appellauerunt, verſus mare, atq; adeò ad ipſum canalis oſtium ducerent, ex eoque hoſtium nauigia ab vrbe ſubmouerẽt. Dum itaque ab vtraq; parte cœpto acriter inſiſtitur, Archiducales Plattam formam cratibus arenaque ſubſtrata educunt. Quin ſuper eadem etiam mole Oſtendam verſus Loricam triginta pedes latam tantæ altitudinis excitarunt, omnem vt hoſtilis impetus vim reliqua parte auerteret. Circa hoc tempus ceſſit ſeu renuntiauit Burgundionum legioni Marchio

1602

Inter alios, Buquoius refluum ſinum tranſiret.

Buquoius propter aquæ altitudinem fruſtrà molitur.

Infeliciter etiam altera parte oppugnatio fit, cæſis ferè 800.

Cæſi & multi propugnatores.

Fruſtrà ſuadent nonnulli Archiduci ab Oſtenda diſcedere.

1602 chio de Waraubone, quam deinde Archidux Claudio Baroni de Ballanſone fratri eius tradidit, qui ea in expeditione alterũ crus amiſerat. Quibus omnibus ſic conſtitutis, videns Archidux res ſic ſatis ſuccedere, ſimulque hoſtem hoc agere intelligens, vt in campum quoq; copias educerent, belli negotiis meliùs adhuc proſpecturus, Gandauum abiit, ad exercitum Oſtendanum Ioanne de Riuas cum ſummo imperio relicto. Erat dudum in Flãdria Fredericus Spinola Equeſtris ordinis, vir ſummi iudicij, & ſcientiæ militaris. Qui cùm à multis annis iis in bellis Regi Hiſpaniarum operam ſuam collocauiſſet, ab eodem triremibus præfectus fuerat, quas ante triennium eas in partes adductas in portu Sluſano habebat, quarumque opera & heroicis facinoribus Zelandis Batauiſque formidoloſum ſe fecerat. Hic cùm vicinarum inſularum portus, quà per exploratores, quà per homines longæ experientiæ, quos ſecum habebat, probè cognitos haberet, iuxtaque intelligeret, quantum Batauis maritima expeditione damni poſſet inferri, in Hiſpaniam Regem ea ſuper re allocuturus abierat, & ab eo octo adhuc triremes obtinuerat, vtque ſibi auſpiciis Marchionis Ambroſij Spinolæ fratris ſui ei exercitui præficiendi in Ducatu Mediolanenſi octo millia peditum, nempe ſex millia Italorum, & duo millia veteranorum Hiſpanorum conſcribere liceret, impetrauerat. Ea igitur auctoritate obtenta Genuam verſus iter arripuit, vbi re cum fratre cõmunicata, ambo circa initium huius anni Mediolanum abierunt, aditóque Comite de Fuentes eius Ducatus Generali Præfecto, Italum militem impetrarunt; Hiſpanos autem, quorum non magnum numerum Comes dictus habebat, nequaquam obtinere potuerũt. Quare Fredericus denuò in Hiſpaniam proficiſcitur, ſimul vt primo quoque tempore in Flandriam cum triremibus ſuis nauigaret. Quoniam autem à Rege imperatum fuit, vt octo illorum millium numerum Itali complerent, ipſe Marchio militi conſcribendo inuigilauit. Quo numero collecto, exercituque vniuerſo in duas diuiſo legiones, cuilibet earum viginti cohortes, quarum quælibet ducentos milites complectebatur, aſſignatæ fuerunt. Duxit partem alteram ipſe Marchio, Teſſerario maiore (quem Sergeantum vocant) Pompeio Iuſtiniano inſtituto; alteram Lucius Denticus, Teſſerario maiore Auguſtino Arconato. Porrò cùm paſſim conſtaret, militi, quem Fredericus Marchionis frater dudum habebat, promptè ſemper ſtipendia fuiſſe ſoluta, tantus hominum tum Nobilium tum plebeiorum concurſus fuit, ipſo vt iam numero ad nouem millia excreſcente, ij potiſſimùm adſcripti fuerint, qui aliàs etiam ſtipendia meruiſſent. Ita ergo Marchio Spinola primo Maij die (qui ei à Rege Catholico ad diſcedendum aſſignatus erat, vt dein ſub idem tempus in Flandria eſſet, quo Fredericus cum triremibus adeſſe debebat) Mediolano pro-

Conſtitutis vtcumque rebus, Archidux Gandauũ proficiſcitur, maiora curaturus.

Fredericus Spinola quoque ad eumdem finem in Hiſpaniã abierat.

Vterque Spinola inſtruunt exercitus à Rege Hiſp. decretos.

Fama prõpta ſolutionis plures accurrũt, quàm eſſet decretum.

Marchio Spinola cum terreſtribus copiis in Belgiũ mouet.

no profectus Vercellas contendit, eam viam, ac certum ſingulis profectionis diem præſcribens. Qui vt etiam cõmodiùs proficiſceretur, quinque cohortes turmatim incedere volebat, & ita quidem, vt vnde prior manè diſcedebat, illuc ſub veſperam poſterior perueniret, annonâ ſemper paratâ. Mouit hoc ordine Campagnolam vſque, locum in Burgundia ſitum; vbi delectu inſtituto, & duorum menſium ſtipendio militi perſoluto, in Belgium contendit. Mox vt Lutzenburgum primam Belgij Prouinciam & vrbem attigit, commutatis equis, Archiducem ſalutaturus Gandauum profectus, magna cum humanitate & beneuolentia ab eodem exceptus eſt. Intereà medio Iunij Bataui, omnibus quæ ad expeditionem militarem neceſſaria videbantur apparatis, contractiſq; viginti quatuor circiter peditum & ſex equitum millibus, quantum quidẽ ſciri poterat, Brabantiam totam circumuagari, ſubditoſque ad rebellionem incitare, ſimulque, ſi poſſent, Oſtendanis in Flandria ſuccurrere cogitabant: quòd videlicet exiſtimarent, Archiducem viribus ad reſiſtendum deſtitui, aut, ſi iis ſe opponere vellet, obſidionem ſoluere deberet. Quæ ſimulac ad Archiducem perlata eſſent, quantam potuit hominum multitudinem collegit, perduellibus ſtipendia ſoluit, ex præſidiis eduxit, & Ioanni de Riuas ſupremo Oſtendani exercitus Imperatori in mandatis dedit, vt quantum poſſet militum ſibi ſubmitteret. Vnde quinq; millibus peditum & quatuor millibus equitum contractis, Franciſcum Mendozam Arragoniæ Admiralium iis præfecit, eique iniunxit, vt ad Tillemontium (vulgò Thenas) Brabantiæ limitaneum oppidum proficiſcens, hoſti ſe obijceret, qui iam 21. Iunij Nouiomagi cum exercitu adeſſe, & ponte ad Moſam iuxta Moche conſtructo, eumdem traijcere nuntiabatur. Fuit adhæc Marchioni Spinolæ imperatum, ſocium vt ſe dicto Admiralio adderet, & quæ ipſe facienda cenſuiſſet, pro illo tempore approbaret. Cui mandato Marchio ita paruit, vt iuſtitiam ſibi tamen in ſuos exercendi poteſtatem reſeruarit. Quocircà ad militem, qui Namurcum venerat, reuertitur, & Admiralio ſocium ſe adiungit. Qui cùm propius Tillemontium veniſſet, in campo media leuca diſtante militem explicuit, & quanta potuit diligentia ſe muniens conſedit. Intellexerat enim, Comitem Mauritium, Batauici exercitus Imperatorem, eódem loci contendere. Qui cùm circa S. Trudonis veniſſet, 7. Iulij in Halmael vna tantùm leuca ab Archiducalibus conſedit, ibique triduo hærens, 10. Iulij collectis vaſis, vnde venerat, eſt reuerſus. Admiralius Mauritij diſceſſu percepto, ſuos in cõſilium adhibuit, & quid potiſſimùm faciendum videretur, explorauit. Erat magna ſuadentium ac diſſuadentiũ varietas, volentibus nonnullis hoſtem è veſtigio perſequendum, damno quàm poſſet fieri maximo afficiendum, omnemque illi occaſionem ad

1602

Summa celeritate iter abſoluit.

Batauí, collecto ingenti exercitu magna meditantur.

Expectant eos Admiralius & Spinola ad Thenas.

Mauritium triduo in conſpectu Archiducalium exactо, redit.

Varia conſilia, eſſétne Mauritius perſequendus.

1602 vrbem aliquam obſidendam, quod metuebatur, amputandam. Aliis placebat, vt per Dieſtemium obliquámque Campiniam Buſcumducis & Grauiam verſus contenderent; quippe quòd eæ vrbes ceteris aliquantò magis Batauis in oculis viderentur. Cùm enim Batauorum copiæ quàm Admiralij potentiores eſſent, periculoſum videbatur eos perſequi, & ad conflictum prouocare. Suadebant alij, negotium vniuerſum Archiduci committere, cuicitq; poſterius hoc conſilium. Intereà Admiralius verſus Dieſt profectus, eo loci deuenit, vbi vel Buſcumducis & Grauiam contendere, vel Moſam verſus, vbicumque Mauritium conſediſſe intellexiſſet, poterat proficiſci; cùm litteræ ab Archiduce adferuntur, quibus ille negotium vniuerſum Admiralij prudentiæ commiſit. Perplexum ea res Admiralium tenuit, adeò vt nihil aggredi ſtatueret, priuſquã Mauritij conſilium intellexiſſet. Qui cùm, vt diximus, receſſiſſet, Grauiam quanta potuit diligentia contendit, illicque 20. eiuſdem Iulij caſtrametatus, (antè in itinere Helmonda capta, loco non admodũ magni momenti) totum ſe ad caſtra munienda conuertit, magnaque celeritate circumquaque ſepta, aggeres & valla extruxit, Moſa ponte ſtrato. Erat tunc Grauienſis vrbis Gubernator Antonius Dauila Hiſpanus, qui mille & quingentis diuerſarum nationum peditibus inſtructus, cum quanta potuit diligentia, quę ad vrbis defenſionem factura videbantur, apparauit. Verùm cùm Mauritius vndequaque ſe muniuiſſe, omnemque auxiliarium acceſſum ſe obſtruxiſſe exiſtimaret, ſepta ad propugnaculum, quod in ripa Batauica erat, ducere, ac aſſiduis illud tormẽtorum ictibus oppugnare cœpit. Et licet Archiducales ſuam in eo defendendo operam inſigniter collocarent, ad extremum tamen illud 22. Iulij deſerere coacti ſunt. Mauritius ergo, eo occupato, igneos in vrbem globos ſpargere, domos incendio abrumpere, & non exiguam hominum multitudinem conficere; mox eodem tempore tribus in partibus opera & machinas admouere, ipſoſque oppidanos fortiter & ſtrenuè ſe defendentes pertinaciter laceſſere. Interim Admiralius, horum minimè ignarus, eódem cum ſuis contendit, vicinum ad Moſam iter inſtituens, quò neceſſaria faciliùs acciperet. Rurẽmondam vt attigit, aliquot diebus quietus conſedit, iis de rebus, quas deuehere ſecum oportebat, ſibi proſpiciens, & pontem ſimul, ſi quis fortè eius vſus occurreret, ad Moſam trãſeundum fabricans. Inde Grauiam verſus profectus, 10. Auguſti nõ longè à Mauritio caſtrametatus, ſupradictum pontem flumini impoſuit, paulatimque propiùs ad hoſtem mouens adeò benè munitum illum eſſe deprehendit, omnẽ vt pẽnè ſpem vrbi ſubueniendi euanuiſſe exiſtimaret. Nihilominùs poſt varias conſultationes, tandem mille peditum ex omnibus nationibus electione facta, iis Ioannem Thomam Spinam exercitus reformati Ducem

Mauritius ad Grauiã caſtrametatur.

Communitus, propugnaculũ quoddam expugnat.

Accedit Admiralius auxiliaturus, ſed tardè.

Variè conſultat Admiralius.

cem præpoſuit, mandans, vt circa veſpertinum crepuſculum paluſtria tranſgrediendo, quanta poſſet ſolertia, clàm ad hoſtium munitiones adreperet, ſubitoque impetu in eos facto, quos deprehendiſſet, cæderet, ac deinde ſcalis admotis, tranſiens hoſtium munitiones, vrbem ingrederetur. Quod ideò facilè fieri poſſe credebatur, quòd ex ea parte ſtationem caſtrorum non haberi exiſtimabant. Imperatum ad hæc fuit Simoni Autunez Hiſpano Duci, vt cum mille peditibus Spinam ſecutus, ad ſiluã non longè ab eo loco, quem is tranſiturus erat, conſideret, vt facinore infeliciter fortè cedente, ſecurè viam relegere poſſet. Marchioni verò Spinolæ in mandatis datum fuit, vt cum duobus millibus peditum ab altera parte hoſtium caſtra laceſſeret, vt dum iſtuc vnitis viribus hoſtis accurreret, tantò faciliùs Spina facinus ſuum, quod volebat, deſignaret. Verùm ſimulac ille in viam ſe dediſſet, ægrè ad aliquod ſpatium procedens, locisque paluſtribus circumquaque ſeptus, militem ad zonam vſque per aquas interdum incedentem, tandem ſub exortum auroræ ad locum ſibi deſignatum perduxit: vbi munitiones à milite apprimè inſtructas inueniens, moxque agnitus, & glandibus ferreis repulſus, vt rei inſuperabilem difficultatem perſpexit, ad Autunez rediit, & cum eo poſteà intra ſuum ſe vallum recepit. Admiralius verò, malè cùm ea ſibi res ceſſiſſet, conſilium cum ſuis cepit, partemque maiorem eò inclinare, vt cœpto deſiſteretur, cognouit; quòd videlicet nec vrbi aliqua ratione ſubueniri, nec miles ea in parte conſidere ampliùs poſſe videretur; cùm præſertim equitatus ob ſtraminis inopiam pabulatum iam aliquoties excurrere coactus, tumultuari cœpiſſet. Quibus cauſis Admiralius permotus, exercitum mouere conſtituit; imperatoque, vt albeſcente cælo miles vaſa colligeret, 23. Auguſti Venlonam verſus contendit. Mauritius Archiducalium militum profectione animaduerſa, ac per exploratores mouiſſe illos intelligens, intrà vallum tamen ſe continuit, vrbis expugnationi inſiſtendum ſibi ratus. Oppidani verò, etſi nulla iam ſpe præſidij accipiendi erigerentur, nequaquam tamen ſuam in vrbe defendenda ac hoſtibus arcendis operam deſiderari paſſi ſunt. Itaque cùm Mauritiani iam ad ipſam vſq; foſſam euaſiſſent, totiſque viribus id agerent, vt propugnaculum, quod vulgò Mediam lunam vocant, occuparent, non minori alacritate oppidani idem propugnaculum defendebant, tametſi ab hoſte tribus ex diuerſis partibus machinis illud impeti, & iam cuniculis ſuffodi experirẽtur. Quin & cùm Mauritius impreſſionem in illud 7. Septembris faciendam cenſuiſſet, validè ab oppidanis repulſus eſt. Quibus ita geſtis, Mauritiani aliud mox Septum per noctem è conſpectu alterius propugnaculi duxerunt: ſed re ab oppidanis ſub lucem animaduerſa, Gubernator eruptionem inſignem facere decernit; eodemque tempore nonnullos, qui

1602

Mittuntur, qui per loca paluſtria vrbi ſuccurrãt.

Interim Marchio Spinola alteram partem inuaderet, ſed vtrumque frustra.

Admiralius, vnde venerat, Venlonam redit.

Nihilominùs Grauienſes adhuc fortiter ſe defendunt.

1602 palis & ligonibus Septum illud demolirentur, deſignauit. Centurioni autem, cui dicti propugnaculi cura demandata erat, iniunxit, vt impetu in hoſtem facto, eum Septis expelleret. Fecit is ſicut erat imperatum, pulſiſque hoſtibus, Septum non antè reliquit, quàm aggere euerſo, receptus ſignum à Gubernatore datum eſſet. Stetit ea res non parui Mauritianis: dum enim pertinaciùs vallum recuperaturi identidem adoriuntur, multos ſuorum perdiderunt, ipſumque Tribunum, ſeu, vt vulgò appellant, Colonellum Verium, cui ea pars commiſſa erat, ſaucium inter manus reportauerunt. Ad extremum tamen, oppidanorum viribus indies magis magiſque acciſis, ac numero propter ingentem morientium & vulneratorum multitudinem imminuto, ſemilunare illud propugnaculum ſpõte relictum 14. Septembris Mauritianis ceſſit; qui mox aggerem abrupere, & foſſa perfracta, aquam inde deriuarunt, dein è regione poſitum propugnaculum aggreſſi, ita illud ſuffoderunt, vt pedem ibi figere poſſent, & ab oppidanis ſolo Antepectorali diſiungerentur. Adorti ſunt eadem opera, & ſimili cuniculorum induſtria, aliud etiam propugnaculũ. Quibus tandẽ effectum eſt, vt obſeſſi, propriarum virium à multo iam tempore attritarum optimi æſtimatores, videnteſque ſuorum quà ſanorum quà vulneratorum numerum, vix ad octingentos relictum, omnis auxilij ac munitionum bellicarum ſpe deſtituti, 20. Septembris hoſti ſe dediderunt, cum armis, impedimentis, fomite ſeu funiculis accenſis, & tympanis compulſatis egredientes. Intereà dum Grauia obſideretur, fruſtraque, vt diximus, Admiralius ei ſuccurrere paraſſet, ipſe cum exercitu in pago Thorn ſupra Moſam, Ruremondam inter & Traiectum ſito, conſidebat. Vbi cùm intellexiſſet, ſexcentos ex ſuis in oppidulo Hamont agri Leodienſis collectos, equitatum peditatúmque ad defectionem ſollicitaſſe; cum quatuor tormentis bellicis & militum flore eos ſibi perſequẽdos, ac priuſquam numero augerentur, caſtigandos eſſe conſtituit. Præmiſſis itaque nonnullis Præfectis, qui vel facti veniam iis, ſi paruiſſent, vel vindictam, aliud ſi tentauiſſent, denuntiarent, ad obedientiam nequidquam illos reducere conatus eſt. Vnde mox aliquot in eoſdem muralia tormenta exonerans, pilaſque inſuper ignitas in oppidum vibrans, domos nonnullas incendio abſumpſit. Quo à tumultuante ob ſtipendia milite viſo, equitatus, fortiſſimus illorum neruus, per alteram portam dilapſus eſt; pedites autem ab Admiralio, cuius ſe fidei commiſerant, in gratiam recepti ſunt. Nec hîc ſubſtitit malum. Equites enim illi cùm fruſtrà Beringham tentaſſent, & de iis Dieſtenſes vicinique eſſent præmoniti, aſylum apud Bredanos cogitantes, in itinere arcem Hoochſtratanã occupant. Quæ res ſimul ac in Admiralij caſtris percrebruiſſet, tãta confeſtim, eorum qui ſtipendia flagitabant, multitudo eódem confluxit, breui

Cruenta ad Grauiã pugna.

Cedit Mauritianis propugnaculum ſemilunare.

Aliis etiã propugnaculis amiſſis, oppidani ſe dedunt.

Intereà ſexcenti iterũ Archiducales pro ſtipendiis tumultuantur.

Perſequitur eos Admiralius in Hamont, ſed non hîc perſtitit malum.

breui vt ad mille numerarentur. Quæ Archidux intelligens, Admiralium cum exercitu Dieſtemium verſus mouere iuſſit, ipſe prior eôdem contendens. Quod quidem eo conſilio fecit, vt ipſe, dum Mauritius in Grauia oppugnãda occuparetur, à rebellibus ſuis pœnas repoſceret. Vbi in Dieſt peruentum eſt, exercitui in agmina diuiſo, Archidux ob oculos poſuit, quanto damno à milite illo tumultuante & rebelli affectus eſſet, qui tempore illo nouas res moliri non dubitauiſſet, quando hoſtis maximo numero caſtrametatus eſſet, ita vt Grauiæ eorum vitio ſubſidium ferri haud potuerit, ſimulque perduelles ac proditores illos declarans, vt crudeliſſimos hoſtes perſequi ſeeos velle indicauit. Facta hæc 15. Septembris, Grauia nondum dedita. Ad extremum fide à milite accepta, quòd alacriter ſecum in perfidos profecturi eſſent, menſtruum ei ſtipendium ſoluit. His peractis, rectà Hoochſtratum moues, in itinere certior factus eſt, perduelles Bredâ à Batauis arma, munitiones bellicas, annonamque etiam accepiſſe. Verùm nihil rumore iſthoc motus inſtitutum perſequi non dubitauit, donec alio etiam de Grauiæ deditione accepto nuntio, metuere cœpit, ne ſi Mauritius eum occupatum videret, Venlonam adoriretur; cui, quòd præſidium impoſitum planè nullum eſſet, quodq; id oppidani nec ab Admiralio nec à Comite Hermano Vandenbergio Geldriæ Gubernatore accipere voluiſſent, ſuccurrendum quoquo modo videbatur. Rectà itaque Archidux illuc contendens, vrbi, etſi oppidani initio ſe excuſarent, quòd ſe vrbemque defendere poſſe exiſtimarent, demum iis aſſentientibus præſidium imponit. Quo facto, ac aliis quoque in oppidis, Geldra, Ruremonda, ac Traiecto ad Moſam, præſidiis auctis & confirmatis, vbi Archidux Mauritium, Grauia munita, & ab iis quæ neceſſaria videbantur inſtructa, mouiſſe, equitatumq; inſuper cum aliquot peditum turmis è caſtris dimiſiſſe intellexit, ipſe quoque militem transferre, & ſingulos quoſq; ad ſua præſidia tranſmittere conſtituit. Ita cùm Tirlemontium attigiſſet, maiorem ſuorum partem exercitui Oſtendano tranſmiſit, reliquos per diuerſa loca diſpoſuit, ac eis Comitem Fredericum præfecit; cui, vt quanta poſſet diligentia allaboraret, ne perduelles regionem peruaderent, iniunxit. Marchionis verò Spinolæ exercitum, qui multis per diuerſa incommoda abſumptis, magna parte imminutus erat, præſidio Tirlemontij, Herenſtadij, Wertæ ac Lyræ impoſuit, ſeptem interim cohortes Dammum in Flandriam mittens, vt veniente Frederico Spinola, de quo initio huius anni egimus, triremibus præſidio eſſent. Etenim is dudum ex Hiſpania è portu S. Mariæ cum octo triremibus ſoluens, vbi altum inuectus, latus Portugalliæ ſtringeret, inciderat in Batauicas quaſdam naues myoparone Indico egregiè inſtructo potitas, à quibus id damni acceperat, vt duabus ex ſuis triremi-

1602

Pluribus adhuc tumultuantibus, Archidux eos punitos vult.

Perſequitur eos Hoochſtratum vſque, vbi audit deditam Grauiam.

Tum Venlonæ primũ prouidendum cẽſet, vbi nullũ erat præſidium.

Decernit Archidux, vt pars exercitus Oſtendam redeat, pars ſeditioſos obſeruet.

Triremes Spinolæ ad Luſitaniã à Batauis inuadũtur.

1602 bus abſorptis, nautis tamen militibuſque ſeruatis, cum reliquis ſex Vlyſſiponæ in portu conſederit. Inde ad Regem accitus, negotioq; longiùs, quàm volebat, protracto, demum poſt medium Septembris iterùm nauigauit. In Anglici Oceani anguſtias inuectum magna Batauicarum eum expectantium nauium multitudo adoritur, cum quibus cùm fortiter decertat, magna inſuper tẽpeſtate ſuperueniente, duas triremes amittit, alia item iuxta Caletum 3. Octobris, incuria eorum à quibus gubernabatur, pereunte; duę verò Neoportum inuectę, ac vna, qua ipſe Fredericus vehebatur, Duynkerkam obtinens, tãtùm ſeruatæ ſunt: quibus dein reparatis, Sluſam cum ea legione, cui Hiſpaniâ eductæ Ioannes de Meneſes Eques Luſitanus Ordinis D. Iacobi præerat, peruenit. Marchio Spinola fratris fortuna ac aduentu ad Sluſam cognito, vbi priùs ea loca, in quibus è ſuis præſidiarij erant, viſitaſſet, eaque, quibus opus erat, prouidiſſet, rectà ad eum contendit; conſtituens ea hieme à bello minimè feriari, ſed dum per tẽpus liceret, hoſtẽ perſequi & oppugnare. Pompeio itaque Iuſtiniano cum octo cohortibus Sluſam euocato, in ipſo Dominicæ Natiuitatis peruigilio, tranquillo mari ſex triremes expediunt, & florem militum Hiſpanorum Italorumque eis imponentes, Walachriam vnam inſularum Zelandicarum aggredi & depopulari conſtituunt. Verùm eadem nocte priuſquam è portu egrederentur, cælo mutato, tempeſtas oborta eſt; quam cùm haud facilè ceſſaturam arbitrarẽtur, militem in terram iterùm exponere conſultum putarunt. Atque interim cùm ab Archiduce per litteras intellexiſſẽt, tumultuantium militum numerum ad tria millia excreuiſſe (quæ tumultuatio per nouemdecim menſes tenuit) magnoque cum regionis damno omnia peruadere; ipſi militem à Iuſtiniano adductum (quòd videlicet Comes Fredericus Vandenbergius numero ſe perduellibus inferiorem, eorum impetum ſuſtinere non poſſe ſcripſiſſet) in Brabantiam remittere iuſſi, captum de Walachria tentanda conſilium dimittere coacti fuerunt. At verò ecntrà Batavi, Archiducalium vires multiplici & frequenti militum defectione grauiter accidi videntes, ea ſibi occaſione vtendum rati, quatuor millibus peditum & duobus millibus equitum Comiti Ludouico de Naſſau ad expeditionẽ datis, eum in Lutzenburgenſem Prouinciam deſtinarunt; vbi oppidum S. Viti 11. Nouembris deprædatus, aliunde quoque non parua pecuniæ vi contracta, ac multis inſuper pagis incendio abſumptis, antequam Comes Fredericus Vandenbergius, ſuos hoſti obuiaturus colligẽs, eò peruenisſet, finiente Nouembri cum præda ad ſuos eſt reuerſus. Huius anni autumno Franciſcus Mendoza Admiralius Arragoniæ, cuius ſuprà frequens mentio eſt, in Hiſpaniam abiit; eiuſque loco cum ſumma poteſtate equitatui D. Ludouicus de Velaſco præficitur: Comes verò de Buquoy,

Rurſum inter Angliam & Caletum.

Ex octo triremibus, tres tantùm in Belgium Spinola adducit.

Impeditur conſilium Spinolæ, de inuadenda VValachria Zelandiæ.

Ludouicus Naſſouius vaſtat finis Lutzẽburgicos.

quoy, qui Wallonum peditum legioni hactenus præfuerat, Philippo de Torres ſibi ſuffecto, tormentorum bellicorum curam à dicto D. Ludouico relictam accepit. Aduenerunt quoque hoc anno, ſuam in Belgio operam nauaturi, D. Petrus Giron Dux Oſſunæ, & D. Ioannes de Medicis, ambo Primores Hiſpaniæ. Vice verſa Comes Theodorus Triuultius, legionis vnius Tribunus, in Italiam abiens officio ſe ſuo abdicauit. Eius legio reformata eſt in eam, quæ erat D. Alphonſi Daualos, qui itidem cedens, poſt ſe Ludouicum Melzi reliquit. 1602

Præfecti hoc tempore apud Archiducales.

Indica claſſis in Hiſpaniam appulit, magnis, ſi aliàs, opibus onuſta. In Francia antiqui fœderis pacta cum Heluetiis innouata. Bironius & Aruerniæ Comes, detecta coniuratione, Lutetiam Pariſiorum miſſi, cuſtodiæ traduntur in Arce ad portam Antonianam, vulgus Baſtillianum vocat. Denique cauſa à Senatu centum duodecim Iudicum cognita, Bironius in ipſa arce Antoniana (ſub dio tamen) ſpectantibus, qui irruperant, ferè ducentis hominibus, capite plectitur. Aruerniæ Comes, ſorore Vernolia Marchioniſſa exorante, vinculis carcereq; liberatur. E Germania allatus de Mercurij Ducis morte nuntius in Galliam. Hic Princeps, poſt præclara in Pannoniis contra Turcas edita facinora, dum in patriam feſtinat, Norimbergæ 19. Februarij diem Chriſtiano more clauſit, & 27. Aprilis Pariſiis in æde D. Virginis ſolemniter ei parẽtatum eſt. Turcæ à 9. Auguſti inchoata obſidione, Albam Regalem in Hungaria vi doloque expugnatam iterùm recipiunt. Sabaudiæ Dux menſe Decembri furtiua irruptione, ſed irrita, Geneuam occupare conatus eſt. Sabaudi intra mœnia deprehenſi, partim cæſi, partim diſſipati & in fugam acti ſunt; multi ſaltu præcipites ſe è muro, quem conſcenderant, deiecerunt. Præter eos qui tormentorum ictibus foris perierũt, in vrbe quinquaginta quatuor cæſi, tredecim verò capti fuerunt, & ſuſpenſi. Feliciùs tunc Melitenſibus res ceſſit, qui in Africæ ora Mahometam vrbem prope Tunetum egregio ſtratagemate captam incendunt, captiuis plurimis & ſpoliis locupletes. Amſtelodami in Hollandia ſpatio vndecim menſium ſexaginta ampliùs hominum millia peſte extincta ſunt. Sub exitum anni Leodij inter Magiſtratum & ciues diſſidium extitit, ac pænè ad ſeditionem prorupit, à ciuibus Curiâ velut obſeſsâ, eò quòd noua victualibus aliiſque rebus promercalibus impoſita vectigalia, & quæ ad tempus tantùm, ciuium conſenſu, (tum, cùm Huium obſideretur) decreta erant, hactenus continuarentur: ſed in ipſo ortu ſumma Principis eiuſdemque Epiſcopi prudentia (qui Magiſtratum acceptorum rationes reddere iuſſit) eſt extinctum. Hoc anno, Achimenſis in Sumatra Indiæ Orientalis inſula Regis Legati in Zelandiam venerunt, vt certi quid de his regionibus & populis ad Regem ſuum referrent: ſiquidem

VARIA.

Bironius, & Aruernius in Francia capti; ille etiam capite plexus.

Dux Mercurij è Pannonia rediens, in itinere moritur.

Infeliciter Geneua à Sabaudo tentata.

Diſſidij magni initia apud Leodienſes prudenter opprimuntur.

1602 Indorum plerique iis in locis perſuaſum habent, omnes vbiq; terrarum albicantis coloris homines Hiſpanis & Luſitanis ſubditos eſſe. Huius legationis caput fuit Abdel Zamat, qui Middelburgum Zelandiæ appulſus, ibi 9. Auguſti è viuis deceſſit. Ei Epitaphium Societatis Indicæ Magiſtri poſuerunt. Legationis ſocij cum Vernero quodam Belga interprete, vrbibus luſtratis, inſequenti anno ad ſuos redierunt.

Abdel Zamat Indorum Legatus Middelburgi moritur.

Primis anni 1603. menſibus vtraque pars ſe intra ſua continuit ſepta, nihil ſaltem nouum tentans; ſeu quòd alteri aliorum conſilia certiùs exp-
1603 plorarent, ſeu fortè quid adferret mors, quæ metuebatur Eliſabethę Angliæ Reginæ. Ea enim iam à fine anni præcedentis grauiter ægrotans, tandem 24. Martij huius anni, ſtilo antiquato, hoc eſt 3. Aprilis iuxta calculum noſtrum, debitum vniuerſæ carnis perſoluit; de cuius morte mox ſuo loco paulò pleniùs inter varia. Ad Belgica quod ſpectat, die 5. Martij Matthęus Dulcken, Gubernator Stralæ vrbis Geldriæ, Wachtēdonckam occupari rationem inuenit, opera militis cuiuſdam eiuſdem præſidij, qui fœnum & ſtramen lintre per flumen Niers iſtuc deuehere conſueuerat. In eum namque lintrem ſeu ſcapham, cùm Gubernator ille & tredecim ſuorum paleâ tecti deſcendiſſent, à præſidiario illo vehebantur. Qui ad Arcis portam perueniens, ibiq; tamquam ſocius agnitus, militem qui excubabat, vt ripæ appulſurum ſe iuuaret, deuocatum, ac manum ſibi porrigentem magna vi in flumen protraxit. Tum Dulcken cum ſuis ſcaphâ exiliens pontem occupat, ac viginti militum iuxta eum excubantium armis potitus, eos mactat, & ponte adducto caſtrum ingreſſus Gubernatorem cum viginti aliis capit; potiore militum robore in vrbe tunc agente. Interim Comes Henricus Vandenberge cum quadringentis militibus, ex præſidio Venlonæ & Stralæ deſumptis, poſtquā in ſilua quæ dictum flumen ab Arce diuidit, aliquamdiu conſediſſet, eadem ſcapha in Arcem vectus eſt, qua in re non parum temporis eſt conſumptum. Iam oppidani triſtiora animo verſantes, vrbem quoq; videbantur dedituri, cùm ecce à ducentis Hollandis equitibus, qui iis in locis graſſabantur, fortè fortuna aucti & animati, valla è caſtri conſpectu exſtruunt, illudque pilis adeò pertinaciter oppugnant, vt Archiducis milites, qui antè impreſſionem in hoſtem facere conſtituerant, muros egredi iam non auderent. Monitus à Comite Hermanno Archidux, vti auxiliarem militem ad vrbem cingendam ſubmitteret, Comiti Frederico in mandatis dedit, vt cohortibus contractis iter illuc quàm primùm haberet. Qui etſi in ſe deſiderari nihil pateretur, occaſionem tamen rei illius perdidit. Hollandi enim iſti vrbi quàm ipſe viciniores, ter mille peditibus & mille equitibus ex præſidiis vicinis deſumptis, ipſum pręuenerūt, locumque ita ſepſerunt, nulla vt ratione Comes Hermannus commeatum

Quare huius anni primis mēſibus nihil ardui tentatum.

Archiducales aſſu VVachtendonck arcē occupant.

Sed nondū tamen oppidum, & quare.

Oppugnāt Mauritiani eos qui ſunt in Arce.

tum caſtro ſubmittere valeret. Ita ergo Archiducales honeſtis cum hoſte conditionibus paciſcentes, cum ſpoliis egredientes ſe dediderunt. Dudum Rex Hiſpaniarum de Frederici Spinolæ aduerſis inter nauigādum caſibus,& Marchionis exercitu ſuperioribus malis grauiter attrito certior factus,iuxtaque conſiliorum à Frederico ſibi ſuggeſtorum minimè immemor,poteſtatē iis fecit viginti millia peditum & duo millia equitum conſcribendi. Dedit deinde ad Archiducem litteras, quibus ei negotium commendabatur; vtque Marchioni viginti tormenta muralia commodaret,petebatur. Verùm cùm ille moras faceret, & negotium in longius tempus reijceret, alias mox à Rege litteras accepit, quibus rem maturari Regiam Maieſtatem planè velle intellexit. Abſtulit ea mora tres ipſos menſes;quippe cùm,quę litteris menſe Ianuario datis continebantur,non niſi Martio effectū fuerint conſecuta. Tunc enim primùm Marchio ſex millia peditum collecturus in Germaniam profectus, Robertum Baronem de Barbanſon,&Egenolphum de Lutzenburgo legionum Tribunos conſtituit: dein Mediolanum tres inſuper legiones collecturus conceſſit. Fredericus autem frater in Flandria Iacobum Franſeſchi,militari arte & animo inſignem, legioni Wallonum Tribunum dedit,ac Comitem Henricum Vandenbergium,qui trecentos cataphractos ducebat,vniuerſo equitatui cum ſummo imperio præfecit. Magna & heroica planè facinora ambo Spinolæ animo agitabant: quæ quòd haud omnia ſortita ſucceſſum, iis quæ dicemus interuenientibus, nihil neceſſe eſt commemorare. Menſe Aprili nuntiatum eſt Grobbendonckio Gubernatori Buſcoducenſi,ſexcentos Hollandos equites (inter quos & Comitis Mauritij turma erat) Nouiomago & Grauia egreſſos Campiniam peruagari: qui facili negotio hoſtem nihil tale ſuſpicātem ſe poſſe adoriri ratus,ducentos equites & quadringentos pedites ex vrbe ſecum educens,in pago Gemert 7. Aprilis,quà hoſtem tranſiturum ſciebat, in inſidiis conſedit,iubens,vt poſtquam miles vniuerſus vicum intrauiſſet, pedites repentè illum circumfuſi vnà cum equitibus glandibus ferreis acerrimè infeſtarent. Verùm mox,cùm viginti quinque Hollandi equites,qui agminis frontem faciebant, medium pagum tenuiſſent, pedites ſclopis illos aggreſſi, aliquot eorum interfecerunt, reliqui verò ad ipſas turmas,quæ in aperto campo adhuc morabantur, dilapſi, pedem referre conſtituunt. Grobbendonckius, vbi hoſtem leuiore quàm ſperauerat damno affectum videt, quòd videlicet pedites, ſicut imperatum erat, rem non aggreſſi eſſent,paucis ſed acribus verbis equites hortatus,in hoſtiles cuneos impetu facto eos diſiecit. Quinquaginta ſtatim occiſi, inter quos & Comitis Mauritij Signifer. Duo verò Locumtenentes,totidemq; Vexilliferi cum centum & decem militibus capti ſunt. Præter hos etiam

1603

Archiducales honeſtis conditionibus VVachtendonckio diſcedunt.

Marchio Spinola nō impetrat, vti Rex iuſſerat.

Tandem ad nouas colligendas copias proficiſcitur.

Nuntiatur Grobbendonckio, Mauritianos in Gemert poſſe opprimi.

Excipit itaque eos ex inſidiis.

Caſi Mauritiani 50. capti 110.

1603 & equi 160. Siluamducis abducti.

etiam centum & ſexaginta equi abducti: ſicque victoria potitus Grobbendonckius, Siluamducis reuerſus eſt; vbi, quòd pręſidiarius miles è legione d'Aſſicourt defectionem moliri videretur, ciues imparatum adhuc & diſperſum vrbe eiecerunt, neque aliud præſidium quàm Gubernatorem Grobbendonckium cum equitum cohorte pati admittereque dudum voluerunt. Hoc tempore ad Oſtendam ex parte munitionis ſancti Alberti, Riuas caſtrorum Præfectus in mole illa, quæ Platta forma dicta eſt, augenda firmandaque occupabatur. Qui cùm tres hoſtium munitiones ſiue Poldros minùs à milite inſtructos eſſe reſciuiſſet, eas inuadere decernit. Sed quæ præceſſerunt, & pęnè effugerant, præmittamus. Hieme tam in oppido quàm in caſtris per graues militum ærumnas tranſacta, & vere appetente, magno animo magniſque viribus illi oppugnationem rurſus aggrediuntur, hi defenſionem ſuſcipiunt; ſed inprimis 20. Martij obſeſſores ſine vlla pęnè intermiſſione in oppidum fulminarunt. Quos ictus irritos non fuiſſe, ex eo quis colligat, quòd vno ictu nouem ſimul milites interfectos etiam ipſi obſeſſi ſcriptis prodiderunt; nihilo ſegniùs tamen ſuam ſtationem quiſque tuebatur. In Oſtenda commeatu iam ferè omni per hiemem conſumpto, nautæ magnis præmiis ad nauigandum excitantur. Tergiuerſabantur enim, quibus vita auro carior; at contrà meſonautæ nonnulli, aliique, ſpe lucri propoſita, illuc adhuc poterant impelli. Ita non deerant, qui commeatum oppido inferrent; quod toto menſe Martio factitatum, quo pluſquam quadraginta minores naues vario apparatu inſtructæ in portum & oppidū appulerunt. Menſe Aprili tanta vis ventorum ſubitò exorta eſt, vt ędificia antè ſemidiruta, planè conuulſa ſint, & turris è templi faſtigio deiecta, non ſine vicinorum damno in terram deciderit. Vix ſine horrore adſpici poterat fluctibus ſpumeſcentibus tumidum mare, qui in partes oppidi mari obuerſas magna vi illiſi, iam iam ipſum oppidum abſorpturi, aut à fundamentis concuſſuri videbantur. Vidiſſes hîc milites magis ſollicitos quomodo contra tam brutum & turbidum elementum, quàm contra hoſtium aſſultum ſe domiciliáque ſua tuerentur; verendumque erat, ne mox ſedibus ſuis innatarent. Vento paululùm remittente, Archiducales oppidum, & eas præcipuè partes, quæ ad Orientem ventorum ac fluctuum impetu labefactatæ nonnihil & concuſſæ erant, propugnaculum itidem Occidentem ſpectans, inuadunt, palos euellunt, per aduerſa enituntur, contráque hoſtem audaciſſimè conſerunt manus; ſed non minori virtute excipientibus eos oppidanis, tandem receptui canunt. Verùm extemplò, obſeſſis iam omni periculo defunctos ſe exiſtimantibus, Polderanum propugnaculum corona inuadunt, coniunctis viribus effecturi, quod diuiſis efficere nequiuerant. Quo in conatu fortuna magis propi-

Ad Oſtendā grauiter vtrimque res agitur.

In ſummo periculo tamen ſūt, qui commeatum Oſtendam inferunt.

Ingenti vento & procella Oſtenda cōcutitur.

Archiducales propugnaculū ad Occidē tē fruſtrà inuadunt.

At mox Polderano potiuntur, fruſtrà id aliis recuperare conantibus.

propitia eos reſpexit, propugnaculo, occiſis omnibus prę ſidiariis, potitos. 1603
Die ſequenti cladem hanc vlturi, & amiſſa recuperaturi, oppidani magno numero eruptionem faciunt; ſed fortiter ab Archiducalibus reiecti, vnde venerant, te infecta redierunt, non tamen omnes. Inter multas cruenta hæc fuit pugna, nec exigua oppidanorum iactura, quorum ceruicibus Archiducales indies propiores facti imminebant; ſed ſpes eos nouorum auxiliorum propinqua ſolabatur. Etenim hac fama ad Ordines & Mauritium perlata, ſuppetiæ iam antè decretæ acceleratæ iuſſæ ſunt. Ita nauibus impoſiti milites, cùm in oppidi conſpectum peruenirent, in lembos deſcenderunt, & idoneam nacti tempeſtatem, per media tormentorum tonitrua in portum diuerſis vicibus inuecti ſunt, vt & commeatus. Minora enim nauigia & commodiùs agebantur, & ictus faciliùs vitabant, ac ſi quæ in hoſtium manus incidiſſent, non ita magnam afferebant iacturam. Luſtratione 11. Maij facta, octoginta militum ſigna recenſita ſunt. Eiuſdem menſis Maij die 25. Fredericus Spinola, mare tranquillũ, & tempus nauigationi idoneum nactus, mille & quingentos ſelectos pedites octo triremibus impoſuit, portumq; Sluſanum egreſſus, ſub auroram duas Batauorum triremes, & tria militaria nauigia, quæ in anchoris ſtabant, offendit. Igitur etſi ad totius inſulæ Walachriæ populationem vaſtitatemque potiùs iter ſuum ſpectaret, eam tamen occaſionem in manus ſibi ingeſtam minimè repudiandam ratus, hoſtem adoriri conſtituit. Verùm Hollandi Zelandique vt triremes aduentare conſpiciunt, cùm vento deſtituerentur, in anchoris conſertis nauigiis Marti ſe accingunt. Aggreſſus ergo eos Fredericus pugnæ initium facit, qua deinde ad duas horas magna cum vtriuſque partis ſtrage continuata, tormentiſque maioribus & ſclopis nauium latera ſoluentibus, tantus clamor & fumus oriebatur, alter vt alterum videre audiréve non poſſet. Inter hæc valido ſatis vento ſurgente, Batani, inciſis anchoris, vela expediunt, & Spinolæ triremes; quæ vnam iam triremem hoſtilem, hominibus tantùm ſeruatis, depreſſerant, magno cum animo & impetu aggrediuntur, cùm ecce Fredericus ipſe, qui cum ſua triremi hoſtilis nauigij puppi adhæreſcebat, impacto in latus ferro, dextroq; brachio, quo gladium vibrabat, auulſo, facie ſimul ictus, paulò pòſt in portu ex vulneribus expirauit. In extremo mortis articulo conſtitutus, numquid dicendum haberet, Confeſſario interrogante, reſpondit: Mea, & mei Regis negotia ftatri, animam autem Ieſu Chriſto, pro cuius fide morior, commendo. His ille dictis, in portu Sluſano, Sacramẽtis Confeſſionis & ſacræ Synaxeos antè munitus, ad meliorem vitam tranſiit. Mortuo Frederico triremes ſimul Gubernatore ſupremo ſunt deſtitutæ, quòd aliquot menſibus antè Aurelius Spinola, Frederici Vicarius, in Hiſpaniam eſſet ablegatus. Quare vbi per

Noua auxilia Oſtẽdam ingrediũtur, ſimul iam 80 ſigna.

Fredericus Spinola naues Zelandorum inuadit.

Pugnatur duabus horis, magnâ vtriuſque partis clade.

Vulneratus & Spinola, paulò pòſt moritur.

eius

1603 eius triremes omnes, mortis ipſius rumor increbuiſſet, Capitanei pro ſuo quilibet libitu triremes habuere, & conflictum victoriamque ſimul reliquere. Ceciderunt in hoc nauali conflictu præter Spinolam ſocij eius circiter trecenti, interque illos Auguſtinus Arconatus Maior Teſſerarius ſiue Sergantus, Polydorus Cattaneus & Vincentius Bagno Capitanei. Hoſtium verò cæſorum numerus ad quingentos excurrit, inter quos & Archithalaſſus vnus eſt deſideratus. Mox rebus ad Archiducem perlatis, & triremibus in portum Sluſanum reductis, earum Gubernator D. Chriſtophorus de Valenzola renuntiatus eſt. Dein nuntij ad Marchionem de triſti fratris ſucceſſu ablegati; cuius ille egregiam indolem ac virtutem ſummis honoribus dignam in flore iuuentutis oppreſſam cogitans, ſanè ingenti dolore eſt affectus. Auocato autem poſteà nonnihil à mœrore animo, conſiderans tamen incepti negotij interruptionē, nec quid Rex facturus foret, ſatis adhuc diſpiciens, conſilium interim de milite conſcribendo ſuſpendit, maximè quòd, etſi omni diligentia induſtriaque adhibita, non niſi circa Autumnum in Belgium ſe cum milite redire poſſe præuidebat. Commutatis igitur equis eò contēdens, ſimiliter Germanorum, Wallonum & equitum collectioni ſibi ſuperſedendum putauit, quoad à Rege, cui omnia indicari curauerat, quid ſibi faciēdum foret, intellexiſſet. Bruxellas vt venit, à Rege litteras habuit, quibus ei Frederici partes quoque demandabantur, ac ſuæ etiam prorogabantur; videbaturque quoque ſuæ Maieſtati, conſilium de milite conſcribendo in ſequentem annum eſſe reijciendum. Quæ Marchio in Italiam Centurionibus ſcribenda ratus, eos quos ex Flandria abduxerat, rurſus ad ſe accerſiuit, & cuilibet in viæ ſubſidium cētum ſcutatos aſſignauit. Tum militem Iacobi Franceſchi dimiſit, & Capitaneis, qui ſumptus aliquos fecerant, ſoluit. Fecit idem cum Domino de Barbanſone. At Lutzenburgius, quia legionem iam impleuerat, & Archiduci milite opus erat, in ſtipendia Principis conceſſit. Nunc ad Oſtendam redeo. Ibi ea nocte quę 14. Iunij eſt inſecuta, oppidani erumpunt, & quæ ad Lusboſſam erant propugnacula inuadunt, primis excubitoribus interfectis. At tumultu per caſtra ſparſo, magnis ſtudiis atque animis vndique ad eum locum, quo impreſſionem hoſtes feciſſe dicebantur, Archiducales accurrunt, ac multos nimis temerè progreſſos intercipiunt, ac reſiſtentes obtruncant. Memorabilis hæc fuit oppidanorum clades, qua ferè ex iis qui eruperant promptiſſimus quiſque occubuit, & inter primos Sancius quidam Baro Gallicus, cuius corpus opobalſamo condîtum in Galliam deinde fuit tranſportatum. Econtrà Archiducales Becaffum propugnaculum multa verberatione concuſſum ſummis viribus oppugnant. Erat id ad ipſas fauces ſiue nauium ſtationem propugnaculum, quod ſi tenerent obſeſſo-

Numerus cæſorum vtrimque hoc conflictu.

Marchio Spinola grauiter morte fratris afficitur.

Sepoſito ad tempus de colligendo milite conſilio, in Belgium redit.

Eos qui iam conſcripti erāt humaniſſimè tractat.

Oſtendani ad Lusboſſā magno ſuo damno erumpunt.

Becaffum biduo acriter ab Archiducalibus oppugnatur.

res,

res, magnum ad certam victoriam momentum consecuti meritò potuis- 1603
sent videri. Erat enim locus nouis excitandis munitionibus commodus, vnde etiam ponte super canalem impositò, nullo negotio commeatus poterat intercludi. Quapropter acerrima 14. & 15. Iunij ab vtraque parte ad eum exstitit dimicatio; promiscua cædes finis fuit. Iam anniuersarius obsidionis dies redierat, quem oppidani pro more omniũ tormentorum displosione celebrabant, etiamsi præter alia mala, etiam contagio & lues per oppidum serperet, qua correpti milites subitò velut exanimati concidebant. Huic malo Ordines ita occurrere conati sunt, vt missis mense Iulio plusquam octoginta nauibus, militem subinde nouum mitterent, commeatuque recenti reficerent. Variis modis tum, sed ignibus maximè certatum fuit, quibus Archiducalium munitiones perdere obsessi summa industria conabantur, globis candentibus in eas partes maximè, quibus materia erat ad concipiendam flammam idonea, missis: quos restinguere aut amouere eò erat difficilius, quòd cuspidibus ad ea in quæ inciderant, adhæresceret, atque ægrè poterant reuelli; accedente præterea alio periculo: erant enim ita facti, vt occultis momentis occluso intus igne erumpente, repentè dissilirent, & missiles globulos in circũstantes spargerent. Hoc inuento Lusbossa, firmissimum Archiducalium propugnaculum, incendium 22. Iulij concepit; quod etiam, quamuis strenuè, omnique contempto periculo defensores accurrerent, priùs restingui nõ potuit, quàm moles vncis & harpagonibus diducta fuit, cuius posteà reparatio multo labore sumptuque constitit. Idem posteà in Polderano propugnaculo tentatum, non eumdem habuit euentum. Tandem tamen 20. Augusti ingens quoq; illa moles, quam Planam seu Plattam formam vocatam suprà diximus, missis plusquam centum triginta quinque pilis candentibus, ignem concepit; qui vento adiutus, mox in magnum incendium pluribus vndique locis exarsit. Nulli quidem labori, ac ne capiti quidem suo (oppidani enim interea continuis eiaculationibus ea loca infestabant) in eo restinguendo parcebant Archiducales, sed parum proficiebant, igne tantò magis, quantò frequentiùs mouebatur, inualescente, ac tandem post trium dierum ac noctium deflagrationem, iam consumptis viribus, demum subsidente. His tantis incommodis statim obuiàm iuere Archiducales, & quæcumque vel incendio deformata, vel ictibus labefactata fuerant, singulari industria breui instaurarunt: nec minùs ipsi quà vi quà ingenio oppidanis erant molesti; inprimis autem, quamuis anteà non semel frustrà idem essent conati, in obstruendis portus faucibus mirè satagebãt; de quo mox plura. Dudum Regis Catholici ad Archiducem litteræ perlatæ erant, quibus, ne cum perduellibus suis, qui anno superiori ob nõ soluta ea ratione qua ipsi volebant

Globis cãdentibus Ostendani obsessoribus multũ facessunt negotij.

Ita Lusboſſa propugnaculũ incendium concipit.

Demum & Plattaforma arsit, frustrà restinguẽtibus Archiducalibus.

Archiducales omnia instaurant.

1603 lebant ſtipendia, ſeceſſerant, paciſceretur, ſed vt qua poſſet ratione eos perſequeretur, admonebatur. Hinc mox Carolo de Lotharingia Duci de Oumale, mille vt equites, ac Colonello Wiſzlier, tria vt millia Germanorum contraheret, imperatum eſt. Quo facto, ac ſeptem millibus peditum & tribus millibus equitum collectis, Comes Fredericus Vandenbergius ad perduelles oppugnandos 25. Iulij cum exercitu mouit. Quo intellecto, rebelles, peditatu in arce & municipio Hoochſtratano relicto, equitatum in campum eduxerunt, & cum Batauis vicinis, ſi ab iis adiuuarentur, fœdus ſe percuſſuros, ac quanto tempore paciſcerentur, in bello operam illis ſe ſuam collocaturos eſſe, miſſis Oratoribus ſpoponderunt. Bataui, qui tunc tanto exercitu per ſe inſtructi nequaquam erant, in campum vt procedere poſſent, occaſionem ſibi oblatam non amittendã rati, perduellibus promiſerunt, ſe toto illo anno, quo in caſtris ſuis eſſent manſuri, quæ poſſent ſubſidia eſſe ſubmiſſuros. His ergo concluſis, Mauritius ſuorum viribus contractis, & cum perduellibus coniunctis, 8. Auguſti Hoochſtratanis ſubuenturus promouit. Qui cùm iam per dies aliquot à Comite Frederico oppugnati fuiſſent, illeque, ſeptis effoſſis, vſque ad Arcis foſſam euaſiſſet, in magnas ſatis anguſtias poterant videri eſſe redacti. Nihilominùs cùm idem Comes animaduerteret, legiones D. Inici de Borgia & Lælij Brancacij (quæ ex Italia aduentantes ſibi ab Archiduce ſubmittendæ erant) diutiùs abeſſe, quid potiſſimum eo tempore ſequeretur, difficulter diſpiciebat. Etenim ſi cum hoſte confligere vellet, militem ſe haud ſatis copioſum habere videbat; ſi verò intra ſepta ac valla ſe cõtinere decreuiſſet, Mauritius ei nullo negotio commeatum, cuius penuria à multo iam tempore laborare incipiebat (quòd videlicet is Antuerpiâ & Lirâ magno cum militum numero aduehendus erat) auertere potuiſſet. Suadentibus itaque exercitus ſui primoribus, ac hoſtilium virium tacita quadã conſcientia impellente (antè enim iam cum equitatu velitatus fuerat) Herentalium verſus 10. Auguſti mouit. Id quod illi qui in Arce erant conſpicati, eruptione facta, manum cum extremis ordinibus conſeruerunt, vtrimque pauculis interfectis; inter quos tamen fuit Dominus de Roſna, cataphractorum ductor, eius Roſnæ filius, qui priùs ſummo cum imperio Archiducis exercitui præfuerat. Mauritius Comitis Frederici diſceſſu intellecto, poſtquã Hoochſtratanis ea quę neceſſaria erant, inferri curauiſſet, quãta potuit celeritate, vnà cum perduellibus Siluamducis, eam adoriturus, 19. Auguſti contendit. Quod cùm Comes Fredericus reſciuiſſet, adiunctis ſibi iam tandem Borgia & Brancacio, reique euentu Archiduci nuntiato, ad dictam ciuitatem biduo pòſt, id eſt 21. eiuſdem Auguſti appulit, hoſtemq; qui præceſſerat, iamque ad vrbem aditum intercludere cœperat, & à duabus ſe parti-

Iterùm cõparat ſe Archidux ad caſtigandos ſuos ſeditioſos. Educuntur contra ſeditioſos 7. peditum millia, & 3. equitũ.

Seditioſi paciſcuntur cum Mauritio.

Interim oppugnantur in Hoochſtraten, ſed lentè.

Deſeritur ea obſidio; & quare.

Mox Mauritius Siluamducis ſecundò obſidet, ducẽs ſimul ſeditioſos.

partibus munierat, ſecutus, in oppoſito Hollandorum in Dungen & Hintam caſtra fixit: qui etſi cõſilium iam ſuum de vrbe quaquauerſum cingenda proditum intelligerent, nequaquam tamen animum deſponderunt; quòd videlicet oppidanos præſidio deſtitutos, difficulter id etiam admiſſuros credebant; quodque ex hoc tantam confuſionem ſecuturam arbitrabantur, vt ſi hoſti ſe non dederent, ad neutram ſaltem partem ſe inclinantes, Archiduci fierent inuiſi. Itaque quàm poterant optimè quaquauerſum ſe munire, propiuſque paulatim ad vrbem accedere parant. Nec verò minùs Comes etiam Fredericus ab altera ſe parte ſepiebat, ac oppidanis animos addens, Mauritium mox campo ceſſurum dictitabat. Tum vallis aliquot excitatis, quibus hoſtium ſe conatus eludere poſſe exiſtimabat, inſuper inſigne propugnaculum à ſtellis appellatum exſtruxit, vnde in Erneſti Naſſouij caſtris multum damni dabat. Inde, quod alterum in mandatis acceperat, vt præſidium immitteret, aggreſſus, perficere non potuit; non quòd aditus omnes eſſẽt intercluſi, qui ſatis multi adhuc ſupererant, & non omnino difficiles; ſed quòd ciues ſua virtute freti, præſidium recipere nollent. Metuebant enim, ne vbi milites in vrbem veniſſent, tumultuari ſimiliter ob non ſoluta ſtipendia inciperent, eorumque ſolutionem vel ab inuitis ciuibus extorquerent, aut recuſantium fortunas diriperent, quod alibi accidiſſe meminerant. His de rebus certior factus Archidux, ipſe eò ire ſtatuit, quamuis multis diſſuadẽtibus. Interea munitiones varias quotidie moliebatur Mauritius, ita vt cum exercitu hibernare ibi velle videretur. Vna res conatum eius retardatura videbatur, ſi commeatibus prohiberi poſſet. Ad hoc perficiendũ, locum idoneum ſpeculatus Marchio della Bella, Italicæ legionis Tribunus, duo lectiſſimorum militum millia de nocte ad alterum vrbis latus trans Dieſam fluuium, inter vrbem & Creuecœur Hollandorum propugnaculũ mittens, ipſe eos duxit, vallumq; eo loco extruere cœpit, aliis nihilominùs duobus millibus non longè inde cõſtitutis, qui neceſſitate exigente auxilium ferrent. Et quidem Marchio della Bella maximam in vallo extruendo diligentiam adhibuit, defenſionẽ tamen maturare non potuit, quin eius conſilium Mauritius animaduerterit. Qui quantum eo in negotio verteret probè intelligens, flore ipſo peditum, quatuor nempe millibus ſelectis, perduellibus etiã, qui in Flimen excubabant, aduocatis, ſequente retrò maiore numero, circa ipſam noctẽ concubiam, qua Marchio della Bella munire ſe cœperat, magno impetu Archiducales inuaſit. Cui etſi ab iiſdem fortiter ad duas horas reſiſteretur; quòd tamen vallum ad eam altitudinem eductum necdum erat, vt quos receperat tegeret, quodque hoſtis numero ſuperior erat, Archiducalibus fuit cedendum. Pugnatum inter 2. & 3. Septembris; fuitque diu anceps prælium. Ceci-

1603

Eum inſecutus Vandenbergius caſtra caſtris oppo-nit.

Optimè ſperat Mauritius, ciuibus nolentibus admittere præſidium.

Quare Siluæducenſes militem Archiducis recipere nollent.

Archidux ipſe Siluamducis venire decernit.

Molitur Marchio della Bella propugnaculum, quo commeatũ Mauritio impediat.

Poſt duarũ horarum pugnam cedere cogitur, ipſe caſtra; multiq; etiam vtrimque.

1603 derunt eo in cõflictu circiter ducẽti vnà cum ipſo Marchione della Bella: qui etſi de victoria conclamatum videret, cedere tamen noluit. Capti ſunt numero trecenti, vulnerati non pauci. Ex Mauritianis quoque deſiderati ampliùs trecenti. Mauritius loco potitus, nemine iam prohibente eum muniebat, diſpoſitiſque ibi decem muralibus tormentis, continuis pilarum ictibus vrbem, mœnia, & domos inde quoque infeſtabat. Exiſtimatum fuit, ſi Marchio della Bella ſuppetias accepiſſet (quod factum non eſt, milite quidem eo fine deſignato, at non comparente tempori) defenſurum ſe fuiſſe, & maiorem ſtragem editurum. Comes Fredericus, vbi locum ab hoſte captum, & egregiè vndequaque munitum vidit, ampliùs ſe eum infeſtare non poſſe, nec vltrà commeatum ab obſeſſoribus auertere poſſe exiſtimans, Archiducem de omnibus certiorem facit; quem non modò præſens negotium, ſed etiam Oſtenda mirum in modum diſtinebat: quippe Pompeius Targonus Romanus, acerrimi ingenij homo, ſed antehac in bello numquam verſatus, vrbis ſitu ſpectato, ei promiſerat, machinis ſe ſuis omnia præſidia & commeatus ab illa eſſe auerſurum. Tentarat ille varia, omnia diſijciente impetu maris. Tandem caſtellum ratibus impoſitum ad oſtium portus promouet, cùm ecce repentè hoſtis, dilabente Oceano, tanta cum cõtentione vndecim muralibus tormentis in rates detonat, vt etſi in principio leue damnum accipi videretur, poſteà tamen longè maximum fuerit ſubſecutum. Diſſolutis namque laterum ligneis compagibus, relabente cum opportuniore etiam vento Oceano, ipſa aqua lapides quoque è cratibus expellebat, ac deinde propter materiæ leuitatem nullo negotio in quamcumq; partem transferebat. Ita omnes Targoni ſpes & molitiones intra paucas horas in fumum abierunt, vix vt eius operis minutæ quædam reliquiæ, cùm ſinus defluxerat, ampliùs ſupereſſent. Erat ſub id tempus quoque apud Riuam, caſtrorum ad Oſtẽdam Præfectum, D. Ioannes de Medicis, aliquot ei rationes ſuggerens, quibus vrbs expugnari poſſe videretur. Quas vt effectas daret, Riuas ab Archiduce fruſtrà monebatur, quòd nimirum impoſſibile videretur, ſinum maris adeò vaſtum, & oppidanorum propugnaculis prætextum tranſmittere. Videns proinde Archidux indies maiores difficultates eo ſibi ex negotio emergere, ac cœpta ad finem aliquando perduci deſiderans, oculos animumque ad Marchionem Spinolam adiecit. Huic, prẽter ſummum Oſtendanæ expeditionis imperium, vt militi ſoluat, commeatumque bellicum, ceteráque omnia ad vrbis expugnationem neceſſaria ſuppeditet, totum belli neruum à Regia Maieſtate aſſignatum ſe permiſſurum promiſit; quin, ſi maiores expenſas faceret, expugnata vrbe, eumdem belli neruum non antè eſſe adempturum, quàm quæ expoſuiſſet, omnia ei perſoluta eſſent. Spinola magnitudinem

Muniunt eumdem locum dein Mauritiani.

Archiducẽ cruciant, hinc Siluaducis, illinc Oſtẽdu.

Caſtellum fruſtrà ratibus ad Oſtendam imponitur.

Alia etiam cõſilia impoſſibilia Archiduci ineam ſuggeruntur.

Itaq; agere incipit, vt Spinolæ committat ſummam oppugnãdæ Oſtendæ.

dinem animi, induſtriam ſimul prudentiámque comitari oportere re- 1603
ctè conſtituens, ſategit ante omnia, certò vt intelligeret, poſſétne Oſten- *Spinola antequam ſuſcipiat, explorat priùs omnia diligenter.*
da oppugnatione potiùs diligenti, an ſubſidij auerſione expugnari. Ita
que & ipſe ad exploranda omnia ſe contulit, & mox etiam duos ex ſuis
ſeparatim (neutro de altero quidquam ſciente) Iacobum Franceſchi &
Pompeium Iuſtinianum eadem recognituros amandauit. Quibus dili-
genter examinatis, cùm vna vtriuſq; eſſet ſententia de modo quo Oſten-
da expugnari poſſet, ipſeque ſimul ſuum & illorum conſilium in idem
recidere animaduerteret, rerum ſummam ſibi delatam accipere conſti-
tuens, Bruxellas conceſſit. Cuius aduentus perquam gratus Archiduci
fuit; quippe qui nihil aliud deſiderabat, quàm negotij illius finem ali-
quem videre, ac dein Siluamducis contendere, quò à Comite Frederico
identidem inuitabatur; tum quòd ciuitas omne planè præſidium mili-
tare reſpuebat, tum quòd Mauritius propiùs ad eam mouens, munitio-
nibus & tormentis acerrimè illam infeſtabat. Igitur poſtquam inter Ar- *Suſcepto à Spinola dicto onere, Archidux Siluamducis profiſciſcitur.*
chiducem & Spinolam conueniſſet, pręſentibus Ioanne Richardoto ſan-
ctioris Concilij Præſide & Conrado Schetz Barone de Hoboken, datæ
ſunt ea de re ad Regem litteræ; omnibuſque conſtitutis, Archidux Sil-
uamducis verſus viam ingreditur, & Spinola comitante Rutemondam
1. Octobris pertingit. Eò vt peruenit, Alexandrum Malaſpinam ſibi à
conſiliis bellicis Siluamducis cum quadraginta equis ad Comitem Fre-
dericum præmittit. Qui in via à perduellibus interceptus, ad Mauri- *Præmiſſi 40. equites Archiducis ab hoſte intercipiuntur.*
tium perductus eſt. Vbi dum, comitante Oliuerio de Temple, Domino
de Corbeeck, Hollandorum Tribuno, militum ſtationes 3. eiuſdē Octo-
bris obit ac luſtrat, ecce derepentè hoſtilis pila tormento maiori excuſſa
aduolat, & Domino de Temple occiſo, Malaſpinę crura demetit. Poſtri-
die, id eſt 4. Octobris, Archidux Siluamducis perueniens, intellexit à
Gubernatore, ciues ac Magiſtratum nullum penitùs præſidium admit-
tere conſtituiſſe, ideoque de eo recipiendo tractare noluit; ſed in caſtra
digreſſus, indicium dedit in hoſtem ſe pugnare ac eum loco mouere de- *Archidux Siluamducis veniens diſſimulat de præſidio inducendo.*
creuiſſe. Mox vt accepit, in loco quodam paluſtri, qui Mauritium à per-
duellibus diſtinguebat, inter Flimen & Vucht vallum eſſe, quo Hollan-
dicum commeatum præteruehi oporteret, ad id expugnandum animũ
ingeniumque intendit. Intelligebat enim, eo ſi in loco munire ſe poſſet,
facili negotio commeatum ab hoſte, & hoſtem deniq; ab vrbe eſſe auer-
ſurum. Flore ergo militum delecto, & ſeptem maioribus tormentis con-
tractis, Comes de Buquoy (qui Bredenenſem ſuam ſtationem ad Oſten-
dam Archiducis iuſſu tantiſper reliquerat, & Siluamducis vnà contēde- *Decernit inuadendũ vallum hoſtile.*
rat) paludes ciuitatem ac dictum vallum dirimentes tranſire, hoſtem la-
ceſſere, pilis impetere, &, ſi quà liceat, vallum expugnare iubetur. Abiit

1603 Buquoius 13. Octobris, & oppidum pertranſiens, vt ab altera parte egreſſus fuit, vallum tormentis impetere inſtituit, vt ſi illud tonitruorum vis rupiſſet, mox militum alacritas adoriretur. Intereà Archidux à duabus partibus quoq; hoſtem inuadi iubet, & ex vna D. Inigum Borgiam cum Hiſpanis, ex altera verò Lælium Brancacium cum Italis conſtituit, ſperàs eo ſe modo Mauritium à vallo, ad quod Buquoius profectus erat, auerſurum. At parum ea res profuit. Videns enim Mauritius firmo ſatis ſe intra vallum ſuum præſidio eſſe munitum, & quid noſtri ſubita illa oppugnatione vellent facilè odoratus, ad dictum vallum contendit, ac circa idem tempus, quo Buquoius impreſſioni accingebatur, illuc deuenit. Vnde mox tormenta Archiducalibus obuertens, dum vtrimq; certatim pilis res agitur, tandem Buquoius fruſtrà ſe niti intelligens, militem campo deduxit. Quatuor inde diebus Archidux maiore robore idem vallum inuaſurum ſe ſimulans, quinque millia peditum de nocte in vrbem introduxit; qui verſus alteram portam, vt per eam velut egrederentur, rectà tendentes, vbi ad forum venerunt, ſequentem ſe diem exſpectaturos ſimulantes, taciti in eo conſederunt. Et iam altera dies illuxerat, quando Archidux oppidanis præſidium offert, neque vllo modo conuenire ait, vt vrbs hoſtibus contermina, & iam aliquoties ab iis tentata, omni penitùs præſidio deſtituatur; promittēs militem nemini incommodaturum, tum quòd ei ſtipendia numerata, tum quòd omnia circa illos benè conſtituta eſſent. Oppidani tanta armatorum multitudine conſpecta, ne vi fortè adacti pati debeant, dolenti animo facere acceptareq; maluerunt. Ita ergo tribus millibus, quà Wallonibus quà Germanis vrbi impoſitis, Archidux commeatum bellicum, ac cetera quæ neceſſaria credebat, omnia procurauit; & ante vrbem ipſam vallum, quod Arcis loco eſſe poterat, excitauit. Mauritius autem vbi tantam præſidiariorum copiam vrbi impoſitam intellexit, animum deſpondit. Quare cùm October ad finem iam decurreret, tempus pluuium immineret, ſuaq; adeò caſtra maiori parte in loco paluſtri ſita eſſent, vallis & munitionibus, quas propter eximium robur Regias dicere potuiſſes, relictis, 5. Nouembris campo exceſſit. Archidux quoque Siluamducis iam extra periculum conſtitutam exiſtimans, 7. eiuſdem Nouembris Bruxellas ſe contulit, & partem exercitus Oſtēdam miſit. Perduelles, obſidione ſoluta, cùm caſtrum Hoochſtratanum, ob ſui anguſtias, capere omnes non poſſet, pro eo Grauiam ab Hollandis ſortiti ſunt, ſpondentes reſtitutionem, vbi inter eos & Archiducem fortè conueniſſet. Dein ab ijſdem Hollandis tormentis ac aliis neceſſariis inſtructi, nihil populationum propè intentatum reliquerunt. Nam & caſtellum Carpen Coloniæ vicinum, & Erkelens in Geldria occupauerunt, eum maximè in finem, vt neutrales etiam Prouincias

Tentat id Buquoius, ſed mox occurrit Mauritius.

Simulat Archidux ſe iterùm vallū illud oppugnaturum.

Hac occaſione præſidiarios ter mille vrbi imponit.

Mauritius obſidionem deſerit; & poſt biduū Archidux etiam diſcedit.

Seditioſi pro Hooch-ſtratoGrauiam à Mauritio accipiunt.

vicinas

vicinas ad exactiones cogerent. Vt ad Oſtendam & Marchionem Spinolam reuertamur, die 8. Octobris ille cum ſummo imperio ad caſtra Oſtendana venerat. Mox cum iis qui belli ſubſidia, commeatum & cetera oppugnationi neceſſaria conuehebant, minori quàm antè pretio pactus eſt, promptam ſolutionem exhibens. Multa quoque ibi ſecùs quàm oportebat, adminiſtrata deprehendit: quibus correctis, ſumma diligentia modum aliquem intercludendi oppido commeatum comminiſci inſiſtit. Et quoniam laterum cratiumq; magnam adhuc copiam habebat, Pompeio Targono, cuius ſuprà meminimus, iniunxit, nouam vt ſibi ratem fabricaret. Quam abſolutam, & quinquaginta paſſus longam, ad Buquoij aggerem tranſtulit, ac cum ea, quæ inibi contractis vaſculis in fundo conſederat, copulauit. Tum vbi mare defluxiſſet, Pompeio Iuſtiniano Spinola in mandatis dedit, vt cum ſuo milite à poſteriore eam parte communiret, ac ipſi marino aggeri æquaret. Quo intra non totos ſex dies effecto, tria tormenta ad ſubſidiaria nauigia auertendum, impoſita illi ſunt. Oppidani quidem tandem incendium, vento ſimul fauente, in opus illud ſunt eiaculati; verùm Iuſtinianus, periculo poſthabito, incendium ſedauit, etſi quinquaginta ex ſuis, ac inter illos non mediocris quoſdam notæ, deſiderarit. Atque dum hæc à Bredenenſibus fiunt, non minùs alacriter etiam ad ſancti Alberti in hoſtem rem miles gerebat. Iunctum enim fuit à Spinola Catricio Wallonum Præfecto, vt per aggerem, qui verſus frontem propugnaculi adhærentis Loricæ ſeu viæ militari procurrebat ad Semilunam Folia dictam, penetraret; Hiſpanis autem, vt alium aggerem verſus marinum propugnaculum inchoaret; quæ omnia Archiduci Siluaducis Bruxellam reuertenti nuntiata, non parũ eum recrearunt. De ſinu tunc Oſtendano, id quod Poëtarum Princeps de lacu Auerno cecinit, dici pęnè poterat;

Quem ſuper haud vllæ poterant impunè volantes,
Tendere iter.——

Nam Decembris die decimo è magno nauium numero, ingrediendi occaſionem captantium, nulla in portum peruenire potuit; ſex etiam continua verberatione ſunt depreſſæ. Octiduo tamen pòſt, vento magis propitio, quadraginta circiter multis ictibus perforatæ, nec non vigeſimo eiuſdem Decembris, viginti ſeptem aliæ in oppidum ſunt inuectæ, commeatuſque expoſiti. Cum his Giſtellus venerat, nouus oppidi Gubernator, in Vandernotij locum ſuffectus; quod tamen ille munus non diu tenuit, paucis hebdomadis pòſt machinæ telo percuſſus. De captiuis tum permutandis actum, & tranſactum, & ij vtrimque ad ſuos liberi remiſſi. Inde ad ſolitas artes & machinationes reditur. Targonus, de quo ſuprà, Spinolæ iuſſu ſeu permiſſu potiùs (nam res ferè impoſſibi-

1603

Spinola interea ad Oſtendam, prompta ſolutione, multa reformat.

Ratis quinquaginta paſſus longa inſtruitur.

Non minùs alacriter etiã ad S. Alberti res geritur.

Alius etiã agger ab Hiſpanis inchoatur.

Sex naues ad Oſtendam deprimuntur, poſteà tamẽ aliquæ ſunt ingreſſæ.

Currus 50 paſſus longus cum ponte penſili extruitur.

1603 lis videbatur)currum quatuor rotis, viginti quinque circiter palmis altis, & quatuor latis inſtruxerat. Currus ipſe quinquaginta paſſus longus, latus ſexdecim. Medio malus erat infixus, quo pons rudentibus & funibus craſſiſſimis contextus attollebatur, & demittebatur, ſub quo milites, à ſclopetorum vi tuti, propugnaculo ſeu mœnibus hoſtilibus appropinquarent, ac per demiſſum pontem irrumperent. Machinæ tractoriæ ita fabricatæ erant, vt helciariis equis in pronam partem actis, currus in aduerſam partem propelleretur. Quibus ita præparatis, Targonus, vtrùm currus benè volueretur, experimentum daturus, ab aliquot hominibus trahi eum præcepit; cùm ecce, curru vix loco moto, iam aſſeres & ferramenta, ex quibus compactus erat, diſſilire, pontiſque moles modò in hanc modò in illam partem fluctuare cœpit: Targonus quidem quæ peccaſſe videbatur, emendaturus, multa addidit ac detraxit; verùm operam tandem & oleum perdidiſſe fuit inuentus.

Deprehenditur vanù & inutile eſſe inuentum.

VARIA. Hoc anno Eliſabetha Angliæ Regina, 3. Aprilis calculo quem ſequimur, ex hac vita deceſſit. Epitaphium habet eam obijſſe 24. Martij anno ſalutis ſexcenteſimo ſecundo, ſed vtrumq; more Anglorum, qui non niſi in Paſchate annum nouum auſpicantur, & veteri more dies decem ab aliis intercalatos retinent. Obijt verò aliquot menſium languore exhauſta, poſtquam vixiſſet annos ſexaginta nouem & mẽſes ſex, Regnum verò tenuiſſet annos quadraginta quatuor, 8. Maij Weſtmonaſterij aui ſui Henrici VII. & Eduardi fratris monumento illata; poſteà verò anno 1606. à Iacobo Rege ſucceſſore in proximum ſacellum, & Mariæ ſororis tumulum, tranſlata. Ei Iacobus Scotiæ Rex publicis Angliæ Comitiis, & ſuo à proauis demiſſo ſtemmate cùm ſucceſſiſſet, mox gratulatum veniunt varij Legati. Inter alios ab Archiducibus Alberto & Iſabella adeſt Arenbergij Comes cum illuſtri Nobilitate. Is 16. Iunij Londinum appulſus, 10. Iulij mandata expoſuit, quæ eò ſpectabant, vt poſt factam congratulationem, Regem à Belgarum Confœderatorum fœdere auerteret. Paulò pòſt quoque eò venit Ioannes Baptiſta Taxius ab Hiſpanorum Rege miſſus, vt communi cum Archiducum Legatis cura & ſtudio pacem cum Anglis promoueret: quod tamen non eſt conſecutum niſi anno ſequenti, ob peſtem, quæ hac tota æſtate Londini graſſata, à menſe Maio vſque Nouembrem ſingulis ſępè hebdomadis tria hominum millia abſumpſerat. Rex Iacobus & Regina Anna Weſtmonaſterij ipſo D. Iacobi 25. Iulij ſolemniter coronati, Vinceſtriam inde & Salisburiam conceſſerunt. In Hiſpania menſe Martio Maria, Caroli V. Imperatoris filia, Maximiliani II. coniunx, Rudolphi Imperatoris nec non Sereniſſimi Archiducis Alberti eiuſque fratrum felix mater, feliciter obiit. Rhętij in ſocietatem fœderis ad decennium proximum veniunt

Eliſabetha Angliæ Reginæ mors.

Iacobo ſucceſſori gratulantur per ſuos Archidux & Rex Hiſp.

Londini in Anglia immaniſſima peſtis.

cum

cum Venetis, promiſſo Rhętiis annuo vectigali. In Hungaria Chriſtianus exercitus Turcas profligat, & Hatuana arce potitur. Caniſa vrbs à Chriſtianis, Peſta à Turcis, vrgebantur. Peſte extinctus eſt Mahometus Turcarum Imperator 21. Decembris, cùm paulò antè vxorem & filium maiorem natu violenta morte oppreſſiſſet. Succeſſit ei Achmates filius 15. annos natus. 1603

Moritur Mahometus Turcarũ Imp. ſuccedit Achmates filius.

Marchio Spinola vanitate molitionum Targoni, de quibus anno ſuperiori, perſpecta, aliam hoc anno 1604. Oſtendam expugnandi rationem cœpit circumſpicere. Nempe loco gerrarum, moles perticarum (Blindas & Candelabra vocabant) compingebantur loco ſecuro, ad quẽ tamen aqua pertingebat, refluente Oceano, ac vaſis quibuſdam impoſita, per aquam intumeſcentem, in quamlibet partem anchoræ eum in finem diſpoſitæ adminiculo, per funes nauticos transferebantur, & ad extremum ſublatis vaſis firmæ ac immotæ confidebant; retro quas deinde, vbi mare defluxiſſet, reliquo operi incumbebatur. Atque hoc demum modo aggeres produxerunt, quoad hoſtium propugnacula pænè contingerent, cùm ecce 20. Martij tanta tempeſtas, ventorumq; vis ſubitò orta eſt, quæ Archiducalium opera, pręſertim verò Hiſpanorum, quæ mari propiùs ſubiacebant, magna ex parte ſubuerterit; Buquoij quoque ſubſtructiones circa medium adorta, vltra quinquaginta paſſus auexit, & qui pro excubiis ſteterant, velut in inſula collocauit. Nec Oſtenda fuit ab hac tempeſtate immunis; quam cùm in multis partibus diruiſſet, Spinola ad illam inuadendam animo conuerſus, & iam militem in procinctu habens, ſuſpendit tamen poſteà cõſilium, quòd videbat paruo ſe numero inſtructum, non exiguam ab impreſſione multitudinem fortè deſideraturum. Hoc ergo intermiſſo, opera interrupta ac diruta reficere (idem præſertim oppidanis facientibus) ſatius eſſe exiſtimauit. Ita deinde Archiducalibus aggeres ſuos magna cum diligentia producentibus, Burgundi & Wallones omnium primi (quippe à quorum parte ſinus anguſtior eſſet) propugnaculum Viride aggreſſi ſunt, amiſſo Catricio legionis ſuæ Præfecto. Suffectus eſt ei ab Archiduce Reinerus de Sualon Nobilis Belga. Quin Burgundi ſimul & Itali quà fodiendo quà impugnando intra paucos dies non valla tantùm, ſed etiam Loricę antemuralis partem occupauerunt; atque in eo deinde loco, Spinola conſtituente, muralia tormenta ad hoſtium propugnacula & munitiõnes infeſtandas diſpoſuerunt, iuxtaque foſſæ tranſeundæ initium fecerunt. Iam tandem Archiducales maiore ſe laboris parte defunctos credebant, quòd videlicet ſinu tam ſpatioſo traiecto, captiſque fortiſſimis vallis, foſſam non perinde, vti ferebatur, latam, & defluente Oceano propè aridam, facilè ſe tranſire poſſe arbitrabantur. Quare Spinola ad Archiducem litteras dedit, 1604

Nouam Oſtendæ expugnandæ rationẽ Spinola excogitat.

Tempeſtas magnam cladem infert & obſeſſoribus & obſeſſis.

Operibus reparatis, Burgundi primi propugnaculũ Viride aggrediuntur.

Fit propior ſpes foſſã tranſeundæ.

1604 dit, quibus vt militum ſibi neruum maiorem mitteret, quò Oſtendam
Petit Spinola maiores copias, ſed non mittũtur. porrò in poteſtatem redigere poſſit, petiit: ſed miles miſſus non eſt, quòd quónam apparatus belli, à Mauritio eo tempore inſtitutus, deſtinaretur, nondum ſciri poterat. Tandem Mauritius claſſe ſexcentarum nauium tam minorum quàm maiorum conſcenſa, quatuordecim millia peditũ, & tria circiter millia equitum vehens, 25. Aprilis in ſinum Fliſſingenſem inuectus nuntiabatur. De hoſtium aduentu certior factus Archidux, è caſtris Oſtendanis militem ad prohibendam hoſtium exſcenſionẽ mittit, qui in vlteriori portus Sluſenſis parte conſederunt, in omnem euentum intenti. Interim ad hos oppugnandos Mauritius naues aliquot prę-
Mauritius cum magna claſſe adeſt in portu Sluſenſi. ſidiarias proficiſci, ac velitationibus tantiſper diſtinere iubet, dum in alteram littoris partem ducenti equites cum octingentis ſclopetariis exponuntur. Succeſſit conſilium, moxque ipſe Mauritius 2. Maij, traiecto fluuio qui à Sluſa Iſendicam verſus decurrit, propugnaculum iis in locis Coxiam quarto eiuſdem Maij capit, magnum ad oppugnandam Sluſam momentum. Hinc auctioribus copiis ſanctæ Catharinæ propugna-
Occupat ſibi aliquot propugnacula minora, deinde & Iſendicam. culum poſt vnius diei oppugnationem in ſuam poteſtatem redigit, ſuoque milite firmat. Non procul inde ſancti Philippi aberat; quod ſimiliter, cedẽte milite, in eius poteſtatem venit. Reſtabat Iſendica, & loci natura & operibus munitius caſtellum, in angulo duorum concurrentium aggerum ſitum, duobus verſus Meridiem Fliſſingâ, tribus Sluſâ Orientem verſus milliaribus diſtans. Huius oppugnatio cùm maioris operis futura videretur, Mauritius caſtra diligenter munit, machiniſque adductis oppugnationis initium facit, & poſt decem dierum terribilem im-
Seditioſi Grauienſes mirè graſſãtur, omniaq; populantur. petum, dedentibus ſe tandem præſidiariis, illud occupat. Eodem tempore ſeditioſi, qui, vt diximus, in Grauia hibernauerant, cum ſedecim equitum turmis, & mille ſclopetariis à Mauritio adiunctis, Brabantiam vicinaque loca à 21. Aprilis vſque 10. Maij longè lateque peruagabantur, ac ferro flammaque vicos pagoſque, qui imperatam pecuniam ſoluere recuſabant, depopulabantur, ad Thenas vſque & Montes Hannoniæ facta excurſione; adeò vt rumor eſſet, eos per mediam Brabantiam & Flandriam facto itinere ad caſtra Oſtendana oppugnanda proficiſci, cùm
Tandem reconciliantur Archiduci, etſi parum id profuerit. tandem 30. Aprilis Comes Hermannus Vandenbergius & alij, ad eos qui Grauię remanſerãt miſſi, ad ſaniora eos conſilia flexerunt, vt ſuis reuocatis, conditiones ab Archiduce oblatas acceptarint. Eæ erant: iniu- «
tiarum omnium æterna eſſet obliuio; ſtipendia tribus terminis vniuerſa «
ſoluerentur; pignoris loco interim Ruremondam tenerent; ſtipendiis ſo- «
lutis, Hoochſtratam & Carpum Archiduci reſtituerent; obſides inſuper «
dati, Haurei filius, Gueuara, & Dauila. Horum interuentu id etiam impetratum eſt, vt ad duo millia Sluſenſibus auxilio contra Mauritium

profi-

proficiſcerentur, quamuis tardè ea res proceſſerit. Septimo Iunij recepta Hoochſtrata, 9. eiuſdem Grauiam Mauritio reſtituerunt, & Ruręmondam profecti ſunt. Quæ omnia etſi præter ſpem Mauritio contingerẽt, nihilominùs cœptam ad Sluſam expeditionem vrgere pergit. Tandem nocte, quę erat inter 18. & 19. Maij, duo ijs in locis flumina, vel foſſas potiùs aquis ſtagnãtes, Verſcham vnum à dulcibus aquis, Soutam alterum à ſalſis dictum, ponte conſterni iubet; ibique caſtrametatus, propugnaculum ad littus è regione Caſandæ inſulæ, qua Hofſtedum propugnaculum ſitum eſt, capit, præſidiariis dilabentibus. Sed qui in altero non procul inde (Haſengattam vocabant) erant pręſidiarij, armis expeditis fortiores ſe præſtiterunt. Interim naues Hollandicæ portum Sluſenſem ingrediuntur, licet vndique tormentis impeterentur. Hîc Mauritius concilio habito deliberari iuſſit, quid porrò faciendum, Sluſáne tentanda, an caſtra Archiducis ad Oſtendam. Cùm illud magis placuiſſet, Sluſanæ obſidionis fit initium; priùs tamen exercitus pars ad Haſengattam caſtellũ oppugnandum mittitur. Præſidiarij primò deditionem facere iuſſi, generosè reſponderunt; ſed vbi tormenta ſenſerunt admota, iiſdem conditionibus, quibus Iſendicum, caſtellum Mauritio permiſerunt. Haſengatta caſtello, (alij S. Georgij vocant) quod nauibus magna incommoda poterat afferre, 23. Maij potitus Mauritius, caſtrorum formam & modũ præſcripſit; quæ ſtatim, dum reliquus ad oppugnationem neceſſarius è Zelandia aduehitur apparatus, muniri cœpta. Sluſę metuens Archidux, aliquantam lectiſſimorum militum manum eò mittit, qui per loca paludoſa in oppidum euaſerunt, paruo tamen, vt poſteà euentus docuit, oppidanorum emolumento. Nec intereà oppidani ſibi deerant, qui eruptione aliquoties facta, fortiſſimè quidem dimicarunt; ſemper tamen vt datis, ſic & acceptis vulneribus in vrbem ſunt repulſi. Vna ſpes erat in Archiducis exercitu, qui nihil interim omiſſa Oſtendæ oppugnatione, (nam fine Maij Archiducales ibi ingenti propugnaculo, Porco-Spino dicto, ab Hiſpanis expugnato, ſtrenuè progrediebantur) magna diligẽtia ad Blanckenbergam copias colligi, caſtriſq; hoſtium diſſipatis commeatum inferri præceperat. Et Archiducales quidem 30. Maij circiter mille equites, & peditum tria millia non procul à Mauritij caſtris conſederũt, viam aliquam ſpeculaturi, qua ſiue clàm ſiue vi aperta commeatum importarent. Obſeſſi de ſociorum aduentu certiores facti, magno iterùm ardore erumpunt, ſed eodem quo anteà ſucceſſu. Interim Mauritius cum parte aliqua exercitus, & duabus machinis campeſtribus, ad auxiliatores oppugnandos proficiſcitur; & poſt aliquantam pugnam, ordinibus, machinarum inprimis vi turbatis, reliquis pugnando cedentibus, commeatus parte potitur. Ita toto menſe Iunio & Iulio arcta obſidione Sluſani preme-

1604

Caſtrametatur Mauritius inter Verſcham & Soutam.

Deliberat Mauritius, an oppugnãda Sluſa, an liberanda Oſtenda.

Sluſam Mauritius obſidere incipit.

Intereà Hiſpani ad Oſtendam expugnant Porcum-Spinum.

Fruſtrà Archidux Sluſanis auxiliari molitur.

Toto Iunio & Iulio Sluſani arctiſſimè obſidetur.

1604 premebantur. Iulio menſe exeunte ea pars caſtrorum, quam Vandernotius tenebat, magnis viribus eſt oppugnata, ſed irrito conatu, Naſſouiano milite impreſſionem fortiter ſuſtinente; ad quam rem, & locorum ingenio, & rerum omnium ad eiuſmodi caſus prouiſarum copia valdè iuuabatur. Iam in oppido Sluſano fames magnopere inualeſcebat, quæ remigum etiam quoſdam, quibus offa ex herbis minutim conciſis pro cibo obijciebatur, extinxit; ſed & præſidiariis alimonia nimis quàm parcè admenſurabatur. Itaque Archiducales, ipſo Marchione Spinola ductore, etſi ęgrè Oſtendam deſerente, remque difficillimam, firmatis ita Mauritij caſtris, reputante, ſex circiter peditum millia & equitum duo millia quingenti 16. Auguſti Oſtburgum petunt, ibique ſanctæ Catharinæ & ſancti Philippi caſtella nuper Mauritianis relicta magna virtute recuperant. Mauritius Caſandæ inſulæ, & ne ſibi præcluderetur commeatus metuens, hoſti mox occurrere parat. Inſtabant nihilominùs Archiducales, & in Morellam propugnaculum facto impetu, ad ipſas caſtrorum munitiones & artificioſorum ignium apparatus perruperunt. Diu hîc vario euentu pugnatum eſt, donec tandem Mauritius laborantibus ſuis auxilia cum puluere & globis ſubmiſit, quibus retreati, & Guilielmi Naſſouij ea in parte excubantis præſentia & verbis animati, hoſtes reiecerunt. Deſiderati ſunt in hac molitione, quæ facta eſt 17. Auguſti, ex Archiducalibus circiter quadringenti, inter quos fuit iuuenis magna virtute & nobili proſapia Marchio de Renti; vulnerati plures, ac inter eos D. Inicus de Borgia per vtrumq; brachium glande plumbea traiectus, & plures alij magnæ notæ viri. Magnum etiam numerum Mauritius perdidit, qui profeſſus eſt, numquã ſe Archiducales maiore animo pugnantes conſpexiſſe. Oppidani ſpe auxilij omni abiecta, & fame confecti, tandem 20. Auguſti cum armis, ſignis, impedimentis, fomite accenſo, & tympanis compulſatis, Sluſam Mauritio reliquerunt, Dammam profecti. Spinola Sluſæ deditione intellecta, valla S. Philippi & S. Catharinæ demolitus, & ipſe Dammam venit, magnaque beneuolentia milites illos fame exhauſtos amplexatus eſt, & recreauit. Magnũ ex eius vrbis iactura ad negotia Regis Catholici atque Archiducum damnum deriuatum eſt, tum quòd ipſa fortiſſima, maris etiam portum habebat, tum quòd præter decem armatas triremes, ac centum circiter maiora minoraq; tormenta illic amiſſa, Hollandi, etiamſi paulò pòſt perdita Oſtenda, meliore iam in Flandria loco nidum conſtituiſſe videbantur. Itaq; plures iam animum deſpondentes, Oſtendam obſidione ſoluendam proclamant, Mauritium noua victoria inflatum cum inſtructo mox exercitu adfuturum dictitant; ſolus pęnè Spinola animo non contrahi, animo intrepido ac hilari vultu ſingulis prouidere, præter ſpem ſuam pecunias conficere,

Ipſe Spinola tentat cõmeatum Sluſam inferre.

Pugnatur vtrimque fortiter, Sluſa tamen non ſuccurritur.

Denique Sluſani fame coacti Mauritio ſe dedunt.

Quanta hac fuerit Archiducalium iactura.

ac

ac perduellibus magnam partem debitorum ſoluere ſategit, quamuis nec hac ratione eos in campo retinere potuerit. Interim, conſtitutis iis qui diligenter Mauritij conatus obſeruarent, ipſe vbique præſens quàm inſtantiſſimè obſidionem vrgebat Oſtendanam, præter præmia, quæ ſingulis ab Archiduce promittebat, & argentum quod vulneratis medendis elargiebatur, intelligens laborãtes munuſculis velut quibuſdam calcaribus exſtimulari, ſuæ etiam crumenæ manum ſæpè inſerebat, modò decem, modò viginti, ac interdum plures ſcutatos operariis, quorum magnus numerus erat, porrigens. Quibus ille honeſtiſſimis artibus quemlibet ſibi obnoxium faciens, tantum paſſim omnibus animum addidit, vt quæ paulò antè pro deſperatis ac impoſſibilibus habuerant, ea iam inter facilia numerare inciperent. Tum ab eo propugnaculo, quod Hiſpani dudum occupauerant, ad alterum quod mari imminet, non magnum ſpatium intereſſe cognoſcens, illóque occupato, nullo negotio veterem vrbẽ inuadi, portum hoſtibus adimi, ac præſidia inſuper vniuerſa auerti poſſe intelligens, eum locum Germanis aſſignauit: qui mox dictum propugnaculum adorti cuniculis, nequaquam illud perfringere potuerunt. Cùm enim ipſe ſitus ac locus arenoſus eſſet (idcircò quoque dictus *de Santhil*) tanta ſubinde ſabuli vis & copia decidebat, nullo vt modo foſſores illud penetrare poſſe viderentur. Vnde Spinola impreſſionem potiorem eſſe exiſtimans, vniuerſi exercitus, & omnium nationum florem propugnaculo admouit, ac illud initio Septembris victor occupauit. Ceterùm cùm idem in ſecundo propugnaculo facere decreuiſſet, Germani, ſibi eum locum deberi, ac ſuorum ad illum capiendum ſat multos eſſe vociferabantur. Quare igne mox in ſubditos cuniculos coniecto, validè illud conquaſſarunt, ac non multò pòſt cum magna oppidanorum ſtrage etiam eodem potiti ſunt. Dum hoc modo res à Germanis geritur, Itali primi foſſam prętergreſſi, nouæ munitionis propugnaculum aggrediuntur, ipſiſque cuniculis profundiùs aliquantum actis, Batauos inde expulerunt, tametſi Receptu etiam quodam diſſectum eſſet. Iam Hiſpani & Wallones ſimilia feliciter præſtiterãt; iam ipſa vrbs quaſi expugnata credebatur, cùm ecce tibi alia munitio ſeſe offert cum loricis, foſſis, cornibus & ſemilunis excitata (Nouam Troiam vocabant.) Tum Spinola quemlibet ad hanc etiam expugnationem inflammans, aliis firmioribus captis, facilem huius etiam propugnaculi victoriam eſſe oſtendebat, ac interim tormenta muralia in locis occupatis collocabat. Quare tandem oppidani de deditione tractare cœperunt, obſidibus vtrimque datis. In conditiones has cõuenit, vt videlicet oppidanis cum armis, ſignis, impedimentis, fomite accenſo, tympanis, & duobus tormentis egredi ciuitate liceret. Quo indulto, 22. Septembris vrbem deſeruerunt, triginta

1604

Multis trepidãtibus, Spinola nihilominùs Oſtendam vrget.

Liberalitate ſua reddit milites ad omnia promptiſſimos.

Suffodiunt Archiducales den Santhil, *ſed fruſtrà.*

Occupat nihilominùs paulò pòſt den Santhil, *itémque alia propugnacula.*

Offert ſe velut noua Troia; & tamen tandem Oſtenda ſe dedit.

1604 muralibus tormentis, ac ingenti bellicarum munitionum copia Archiducalibus relicta. Exierunt peditum quatuor millia & trecenti, in centum ac septẽ signa distributi, ductore Domino de Marquette Gubernatore. Archidux Ostendæ deditione intellecta, eius imperium Eustachio de Oignies Wallonum Tribuno commisit. Ipse paulò pòst cum Serenissima Infante coniuge locum lustraturi, ingressi vrbem, non vrbem, sed terræ tumulum, imò labyrinthum & chaos quoddam arbitrabantur. Quin in ipsa parte quæ remanserat, ad tertium quemque passum æquata solo ædificia, fossæ cadauerum, ac aliæ mixtim insertæ, & à militibus excauatæ, vt in eis latitantes tormentorum vim aliqua parte euitarent. Substitit attonita Serenissima Infans, & lacrymis velut manantibus non obscurè recordari visa est, quantum humani sanguinis ruinæ illæ vtrimque toto triennio combibissent. Occupata Ostenda, per autumnum ac pluuium cælum noua moliri vix licere videbatur. Vtroque igitur exercitu victoriam sibi gratulante, ac altero alterius discessum expectante, Mauritius prior, Sluſa egregiè communita, discessit. Spinola, vbi Ostendam & Dammam necessariis instruxisset, exercitusque partem in locis vicinis disposuisset, Comitem de Buquoy, volente ita Archiduce, Brugis ad Flandrica præsidia gubernanda reliquit. Dein multis apud Archiduces egit, vti sibi in Hispanias abeundi potestas concederetur. Cui etsi Serenissimi Principes, quantum poterant, obluctarentur, dicentes se à Rege quæ vellet, impetraturos; Spinola tamen omnino eam se profectionem suscipere debere affirmauit, ac si ita Regi videretur, in Belgium ad eadem munia reuersurum appromisit; atque hoc pacto, bona cum venia Principis vtriusque, mense Decembri in Hispaniam est profectus.

Exeunt Ostendâ quatuor millia trecenti, sub 107. signis.

Ostendanũ chaos miserandum spectaculũ.

Vtrique sibi victoriã gratulantes in hiberna discedunt.

Fine anni Spinola in Hispaniã proficiscitur.

VARIA.

Hoc anno 28. Augusti pax inita est inter Regem Hispaniæ simulque Archiduces Belgij Principes, & Regem Angliæ. Ea 36. Articulis comprehensa est, quorum hi præcipui: Secundus, Cesset in posterum omnis hostilitas, omnibus prioribus iniuriis ac damnis condonatis, saluo tamen respectu captionum factarum à die 24. Aprilis anni præcedentis 1603. Quartus, Neutra partium præstabit, nec præstari per aliquos suos consentiet, auxilium, fauorem, vel consilium hostibus, inimicis & rebellibus alterius partis. Quintus, Renuntiabunt prętereà, prout tenore præsentium dicti Principes ac quilibet eorum renuntiauit, & renuntiat cuicumq; Ligæ, confœderationi, ac intelligentiæ in prejudicium alterius quomodolibet factæ. Septimus, Quod attinet ad villas Flissingæ, Brilæ, Rammekens, & alia fortalitia, locáque ab his dependentia, cùm Sereniss. Angliæ Rex, per pacta inter Reginam Elisabetham & Ordines Prouinciarum Belgij vnitarum concluſa, arctè astringi se asserat, ne aliis quàm illis qui dictas villas oppignorauerunt, restituat, in verbo Regio pro-

Pax Anglicana; cuius præcipui Articuli resanſantur.

Renuntiãt vtriq; omnibus fœderibus in præiudiciũ alterius factis.

» promittit, se cum dictis Ordinibus de nouo tractatum initurum, in quo 1604
» sua Maiestas tempus competens eis assignabit, quo cum Sereniſſimis *Explicatur idem.*
» Principibus, fratribus ipsius chariſſimis, pacificationum conditiones ac-
» cipiant iustas & æquas. Alioquin, si id facere recusauerint, Sereniſſimus
» Rex Angliæ inde à prioribus conuentionibus liberatus, quod iustum &
» honorabile existimauerit, de villis statuet, cognoscentque dicti Sereniſſi-
» mi fratres sui, se officio amici Principis non defuturum. Concepti tunc sunt & Articuli quidam, dicti postea Secreti, de quibus vide infrà ad annum 1609. inter Articulos Induciarum, Art. 7. & postea seorsim. Iunij die 13. Sacellum B. Virginis in Colle-aspero apud Sichemum Brabantiç oppidulum à Matthia Houio Mechlinienſi Archiepiscopo dedicatur. *Scribit Lipsius de miraculis Aſpricollis.* De eius loci illustribus miraculis, ad Isabellam Claram Eugeniam, piam Belgij Principem, pium scripsit libellum Iustus Lipsius, hæreticis nequidquam frendentibus. Carmelitanæ Moniales, ad pristinum illius instituti rigorem à beata Teresa Hispana reformatæ, in Galliam hoc anno receptæ.

Priores anni 1605. menses instruendis vtrimque nouis belli apparatibus lapsi sunt. Spinola ex Hispania 9. Aprilis Bruxellas redux, à Sereniſſ. Principibus vniuersoque populo & exercitu perquam lætanter exceptus est, ac paulò pòst, die 24. eiusdem Aprilis, aureo Vellere solemni ritu donatus, de consiliis in Hispania captis, & de eius anni gerendo bello cum Archiduce priuatim contulit, cùm ecce audaci facinore Mauritius Antuerpiam tentare aggreditur. Erat ille die 16. Maij cum duobus millibus equitum & quingentis, nec nõ septem millibus peditum & nouem tormentis bellicis, Bergâ super Zomonam egressus, Comes verò Ernestus de Nassau cum quingentis nauibus (quibus octo millia peditum imposuerat) fluuium Scaldim ingressus Antuerpiam similiter contendebat. Quod cùm Gubernator Hulsti animaduertisset, Archiducales, qui à Spinola, de hoc apparatu edocto, ijs in partibus obseruare hostem iussi erant, commonefecit. Ernestus, vbi ad Lilloo in anchoris cõstitisset, subeunte dein Oceani æstu, duabus post noctem concubiam horis Antuerpiam versus mouit, ac munimentum Crucis transiuit. Vbi cùm qui in excubiis erant, tormentorum pilis naues hostium validè impetere cœpissent, Borgia, qui cum suis non lõgè erat, vt id audiuit, gradum accelerauit, & paulò pòst eadem naues intra propugnacula S. Philippi & Perlæ (è quibus pertinaciter infestabantur) hærere conspiciens, simul ambigens vtrùm Hollandi cataractas, quæ inter Calloo & Blockersdijck sunt, essent perrupturi, trecentos pedites & Cæsatem cum suorum equitũ turma, vt naues persequerentur, retrò ad aggerem, ne hostis eos videret, incedẽdo, destinat. Ceterùm Cæsates cum triginta equitibus pręcurrens, 1605 *Mauritius audet tentare Antuerpiam.* *Spinola id subodoratus, diligẽter eum obseruandum curat.* *Naues Nassouij. Scaldim magno numero ingrediũtur.*

1605 vt hoſtium naues ad antiquam illam rupturam à Parmenſi factam iter habere conſpexit, ducentos Burgundiones, à Ballanſone, qui in iiſdem locis erat, acceptos, ad aggerem Blockerſdijck nuncupatum diſpoſuit, ac deinde ad Borgiam reuertens, eum cum trecentis peditibus non longè diſtantem offendit, relicto ad Calloy Præfecto Luna, & vt legio cum duobus tormentis ſubſequeretur imperato. Etiam nauibus è conſpectu dictæ rupturæ conſiſtentibus, Mauritius quoq; ab altera parte, quæ Brabantica eſt, ſuos paratos habebat; iamque octingenti (quorum quilibet præter ſolita arma ligonem quoq; manu ferebat) lembis impoſiti à parte Flandriæ in terram ad aggerem, poſt quem Borgia latebat, enitentes rupturam moliebantur, quando Archiducales, quadringentis circiter Mauritianis in ripam expoſitis, adeò ſtrenuè in hoſtem inuolarũt, vt ruptis cõfeſtim ordinibus pleriq; fugam circumſpexerint. Multi glandibus percuſſi confeſtim occubuerunt, alij captiui abducti, non pauci etiam aquis fuerunt ſuffocati. Hoc nuntio ad eos qui cum nauibus bellicis & lembis ad Borcht contendebant, perlato, cùm iam non longiore ſpatio, quàm quantum pila tormento excuſſa conficit, Antuerpiâ abeſſent, ſubſtiterunt. Interea verò Borgia cum ſua legione aduentans, vno tantùm maiori tormento (alterum namque ob viæ difficultatem ſubſequi non poterat) hoſtium naues quatere aggreſſus eſt. Mauritius his animaduerſis, ſuum de capienda Antuerpia conſilium depoſuit, & decimo octauo eiuſdem Maij exercitus ſui partem ad arcem Wou, duabus leucis à Bergopzoma diſtantem, obſidendam conuertit, & vigeſimo ſecundo eiuſdem deditione obtinuit. Præſidiarij qui dediderant erant octoginta quinque, ex quibus nonnullos Spinola extremo affecit ſupplicio, quòd tempeſtiuè nimis ſe tradidiſſent, maximè quòd pontem iam ipſe vigeſimo Maij Scaldi ante ipſam Antuerpiam impoſuiſſet, militi quocumq; opus eſſet traducendo. Capta Woua, Mauritius milite denuò nauibus impoſito, ſecundo Iunij Iſendicum in Flandriam contendit, ſperans anteà ſe eò peruenturum, quàm Spinola ſubſequi potuiſſet, vt inde, ſi poſſet, munimentum portus Gandenſis, Saſſe dictum, vel Brugas aggrederetur. Sed Spinola conſilia eius ſubodoratus, iam Velaſcum cum aliquot peditum equitumq; turmis illuc præmiſerat, ipſeq; reliquo cum exercitus robore ſecutus, caſtra caſtris oppoſuit; vbi plures vario euentu factæ ſunt velitationes. Archidux his acceptis, quòd menſis Iunius propè ad finem decurreret, iam pridem captum conſilium aliquando effectũ dari oportere exiſtimauit. Torres ergo, tam Archiduce quã Spinola iubente, cum ſua & Barlaymontij legione, ac Sanchez cum mille & quingentis equitibus Thenas Brabantiæ profecti, Buquoium illic repererunt. Qui mox quatuor lembis, & totidem pontonibus ac ſex tormentis aſſumptis, in viam

Adeſt etiã Mauritius cum terreſtribus copiis in ripa Brabantica.

Naſſouiani in ripam Flandricã enitentes fortiter repelluntur.

Claſſis itaque, qua circa Antuerpiam erat, vela vertit.

Mauritius eum ſuis ad VVou ſe cõuertit, & obtinet.

Paulò pòſt ad Iſendicũ caſtra caſtris opponuntur.

viam cum iis ſe dedit, & Traiecti San-Georgio cum ſua & Principis Auellini legione ſimul ſe iungente, ineunte Iulio Coloniam verſus abiit: vbi lembis & pontonibus Rheno impoſitis, in alteram ripam traiecit, ac ita ſecundo flumine deſcendens, Hollandicas naues in eo excubantes ſubmouit, & mox in Keyſerſ-weert egregiè ſe circumquaque muniens conſedit. Mauritius hæc intelligens, Rhenobercam deſignari exiſtimabat, aut certè ſtratagema eſſe, quo Archiducales, ipſo abeunte, Sluſam obſiderent. Interim Erneſtum Naſſouium cum quatuor millibus peditum, & duobus millibus equitum, Rhenobercam ablegat, cùm ipſe Spinola (Comite Frederico ad Flandriæ præſidium relicto) 6. Iulij Velaſcum, & alios cum ſuis legionibus, tum & quingentos equites, & nouem tormenta ſecum ducens, magna cum celeritate Rhenum verſus contendit, adiunctiſque ſibi Traiecti Embdano & Borgia, 22. eiuſdem Iulij in Keyſerſ-vveert peruenit; vbi flumine traiecto, ab ea confeſtim parte vallum cum quinque propugnaculis inchoauit. Mauritius, cui iam conſtabat, Archiducalium peditum quinque millia, equitum verò circiter duo millia Rhenum traieciſſe, in diuerſa rapiebatur. Tandem ſeriò rem agi credens, & quónam potiſſimùm conſilia tenderent nondum perſpiciens, loco tamen conſiſtere minùs vtile arbitrabatur. Spinola verò vallis erigendis inſiſtens, etiam militem ſuum perplexum tenebat, neminiſque voluntatem ſuam adhuc patefaciebat. Tandem initio Auguſti, conuocato Concilio dixit, Regis Catholici & Sereniſſimi Archiducis mandato totam illam belli molem in Friſiam eſſe conuertendam, ac primùm omnium ad oppidum Lingham transferendam; illam captam ſemel, & validiùs communitam, adeò facilè ab hoſte occupatum non iri, quòd longiùs à mari abſit, ideoque maturè illi poſſit ſubueniri; Mauritium autem, obſidione iam percepta, auxilia haud ita facilè ſubmiſſurum, quòd hoc anno maritima loca cogitatione complexus, curribus pro neceſſariis conuehendis deſtituatur; ſi eos procurare velit, menſes lapſuros; ſibi verò commeatum ſufficientem pro pecunia ex locis vicinis neutri parti addictis ſuppeditandum; ac denique in planis illis locis ſe optimè, ſi opus ſit, poſſe cum hoſte confligere. Tum edicto ſanciuit, ne quis ſub capitis pœna extra ordines & agmen erraret, Præfectum cauſarum criminalium cum miniſtris & carnifice obire agmen, ac ſi quem delinquere vidiſſet, è veſtigio ad mortem rapi iubens. Quo quidem factum eſt, vt paucorum ſupplicio exemplum præbente, nihil diſtortum committeretur, ipſumq; exercitum bonæ diſciplinæ fama præuolãte, & accolis ſecurè ſibi ſuis in domibus agere licere intelligentibus, magna certatim commeatus copia à lucri auidis fuerit conuecta. Sic ergo Marchio Spinola, farina, pane & cõmeatu in méſem facilè ſufficientibus

1605

Buquoius & alij cum parte copiarum Coloniam verſus proficiſcuntur.

Sequitur eos & Spinola, Vandenbergio in Flãdria relicto.

Spinola iuxta Keyſerſ-vveert inſigne vallum inchoat.

Tandem conſilium ſuum aperit de obſidenda Lingha.

Seuerè ſuos milites coèrcet.

1605 Coloniâ acceptis,& molis duabus,totidem lembis,& quinque pontonibus curribus impoſitis, Buquoio cum ſex peditum millibus ad munitiones Rheni relicto,cum nouem millibus peditum,& duobus circiter millibus equitum, vndecim tormenta ſecum vehens, 5. Auguſti in viam ſe dedit, ipſe ſemper in fronte exercitus incedens. Ita primo die flumen Roer traijciens,ſecundo in Dorſten peruenit,vbi Lippam, qui iſtic ponte iungitur,tranſiuit. Quem pontem cùm Villers Batauorum Præfectus iniecto igne eſſet concrematurus, adfuit repentè Velaſcus cum fronte exercitus,& multa nequidquã molientem in fugam egit. Iamque 9. Auguſti in conſpectum Oldenzaliæ venerant, quando Spinola ſecum perpendens, Hollandos,illato illuc maiori præſidio,ſibi magnam commeatus partem poſſe intercipere, obſidionem inſtituendam decernit. Præmiſſus eſt ergo cum equitatus parte Triuultius; quem deinde Spinola cum peditatu ſubſecutus, tribus diuerſis in locis vrbem aggreditur; & poſtquam oppidani non ignauè aliquamdiu ſe defendiſſent, 10. eiuſdem Auguſti deditione eam occupat. Egreſſi ſunt cum armis, ſignis, fomite accenſo,& tympanis compulſatis,pedites quadringenti quinquaginta,& equites octoginta. Spinola ſequenti die, Oldenzaliæ Comite Henrico Vandenbergio cum mille peditibus ac eius equitatu impoſito, rectà Lingham contendit. Vbi cùm quatuor loca promouendis operibus deſignaſſet; vno eorum Hiſpanorum,altero Italorum, tertio Wallonum & Burgundionum,quarto Germanorum, induſtriam probari voluit: qui confeſtim ope tumulorum arenariorum, & hortenſium foſſarum, ſub quibus à globis ex oppido excuſſis vtcumque tuti latebant,alacriter operi quiſque ſuo incubuere. Tormentis 13. Auguſti ad ſubmouendos oppidanos molibus ſuis diſpoſitis, primùm Itali & Wallones tertio ſtatim die ad foſſam pertigere. Mauritius cùm tardè Dauentriam cum exercitu veniſſet, dabat indicia, ad 20. Auguſti ſe ſuppetias oppido laturum. Quare oppidani ſtrenuè ſe defendentes, continuò tormenta teſſellis plena in obſeſſores exonerabant, illi econtrà non minùs ſtrenuè opera ſua promouebãt. Tandem 18. Auguſti Burgundiones & Wallones, per pontem abs ſe factum ad propugnaculum ſibi obiectum eniſi, illud ſtrenuè & alacriter perfodiebant; Itali ſex tantùm paſſibus aberant, Germani medium foſſæ tenebant, Hiſpani foſſæ aquam in canalem exonerabant. Oppidani igitur his conſpectis,de egreſſu ad normam Oldenzalienſium pacti ſunt, & 19. Auguſti quingenti & quinquaginta pedites vrbe exierunt, vulneratis quinquaginta numeratis, & vndecim tormentis bellicis relictis. Ex Archiducalibus ducenti circiter quà cæſi quà vulnerati ſunt. Per idem tempus Archidux cùm deſtinaſſet Bergopzomam, Antuerpienſibus valdè infeſtam,per inſidias intercipere, prouinciam illã mandauit

Tendit Lingham, Buquoio ad Rhenũ relicto.

Occupat in itinere Oldenzaliam.

Mox poſtridie Lingham pergit.

Diſpoſitis tormentis, tertio die ad foſſam vrbis peruenit.

Denique ſeptimo die Lingha Spinolæ deditur.

dauit Tarragliæ, qui primùm eam vrbem explorauerat, iungendo illi Tribunum de Torricourt cum mille quingentis peditibus, & Cæſatem cum equitibus trecentis. Hi ad vrbem 21. Auguſti penetrarunt, à nemine animaduerſi, & admota primæ portæ machina pulueraria (petardam vocant) facilè eam aperuerunt; ſed per alteram, ſecundæ portæ admotam, quia humorem conceperat, nihil effecerunt. Ita re infecta receſſere, occumbente ibidem Centurione Lechier cum triginta aliis, & vulneratis quadraginta. Intereà Archidux in mandatis Buquoio dedit, vt militem duceret verſus Ruroort, atque in territorio Meurſenſi, quod ex vtraque Rheni ripa diſtenditur, duo propugnacula excitaret, quando admodum ęgrè ferrent, qui de Imperio erāt, eos prope Keyſerſ-weert in ditione Imperiali ſubſiſtere: quibus vt gratificaretur, voluit Princeps, milite inde deducto, valla quæ excitata erant, ſolo æquari. Buquoius, vt mandatis obtemperaret, relicto in Keyſerſ-vveert, ſeu Cęſaris inſula, Centurione Boniforte Folla cum peditibus ſexcentis, & ſolo æquatis aliquot munitionibus, reliquum exercitum verſus Ruroort mouit. Iam munitionibus ad Lingham abſolutis, Spinola, relicto ibi Gubernatore Torres cum duobus millibus & ducentis peditibus, & equitibus centum, ipſe 14. Septembris verſus Rhenum mouet, exploraturus ea loca, vbi ſuaſum erat munitiones excitari. Hîc, vbi Weſaliam attigiſſet, primùm in poteſtatem redegit nauem quamdam bellicam nouem tormentis bellicis inſtructam, quæ oſtiū Lippę fluminis obſeruabat: dein, intellecto, Mauritium 17. Septembris cum exercitu ad Rheſam appuliſſe, conſilio habito, conſultum iudicauit mouere in pagū Biſlic, locum medio circiter itinere inter Rheſam & Weſaliam conſtitutum, eo animo, vt ſi Mauritius caſtris ſuis egrederetur, cum exercitu ei occurreret; ſin minùs, ſe iſtic contineret, dum alia ſe offerrent. Eò igitur iter cum equitatu inſtituit, relicto interim peditatu in campis quibuſdam vicinis in omnem euentum. Sed animaduertens non dari occaſionem damnum aliquod hoſti inferendi, in caſtra rediit, & ſequenti manè, ponte Lippæ fluuio impoſito, eum cum exercitu tranſmiſit; tranſitaque Rhenoberca, vbi Erneſtus Naſſouius erat cum quinque millibus peditum, caſtra duabus leucis à Ruroort conſtituit, equitatumq; ſtabulatum miſit in Mullem locum vicinum, cum octingentis peditibus, qui eum, ſi opus foret, munirent; pontem inſuper Rheno impoſuit inter vtramq; munitionem, quæ hinc & inde circa Ruroort excitabantur. Mauritius cùm Weſaliam tenuiſſet, illic ſe muniuit, ac pontem ipſe quoq; ibidem Rheno impoſuit, annonam omnem ac ſtramenta equitatui neceſſaria per naues eò vſque ſubuehi curans. Verùm Spinola his non contentus, 8. Octobris quoque per Buquoium obſideri Wachtendonckum imperat, cùm cruenta illa velitatio 9. eiuſdem Octo-

1605

Fruſtrà inſidiātur Archiducales Bergopzoma.

Iubet Archidux Buquoio, vt ex Keyſerſ-vveert propugnacula aliò transferat.

Spinola, munita Lingha, ad Rhenum redit.

Tentat Spinola, ſi Mauritium in campum protrahat.

Sedent vtrique munitis caſtris.

1605 bris ad Mullem ſeu Ruroort contigit, in qua poſt quatuor horarum pugnam ex Archiducalibus ducenti partim cæſi, inter quos & Triuultius, partim vulnerati ſunt, totidemque equi deſiderati, & equus, cui ipſe Spinola inſidebat, glande perfoſſus; ex parte Mauritij verò vltra quingentos, quà interempti quà læſi. Spinola, quò equitatus eius ſecuriùs deinceps ageret, poſt biduum ex Mullem in alteram Rheni partem eum traduxit, & in pagis vicinis verſus Noueſium ſtabulari voluit. Iam Buquoius ad Wachtendonckum tres moles diſpoſuerat, cùm Spinola ipſe venit in caſtra, vt perſpiceret, quemadmodum res ſuccederent. Qui cùm obſeruaſſet, Buquoium nocte inſecutura cogitaſſe flumen, impoſito ex tabulis ponte, tranſmittere, ac dein in ipſa ripa foſſæ hemicyclicum vallum excitare, atque illi omnia ſatis probarentur, rediit vnde diſceſſerat in Ruroort. Buquoius verò cogitata perſequens, excitato hemicyclico vallo, ac deinde foſſis repletis, 21. Octobris ad ipſum propugnaculum antemurale penetrauit, in eoque mox cuniculos agere inſtituit. Iam Mauritius, etſi videret fortunam minùs ſibi fauere, non ideircò tamen deſpõdit animum, per inſidias ſcilicet Geldriam oppidum intercipere meditatus. Mouens itaque 22. Octobris cum quinque millibus peditum & duobus millibus equitum, ſubſtitit ad pagum Iſſen, medio ferè inter id oppidum & caſtra itinere, ſtatimque eadem nocte Dominum de Mornay filium de Pleſſy Francum, cum duobus millibus peditum, & mille equitibus, vt tentaret ſucceſſum ablegauit: qui vbi machinas puluerarias applicuiſſet, haud tãtum habuit temporis vt flammâ admotâ eas diſploderet, quippe quòd magiſter machinarum alijque mox glandibus tormentariis ex oppido emiſſis obruerentur. Repulſam itaque paſſus, deſideratis aliquot ſuorũ, relictis quoque duabus machinis puluerariis (vulgò petardas vocant) & vno ponte, retrò commeauit. Ad Wachtendonckum, cùm tempus eſſet ignem cuniculis ſubijciendi, Buquoius militem ad faciendam impreſſionem diſpoſuit: cumque ignis cuniculis ſubiectus eſſet, tantum telluris vis illa puluerariа vndequaque diſiecit, vt per locum admodum patentẽ facile eſſet magno militum numero irrumpere. Oppidani re animaduerſa (erat dies Octobris 26.) pedem retrò tulerunt; ſed cùm acribus minis à Præfectis exciperentur, frontem obuertere, & ſe tueri inſtituebant, ita vt oppugnatores nonnihil retrocederent. Sed San-Georgius animosè prouectus, reduxit oppugnatores, & occupato loco in edito propugnaculi ſe communiuit. Nocte inſequenti, cùm Iuſtiniani legio in excubias ſuccederet, operam omnem dedit Iuſtinianus, vt locum impenſiùs muniret, ac nouos cuniculos ordiretur. Buquoius quoque duobus tormentis verſus eum locum, quo propugnaculum perruptum erat, collocatis, receptum ipſum globis impetere inſtituit. Quare cùm dies illuxiſset

Cruenta pugna iuxta Ruroort, multis vtrimque cæſis.

Interea obſidebat Buquoius quoque VVachtendonckum.

Altera parte Mauritius Geldriam intercipere nititur, ſed fruſtrà.

Buquoius incenſis cuniculis VVachtendonckum inuadere parat.

Archiducales, etſi repulſi, in edito propugnaculo ſe muniũt.

xiſſet 27. Octobris, oppidani ad conditiones venere, pactiſque initis de armis, vexillis, aliiſq; impedimentis euehendis, oppidum dedidere: egreſſi eodem die nongenti ſani, centum quinquaginta vulnerati, quibus Buquoius currus ad euectionem permiſit. Ingreſſo oppidum Buquoio, tredecim tormenta ænea obtigerunt. Ex Archiducalibus hac obſidione deſiderati ducenti circiter & quinquaginta, faucij ferè totidem. Cùm ad Spinolam allatus eſſet nuntius de capta Wachtendonca, mox litteras ad Buquoium dat, idoneo vt ibi præſidio relicto, æquatiſque priùs vinearũ foſſis, ad caſtellum Cracou ſe conferat, ſitum in territorio Meurſenſi, ab Hollandis tum inſeſſum, circumducto inſigni vallo, foſſæ aqua allabente. Igitur Buquoius, cùm exploraſſet omnia, 5. Nouembris à tribus partibus illud aggreſſus eſt: ex vna Brancacius, ex altera Iuſtinianus, ex tertia San-Georgius, cum ſua quiſque legione ſtationes habebant. Cumque nocte propiùs admouiſſet machinas, ac ſex tormenta loco idoneo diſpoſuiſſet, manè inſequenti Hollandis denuntiat, vti ſe dederent, non enim vltrà ſe eos in gratiam recepturum. Vbi cùm reſponſum dediſſent, ſatis adhuc temporis eſſe, vallum tormentis quatere ad noctem vſque ſategit; cuius beneficio, cùm propiùs adhuc machinas adduxiſſet, ac duo etiam tormenta collocaſſet ex parte Brancacij (quorum vſus tamen non fuit) luce inſequenti Iuſtinianus gerris iam foſſam attigerat, eamque faſcibus cratibuſque opplebat. Quod cùm obſeruaſſent Hollandi, conditiones poſtularunt. Verùm Iuſtinianus negabat tempus iam eſſe, abſoluebatq; opera, ſclopetiſque iugiter eos infeſtans, ad inſultum milites ſuos comparabat. Quare Hollandi, relicto vallo, in caſtellum ipſum confugiunt, quod alia inſuper foſſa ac ponte ſublicio muniebatur. Vbi cùm inſtarent oppugnatores, ac in eo eſſent vt pontem eleuatum deijcerent, ipſiſq; hoſtium tormentis iam contra eos vterentur, iterùm ſe deditioni obtulerunt; quam cùm alij ſuſcipere detrectarent, Buquoius tandem accedens, miſericordi affectu motus, 8. Nouembris eos pro ſua prudentia tractandos ſuſcepit, atq; vbi omnes in templum coëgiſſet, ſequenti manè armis exutos, liberos dimiſit, gladiis dumtaxat ipſis Centurionibus relictis. Obtenta porrò quatuor vexilla Spinolæ obtulit. Iam verò Spinola, cùm videret, duas quoque illas munitiones circa Ruroort eſſe eductas in eam altitudinem, vt contra vim defendi poſſent; inſuper inchoatum mẽſem Nouembrem, & pluuias crebriores cœpiſſe, circa medium eiuſdem Nouembris cum milite ad pagos Colonienſes tranſiit, relicto in munitionibus Ballanſone, inſtructo duobus millibus peditum, & centum equitibus, Gubernatore conſtituto Maleſa; intellectoque Mauritium 23. Nouembris ſuos in hiberna diſtribuiſſe, Bruxellas ſe contulit, milite ſimiliter per præſidia in hiberna diſtributo; vnde ipſo peruigilio Natalis Domini

1605

Denique inſtantibus oppugnatoribus VVachtendoncani ſe dedunt.

Munita VVachtendonca Buquoius verſus Cracou mouet.

Batani dedere locum rogati, reſpondent ſatis adhuc eſſe temporis.

Nihilominùs mox ex vallo in caſtrum retrocedũt.

Quin mox tertio die ſe gratiæ victoris tradere cõguntur.

Spinola, ſuis in hiberna diſtributis.

1605 mini iterùm in Hiſpanias profectus eſt, cum Regia Maieſtate de expedi-
iterùm in Hiſpaniã abit. ditionibus ſequentis anni tractaturus, ac neceſſaria impendia procura-turus.

VARIA. *Clementi VIII. ſuccedit Leo XI. & illi mox Paulus V.*

Vitâ ceſſit Clemens VIII. Summus Pontifex 3. Martij, inter præclaros Pontifices haud iniuriâ numerandus. Electus ſucceſſor Alexander Medices, Coſmi Florentiæ Ducis conſobrinus, 2. Aprilis, dictus Leo XI. ſed præclara meditantem 27. eiuſdem Aprilis mors immatura abſtulit. Poſt quem 16. Maij Pontificatum inijt Paulus V. anteà dictus Camillus Burgeſius, patre Antonio Burgeſio Senenſi progenitus, Romanus, Cardinalis tituli S. Chryſogoni, magno Purpuratorum Patrum conſenſu, viuę vocis ſuffragio ad ſupremum hunc gradum euectus; quem rerũ agendarum magnus vſus & ſingularis beneficentia commendauerant. In Francia Aruerniæ Comes & Interaqueus, iubente Rege, carceri perpetuo mancipantur; cuius etiam imperio Pariſiis deiecta pyramis eſt; quæ criminoſis Iambis ſteterat in Sodales nominis Ieſu armata; damnatis quoque famoſis libellis, qui ſuppreſſis auctorum nominibus, in eoſdem circumferebantur. Fluctuant mirum in modum res Tranſiluaniæ, præſidiariis ob non ſoluta ſtipendia imperium Baſtæ detrectantibus; & Botſcaio rebelli (qui Turcis ſe iunxit) non minimam regionis illius partem ſibi vendicante. Poloniæ Rex Sigiſmundus Carolum patruum, quem Sueciæ Proregem conſtituerat, nunc rebellantem vincit ac fugat, Rigam obſidere molientem 27. Septembris. Deſiderati eo prælio Caroli milites vltra mille; cecidit quoque Caroli auxiliaris Dux Lunenburgenſis, ipſe Carolus ſaucius euaſit. Eodem hoc anno 13. Octobris Geneua tandem amiſit ſuum Bezam annos octoginta quinque natum. Apud Moſcos mortuo Ioanne Baſilio, ad duos filios Theodorum & Demetrium ſpectabat hereditas; breuiſque mortuo Theodoro, ad ſolum Demetrium. Is Moſcuæ (quæ Regia vrbs eſt) vltima Iulij ſalutatus Imperator coronatur, & 22. Nouembris ſponſalia init, miſſa in Poloniam legatione, cum Anna Maria Palatini Sendomienſis filia.

Pariſiis pyramis in Patres Societatis diu erecta, deijcitur.

Polonus vincit Carolum patruum Rigam obſidere molientem.

Moſcouitarum Imperator ſponſalia init, cum filia quadam Polona.

1606 Recuperatis ſuperiori anno virtute Spinolæ quatuor oppidis, gaudebant impensè Catholici, ſperabantque omnino fore vt ex Hiſpaniis redux maiora quoq; aggrederetur; è diuerſo primores Confœderatorum, perſuadentes plebi iacturam eſſe exiguam, nihilominùs quantos poterãt faciebant apparatus. Spinola intereà aſſiduè apud Regem in eam curam incumbebat, vt ſumptus exercitui quàm maximo in campum iterùm educendo neceſſarios compararet; quo in negotio multæ ſe offerebant difficultates, negotiatoribus multùm tricantibus ac excuſantibus contractus cum Rege inire, quòd nemo, vt dicebant, facilè reperiretur, qui pecuniam cambio daret. Nihilo ſecùs tamen Spinola, cùm fidem ſuam

Gnauiter inſtat Spinola in Hiſpania proſumptibus bellicis.

apud

apud eos interpoſuiſſet,ac octingenta aureorum millia,pluſquam credi- 1606
diſſent,contrahendi cauſam dediſſet,effecit vt ſe expedirent. Archidux quoque omnia ad futuram expeditionem parabat; atque interim dum rediret Spinola, Teragliam Rhenum verſus deſtinat, vt aliquã ibi munitionem intercipere conaretur. Qui cùm 14. Martij circa Brefort duabus circiter horis ante lucem conſtitiſſet, diſpoſito milite qui ex Lingha clàm aderat, 1200. peditibus, & equitibus 500. præceſſit ipſe cum ſuis, qui machinas puluerarias,petardas dictas, applicarent. Hi cùm portam attigiſſent,à milite,qui pro excubiis ſtabat,interrogati qui eſſent,reſponderunt,è præſidio Grollæ,quæ tum à Fœderatis adhuc tenebatur,ſe eſſe, eodemque tempore machinam admouerunt; quæ vbi portam diſiecisſet,excubator ad arma conclamauit; nihilominùs ſecundæ portæ machinâ admotâ,idem effectum. Hîc cùm circiter triginta milites pro excubiis ſtarent,omnes cæſi ſunt,alij in propugnaculum conuolantes,tormẽtis & ſclopetis infeſtabant inuaſores; qui ea re neglecta, pontem ſibi in eum vſum allatum ſtrauerunt: quem cùm tranſiſſet magiſter machinarum, machinam ponti propugnaculi eleuato admouit, eumque deiecit ſimul cum porta quæ ponè erat. Hoc in loco cùm Batani circiter quadraginta conſtitiſsent,vt portam tuerentur,ab Archiducalibus in fugam acti ſunt, ac in caſtellum ſe recepere, quò iam antè confugerant ceteri. Quocircà Archiducales, animãte eos Verdugio,è veſtigio vineas ſibi ac ſepta ſub ipſam caſtelli foſſam ducenda arbitrati ſunt. Sed cùm puluere tormentario deſtituerentur,& iam centum circiter occubuiſſent, nec auxilia adeſſent, lapſis octo diebus, 22. Martij pactis conuentis cum armis & impedimentis ad ſuos redierunt. Hac occaſione cùm Mauritius copias pęnè omnes contraxiſſet, circa Embricam caſtra poſuerat: quæ res ſuſpicionem dedit Velaſco, num fortè tentaret munitiones ad Ruroort collocatas, vbi vallum hemicyclum inſtructum inchoarat. Quam ob cauſam & ipſe militem vndequaque collegit. Sed poſtquam Mauritius ſuos in pręſidia remiſiſſet,idem Velaſcus ſequendum putauit,retentis tamen legionibus Anglorum, Inigi, & Sermienti, quòd hiberna ipſorum procul admodum inde diſtarent. Intereà die 27. Martij ventus longè vehementiſſimus exortus, multa ædificia ſolo æquauit, euulſit à radicibus craſſiſſimas arbores,diſiecit turres, excuſſit & in parte pontẽ Rheno impoſitum circa Ruroort; cùm paulò pòſt, compoſito bello,quod cum populo ſuo geſſerat Dux Brunſwicenſis, tria peditum millia & quingenti equites in ſtipẽdia Regis Catholici ſub auſpiciis Ioannis Comitis Embdani, Loccoman & Vfler tranſiere, Lingæ reliquis copiis iuncti. Iam quoque duo millia Hiſpanorum ex Italia acceſſerant, prætereà legiones Hibernorum & Scotorum nauibus exſcenderant; omnis denique appa-

Intereà tentat Archiduxſtratagemate intercipere Brefort.

Et quidẽ Archiducales oppidulo erant potiti:

Sed tandẽ puluere deſtituti, obſidionẽ Arcis deſerere coguntur.

Mauritius & Archiducales obiter prodeunt; mox in hiberna redeunt.

ratus

1606 ratûs pontium, molarum, pontonũ, aliarumq; machinarum neceſſariarũ ad manus erat; vnus Spinola ex Hiſpania expectabatur: qui cùm tardaret, ſumpſere occaſionem Hollandi fictas eius de morte voces in vulgus ſpargendi. Inter hæc nuntius allatus eſt, Spinolam Genuam appuliſſe, vnde iter in Belgium porrò inſtituit, quod haud potuit ſatis pro voto acceleratе, retardante eum febri. Quo factum, vt non ante initium menſis Iunij Bruxellas teneret: vbi congreſſu habito cum Archiduce, diligenter de ratione belli gerendi tractabat. Intereà Teraglia, qui Brefort nuper ſatis feliciter tentarat, etſi ſine effectu, Sluſam Flandriæ explorarat, ac re ſic ſatis perſpecta monuerat Archiducem; qui facilè conſenſit, vt conaretur eam intercipere, ſimulque iniunxit Comiti Frederico Vandenbergio, qui tum Brugis agens Flandriæ inuigilabat, neceſſaria vt ipſi auxilia ſuppeditaret, qui ei 12. Iunij attribuit mille ducentos pedites Wallones & Hibernos; quibus acceptis Teraglia circa noctis initium, dilapſo mari, iter inſtituit, tranſitáque felici ſucceſſu vniuerſa illa regione, quæ æſtu maris operiri ſolet, paludibus, inſuper & canalibus, qui iſtic viſũtur, vniuerſis, circa noctem fermè concubiam ad Sluſam venit, militemque in acies conſtituit. Poſtquam attigerunt portam vrbis, quæ, quòd via iſtuc vix inſtitui poſſet, planè immunis ab omni inſultu habebatur, equus qui ibidem paſcebat, hinnire occœpit; quod animaduertens qui pro excubiis ſtabat, obſeruauit diligentiùs quid ageretur; at viſo equo, nihil aliud ſuſpicatus, denuò ſe in excubitorium recepit. Archiducales verò viginti quinque, quà Galli quà Hiberni, foſſa enatata, ac ponte eleuato conſcẽſo, nonnullis ferreis inſtrumentis, quæ in eum vſum attulerant, ferramenta ruperunt, ac eumdem pontem magno ſtrepitu deiecerunt: quo audito ſtatim à pręſidiariis ad arma conclamatũ eſt. Interim Magiſter machinę puluerariæ, eamdem primæ portæ admouit, atque in terram deiecit; dein vbi ſecundam attigiſſet, eiuſcemodi foramen aperuit, per quod facilè duo milites ſimul admitti poſſent. Itaque Formentus & duo alij Centuriones, qui frontem agminis tenebant, cum Vexillifero Hiberno ſatis diſpoſitè cum milite vſque ad primos excubitores penetrarunt; vbi cùm aliqui ſe opponerent, ſtatim primis ictibus ſclopetorum ceciderũt Formentus & Ghelinger. Horum caſu conſternati alij, qui primi ſubibant, turbatis ordinibus terga verterunt, ac ſeſe inuicem in ponte opprimentes, quadraginta circiter in foſſam præcipitati ſunt; ceteri ita conturbati, vt & ipſi pedem referrent, atque eò ſe reciperent, vbi erat Scialonus cum tergo exercitus: qui cùm animaduerteret non ſupereſſe aliquam intrandi rationem, quandoquidem oppidani magno numero defenſioni ſeſe accinxerant, retrò vnde venerat commeauit, pereuntibus quoque nonnullis in tranſitu canalium, qui iam ſubeunte maris æſtu vndis turgebãt.

Magnus apparatus belli, ſed ſolus Spinola expectatur.

Tandem redit Spinola ex Hiſpania.

Tentatur ab Archiducalibus etiam Sluſa.

Deijciunt Archiducales portam vnã & alterã.

Panè capta vrbe quidam turpiter pedẽ referunt.

Comes

Comes Fredericus, qui in aggerem Dammenſem ſe cõtulerat, cum duobus millibus peditum, vt vrbe occupata, è veſtigio Arcem aggrederetur, appetente iam luce, ac irrita expeditione, & ipſe retrò ceſſit. Nonnulli autem ex Præfectis, qui non ſatisfeciſſe officio in eo rerum articulo ſunt inuenti, Bruxellæ 19. Iunij capitis condemnati ſunt. Inter hæc Archidux, conſilio cum Spinola inito, omnibus ritè perpenſis, decreuit, vt vno inſtructus exercitu rectà in Friſiam tenderet, ac tranſitum Iſulæ tentans, in Veluam irrumperet, quibuſque poſſet cladibus hoſtem afficeret, & ea loca, quæ circumcircà ſunt, prout ſeſe occaſio obtuliſſet, occuparet; vtque ex altera parte Buquoius cum altero exercitu aliquamdiu in Brabantia ſubſiſteret, donec Spinola in Friſiam tranſijſſet, ac dein Wahalim verſus duceret, eoque trãſito, in inſula Betua ſe firmaret, ac poſteà Neomagum aggrederetur. His ita decretis, in id incubuit Spinola, vti prouideret, quo ſingula ordine effecta darentur. Cumque iam pecunia ex Hiſpaniis allata tum in conſcribendo milite tum in alio vario apparatu ab Archiduce facto conſumpta, inſuper æs alienum ſexies centenûm millium coronatorum eſſet contractum apud negotiatores; illud tamen effecit Spinola, vt Franciſcus Serra conflaret duos milliones, & ducenta ſexaginta millia coronatorũ, pro quibus ipſe fidem interponebat, ſi fortè à Rege tempore conſtituto haud fuiſſet ſatisfactum. Peractis omnibus, 28. Iunij mouit Spinola Bruxellis, ac eodem die attigit Thenas; vnde à trecentis peditibus & totidem equitibus Traiectum deductus, 5. Iulij in Ruroort venit, relicto poſt ſe Melzi; qui cùm Venlonæ octo tormenta muralia accepiſſet, ac ſexaginta in vſum pontium lembos, ipſe quoque 8. Iulij Rhenum tenuit. Coniunctis igitur omnibus, Spinola recenſuit militẽ, octo millia peditum & duo millia equitum; cum quibus ſimul & octo æneis tormentis, nec non bis mille quingentis carrucis omni genere apparatus inſtructis, trans Rhenum mouit 10. eiuſdem Iulij. Increbuerat iam à diebus aliquot vehemens & aſſidua pluuia: qua ſic ſatis vexatus, appulit 12. eiuſdem Dorſtemium; vbi Lippam fluuium tranſmiſit. Die 16. Iulij Enſchedam tenuit; quo in loco Torres & Comes Embdanus cum bis mille quingentis peditibus è præſidio Lingenſi, & quadringentis Hibernis Oldenzaliâ accitis, occurrerunt. Stagnabat aquis regio vniuerſa, nec tantùm viæ publicæ, ſed & ipſi campi aquis erant operti, nec pluuiæ ceſſabant, haud tamen quidquam Spinola ab itinere retardabat. Ita 18. Iulij inde digreſſus in Ghoor contendit; quem locum antequam extremi ordines attingerent, integrum diem noctemque, & partem inſuper diei ſequentis inſumpſerunt. Neque hoc ſemel tantùm, ſed & aliis vicibus vſu venit: quæ res Spinolam inprimis ſuſpenſum tenebat, reputantem conatibus ſuis aduerſam aëris tempeſtatem. Ad hæc perpendebat, magnis

1606

Præfecti ergo quidã Archiducales capitè plectuntur.

Conſtitutum, vt Spinola Iſulam, Buquoius VVahalim traijciat.

Spinola amplius duos milliones auri, ſua interpoſita fide conflat.

Mouet Spinola trans Rhenum.

Stagnantibus viis, nihilominùs cum copiis progreditur.

1606 vndis Iſulam fluuium creſcere, nec iam deinceps, quod ſperarat, vado tranſmitti poſſe. Quocircà 21. Iulij decreuit aggredi Lochemium vicinum, exigui quidem momenti, at tum ei opportunum. Primùm igitur eò deſtinat Borgiam cum tribus millibus peditum & quingentis equitibus, ipſe autem cum reliquo exercitu Borckeloam contendit, relictis Ghoræ Cairo & Medices cum ſuis equitum turmis, & mille quingentis peditibus, vti munirent illum vicum, quem promptuarij inſtar ſibi ſeruire volebat, relictis ibi molendinis, furnis, & aliis machinis. Cumque die inſequenti intellexiſſet, Mauritium, qui ex aduerſa Iſulę ripa cum decem circiter millibus peditum, & bis mille quingentis equitibus agebat, moliri, vt Lochemio ſuccurreret, in eas oras Comitem Embdanum cum ſua legione & quinque tormentis æneis deſtinauit, iubens, miles vt ſe in ſuis ſtationibus muniret. Ad Lochemium Archiducales, etſi aſſiduis tormẽtorum ictibus ex oppido impeterentur, nihilo remiſſiùs perſequebantur opus. Conſtitutis denique tormentis quatuor, cùm iam Hiſpani præterea hemicyclicum propugnaculum quoddam ſub ipſam portam, deſertum à præſidiariis, attigiſſent, ac eodem tempore Itali ad ipſum vſque foſſæ oppidi marginem acceſſiſſent, tormentis res agi cœpta eſt, quibus hoſtium aliquot è medio ſublati ſunt, & vnum ex eorum tormentis conuulſum. Vnde cùm quadraginta ictus excepiſſent, 23. Iulij ad conditiones venerunt, ac oppidum cum quinque reſiduis tormentis dedidérunt, egreſſi numero trecẽti in armis & explicatis ſignis. Archiducalium quinquaginta quà læſi quà occiſi ſunt. Intereà Archidux Buquoio in mandatis dederat, verſus Wahalim vti cum ſuis moueret. Duxit ſub ſignis decem millia peditum, & mille ducentos equites, adhæc duodecim tormenta muralia, & lembos, aliaque. Iam circa Moock fixis tentoriis, in eo erat, vt Wahali tranſmiſſo, Betuam inuaderet. Selectis igitur ex omni militia diuerſarum nationum quinque millibus peditum, & quingentis Cæſatis equitibus, duobus inſuper tormentis maioribus, & triginta lembis, 21. Iulij commiſerat vniuerſa Iuſtiniano. Qui ineuntibus tenebris inde digreſſus, iter inter munimentum Schenckianum & Neomagum, verſus pagum Spaerdorp, (qui locus tranſeundo Wahali erat deſtinatus) quatuor fermè horis à Moock diſtantem, inſtituit. Sed totam illam noctem partemque auroræ inſequentis in iter illud inſumere neceſſe fuit, quòd aggere cœnoſo admodum incedendum eſſet. Poſtquam fluuium Iuſtinianus cum ſuis attigiſſet, quamquam ex aduerſa ripa quatuor ſigna peditum Batauorum, ac tres turmæ equitum conſtitiſſent, nihilo ſeciùs tamen impoſito lembis milite tranſitum tentauit. Intumuerat iam à multis pluuiis fluuius, ac rapido admodum curſu ferebatur, atque inſuper in aduerſa ripa Batani, vt dictum eſt, ad defenſionem compa-

Videns excreuiſſe nimiùm Iſulam, obſidet interim Lochemiũ.

Adeſt Mauritius cum ſuis in oppoſita Iſulæ ripa.

Archiducales nihilominùs Lochemio potiuntur.

Altera parte Buquoius Betuam inuadere parat.

Expectant Batani Archiducales in oppoſita ripa.

comparati consistebant; quæ causa fuit, (siue simul tremor accessit nautarum hostilem impetum metuentium, siue lembos milite oneratos dirigere ex artis ratione nescientium, seu deniq; impetus aquæ transuersos egit) vt vix dimidio alueo in latum emenso, ab aquæ fluxu ita abriperentur, vt locum exscensioni præstitutum longè præterueherentur, atq; ita, quòd nisi certis locis ibi exscensus fieri potest, necessariò redeundum fuit. 1606

Tentant nihilominùs Archiducales transitum semel & iterùm, etsi frustrà.

Interim secundò lembis in altum euectis Iustinianus transitum tentabat; verùm tantum temporis intereà effluxit, vt alia tria hostium signa cum quatuor tormentis maioribus in eum locum confluerent, delabentibus insuper à munimento Schenckiano quatuor bellicis nauibus. Et quidem eæ naues à Iustiniani tormentis vexatæ, secundùm aquæ fluxum Neomagum abreptę sũt. Nihilominùs ex aduersa parte Bataui dispositis tormentis plurimum damni inferebant lembis, atque ita tractabant, vt vi globorum perforarentur; quæ res supersedere compulit Iustinianum, & re Buquoio significata, ad eumdem reuerti. Desiderati sunt Archiducales quà cæsi quà vulnerati circiter triginta, pauciores paulò ex Batauis. Non multò pòst nihilominùs Spinola ex alia parte, Isulæ transitum tentare decreuit; quem in finem euocauit Solranum, iunctis quatuor millibus peditum, & quatuor tormentis muralibus, nec non Cairum cum octingentis equitibus, vt in insulam Mastenbrouck penetrarent, atque ea via Isulam transirent, vel saltem loca opportuna ad cingendam obsidione Swollam occuparent. Ipse Spinola 31. Iulij cum reliquo milite digressus à Barckelo, assumptis simul copiis quæ erant circa Lochemium, eodem ipso die cum mille quingentis peditibus, & equitibus mille (vti interuerteret Mauritium, ne se ad perturbandum Solranum accingeret) prope Zutphaniam mouit, atque inibi tentato Isulæ fundo, & castris hostium exploratis, confestim Lochemium se reduxit. Vbi constituto Gubernatore Diez cum quadringentis militibus, ipse postridie 1. Augusti cum residuo exercitu septem millium peditum & mille octingentorum equitum, quamquam imbribus adhuc æquè exerceretur, Zutphaniam iterùm versus contendit, inque eius cõspectu transmisit flumen Berckel, ponte ad tormenta impedimentaque & equitatum traducendum strato, aggere etiam centum circiter passuum è fascibus cratibusque subitario opere exructo, quo pedites per stagnantes campos transirent, diu noctuque stringentes ex latere Dauentriam, quò Mauritium occupatum in eius tuitione tenerent. Tandem Spinola 3. Augusti castra fixit in Dortum, trium circiter horarum spatio à Lochem. Erat intereà in castris eius magna annonæ caritas, impeditis vel corruptis pænè omnibus viis per quas subuehi necessaria posset, quamobrem Spinola non parum animo æstuabat. Atque hoc ferè tempore intellexit, Solranum fluuios Reggham

Numerus cæsorum vtrimque.

Instat item Spinola, vt Isulam transeat.

Mouet Spinola versus Zutphaniam.

Magna in castris Spinolæ annonæ penuria.

1606 & Vechtam emenſum, conſtitiſſe circa Ordel, vt denuò Vechtam illic tranſmitteret, non longè ab Haſſelt, atque ita in inſulam Maſtenbrouck penetraret. Verùm cùm & ille iniuriis aëris & viarum incommodis ęquè fuiſſet obnoxius, tantum temporis conſumpſerat, vt Mauritius tandem quid ageretur, intelligeret. Hinc ſtatim militem iſtuc tribus cum tormentis muralibus ad Vechtam deſtinat; quò tamen priùs appulerat Solranus, ac pontones lemboſque in aquas tranſitus cauſa demiſerat, rem acturus tormentis, vt duas militares naues, quæ tranſitum impediebant, ſubmoueret. Quod dum molitur, animaduerſum eſt globos eum in finem allatos non reſpondere, quòd ij quibus id negotij Lingæ datũ erat, Oldenzaliâ globos aduexiſſent Cannonibus maioribus accommodatos, cùm tormenta adducta niſi dimidium eius molis attingerent. Atque hic error, cur iſti conatus in irritum caderent, in cauſa fuit. Spinola cùm fieri non poſſe animaduertit, vt fluuij, vti conſtitutum erat, tranſmitterẽtur, tum quòd aditus omnes à hoſte obſeruarentur, tum maximè quòd per tantam imbrium frequentiam ad ſummam altitudinem excreuiſſent, mutanda conſilia ratus, Grollam cingere obſidione decernit, ſimulque Buquoium per litteras monet, vt Neomagum, ſi ita videretur, tentaret, non lõgè ambo receſſuri, ſi fortè, hoſte accuratam fluminum cuſtodiam nonnihil intermittente, ipſi tranſeundi conatum reſumerent. Ita Spinola 4. Auguſti mouet exercitum, ac Ludouicum Velaſcum cum mille ducentis equitibus ad loca Grollæ vicina occupanda præmittit: quò cùm & ipſe die inſequẽti, id eſt 5. Auguſti, perueniſſet; allato in caſtra, nocte quę præceſſerat, commeatu, duas caſtrorum ſtationes diſpoſuit, ſingulis ſuas operas ac molitiones adſcribens, cùm mox eadem nocte miles ſtrenuè ſe operi accingit, ita vt San-Georgius ad quingentorum paſſuum ſpatium promouerit. Quo viſo oppidani acerrimè quà tormentis maioribus quà ſclopetis rem gerebant, ita vt multi Archiducales vel læderentur, vel etiam occumberent. Proſpiciebat interim exquiſita diligentia Spinola, ne quid rerum neceſſariarũ militi deeſſet. Quare cùm animaduerterent, qui in præſidio erant Bataui, ſe in impediendo acceſſu operam ludere, ſexcenti ſimul oppido egreſſi impetum in Hiſpanos fecerunt, coſque in fugam agere ſunt adnixi. Verùm cùm nihil ſuccederet impetus, ac quadraginta è ſuis vel læſos vel interemptos viderent, in oppidum ſeſe denuò receperunt. Octauo Auguſti die cum ſuis acceſſit Solranus, cui alia caſtrorum ſtatio fuit aſſignata. Torres & Comites Embdani fratres, & ipſi propiùs admouebant, & quamquam triduo tardiùs, nihilo ſeciùs reliquos aſſequi ſunt conati. Erant iam pęnè diſpoſitæ machinæ maiores, quando Weingardus è Præfectis rei tormentariæ vnus, grauiter ſauciatus eſt. Quo factum, accedente inſuper vehementi imbre, vt tardiùs illud

Error etiam quidã craſſus impedit eius conatus.

Spinola, ſepoſita ſpe tranſeundi Iſulam, Grollam obſidere inſtituit.

Strenuè promouent Archiducales verſus oppidũ.

Erumpunt obſeſſi in obſeſſores.

Diſponuntur tormenta, etſi ſub continuis pluuiis.

illud operis abſolueretur, & nocte primùm ſequenti finem acciperet. 1606
Quarto iam obſidionis die Hiſpani eò promouerant, vt hemicyclum attingerent, ac inſtructi pyrobolis inſultum molirentur. Alij quoque non minùs ſtrenuè promouebant. Ceterùm Bataui, quatuor tormentis inferiore loco ad propugnaculorum cornua collocatis, ſacculos globis ferriq; fruſtis infartos euibrabant; atque è loricis ignes vario artificio concinnatos, vt locum, quo operi inſiſtebatur, detegerent, mittebant, iugiq́ue ſclopetorum velut grandine vel opprimebant, vel conuulnerabant eos, qui faſcibus cratibúſve foſſas oppletum ibant. Tandem Hiſpani, cùm duo tormenta collocaſſent, quę aduerſariorum machinas à fronte impeterẽt, propugnaculum ſunt aggreſſi. Torres quoque & Embdani Comites, eadem nocte in hemicyclum impetu facto, eumdem occupauerunt. Quibus rebus effectum eſt, vt oppidani haud diutiùs differendam ſibi deditionem arbitrati, propoſitis conditionibus conuenerint, vt cum armis ſigniſque & impedimentis egrederentur. Atque ita deſeruere ciuitatem 14. Auguſti pedites mille & centum, relictis ibi vndecim tormentis. Ex præſidiariis centum quinquaginta partim faucij partim interempti, ex oppugnatoribus ducenti cæſi, vulnerati circiter trecenti quinquaginta. Vix Grollam reliquerant Bataui, cùm denuò pluuium cælum grauiſſimè incubuit, quo omnes viæ eum in modum laceratæ ſunt, vt commeatus in caſtra vix inferri poſſet. Quamobrem Spinola, cùm animaduerteret militem multa aſpera pati, atque ex alia parte Mauritium in Iſula flumine tum muniendo tum obſeruando indies magis incumbere, ad hoc fluuium vi imbrium quotidie creſcere, Concilio conuocato, auditiſque ſententiis decreuit Rhenoberkam, quantumuis munitam, aggredi; vtpote loco ſolido & ſicco ſitam, & vbi non facilè foret penuria commeatus. Ita relicto Grollæ Solrano cum mille quingentis peditibus, nec non Comite Henrico Vandenbergio cum ſua equitum turma, 20. Auguſti mouit, præmittens ſub noctis initium Simonem cum bis mille quingentis ſelectis peditibus, duobus tormentis bellicis, ac ſeptingentis equitibus, pontonibuſque duobus, vt cum eo milite ea oppidi loca, quæ Friſiæ obuertuntur trans Rhenum, feſtinatò occuparet. Buquoius interim cum quatuor millibus peditum, quingentis equitibus, & quatuor tormentis muralibus, ſexque lembis ex altera Rheni parte eódem feſtinat, onere ducendi reliquum exercitũ Meneſio relicto: ſicque Rhenoberka 21. Auguſti obſideri cœpta eſt, cùm eodem tempore noctis beneficio prẽter bis mille quingentos præſidiarios, qui ibi erant, alia adhuc duo millia peditum & ducenti equites à Mauritio in vrbem ſunt ſubmiſſi. Acres hîc & multæ eruptiones, inter quas ea, quam obſeſſi magnam vocabant, hoc pacto ſe habuit. Occupauerat locum opportunum Iuſtinianus ipſi oppi-

Oppidani ſtrenuè ſe defendunt.

Nihilominùs nono die Spinola Grollã deditione potitur.

Durantibus pluuiis conſultat Spinola, quid porrò faciendũ.

Ipſe ex vnâ ripa, Buquoius ex altera Rhẽnberkam obſident.

Acres & multæ hic eruptiones.

1606 do imminentem, & inter duas paludes Septum duxerat, quod ex vna in alteram paludem procurrebat, in cuius vtroq; capite Receptum tormentis inſtructum excitarat; cumque iam in eo eſſet, vt opera inchoata perficeret, haud diutiùs id ſibi ferendum rati obſeſſi, 28. Auguſti cum vniuerſo equitatu in quatuor turmas diuiſo, octingentiſque peditibus duas in partes diſtributis, in eum erumpunt. At Iuſtinianus primis aduentantibus Cæſatem & Brancacium cum triginta equitibus, qui ibi excubabāt, oppoſuit; dein peditatus parte ſeptis euocata, ſtrenuè ſe tuebatur. Interim è ſtationibus vicinis venit in ſubſidium equitatus, ac paulò pòſt etiam peditatus, tantaque fortitudine rem geſſere, vt cùm vltrà non poſſent ſuſtinere impetum Bataui, tetrò pedem ferre coacti ſint, multis ſuorum deſideratis, inſtantibus à tergo Archiducalibus vſque ad ipſam loricam antemuralem, cæſo interim ſclopetariorum equitum ductore Rengino, nonnulliſque aliis, nec non equitibus quindecim, & duobus Iuſtiniani Centurionibus vulneratis. Ex altera autem Rheni parte etiam feliciùs res ſuccedebat. Etenim præſente, omniaque prouidente ſagaciter Spinola, quiſque exacta diligentia inſtantes operi, mox ipſo quarto obſidionis die tam vna quàm altera parte foſſam hemicycli, qui maiori munimento prætexebatur, contigere. Quocircà Spinola impreſſionem decreuit: quā intrepido animo Archiducales inſtituentes, Batauos, qui parum omnino reſiſtebant, in fugam egerunt, ac loco potiti, eumdem communiuerunt. Inde Spinola animans quotquot inſtabant operi, decem tormenta, quibus munimentum vniuerſum laceraretur, diſponi iuſſit. Vbi cùm iam multis ictibus rem eò perduxiſſet, vt poſſet fieri impreſſio, interim dum omnia ad inſultum comparat, Bataui deſpondentes animum, quòd Edmundus Scotus, Tribunus magni nominis, 3. Septembris vltra vallum proſpectans glande transfoſſus occubuiſſet, impreſſionem ſibi expectandam non duxere, verùm in Receptum ſeſe quamprimùm tranſtulere; quibus vt trāſitum fluminis interciperent, mox Archiducales inſtiterūt: quod cùm animaduerterent Bataui, Receptum quoque è veſtigio, relictis quinque tormentis, deſeruerunt, ac confuſis ordinibus ad pontem ſe receperunt, vrgētibus à tergo Archiducalibus, eum in modum, vt Rheno cōplures haurirentur. Diuulſo dein ponte, deportandū eum flumini crediderunt, ac in tuto ſe in aduerſa ripa collocauerunt. Intereà ex ea munitione, quæ inſulam Rheni oppido interiectam occupabat, tormentis ita cœptum eſt detonari, vt incommodi nonnihil Archiducales acceperint, decem è medio ſublatis, ac duobus Centurionibus cum aliis nonnullis ſauciatis. Porrò munimentum, quod à Spinola occupatum erat, continuò tormentis ad conuellendas eas munitiones, quæ in inſula erant, inſtructum eſt, attonito prorſus Mauritio, quatuor dierum ſpatio in poteſtatem

Multi vtrimque caduntur.

Ea parte, vbi Spinola, mox foſſa hemicycli obtinetur.

Hinc & ipſum propugnaculū ab Hollandis deſeritur.

Inſtante hoſte, vix in inſulam euadunt.

Hæret attonitus Mauritius tanta tam citò à Spinola confecta.

ſtatem redigi potuiſſe, quod viginti diebus vix expugnandum arbitrabatur, præſertim cùm ipſe cum caſtris vicinus ad Weſaliam conſiſteret, tredecim millibus peditum ac tribus equitum millibus inſtructus. Longum eſt ſingula ſtratagemata impreſſioneſque narrare. Mauritius tandem 27. Septembris intelligens Spinolam vndique acriter vrgere ac ſtringere obſeſſos, de ferendis quoquo modo ſuppetiis cogitauit, diſtributoq; milite in ſex minora & quatuor maiora agmina, equitatuque per turmas ad latera pro cornibus conſtituto, noctu mouit in eos campos, qui prope Alpen ſunt, atque inde mille quingentos pedites Meurſiam direxit per ſiluas, hoc, vti videbatur, conſilio, vt inopinatò ſtationes caſtrorum Spinolæ verſus Burick cum exercitu inuaderet; dein miles qui Meurſiam deſtinatus erat, à tergo caſtra Italorum adoriretur, erumpẽtibus ſimul in vtrãque partem oppidanis. Spinola cùm aduentare Mauritium accepiſſet, hoſtem in acie ad auroram vſque præſtolatur: manè dein cùm ab exploratoribus didiciſſet, in campis eum prope Alpen morari, Velaſcum cum equitatu, ſequentibus ponè quatuor peditum millibus, eò deſtinat: qui vbi cum fronte exercitus campos illos attigiſſet, ac inde Mauritium iam ceſſiſſe comperiſſet, & ipſe retrò vnde venerat, commeauit. Et quamquã dein aliquoties ad Spinolam adferretur, adeſſe denuò Mauritium, eoſque preces ac ieiunia ſuo ritu frequentaſſe, nihil tamen eſt conſecutum. Quare cùm iam oppidum triginta duobus tormentis muralibus, viginti quidem ex parte Hiſpanorum, quinq; è Wallonum, & ſeptem ex Italorum, (quorum prætereà cuniculi ad ignes euomendos erant comparati) infeſtaretur, ipſis Kalendis Octobris obſeſſi deditionis conditiones poſtularunt. Quibus auditis, ita conuentum eſt, vt ſequenti luce 2. Octobris oppido egrederentur armis vexilliſque inſtructi, tympanis compulſatis, fomite accenſo, cum duobus minoribus tormentis, & impedimentis; quibus euehendis currus trecentos Spinola ac tres inſuper naues conceſſit. Egreſſi ſunt ter mille trecẽti pedites per ordines ſub quinquaginta ſignis, præter eos qui ad ſeruanda impedimenta ſparſi erant; nongenti item vulnerati; ac centum prætereà ac quinquaginta equites cum totidem ſociis naualibus, cæſis pluſquam quadringentis. Relicta ſunt in oppido quatuordecim tormenta muralia, duæ bellicæ naues, aliuſque pontonum & lemborum apparatus. Ex Archiducalibus quingenti circiter deſiderati ſunt, vulnerati ſeptingenti. Mauritius quidem ipſa 1. Octobris Venlonam intercipere tentarat, quò Spinolæ vires à Rhijnberca auocaret; ſed conatus ille fruſtrà fuit. Mercurius Gallo-Belgicus, huius æſtatis tam illuſtres expeditiones pauciſſimis verbis perſtringit, ſiue tædio cruentarũ toties ad eadem oppida pugnarum, ſiue qua alia de cauſa. Habet tamen iſta, quæ operæpretium duxi ſuperioribus annectere, ad maiorem rerum

1606

Videtur Mauritius velle ſuccurrere obſeſſis.

Prodeuntes econtrà Archiducales, neminem inueniunt.

Tandem ſexta obſidionis hebdomada Rhijnberca Spinolæ ſe dedit. Egrediuntur ſani 3600. & 900. vulnerati.

Quare Mercurius in his narrandis ſit ſolito breuior.

1606 fidem. Expugnata(inquit)Lochema,Spinola militum aliquam manum Swollam verſus excurrere,aditumq; explorare iuſſit. Ipſe interea Grollam Zutphanienſis Comitatus oppidum valdè munitum obſidione cinxit,tantoque cum ardore oppugnauit,vt paucis diebus ad vallum vſque munitiones ſuas perduxerit. Præſidiarij quidem (quorum vltra viginti ſigna in oppido erant) tentata aliquoties eruptione, diu ſatis acriter ſe defenderunt,cæſis hoſtium non paucis: vbi tamen Spinolam tam acriter inſtare viderunt,vt extrema iam ipſis imminere viderentur, deditionem 19. Auguſti pacti ſunt, ſerum iam nimis auxilium Mauritio ſuis ferre parante. Spinola oppido hoc potitus, conuerſo ad Rhenum itinere Rhijnbercam obſidere cœpit. Oppidum hoc Ordines Vniti mirum in modum tam operibus,quàm milite & commeatu communierant, adeò vt altera Oſtenda vulgò iactaretur. Quocircà Spinola Buquoium Comitem,qui inter Moſam & Wahalim hactenus caſtra habuerat, ad ſe quoque euocauit, vt coniunctis viribus oppugnationem auſpicarentur. Sic ergo ad vtramque Rheni ripam poſitis caſtris, expugnatoque, quod in aduerſa Rheni ripa Hollandi habebant, munimento, tandem eos etiam inſulâ,quæ ibi in Rheno eſt,exegit, atque intra oppidum compulit. Nihilominùs tamen, qui in oppido erant præſidiarij, non tantùm loricas vallo oppidi prætentas ſtrenuè defenderunt, verùm etiam quotidianis ferè eruptionibus multum obſidẽtibus damni dederunt. Erant enim ab omnibus rebus ſatis inſtructi, ſpe etiam vicini auxilij recreabantur. Mauritius enim Spinolæ quaſi veſtigia legens, nõ procul à Veſalia Rhenum ponte coniunxerat, in omnes occaſiones obſeſſis ſuppetias ferendi intentus. Tantò ergo acriùs inſtandum ſibi Spinola ratus, continuata per totum Septembrem oppugnatione, eas munitiones egerat, vt vallo multis in locis iam ſuffoſſo, oppidum in ſua habere poteſtate videretur. Animaduerſo periculo,obſeſſi de oppido Archiepiſcopo Colonienſi tradendo agere cœperunt,non tam ſeriò vt videbatur, quàm vt tergiuerſatione hac Spinolæ conatus eluderent. At Spinola,niſi quamprimùm ſe dederent,auditurum ampliùs ſe eos negauit: honeſtas tamen conditiones,collaudata eorum fortitudine,diſcedentibus permiſit;vt ſcilicet cum fortunis ſuis, & duobus tormentis, ſub explicatis ſignis egrederentur. Quibus illi acceptatis, poſtridie Kalendas Octobris ſecundo Rheno in Mauritij caſtra peruenerunt. Pergit idem Auctor: Magnum hæc Spinolæ victoria in Vnitis Prouinciis metum excitauit,& Mauritius Meurſæ metuens, validum eò præſidium miſit; in quo tamen parum ſpei futurum erat,niſi poſteà Archiducis conſenſu ei Comitatui,quem Dux Iuliacenſis ad ſe pertinere aſſerit,neutralitas,quam vocant, fuiſſet indulta. Sicille, hunc annum ita finiens. Sed ſanè poſtremum illud plenius expli-

Interim & ipſe fatetur, Mauritium ſerum ſuis ad Grollam paraſſe auxilium.

Narrat idem etiam ſummatim eadem de Rhijnbercа.

Quin & exprimit quædam ab alio Scriptore omiſſa.

Mauritius validum præſidium Meurſæ imponit.

explicandum; tum & multò etiam ſunt plura narranda. Expugnata 1606
Rhijnberca, Spinola in id inprimis incumbebat, vt deſtructa & effracta quæque reficeret, nec non Septa ſua aggereſque ſolo æquaret. Ceterùm cùm ſtata pecuniarũ ſubſidia deficerent, haud erat ei facultas tam promptè ſoluendi, vt ſolebat, tertias, quas vocant, ſtipendij. Etenim cùm rumor increbuiſſet, quatuor galeones Indicę claſſis tempeſtatibus hauſtas, & de aliis nihil certum haberi, omnis crediti fides apud mercatores elanguit, adeò vt ij etiam, quibuſcum iam antè tranſegerat Spinola, nummos non præſtarent. Hac occaſione nonnulli ex eius exercitu ſub medium Octobris receſſionẽ fecere; quæ res quantum animi Hollandis addiderit, facile eſt æſtimare. Igitur animaduertentes Hollandici Ordines, exercitum ſuum etiam illo milite qui Rhenoberca exceſſerat admodum auctum, adeò vt iam quindecim millia peditum ac tria equitum millia ſub ſignis haberent, Mauritio in mandatis dederunt, Grollam vti aggrederetur: qui è veſtigio ponte eo, qui Rhenum texerat, deſtructo, & munitionibus ſolo æquatis, 27. Octobris caſtra mouit, præmiſſis quatuor peditum millibus, nec non ſexcentis equitibus, qui & interim Lochemium in tranſitu tentarent. Vbi cùm duodecim tormenta muralia ſupra colliculum iam antè deſertum collocaſſent, quatuor dierum ſpatio 30. Octobris loco potiti ſunt, excedente cum ducentis quinquaginta peditibus Diaſio ijſdem pactis, quibus ipſi anteà oppidum in poteſtatem redegerant. Hollandi verò, præſidio Lochemij impoſito, ad Mauritium iam ante Grollam cum caſtris conſidentem profecti ſunt. Grollæ tum præerat Comes Henricus Vandenbergius ſua equitum cohorte & ſexcẽtis tantùm peditibus inſtructus, reliquo milite, qui præſidio fuerat impoſitus, partim dilapſo, partim mortalitate conſumpto. Quocircà variis ille cogitationibus agitabatur; comparato nihilo ſeciùs ad defenſionem animo, maiorem militum partem in hemicyclicas ſeu ſemilunares munitiones diſtribuebat, ſimulque repetitis tormentorum ictibus infeſtabat Mauritium, qui ſingulari induſtria ſatagebat opera verſus oppidum promouere, ſimulque caſtra à tergo probè communire. Spinola re intellecta 3. Nouembris caſtra mouit, ſeptem millibus peditum, mille equitibus, decem tormentis bellicis, & quadringentis curribus, qui commeatu & bellico apparatu onerati erant, inſtructus, iter rectà Grollam inſtituit. Mauritius intereà acriter vrgebat opera, ac iam eò promouerat, vt torme̅ta diſponeret, quibus omnem vim defenſionis auerteret, Vandenbergio iuxtà nihil ad ſtrenuam defendendi rationem tum frequentibus eruptionibus, tum aliis propugnandi modis reliquum faciente. Spinola viam perſequens, miſſis identidem exploratoribus, ſingulis noctibus exonerabat tormentum vnum, obſeſſis, vt ſuum ſignificaret aduentum.

Capta Rhijnberca deficere incipit Spinola bella metuus.

Hac occaſione multis ſuorum tumultuãtibus, Fœderati è contrà copias contrahunt.

Recipiunt Lochemiũ; mox & Grollam obſident.

Vandenbergius ſtrenuè ad defenſionẽ ſe parat.

Aduolat & Spinola, vt ſuccurrat.

Singulis noctibus ſignificat obſeſſis ſe aduentare.

Primo

1606 Primò viam verſus Beſleyt tamquam breuiorem tenebat; quo loco cùm exploratores nuntiarent, Batauos ea ex parte munitos admodum eſſe, 6. Nouembris iter Vredenſe ingrediendum decernit, quamquam id paulo longius eſſet. At cùm Vreden tenuiſſet, itidem intellexit, hoſtem ab ea etiam parte probè ſe communiiſſe. Igitur viam ceteris longiorem capeſſere inſtituit, eam nempe quę ducit ad colles, in quibus ſimplici dumtaxat Septo, eoque necdum planè abſoluto hoſtis cinctus conſidebat, maximè, quòd hac ratione maior quoq; dabatur opportunitas, vt Solranus Oldenzaliâ, quæ ita proficiſcenti à tergo erat, ceteriſque locis, eductis præſidiis ſeſe illi coniungeret. Itaque 8. eiuſdem Nouembris cùm in pago Rheckum, leucæ itinere Grollâ diſtante, conſediſſet, diſpoſitis in ſilua (in qua Solranus cum mille circiter peditibus, ducentis equitibus, & nonnullo commeatu aderat) ſtationibus, paulò ante Solis exortum inſtructis aciebus procedens, tam propè in cõſpectum munitionum hoſtilium venit, vt eo tantùm interuallo, quod ictus tormento globus conficit, abeſſet. Mauritius cùm inexpectatum Spinolæ conſilium percepiſſet (aliis quippe duabus viis eum expectabat) conſideratoque Septa ſua eo loco nondum abſoluta, locum quoque diſponendæ ſuæ aciei parum idoneum, quòd ex oppido expãſis aciebus itidem infeſtari potuiſſet, vel certè quòd haud tutum videretur virium ſuarum, etſi multò maiorum, in campis patentibus periculum facere, caſtris ceſſit, deſertiſq; munitionibus, tam quas à tergo habebat, quàm iis quas oppido oppoſuerat, eodẽ die tranſiit flumen Berkel, atque in ſtationem, quam antè munierat, ſe recepit. Spinola vbi diem integrum in ſtatione caſtrorum hæſiſſet, Septaque ſolo æquari iuſſiſſet, certior redditus hoſtem ad ſuos redire, & ipſe Rhenobercam reuerſus eſt ſumma omnium cum gratulatione. Inter hęc ſeditioſi illi Spinolę milites, de quibus ſuprà, bis mille & ducenti numero, in Eyndhouen profecti, iſtic ſe communierant. Quocircà Archidux, accedente etiam Spinolæ iudicio, tranſigere cum eis decreuit: ac licet ipſi reiecciſſent primos, qui ea de cauſa ad eos erant deſtinati, tandem tamen auſcultarunt Marcellum, qui ſua dexteritate eos nonnihil mitigauit, aſſignato illis pro ſtatione Diſtemio, & Tribuno Lucio Dentici obſide. Quo freti, oppidum illud mille equites ac mille ducenti pedites ſunt ingreſſi. Dederat iam olim Spinolæ ſimul in mandatis Rex Catholicus, vt ſi qua fortè opportunitas eſſet agendi de pace, vel induciis prolixioribus cum Hollandis, nec eam contemneret: ea occaſio iam videbatur oblata, Hollandis ſcilicet non parum conſternatis ſuperiorum duorum annorũ per Spinolam victoriis, præſertim verò expugnatione Rhijnbercę, & ſubſidio Grollæ. Ita primùm ſtatim poſt expugnatam Rhijnbercam, Neutralitas vt vocant, pro Meurſia (quam Mauritius teſtamento ſuam dicebat,

Inuenititinera obſeſſa.

Tandem ingreditur viam, per quã Mauritius eum non expectabat.

Aduentãte Spinola, Mauritius Grollam deſerit.

Seditioſi milites Spinola vtcunque pacantur, aſſignato eis Diſtemio.

Impetratur Neutralitas pro Comitatu Meurſenſi.

bat, alij ad Ducem Cliuienſem deuolutam exiſtimabant) impetrata fuit, 1606
non difficulter eam concedente ob ſeceſſiones militares, quas diximus, Archiduce. Itaque iiſdem his occaſionibus maius etiam tentatum fuit. Nempe 23. Decembris Walrauus à Wittenhorſt Satrapa Keſſellenſis vnà cum Ioanne Geuartio I. V. Licentiato Hagam-Comitis ab Archiduce ablegatus fuit, tentaturus, ſpéſne eſſet de pace vel longioribus induciis agendi. Verùm quia nihil ea de re actum eſt niſi anno ſequenti, in illum narrationem hanc reliquam ſeruamus.

Denique incipit etiã agi, de pace vel Induciis totius Belgij.

In Italia bellum, quod gliſcebat iam ab anno ſuperiori inter Pontificem & Rempub. Venetam, hoc anno ſopiri cœptum eſt. Tulerat Pontifex 17. Aprilis anni proximè præcedẽtis Interdictum in Venetos; Nempe quia prohibuiſſent, ne quis bona immobilia ad pias cauſas quouis titulo alienaret, ſiue etiam niſi ad certũ ab ijs expreſſum tempus ea obligaret; tum quia etiam Canonicum Vincentinum & Abbatem quemdam carceri mancipatos ſiſtere Pontifici noluiſſent. Et quidem non defuerunt Theologi & Iuriſperiti, qui cauſam Venetorum contra Pontificis Interdictum ſcriptis publicis defendere conati ſunt, tamquam Pontificum quorumdam Concordatis ſeu Priuilegiis ſubnixam; ex iis tamen aliqui poſteà Romam profecti, erroremque faſſi, ſententiam ſuam ac ſcripta reuocarunt, inter quos fuit F. Marcus Antonius Capellis, & alij duo. Ceterùm conditiones, quibus Veneti, inſtantibus gnauiter Regibus Catholico & Chriſtianiſſimo, anno demum ſequenti 21. Aprilis reconciliati ſunt, habentur iſtæ: Prima, Vt ſuæ Sanctitati in omnibus ſatisfiat. Secunda, Vt tria illa Statuta, vnde lis nata, tamdiu ſuſpendãtur, nec in vſum reuocentur, quoad controuerſia omnis compoſita fuerit. Tertia, Vt duo illi captiui, ijs, quos Pontifex elegerit, tradantur. Quarta, Vt omnia à Magiſtratu Veneto contra prædictos captiuos & Eccleſiaſticorum bona tentata in priſtinum ſtatum reſtituantur. Quinta, Vt omnibus Eccleſiaſticis perſonis, quæ occaſione iſta expulſæ ſunt, vel vltrò emigrarunt, Venetias redire permittatur; quod tamen ad Patres Societatis Ieſu attinet, propediem cum Pontifice tractabitur. Sexta, Ad Pontificem mittentur, qui pro tam liberali fauore gratias agẽt, omnemque humilitatem & reuerentiam præſtabunt. Hoc anno Botſcaio Tranſiluaniæ Regulo (quem Turcis ſe iunxiſſe, anno proximo diximus) Strigonium deditione ceſſit: quem tamen morbus & inclinatio rerum Turcicarum impulerũt ad pacem cum Cæſare ineundam; quæ conſtituta eſt Viennæ 14. Septembris; conceſſa Botſcaio & heredibus maſculis Tranſiluania. Secuta quoque pax eſt inter Cæſarem & Turcam ad 20. annos, firmata Viennæ 21. Octobris, permiſſo Turcis Strigonio, & captiuis vtrimque libertate donatis. Demetrius Moſcorum Princeps Germani-

VARIA.

Bellum inter Venetos & Summum Pontificem, quibus occaſionibus ortum ſit.

Conditiones, quibus illud anno ſequenti ſopitum.

Tranſiluanus cum Cæſare paciſcitur.

Inducias quoque Cæſar ſuſcipit cum Turca.

co

1606 co ſatellitio ad cuſtodiam ſui corporis vtebatur. Moſci hoc ad contemptum gentis ſuæ ſpectare interpretantes, coniurant in Principem, eumq́; barbarica crudelitate trucidant, rediguntque in cineres. In Polonos etiam qui aderant, externoſque mercatores, magna feritate ſæuitum eſt. Quæſitus ſceleri titulus eſt. Optimus viſus, quòd Demetrius cum Pontifice de mutanda Moſcouiticæ gentis Religione conſilia iniuiſſet. Demum habito Conuentu, Baſilium Ioannidem Kniſium creant Principem. Hoc anno 10. Kalend. Aprilis Iuſtus Lipſius, vir omni laude maior, Louanij viuere hîc deſiit. Apud Franciſcanos ante aram Deiparæ Virginis condi, ſuoque tumulo hos verſus aureos inſcribi voluit:

Iuſtus Lipſius hîc viuere deſiit, nec tamen deſiit.

Humana cuncta fumus, vmbra, vanitas,
Et ſcenæ imago; &, verbo vt abſoluam, NIHIL.

1607 Narrauimus fine anni ſuperioris, Wittenhorſtium & Geuartium tentandæ Pacis ſeu Induciarum cauſa in Hollandiam ab Archiduce miſſos. Hi cùm labente Decembri rem cum quibuſdam ſecretò communicaſſent, placuit, vt Geuartius Bruxellam rediret, & mandatum ſolemne ad Ordines Vnitarum Prouinciarum Generale expediri curaret. Cum quibus mandati litteris, illo die 9. Ianuarij reuerſo, impetrata ad 13. eiuſdem menſis audientia, mãdata in Ordinum Conuentu dicti Wittenhorſtius & Geuartius expoſuerunt, hunc ferè in modum: Etſi Archidux iuſtam ſe habere putet belli contra eos gerendi cauſam, tanto tamen huius tam cruenti belli finiendi ſe teneri deſiderio, ſiue ſtabili pace, ſiue induciis quot vellẽt annorum, nihil vt Ordinibus, quod vllam æquitatis ſpeciem habeat, negare conſtituerit, nihilq́; prętermittere eorũ, quibus è tam miſerabili ſtatu ad antiquum ſuum decus & priſtinam felicitatem Prouinciæ reducantur. Ad hęc Ordines 27. Ianuarij prolixè reſponderunt, inter cetera iſta: Vt vllam cum Archiduce tractationem ſuſcipiant, minimè ſibi conſultum videri; quippe quem animaduertant, ius ſibi in Confœderatas Prouincias ſine vllo iure arrogare: Prouincias eas iamdudum publico decreto (Edictum à ſe anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo primo, 26. Iulij, contra Regem Hiſpan. publicatum, de quo eo loco, intelligebant) in liberæ Reipublicæ ſtatum eſſe redactas; idque decretum multis hactenus publicis actionibus & fœderibus à potentiſſimis totius Europæ Regibus ac Principibus ſtabilitum eſſe & confirmatum; in quo quidem tuendo, vt hactenus, ita porrò quoque nec vitæ parcere velint. Hoc cum grandiloquo reſponſo prædicti Legati Bruxellas redierunt; nihilominùs Wittenhorſtius paulò pòſt, litteris ad Ordines datis, declarabat, Archiducem non id agere, vt Ordinum, vel ipſorum Reipublicę, quem dicunt, ſtatum conuellat aut labefactet; ſed quod integrũ, ita vti iam eſt, illum libenter ipſis ſit relicturus. Et hac conditione, ſi de

Proponunt VVittenhorſtius & Geuartius in Haga-Comitis, quæ erant eis de Pace mandata.

Reſpondẽt Ordines Fœderati, quaſi omnem ſpem præcidentes.

VVittenhorſtius mitiùs interpretatur à ſe propoſita.

pace

pace agere velint, nec hoc eum abnuere. Interea ſeditioſi Archiducis milites ingentia paſſim damna dabant, cauſati, quòd in victum ſingulis hebdomadis promiſſa ipſis pecunia non ſolueretur. Qui Dieſtæ conſidebant, Leodienſem agrum ad ipſam vrbem vſque peruagati, cùm iam iam ſuburbiis ignem inijcere conarentur, à ciuibus repulſi ſunt, viginti ſex circiter deſideratis. Ad Bredam quoque circiter ſexcenti aliquamdiu hæſerant; ſed à præſidio Siluæducenſi, quinquaginta eorum cęſis, & ſeptuaginta captis & magna parte ſuſpẽſis, in Cliuienſem agrum reliqui ſeceſſerunt. Ex altera parte 7. Februarij Henricus Naſſouius militans, cõtracto aliquanto equitatu, in Limburgenſem agrum iter inſtituit, Hiſpanos in hibernis minùs cautè, vti exiſtimabat, agentes, opprimendi conſilio. Sed eo non ſuccedente, oppidum Herculanum, vulgò Erkelens, effractis portis occupauit, & militi diripiendum dedit; vbi Comes Henricus Vandenbergius captus eſt. Nihilominùs ineunte Martio in Hollandiam venit Ioannes Naius, Martini Naij pridem Guilielmo Orangij Principi grati hominis filius, Franciſcanæ familiæ Commiſſarius Generalis, homo eloquens ac induſtrius. Hic primùm in pago Rijſwijck iuxta Hagam-Comitis, aliquantùm ſubſtitit, ac tandem cum Mauritio eiuſdem Principis Orangij filio (cum quo puero puer familiariter ſæpè egerat) & aliis congreſſus, & cur veniſſet, rogatus; Ad actionem à Wittenhorſtio cœptam continuandam, reſpondit. Hagam-Comitis deductus, iterumque priuatim cum Procerum nonnullis congreſſus, (nam optimè ſciebat etiam inter epulas conuiuere) non id agere Sereniſſimos Principes proteſtatus eſt, vt ius ſuum hac tractatione vel melius vel deterius reddant, ſed cum ijs tractaturos, ita vt Ordines Confœderati in eo quo iam ſunt ſtatu permaneant. Vbi cùm ei viciſſim reſponderetur, nequaquam Ordines quidquam hac in re priùs conſenſuros vel acturos, quàm Archidux Prouincias omnes Confœderatas, earumque Statum pro libera Republica habuerit ac proclamarit; Naius id quoque à piis Principibus demum, vt à tanto fundendo ſanguine ceſſetur, ſperare ſe poſſe reſpondit. Quibus iactis fundamentis 9. Martij humaniter habitus ac dimiſſus, celocem Mauritij conſcendit, & per Scaldim Antuerpiam, inde Bruxellas profectus, quæ acta eſſent, narrauit, & paulò pòſt, 17. ſcilicet eiuſdem Martij, reuerſus, Archiducum mandata ſcripto conſignata Ordinum Deputatis expoſuit, hanc in ſententiam: Cùm nihil magis in votis habeant Archiduces, quàm vt incolæ Prouinciarum Belgicarum à miſeriis tam diuturni belli aliquando liberentur, habita deliberatione, contentos ſe eſſe declarant cum Confœderatarum Prouinciarum Ordinibus tamquam liberis, & in quos nihil ipſi ſibi iuris prætendant, tractationem ſuſcipere, & de pace vel in perpetuum, vel ad annos ſiue duode-

1607

Interim ſeditioſi Archiducales paſſim multa damna dabant.

Batani quoque occupant Erkelens & diripiunt.

P. Naius magna dexteritate reſumit negotium pacis.

Facto aliquãto fundamento ad Archiduces redit.

Scriptum Archiducũ ad Ordines.

1607 cim, ſiue quindecim, ſiue viginti, prout viſum Ordinibus fuerit, conſtituenda agere, idq; propoſitis honeſtis conditionibus, ita vt pars vtraque quodcumque, vti iam poſſidet, ita poſſideat, niſi fortè mutuo cõſenſu de permutãdis oppidis & locis quibuſdam inter partes conueniat, vti commercia cum ſecuritate bonoque publico exerceri poſſint. Quò verò faciliùs animum ad hanc ſuſcipiendam tractationem adijciant, teſtantur ſe ſincerè & abſque vllo dolo cum eis acturos: vtque commodiùs ac feliciùs omnia peragantur, placere ſibi, vt octo menſium induciæ & ceſſatio ab armis, & omni hoſtilitate, quemadmodum etiam à nouorum propugnaculorum extructione, fiant; ita tamen, vt intra octiduum Ordines quoque in haſce inducias conſentiant, & quid in cauſa tractandæ pacis facturi ſint, declarent, condicto & nominato loco ac tempore, quæ vlteriori tractationi conuenire putent. Perlecto hoc ſcripto, auditiſque mandatis, Ordines id ſibi præter omnem ſpem offerri animaduertentes, illas octo menſium inducias acceptarunt, & ad Archiducum litteras in hanc ſententiam reſponderunt: Se nimirum in declaratione illa, qua liberi Status & Prouinciæ ab Archiducibus declarentur, acquieſcere; & cùm teſtentur bona ſe fide ac ſincerè cum Ordinibus omnia acturos, in octo menſium proximè ſequentium inducias, ſumpto à quarto die Maij initio, conſentire; quibus intereà pars vtraque ab omni inuaſione, itemque à nouorum propugnaculorum exſtructione abſtineat. Acceptare ſe igitur prædictas Archiducum oblationes, deque ijs ad eos, quorum intereſt, relaturos, operamque daturos, vt ad Archiducum poſtulata ante Kalendas Septembris plenè reſpondeatur. Acceptis his vtrimque conditionibus, promiſerunt quoque Archiduces ſe tractationis huius Approbationem ab Hiſpaniarum Rege trium menſium ſpatio impetraturos. Quare harum induciarum Promulgationem Ordines Confœderati 13. Aprilis per omnes Prouincias fieri iuſſerunt, & 14. eiuſdem Theodorum Douſam Lilloum miſerunt cum litteris, quibus prędictę inducię Ordinum nomine ſolemniter confirmabantur, cùm eodem tempore ibi Naius occurrit, cum ſimilibus ab Archiducalibus litteris. Et quidem Douſa litteras illas primùm acceptare recuſauit, quòd in forma Approbationis Actis tantùm ſubiectæ eſſent: verùm Naius ſumma celeritate miſſis Bruxellas nuntiis, illa forma qua ab Ordinibus ſcriptæ erant, expediri eas curauit, & Douſæ tradidit. Cùm verò Naius in mandatis haberet Acta illa nomine Archiducum accuratiùs interpretandi, eorumq; mentem ampliùs declarandi, Hagam vnà cum Douſa proficiſci ſe velle dixit, atque tandem etiam, quamuis repugnante Douſa, cui nihil ea de re mandatum fuerat, eò venit. Vbi in Statuum Concilium, ſimiliter reclamantibus in initio nonnullis, admiſſus, ſingulari dexteritate accuratiorẽ indu-

Multa ſanè offerunt Archiduces amore pacis.

Acceptant Ordines ceſſationẽ ab armis per menſes octo.

Promulgantur ea inducia octimeſtres.

P. Naius dextrâ quadam impudẽtia etiam maiora molitur.

Inductarum interpretationem, & noua quædam Acta ipſis Kalend. Iunij cum Ordinum Deputatis confecit hac forma, Vt inducię quoque in Oceano Septemtrionali, & freto inter Galliam & Angliam ad Sorlingas vſque, ſumpto à 14. Iunij initio, ſeruarentur, ita vt poſt eum diem præda omnis, niſi quam miles militi eriperet, intra prædictos terminos parta, tamquam malè parta raptoribus abiudicaretur; itemque, vt quam primùm Approbationis litteræ ab Hiſpaniarum Rege venerint, naues omnes bellicæ oras eius Regni iam infeſtantes reuocarentur, & præda ſimiliter omnis poſt ſex ab eo die ſeptimanas parta, malè parta cenſeretur. Quibus confectis, Naius 5. Iunij Haga-Comitis iterùm diſceſſit. Paulò antè Rex Franciæ, Ordinum Confœderatorum litteris de his Inducijs certior factus, ſupremi Senatus Præſidem Ioanninum, Dominum Ruſſium, & Dominum Buſanuallium in Hollandiam ablegarat: qui impetrata 28. Maij audientia, Regis ſui mandata expoſuerunt, grauiter initio viſi conqueri de Ordinibus, qui ad tam ſubitam rei tam grauis tractationem, Rege inſcio, deſcenderint; dein ex Ordinum numero adiungi ſibi aliquos petierunt, quibuſcum de omnibus ijs, quæ ad Prouinciarum ſtatum, vti petierant, & earum conſeruandam libertatem pertinent, conſilia conferrent, deque iis, quibus pax impediri vel promoueri poſſet, cõſultarent. Ad eam rem è ſingulis Prouinciis quidam lecti ſunt; ex Hollandia Ioannes ab Oldenbarneuelt, ex Zelandia Dominus à Maldere, & alij ex aliis Prouinciis; qui 29. Maij cum prædictis Regiis Legatis agere cœperunt, ac tandem ita conuenerunt, vt ijdem Regis ſui nomine futuræ Pacis tractationi intereſſent. Idem à Magnę Britanniæ ſiue Angliæ Rege Ordines quoque deinde poſtularũt, vt ſcilicet & ipſe mitteret aliquos qui omnibus quæ agerentur ſimiliter præſentes eſſent; ſed is certos priùs atque idoneos homines ad ſe ablegari petijt, à quibus de vniuerſo Prouinciarum ſtatu, omnibuſque eò ſpectantibus, accuratè edoceretur. Miſſi ſunt ab Ordinibus Ioannes Berckius Syndicus Dordracenus, & Maldere Eques; qui vnà cum Sconeuallio apud Anglum Ordinum Oratore 16. Iulij ad Regem introducti, & ſine vllis primùm arbitris aliquoties cum eo collocuti, poſteà etiam cum Regiis Senatoribus & Conſiliariis congreſſi ſunt. Diſceſſuris Rex pollicitus eſt, ſe conſilio & auxilio Confœderatis Prouinciis, præſertim in Pacis conficiendæ negotio, non defuturum, eumque in finem Legatos ſuos Richardum Spenſerum Baronem & Equitem & Rudolphum Viniuodum in Hollandiam miſſurum. Interea in Approbatione illa Inductarum tractationis in Hiſpania impetranda, quam ab Archiduce promiſſam ſuprà diximus, Commiſſarius Naius tanta vſus eſt diligentia, vt intra præfixum trimeſtre ſpatium ab Hiſpaniarum Rege eam obtinuerit. Quare Marchio Spinola datis 16. Iu-

1607

Scilicet impetrat etiã ceſſationẽ ab armis extra Belgium.

Veniunt in Hollãdiam Legati Regis Frãciæ.

Deputãtur ex Ordinibus, qui cum eis cõſultent.

Miſſi interea, qui & Regem Angliæ de omnibus inſtruant.

Itaque & ipſe ſuos Legatos in Hollãdiam decernit.

1607 lij ad Ordines Confœderatos litteris, certiores eos fecit de Secretarij ſui Biragij ex Hiſpaniis aduentu, qui prædictam Approbationem ſecum attulerit, petens vt Ludouico Verreyckio Audientiario in Hollandiam commeandi, & cum Ordinum Delegatis conferendi facultas daretur. Qua tranſmiſſa, Verreyckius, 24. Iulij manè Hagam-Comitis venit, & Approbationem illam Hiſpanica lingua ſcriptam, & Actis ſuperioribus, ſcilicet de 24. Aprilis, & Kalendis Iunij, inſertam, Ordinibus exhibuit, ita ſonantem: Sua Maieſtas, viſis iis, quæ in charta illa à chariſſimis ſibi « fratre vel affine & ſorore, Illuſtriſſimis ſcilicet Alberto Archiduce & Iſa- « bella Clara Eugenia, ſupremis Belgij Regionum Principibus & proprie- « tariis miſſa, continentur, Inducias octimeſtres, & ceſſationem tam ab ar- « mis quàm omnibus molitionibus, oppidorum & arcium occupationi- « bus, Prouinciarum inuaſionibus, & nouorum propugnaculorum exſtru- « ctionibus; nec non intentionem illam de deligendis vtrimque certis ho- « minibus, & vel pace vel longioribus faciendis induciis, concernentia; re « maturè deliberata, ne bonum & emolumentum, quod inde ſperari po- « teſt, impediat aut remoretur, declarat, ſe prędictas Inducias, & armorum « ſuſpenſionem approbaſſe, & confirmaſſe; & in omnibus earum Indu- « ciarum Articulis, quantum quidem eius ad ſe pertinet, aut ſua intereſt, « hoc ipſo approbare & confirmare; promittens ſub fide & verbo Regio, « ſe illa articulatim atque integrè ſeruaturam, non ſecùs ac ſi ab initio ſta- « tim conſenſu, auctoritate & interuentione ipſius omnia tractata ac con- « cluſa fuiſſent, nec vlla in re contra ea quidquam facturam aut tentaturã. « In cuius rei teſtimonium ſua Maieſtas litteris his ſubſcripſit, & ſigillo « ſuo muniri fecit; Vallidoleti, vltimo Iunij. Alia etiam quædam Appro- « batio Actis Kalend. Iunij erat inſerta, ac pęnè ijſdem verbis, quantum ad textum, concepta; ſed & Acta vtraque, quibus binæ hæ Approbationes erant ſubiunctę, lingua Gallica copiosè perſcripta erant: in quorũ tamen altero exemplo, quo Acta 24. Aprilis continebãtur, in præcipua clauſula verba hæc omiſſa erant, *En qualité & comme les tenans pour Pays & Prouinces libres*, id eſt, in qualitate, & ſicut tenentes eas pro Prouinciis liberis. Erat præterea, ea de qua dicimus Approbatio, chartæ tantùm inſcripta, & nonniſi paruo Regis ſigillo ſignata; quæ omnia Confœderati Ordines tamquam parum ad id quod agebatur accommodata, minimeq; conuenientia cauſabantur. Illud quoque iiſdem diſplicebat, quòd in ſupradicta Approbatione Regis, Archidux & Infans quaſi totius Belgij Principes appellarentur; hęcq; Scripturę, vt ipſi volebant, vitia Verreyckio commonſtrabant: qui ſcriptoris negligentiâ in poſteriori illo clauſulam omiſſam dicebat, idque erratum Bruxellis quoque deprehenſum fuiſſe: Archiducem tamen, eò quòd Approbatio Regia generalis eſſet, hanc

Nuntiat Spinola, Approbationem Regis Hiſp. eſſe allatã.

Tenor Approbationis Regiæ per Verreyckiũ in Hollandiã allatæ.

Nempe ampliſſimè approbat omnia ab Archiducibus facta.

Nihilominùs contra nonnulla excipiunt Ordines.

Reſpondet Verreyckius; interim petit ſex dies vt ad Archiduces proficiſcatur.

hanc nihilominùs quoque vti concepta erat, ſcripturam Ordinibus mittere voluiſſe, ſaltem vt diligentiæ ſuæ in promouendo pacis negotio eſſet teſtimonium: nec dubitare, quin plenior ab Hiſpaniarum Rege ſcriptura impetrari poſſit. Intereà ſex dierum ſpatium dari ſibi rogabat, quo Archiducem huius rei faceret certiorem, & quid fieri hac in re vellet, exquireret. Quo impetrato, & accepto ab Archiduce reſponſo, 2. Auguſti iterùm in Senatum venit, Ordinibus oſtendere conatus, ea forma tam Acta quàm Approbationem eſſe concepta, vt ijs acquieſcere meritò Ordines deberent; Archiducem nihilominùs ad Regem, de iis quæ deſiderarent Ordines, iam ſcripſiſſe, ac breui ſperare reſponſum. Quod vt faciliùs impetraretur, ac toti negotio nulla remora obijceretur, petebat, viciſſim vt Ordines claſſem littora & portus Hiſpaniæ infeſtantem continuò reuocarent, atque in hoc ſaltem Archiduci gratificarentur. Re per aliquot dies diſceptata, Verreyckius 10. & 11. Auguſti tale reſponſum accepit, Ordines vtramque Regis Hiſpaniarum Approbationem pro imperfecta, & tum quoad qualitatem & formam, tum quoad ſubſtantiam ipſam pro vitioſa habere, & declarare, quòd nec in forma, qua parerat, vnà cum inſertione extenſæ eſſent; quòd in Gallico exemplari multa verba omiſſa; quòd nec Regis nomine, ſed tantùm, *Yo el Rey*; id eſt, Ego Rex, nec maiori ſigillo ſignatæ & munitæ; quòd Approbatio non ad totam tractationem pertineret, ſed ad quoſdam tantùm Articulos reſtricta eſſet; quòd denique libertas Vnitarum Prouinciarum non eſſet expreſſa, eo modo quo ab Archiduce fuerat declarata. His de cauſis non poſſe ſe ad vlteriora oblata condeſcendere, aut in cœpta tractatione pergere, niſi priùs de mente Regis apertius aliquid cognouerint. Quò verò Regi de ſua conſtare poſſit voluntate, Verreyckio formulam afferebant, Belgica, Gallica, & Latina lingua conſcriptam, ad quam Approbatio illa Regis eſſet conformanda. In illo tamen extremo gratificaturos ſe Archiduci promittebant, claſſem ab Hiſpaniæ littoribus domum reuocaturos, prædaſque omnes, quas poſt ſex proximas à 24. Iulij ſeptimanas ſui acquiſituri eſſent, reſtitui curaturos. Et cum hoc reſponſo Verreyckius 12. Auguſti Haga-Comitis Bruxellas profectus eſt. De vniuerſo hoc Pacis ſeu Induciarum negotio, dici non poteſt, quàm variæ ac diuerſæ fuerint hominum ſententiæ. Quid de ijs dudum ſenſerit ſeu ominatus fuerit I. Lipſius, vide ad annum ſuperioris ſeculi nonageſimum quintum indicatum. Decimo quarto Octobris Ordinibus Confœderatis redditæ ſunt litteræ ab Ambroſio Spinola 10. eiuſdem menſis ſcriptæ, quibus ſignificabat Approbationem illam ſiue Ratificationem ex Hiſpaniis eſſe allatam; petens, vt Patri Naio Commiſſario, & Audientiario Verreycken Hagam-Comitis ſub ipſorum Saluo-conductu cõmeandi poteſtas fieret.

1607

Promittit plenius Scriptum; interim ex nunc reuocetur claſſis Hollandica a littoribus Hiſpan.

Iterùm inſtant Ordines, Scriptum Approbationis eſſe vitioſum.

Nihilominùs claſſem à littoribus Hiſp. reuocabũt.

Varia de hac tractatione tunc variorum ſententiæ.

1607 Qua conceſſa, prædicti Deputati 24. Octobris Hagam venere, ac ſtatim ſequenti die ante meridiem ad Concilium Ordinum Generalium introducti, dictam Ratificationem ſeu Approbationem Hiſpaniarum Regis 18. Septembris Madriti datam, in charta ſiue papyro vt priùs conſcriptâ, & his verbis, *Yo el Rey*, ſubſignatam, ac ſigillo, quali publica Edicta conſignari ſolent, conſignatam exhibuerunt. Inſerta quidem huic erat illa ab Archiducibus facta Declaratio Hiſpanicè conſcripta, ſcilicet poſt alia in hanc ſententiam: Feciſſe ſe, & hoc ipſo facere ſimilem Declarationem, qualem iam antè Archiduces fecerant, quantum quidem ſua intereſſet, & acquieſcere, vt cum prædictis Ordinibus tractatio inſtituatur tãquam cum ijs, quos ipſe pro liberis Terris, Prouinciis, & Statibus habeat & agnoſcat, & in quos nihil ipſe prætendat; acceptare inſuper & confirmare omnia & ſingula capitula in prædicta Archiducum Declaratione contenta, ac in verbo & fide Regia polliceri, facturum vt ea omnia & ſingula obſeruentur, &c. hac tamen annexa Declaratione ſeu proteſtatione, ſi principalis tractatio de pace vel longis induciis, in qua de iis quæ inter partes tam in materia Religionis, quàm aliis quæ controuerſa ſunt, agetur, minùs procedat, neque vel pax vel tales induciæ fiant, præcedentem ſuam Declarationem vel Ratificationem nullius eſſe momenti, neque ob eam quidquam de iure ſuo decedere, neq; Statibus accedere. Ordines Confœderati accepta exemplaria, Gallicum vnum, alterum Belgica lingua conſcriptum cùm perlegiſſent, iterùm cauſati ſunt, Ratificationis hanc formulam tam in tenore quàm in forma vitioſam eſſe. In tenore quidem, quòd multa verba eſſent omiſſa, nec ita poſita, prout petierãt. In forma verò, quòd nec ipſo Regis nomine eſſet conſignata, nec chartæ pergamenæ, ſed papyro; adeoque negligenter valdè inſcripta. Mox eamdem & Franciæ & Magnæ Britanniæ Regum Legatis inſpiciendam atq; examinandam dederunt; quorum audita ſententia, 26. Octobris cum P. Naio & Verreyckio Archiducum Commiſſariis collocuti, eis prædicta, vt videri volebant, vitia iterùm oſtenderunt, interrogantes, ecqua alia Approbationis vel Ratificationis formula expectari poſſit. Cùm illi nullam aliam reſpondiſſent, ſed ſi quid dubium aut intricatum occurrat, in principali tractatione explicãdum ac decidendum. Tandem re in Concilio Ordinum ac cum prædictorum Regum Legatis ac Comite Mauritio deliberata, 2. Nouembris Archiducum Commiſſariis hanc in ſententiam eſt reſponſum; Litteras illas Ratificationis in capitibus illis articulatim oſtenſis, non tantùm quoad linguam & ſtilum, verùm etiam ſubſcriptionem & ſigillationem, itemque inſertionem & omiſſionem multorum verborum, promiſſis nequaquam eſſe conformes: imò ex annexa illis clauſula, omnium etiam ſolemniter ibi promiſſorum annihilationem

Redeunt Hagam P. Naius & Verreyckius cum noua Approbatione Regis.

Declarat Rex tractandum eſſe cum eis tamquam cum Prouinciis liberis.

Tamen ſi Pax non ſuccedat, Declarationem hãc nullius fore momenti.

Cauſantur Ordines multa quoque hic ineſſe vitia.

Exponunt ea coram Deputatis Archiducum.

tionem erui ſeu exterebrari poſſe. Quamuis igitur ex hac formula non leuis Ordinibus iniectus ſit ſcrupulus, quò minùs in cœpta tractatione pergendum ſibi exiſtiment, tamen ne tam pium negotium (cuius vnicus ſcopus ſit, ab vniuerſis Belgij Prouinciis bellum tam diuturnũ tamque cruentum propulſare) impediatur, velle Ordines litteras prædictas Reipublicæ ſuæ membris, & ciuitatibus, vbi & quibus oportet, proponere, & poſt ſex hebdomadas Dominos Commiſſarios certos facere, vtrùm ad tractationem condeſcendere velint, vel minùs, cum aperta nihilominùs proteſtatione, nec iam nec deinceps quidquam admiſſuros vel acceptaturos, quod vllo modo directè vel indirectè ſępè dictę Ratificationi & Declarationi, itemque Archiducis promiſſis contraueniat aut repugnet, aut vt contraueniens & repugnans explicari poſſit. Reſponſum hoc Ordines 3. Nouembris P. Naio & Verreyckio dederunt; ſimulque petierunt num litteras Approbationis authenticas Ordinibus tradere vellent. In quo cùm aliquantulùm tergiuerſarentur, dierum aliquot ſpatium petierunt, quo P. Naius Bruxellas excurreret, Archiducum hac in re voluntatem exquiſiturus. Sic ergo 5. Nouembris iter ingreſſus, Hagam 14. eiuſdem rediit; ac poſtridie vnà cum collega Verreyckio ab Archiduce mandatum ſibi oſtendit, vt litteras Ordinibus traderent, his tamen conditionibus, vt de traditis eis documentum (quod noſtri Recepiſſe vocant) Ordines darent; eodem quoque ipſi declararent, Archiduces promiſſis hac in re ſatisfeciſſe, ac denique ſi pacis vel induciarum tractatio non procederet, earum reſtitutionem pollicerentur. Harum conditionum ſecunda & tertia Ordinibus minùs placuerunt. Nam & promiſſis nondum ab Archiducibus ſatisfactum cauſabantur, qui nullas adhuc litteras, nullámq; ſcripturam ſine Si, vel clauſula protulerint; neque vllam cauſam ſe videre, cur ad reſtitutionem eius, quod ſua natura, ſi tractatio non concludatur, inualidum ſit, obligare ſe debeant. Hîc Commiſſarij ringi, ac dicere, Nihil iniqui Archiduces petere, nec aliud ſe in mandatis habere. At cùm Ordines in ſua ſententia perſiſtere animaduerterent, rurſus dies aliquot ſibi dari petierunt, quibus idem P. Naius Bruxellas proficiſceretur, quidque Archiduces fieri vellent, exquireret. Qui cùm 17. eiuſdem Nouembris rurſum in viam ſe dediſſet, 29. eiuſdem Hagam reuerſus, ab Archiducibus mandatum ſibi renuntiauit, vt ſine vllo etiam documento (quod vocant Recepiſſe) ac ſine vlla conditione litteræ Ordinibus traderentur; tanti illis erat, tandem quoquomodò ceſſari à fundendo Chriſtiano ſanguine. Quo facto, 2. Decembris dicti Commiſſarij P. Naius & Verreyckius Haga Bruxellas reuerſi ſunt, cùm iam antè, ſcilicet 10. Nouembris, eorum qui in Haga-Comitis ab vniuerſis Prouinciarum Confœderatarum Statibus ad deliberandum ea de

1607

Denique dicunt ſe poſt ſex hebdomadas reſponſuros, ſi velint progredi.

Nihilominùs petunt ibi relinqui Approbationem authenticam.

Hinc ergò noua diſceptatio; ſaltem vt detur Recepiſſe.

Negantibus Ordinibus, petunt Archiducales ſpatium Archiducis conſulendi.

Archiduces & hoc concedunt, ne exigatur Recepiſſe.

1607 re de qua agebatur, conuocati fuerant, ſolutus erat Conuentus, & mãdatum, vt ad ſuas quiſque Prouincias & ciuitates reuerſi, earum communitatibus formulam illam Approbationis, ceteraque quæ acta erant, oſtenderent, ac rogarent, vtrùm his, aut quibus aliis conditionibus tractationem ſuſcipi vellent; acceptiſque mandatis ad 10. Decembris Hagam reuerterentur, ampliùs deliberaturi. Toto hoc anno ſeditioſi Dieſtenſes milites, de quibus egimus fine anni ſuperioris, ſolutionem ſtipendiorum importunè vrgebant; portis apertis admiſſuros ſe quotquot ad ſe conuolaſſent, minabantur, atque vbi vel vno die conſueta ſuſtentatio deficiebat, vel differebatur, idem proteſtabantur. Nec parum laborabat Denticus, qui obſidem ſe dederat, vltrò citroque ad Archiducem, ad Spinolam, ad reprimendas ipſorum inſolentias, diſcurrendo. Tandem cùm non ceſſarent, eò deuenit Archidux, vt ſolutionem ipſis intra tres menſes, qui medio Octobri expirabant, addiceret. Spinola igitur, coacta omni quæ haberi poterat pecuniæ ſumma, præoccupatis etiam Negotiatorum, quas vocant, prouiſionibus, effectoque vt Franciſcus Serra ducenta ſcutatorum millia mutuò daret, quadringenta circiter millia ſcutatorum conflauit, neceſſaria ad eam ſolutionem. Quæ quidem ſolutio cùm cõdicto tempore eſſet abſoluta, ſeditioſi illi milites, rupto, quo ſeditionis tempore vſi erant, militari ſigno, diſtributi ſunt in eas cohortes, quæ vel iam antè conſcriptæ erant, vel quas de nouo Archidux conſtituerat. Qui cùm maturiùs deinde animo pertractaſſet, grauiſſima illa diſpendia, quę tumultuantes pro ſtipendiis milites Regi ſibique intuliſſent; quamque deteſtabiles fuiſſent, præſertim vltimæ illæ duæ ſeceſſiones, cùm ſubſidium Grauiæ & Grollæ ferendum erat; quodque exercitus ita iam in eiuſmodi machinationes procliuis eſſet, vt nec ſolliciti vltrà de locis munitis, in apertis campis rebellionem inſtituerent, nec differrent dum magnæ ſummæ deberentur, ſed maxima parte eſſent minimæ; quodque vbi rationes inſtituerentur, non tanti æſtimari volebant res permultas ipſis conceſſas quanti conſtiterant; quodque (id quod multò fœdius erat) non ſolùm auxilij cauſa ad hoſtes recurriſſent, verùm etiam ijſdem variis occaſionibus, maximè ad Siluamducis ſubſidio fuiſſent, nec perpendentes eiuſmodi delictum aliàs eis fuiſſe indultum, rurſum in illud prorupiſſẽt; decreuit Archidux, accedente ſimul iudicio Spinolæ, alia via tot incommodis in poſterum occurrere. Edictum igitur 4. Decembris in hanc ſententiam publicatum eſt: Cùm neminem fugiat, quanto tempore vltima « Dieſtemienſis perduellio & ſeceſſio producta fuerit, quantiſque impen- « ſis, & oppreſſioni inſuper attenuatorum iam incolarum dederit occaſio- « nem, & iam vndequaq; eis ſatisfactum ſit, indultumque, ſicut & inpræ- « ſentiarum indulgetur; haud tamen Princeps, vel Rex teneatur alios ſub « ſignis

Inter hæc, & ſeditioſi Dieſtenſes pergunt inſolentiſſimè agere.

Tandem ſatisfit ſeditioſis; agente imprimis Spinola.

Diſtribuũtur deinde per varias cohortes.

Conſultãt Archidux & Spinola, quod porrò in poſterum contra ſeditiones remedium.

Fit Edictũ, quo ſupradicti exauctorantur, & ante 24. horas iubentur Belgio excedere.

„ ſignis habere, quàm qui placent, decretum eſt Principi diuerſas ob cau- 1607
„ ſas, maiuſque ſuum ac ſubditorum commodum, dictos perduelles ex-
„ auctorare, conſtitutumque, vt omnes ante viginti quatuor horas elapſas
„ omnibus ſuis ditionibus excedant, nec in eas vltrà redeant, niſi morte
„ mulctari velint. Iniunctum adhæc omnibus Principi quoquomodo ob-
„ noxiis, ſeu vaſallis, ſeu aliis eius miniſteriis dedicatis, vt elapſis viginti
„ quatuor horis, omnes quotquot repererint, inuadant, atque in eos vt in-
„ obedientes & in exilium miſſos omnia hoſtilia deſignent. Complures horum infelicium hominum, qui per negligẽtiam aut alia de cauſa haud obſeruarant Edictum, capti ſtatim ſuſpendio necati ſunt: alij, qui in regiones neutras confugerant, quas antè deprædationibus ſuis in ſe concitarant, eumdem finem ſortiti ſunt; pauci in Hollandiam euaſerunt. Sed iam ad tractationem pacis reuertamur. Condicto die 10. Decembris ex omnibus Prouinciis & ciuitatibus Confœderatis, quę ſuffragij ius habẽt, Delegati Hagam-Comitis confluxerant, quorum mandata ferè eò ſpectabant; Non obſtantibus, vt dicebant, Scripturæ illius approbatoriæ vitiis, tractationem ſiue de pace ſiue de diuturnis induciis, cum alterius partis Commiſſariis & Deputatis eſſe ſuſcipiendam, ſic tamen, vt fundamentum illud libertatis inconcuſſum ſeruetur, neque quidquam vel Hiſpaniarum Regi vel Archiducibus concedatur tam in ſtatu Religionis quàm Reipublicæ ſeu politiæ, quo ſupremum Prouinciarum ius & imperium minui aut deterius reddi queat. Re igitur per dies aliquot in Statuum Concilio, cui præter Comites Mauritium & Guilielmum Naſſouios, Regum quoque Franciæ, Angliæ & Daniæ Legati intererant, agitata, Ordines Confœderati per litteras 24. Decembris ſcriptas Archiduces monuerunt, ſi ita videretur, idoneos aliquot homines ad ſe Hagam ablegarent, quibuſcum, ſed repetita iterum proteſtatione quæ eſt ſuprà 2. Nouembris, ad tractationem deſcendere parati ſint. Et ſi id ita placeret, intra decimum diem cum plena poteſtate atque auctoritate, tam Hiſpaniarum Regis quàm Archiducum nomine ſuos mitterent: ſe pari numero ac poteſtate è ſuis quoque delecturos, eum in finem, vt omnis tractatio breui abſoluatur. Quoniam verò induciarum ſeu ceſſationis armorum finis ad 4. Ianuarij inſtaret, illud ſe Archiducum conſiderationi relinquere, vtrùm conſultum ſit eas in menſem, aut ſex hebdomadas prorogare, ſi quidem ad tractationem ſint deſcenſuri, in quo caſu has litteras pro expreſſo ſuo conſenſu haberi volunt, modò idem tam Hiſpaniarum Rex quàm Archiduces ſe velle, reſcripto oſtendant. Harum litterarum exemplum Ordines ad P. Naium & Verreyckium tranſmiſerunt, rogantes, vt authenticas Archiducibus exhiberent: & ſi Archiduces miſſuri aliquos eſſent, numerum eorum, nomina, & diem profectionis

Ita multi eorum capti, alij etiã à ruſticis occiſi.

Reſpondẽt tandem Ordines. Tractaretur, ſed omnino vt ſeruetur libertas.

Monentur de eo re ſponſo Archiduces; & ſi ita placet, mittant ſuos.

Quod ſi ſic proro-getur quoque ceſſatio armorum.

1607 nis ſignificare ipſis non grauarentur. Intereà præter Legatos Regum Franciæ, Magnæ Britanniæ, & Danię, quorum ſuperiùs meminimus, venerunt quoque Hagam-Comitis Legati ab Electoribus Brandeburgico & Palatino, ab illo 19. Decembris, ab hoc 29. eiuſdem.

Intereà adſunt in Hollandia & aliorum Principum Legati.

VARIA.

Summus Pontifex Venetos in gratiam recipit.

Summus Pontifex, poſito diſſidio (de quo prolixè anno præcedenti) hoc anno Venetos ab Interdicto abſoluit, & in gratiam recepit. Hoc anno quoque 30. Ianuarij ad Texellam Hollandiæ inſulam quindecim naues, pleræque frumento in Italiam portando onuſtæ, cum ducentis ferè vectoribus, & alibi quoque vi tempeſtatū non paucę aliæ perierunt. Cęſar Baronius Soranus ex Congregatione Oratorij, Cardinalis & Bibliothecarius Apoſtolicus, Annalium Eccleſiaſticorum celebris Scriptor, vltimo Iunij in Vrbe deceſſit. Inter Aloſtum & Teneramondam Flandrię oppida, in vico Meſpelaria, homo ruſticus mille quingenta ampliùs aurea numiſmata vetuſta fodiendo reperit; inſignem ſanè theſaurum, & qualis nec in media fortè Italia ſimul vſpiam erutus. Erant autem nummi pleriq; cum Marci Antonini Veri eiuſq; coniugis inſcriptionibus. Suſpicari itaque liceat (aĭt Miræus noſter) eos à Quæſtore aut alio quopiam ex Legione Romana ibi in hibernis agente, loco Scaldim inter ac Teneram fluuios muniendis hibernis commodo, defoſſos eſſe; atque eo quidem tempore relictos, quo tanta per totum orbem peſtilentia extitit, vt pęnè vſque ad internecionem Romani exercitus delerentur, vt Euſebius in Chronico anno 174. loquitur. Mortuo hoc anno Boſcaio (qui moriens Tranſiluanos & Hungaros ad Cæſaris obſequium hortabatur) Hungari diadema Cæſari Rudolpho deferunt. De eo quid factum, dicetur anno proximo.

In Flandria antiquiſſimus theſaurus effoditur, & vnde ille.

Diadema Tranſiluaniæ Cæſari defertur.

1608 Iactis præcedenti anno à P. Naio & Verreyckio, magnis laboribus, vt vidimus, futuræ tractationi fundamentis, Archidux fine Ianuarij huiuſce anni Hagam-Comitis ablegauit Ambroſium Spinolam, Ducem Sanſeuerini, Principem Sarauallę, Marchionem Venafri, Equitem Aurei velleris, & ſupremum in Belgio exercituum Ducem; cui adiuncti ſunt, Ioannes de Mancicidor, Hiſpaniarum Regi in bellicis rebus à ſecretis, Ioannes Richardottus Præſes Senatus Priuati & Statuum, R. P. Ioannes Naius, Commiſſarius Generalis Frāciſcanorum, & Ludouicus Verreyckius Audientiarius. Hi cum trecentis circiter comitibus & famulis & quadraginta curribus iter ingreſſi, & à vicinis Confœderatorum præſidiis excepti & deducti, Bredâ per glaciem Dordracum itinere facto, & inde per Roterodamum & Delfos, cùm non procul ab Haga-Comitis abeſſent, ad pagum Ryſwicum ipſis Kalend. Februarij Mauritium, Guilielmum & Henricum Naſſouios, cum ſeptuaginta circiter equitibus, & octo rhedis, obuios habuerunt. Aiunt, in primo hoc congreſſu magnam

Spinola, & collegæ ad tractationē pacis deputati.

Proficiſcūtur per glaciem Bredâ Dordracū, & inde Hagam Comitis.

in

in vtroque vultus deprehenſam fuiſſe mutationem; qui ſanè congreſſus non minus admirationis apud multos habuit, quàm Scipionis olim & Hannibalis. Mauritius prior Spinolam in hunc ſenſum Gallica lingua allocutus eſſe dicitur: Deus, qui ſolem hunc oriri facit, quique intima mearum cogitationum perſpecta habet, nouit, quàm gratus quamque optatus mihi ſit veſter conſpectus & aduentus; tempus etiam, cuius veritas eſt filia, verbis meis numquam fidem derogabit, aut mendacij argue. Ad hæc Spinola hunc fermè in modum reſpondiſſe fertur: Profectò ſpes votis meis hodie planè ſatisfecit; & certò confido, Deum mihi eã gratiam largiturum, votique compotem ita facturum, vt pro tam obuia atq; inſigni humanitate, mihi ab excellentiſſimo Principe præſtita, gratus eſſe ac paria facere poſſim. Hac peracta ſalutatione, Spinola humaniter à Mauritio rogatus, prior in Mauritij rhedam aſcendit, & à dextris eius conſedit. Has ſecuti ſunt Comes Henricus Naſſouius cum Richardotto, Guilielmus Naſſouius cum Secretario Mancicidor: P. Naium & Verreyckium Erneſtus & Ioannes Naſſouij, & iunior quidam Comes Hohenloius cum reliqua Nobilitatis turma deduxerunt. Interea Ordines Confœderati è ſuis aliquot elegerunt, qui cum Hiſpaniarum Regis & Archiducum Delegatis de pace tractarent, Guilielmum Naſſouium Friſiæ Gubernatorem, Dominum à Loen è Geldria, Dominum Walrauum Bredenrodium & Ioannem Oldenbarnefeld ex Hollandia, Dominum à Malderen ex Zelandia, Dominum Nicolaum à Berck è ditione Vltraiectina, Dominum Gilmam ex Friſia, Dominum Slotium ex Tranſiſulania, Dominum Abelem Conderum ex vrbe & agro Groningenſi, vnà cum Graphiario Concilij Status, Brokio, Syndico Dordracenſi. Primi dies vſque 5. Februarij, epulis & amicis colloquiis exacti ſunt. Primæ Actioni dies dicta eſt 6. Februarij, in qua vtrimque Commiſſiones ſeu Procurationes ſunt exhibitæ. Archiducis Procuratio ſcripta erat Bruxellis 12. Ianuarij, Hiſpaniarum verò Regis Madriti 10. eiuſdem mẽſis. In eadem Archiduci & Infanti titulus Principum Belgij tributus erat, quo libertati ſuæ præiudicium fieri Confœderati cauſabantur: additum in eadem, ſicut & nuper, ſi de iis quæ ad Religionem pertinent, ſiue aliis de rebus inter partes conuenire non poſſit, nihil per hæc Regem Hiſpaniarum ſibi præiudicatum, aut de iure ſuo diminutum quidquam velle. Et hæc clauſula Confœderatis non placuit. Archiducum Procuratio ampla erat, ſed verbis aliquoties & clauſulis, quibus itidem præiudicium ſibi fieri Confœderati querebantur, intertexta. In eadem quoque diſplicebat, quòd Procurationis Regiæ 18. Septembris ſcriptæ, non verò eius quæ nuper 10. Ianuarij expedita adferebatur, fieret mentio. Et his quidem proponendis difficultatibus Seſſio iſta fuit finita. Secunda

1608

Magno auliciſmè excipitur Spinola & ſocij.

Adeò & P. Naius Franciſcanus à tribus Comitibus deducitur.

Nomina Deputatorum ex parte Ordinum, qui cum iis agant.

Primâ Actione mandata vtrimque exhibentur, vbi multa iterùm cõtra Approbationem Regis.

Seſſio

1608 Seſſio ſeu Actio 8. Februarij celebrata eſt, in qua Spinola & Collegæ, quid in Confœderatorum Inſtrumento procuratorio deſiderarent, oſtẽderunt, ſufficiens illud ſatiſque amplum non eſſe dictitantes, vtpote in quo mentio fieret Inſtructionis, quæ tamen non proferretur. Ad hanc quæſtionem Delegati Confœderatorum ita reſponderunt, vt dicerent, ſe curaturos, vti articulatim omnia ab Ordinibus ratificentur. Tum ſuprà commemorata, quæ dicebant Hiſpanienſis & Archiducalis vitia, repetierunt. Ad quæ Spinola & Collegæ reſponderunt, plenam ſibi de his aliiſque ſtatuendi facultatem eſſe conceſſam, ac propediem, quod deeſſet, ſuppleturos. Quo in ſermone, cùm rogantibus Confœderatis, vtrùm plenam cum Vnitis Prouinciis tamquam liberis agendi haberent poteſtatem, & vtrùm pro talibus eas agnoſcerent; Se quidem non interpellaturos eas, reſponderunt, ſi vel Regni titulum vſurpare velint; interim cùm Rex ſuus & Archidux eas tamquã liberas habeant, ſe quoq; pro talibus eas habere. Replicantibus, Cur ergo dictarum Prouinciarum titulis & inſignibus ijdem adhuc vterentur? Nihil noui hoc eſſe dixerũt: ſiquidem & Hiſpaniarum Rex Ieroſolymæ, Rex Galliæ Nauarræ, Rex Magnæ Britanniæ Franciæ Regem ſe ſcribant, quorum tamen nemo Regna ea poſſidet. Quantò magis id liceat Archiduci & Infanti, quorum etiam nunc nobiliſſimæ Belgicæ Prouinciæ imperium agnoſcunt? Sperare verò ſe, vbi pax confecta fuerit, hoc quoque facilè tranſactum iri. Interim Confœderatos id à ſe rogari, vt hac in re, quantum fieri poſſit, Ordines Principum honoris & exiſtimationis habeant rationem. Ad 11. Februarij tertia habita eſt Seſſio, in qua Ordinum Delegati Articulum illum de libertate & ſuperioritate Confœderatarum Prouinciarum ita declararunt: Si Rex & Archidux verè quod pollicerentur, ipſis tribuerent, neceſſe eſſe, vti tam ſuo quàm heredum ſuorum & ſucceſſorum nomine omni ſuperioritatis iuri renuntient, & in agrum Drentanum, & territorium Lingenſe, & quæ aliis Prouinciis, quæ hodie ſub ditione Confœderatorum continentur, ſunt annexa, ſimulque à titulis & inſignibus vſurpandis abſtineant. Hunc Articulum Legati Archiducis receperunt quidem, ſpatium tamen & deliberandi, & Principis ſui ſententiam exquirendi petierunt, interim apud aliorum Regum & Principum Legatos de abrupto & præciſo, quo Articulus hic propoſitus eſſet, modo, querebantur. Nihilominùs allato Bruxellis ad 13. eiuſdem Februarij reſponſo, eodem die poſt meridiem, (quæ quarta fuit Seſſio) & in hunc Articulum Archiduces conſenſerunt; hac tamen addita exceptione, ſi de ceteris omnibus conueniret; in quibus ſperarent, Ordines viciſſim, ac præſertim in iis quę ad Indicam pertinent nauigationem, aliquid conceſſuros ac faciliores futuros. Mira hęc benignitas Archiducum, quibuſdam etiam non credita:

Secunda Actione Archiducales viciſſim quadã excipiunt contra cõmiſſionem aliorum.

Vrgẽtibus Fœderatis, an habeantur pro liberis, arguтè reſpõdetur.

Item ad hoc, Cur adhuc Archiduces vtantur inſignibus Vnitarum Prouinciarum.

Tertia Actione ſeu Seſſione diſputatur adhuc de ijſdem.

Quarta Seſſione, conſentit Archidux, hac tamen exceptione, ſi de ceteris conueniat.

dita; ſed etiam tanti voluit pacem emere. Ad 16. Februarij (quæ quinta fuit Seſſio) lex amneſtiæ promulgata fuit, vt ſcilicet omnia quæ hactenus facta eſſent, æterna obliuione ſepelirentur, neque cuiquam Repręſaliorum aut Arreſtationis (vt vocant) iure, niſi ob priuata debita, vti fas eſſet. Alterum deinde caput de negotiatione & commerciis in medium eſt prolatum, cuius hæc ſumma fuit: negotiatio vtrimque omnibus eſſet libera; omnes æquè iure defenderentur; nemo verò inſolitis oneribus & maioribus quàm ipſi indigenæ grauarétur. Hîc mox difficilis de Indica negotiatione & nauigatione orta eſt quæſtio, Regis & Archiducum Legatis poſtulantibus, vt Bataui & ſocij ab ea omnino deſiſterent; his verò acriter ſeſe opponentibus, ac rem abſurdam eſſe dictitantibus, liberis populis hac in re, quæ Iure gentium omnibus communis ſit, iugum imponi. Hac de re plures Seſſiones habitæ ſunt; Sexta, 19. Februarij; Septima, 23. Octaua, 27. eiuſdem menſis, ac demum Nona 4. Martij, in quibus nihil aliud actum eſt, quàm quòd ſuam pars vtraq; pertinaciter tuebatur ſententiam, eamque politicis rationibus ſinguli probare nitebantur. Tandem Confœderatorum Delegati tria hęc ad deliberandum Regis & Archiducum Legatis propoſuerunt: An commercium Indicum pacis beneficio Confœderatis ſimpliciter velint permittere: an verò ſub forma veluti induciarum in certos aliquot annos indulgere: an denique pace hîc conſtituta, à Tropico Cancri, Æquinoctialem verſus, cuique vires ſuas in alterutrum experiundi facultatem & libertatem concedere. Sed Regis & Archiducum Legatis nihil horum placuit. Non primum, quòd apertè mandatum ſibi dicerent, ne id concederent: non vltimum, quòd monſtroſa res ipſis videretur, cum eodem populo pacem ſimul colere, & bellum gerere: de intermedio illo, ſiue certorum annorum induciis, aliquid fortaſſe impetrari & tranſigi poſſe exiſtimabant, modò promitteret Confœderati ſe poſt conſtitutum terminum ab illa nauigatione omnino velle abſtinere. Hinc ergo Confœderati apud Regum & Principum Legatos paſſim querebantur, ſibi liberis eas conditiones vel ſeruitutes intẽtari, quas ne dominatu quidem oppreſſi accipere aut ferre poſſent. Sed multò grauiùs Regis Hiſp. & Archiducum Deputati de intoleranda Confœderatorum impotentia conquerebantur, qui Principibus ſuis non aliter quàm captiuis, quæcumque ipſi vellent, extorquere conarentur. Denique cùm aqua hîc (vt in prouerbio eſt) hæreret, Spinola & Collegę illud de Indica nauigatione ſe deliberare velle dixerunt, rogantes vt cetera interim capita proponerentur ac diſceptarentur. Poſt multas altercationes & proteſtationes, in decima Actione, quæ celebrata eſt 7. Martij, Confœderati Articulos tractandos exhibuerunt duodetriginta: Regis & Archiducum Legati ſeptem tantùm titulis ſua compre-

1608

Quinta Actione, de Negotiatione, maximè de Indica, diſputatur.

Conſumũtur in eamdem rem etiam Seſſiones 6 7. 8. & 9.

Hinc querelæ vtrimque apud Regios Legatos.

Decima Actione, ſuſpenſis controuerſis, vtrimque exhibentur capita tractandorũ.

1608 henderãt. Inter Articulos Confœderatorum decimustertius erat iſte: *De debitis & oneribus, Vnionis nomine factis, exſoluẽdis.* Archiducales verò ſextum titulũ hoc modo inſcripſerãt: *De Religione, & rebus ab ea dependentibus.* Accepti svtrimq; horum Articulorum indicibus, Archiducales, ſatis materiæ paratum ſibi videre inquiunt, ad quam explicandam multum temporis requiratur. Cùm verò illud caput, de Vnionis debitis exſoluẽdis, legeret Richardottus; Pecuniam, inquit, ad debita exſoluenda non habemus, omnis in bello eſt conſumpta. Confœderatorum Legati, cùm ſingulari quoque capite Religionis negotium includi, atque illius vnius etiam in Hiſpanica Procuratione expreſſam ac ſpecialem mentionem fieri ſcirent, caput hoc ſibi declarari petierũt. At Archiducales caput hoc vnum è poſtremis eſſe reſponderunt; ad quod vbi in Tractatione peruentum fuerit, mentem ſuam ſe explicaturos. Atque ita hic Conuentus fuit ſolutus. Poſt hęc 11. Martij vndecima celebrata eſt Seſſio, & 13. eiuſdem mẽſis Seſſio duodecima, in quarum vtraq; variè de Indica iterùm nauigatione, tum de negotiatione in Hiſpaniã, & de ſecuritate mercatoribus præſtanda, fuit diſceptatum. Poſt longam diſceptationẽ, Regis & Archiducum Legati placere ſibi inquiunt, vt Cõfœderati de his peculiare ſcriptum cõficiant, quod ipſi in Hiſpaniam & Brabãtiam ad Principes ſuos ſint miſſuri. Decima tertia Seſſione, 17. Martij habita, Confœderati, Regis & Archiducum Legatis, Actorum quæ diximus de negotiatione & ſecuritate delineationẽ exhibuerunt, quæ illi ad videndum & deliberandum, vt loquuntur vulgò, acceptarunt; ac ſimul viciſſim prolixum ſcriptum de Antuerpiæ & aliorũ ſub Archiducum imperio oppidorum negotiatione exhibuerunt: quomodo ſcilicet & quibus cum priuilegiis & libertate ea vtendum ipſi cenſerent: vt ſcilicet iis liceat plenis cum oneribus è portibus ſuis & locis ad quaſcumque Europæ regiones proficiſci, & ad eoſdem portus & loca per Confœderatorum maria & flumina ſine vllo maiori portorio aut onere, quàm antiquitus fuit vſitatum, redire. Et ad hæc vtrimq; vehementes conteſtationes ſunt interpoſitæ: demum pars vtraque ſpatium deliberandi ſumpſit. Spinola interim & Collegæ ſatis præ ſe ferebant, nihil concludi poſſe, priuſquam ex Hiſpania, quò excurrendum vni aut alteri eſſet, rediiſſent. Tum ergo induciæ, quæ exſpiraverant, in duos iterùm menſes fuerunt prolongatæ. Decima quarta Seſſio celebrata eſt 20. Martij, in qua Regis & Archiducum Legati ad Confœderatorum poſtulata de Indica nauigatione vehementer conteſtati ſunt, neque ſe poſſe ita ea in Hiſpaniam mittere: ſimul ſuam ipſi ſententiam, quid & quatenus concedi poſſe exiſtimarent, ſcripto explicarunt, ad eum ferè modum, vt ſuprà poſt 4. Martij. Tum 25. Martij, decimaquinta Seſſione de ſecuritatis cautione, qua Cõfœderati volebãt, vt

Vtrimque vnum erat quod diſplicebat; ſed pro tunc ſeponitur.

Vndecima, duodecima, & decimatertia Seſſionibus prolixè iterùm de Indica & aliis negotiationibus.

Propoſitũ, vt Antuerpienſes ſine nouo portorio quocumq; nauigent.

Hinc ergo ſpatia deliberandi vtrimque, prorogata interim ceſſatione armorum.

Decima quarta & decima quinta Seſſione rurſum nihil ferè præter altercationes.

vt Rex & Archidux in Fœderatis Prouinciis deponerẽt decies quinquies centena aureorũm millia, ipſi in Hiſpania tantùm quinquies centena millia: Regij reſponderunt inauditum eſſe in tali caſu pecuniarum cautionem pręſtari, & maximè iniquam eſſe proportionem petiti & oblati: interim, ipſorum poſtulata, ſi ita videretur, ſe in Hiſpaniam miſſuros. Inde vltimo Martij habita eſt Actio ſeu Seſſio decima ſexta, in qua illud iterùm præcipuè de Indica nauigatione multis rationibus eſt diſceptatũ. Quare Regis & Archiducum Legati Confœderatorum poſtulata in Hiſpaniam miſſuros ſe receperunt, delecto ad id onus P. Naio, qui 38. dierũ ſpatium poſtulauit. P. Naio Hiſpaniam verſus iter ingreſſo, vicinorum aliquot Principum, Cliuienſis, Colonienſis, Monaſterienſis, Legati, moræ pertæſi domum reuerſi ſunt. Nihilominùs ne nihil interea ageretur, die 20. Aprilis celebrata eſt decima ſeptima Seſſio, in qua Archiducales petierunt, noua vt Confœderati abolerent vectigalia, neque pro Saluoconductu quidquam poſtularent: ac præterea ſicut Confœderati ſuperiùs poſt 11. Februarij, poſtularãt, vti Archiduces ipſis territorium Drentanum & Lingenſe cederent, tamquam à Prouinciis, quas ipſi tenent, dependentia, ita Regij petierunt Brabantiam & Flandriam Archiduci in integrum reſtitui; in Brabantia, Bredam, Bergopzomam, cetera; in Flandria Axelam, Sluſam, & quidquid Flandriæ ſolo continetur. Hîc non ringi tantùm, ſed etiam indignari Ordinum Delegati; ac dicere, Apertè hæc cum primis illis promiſſis pugnare; quibus cautum ſit, vt pars vtraque retineat quæ iam poſſidet; parum memores, quid ipſi priores de Linga & territorio Drentano poſtulaſſent. Duplici petitione hac in Ordinum Conuentu diu multumque diſceptata, vocatis 28. Aprilis Regis & Archiducum Legatis, (quæ decima octaua fuit Seſſio) Confœderati mentẽ ſuam ita expoſuerunt: Nequaquam è re ſua eſſe, tot tamq; validis propugnaculis fines ſuos & ſtatum nudare, aut vectigalia abolere. Ad quę Archiducales reſponderunt: Velle omnino ſuos Principes, qui pacis ſint Principes non belli, vt omnia à bello introducta (qualia inprimis ſint inſueta illa vectigalia) omnino aboleantur, nec mercibus quidquam oneris imponatur, quàm quod ante annum 1566. fuerit vſitatum. Ad illud alterum; Principum ſuorum voluntatem & mentem omnino eſſe, vt prædicta illa oppida & loca ſibi reſtituantur; nihilominùs tamen ad meliùs promouendam tractationem permiſſuros, vt ea ad paucorum annorum tempus in Confœderatorum ſint poteſtate. Interea P. Naius diutiùs, quàm condictum erat, hærebat in Hiſpania: quam moram ægrè ferentibus Confœderatis, Regij variis rationibus excuſabant, ac præcipuè illa, quòd tum Rex in filio ſibi ad Regnorum ſucceſſionem deſignando valdè eſſet occupatus. Alia quoque tum res accidit, quæ Confœderatis,

1608

Decima ſexta Seſſione poſtulata Fœderatorum in Hiſp. mitti promiſſa, & profectus eò Naius.

Decima ſeptima Seſſione petunt Archiducales vtrimque integras Prouincias cedi.

Decima octaua Seſſio, in qua vtrimque replicatur.

Moleſtè ferunt longiorem P. Naij in Hiſpania moram.

1608 præter longam illam P. Naij in Hiſpania moram, varias ſuſpicionum præbuit cauſas. Ioanninus enim Francorum Regis Legatus, exeunte Aprili, Confœderatis ſignificauit, ſe à Rege ſuo vocatum, propediem iter Galliam verſus ingreſſurum. Sic ergo poſtridie Kalend. Maij Roterodamum, atque inde in Zelandiam profectus, 5. die Hagam rediit; ſiue tempeſtate qua iactatus aliquantùm fuerat territus, ſiue acceptis ibi à Rege nouis mandatis manere iuſſus. Suſpicionem valdè auxerat, quòd illis ipſis diebus Caſtillonius quoque & Bethunius, Gallorum, qui Confœderatorum ſtipendia merent, Tribuni, excurrēdi in Galliam poteſtatem flagitarant. Tam multis diſtracti Ordines, expirātibus iam iterùm induciis, variis de rebus in Conuentu ſuo deliberarunt; inprimis verò de commerciis, & eorum ſecuritate, & de bonorum confiſcatorum reſtitutione. Quò ergo maturiùs omnibus de rebus conſultari poſſet, inducias ad finē anni vſque prorogari placuit, multis etſi reclamantibus, qui eas Vnitarum Prouinciarum ſtatui perniciosiſſimas eſſe, etiam editis libellis diſceptabant. Ordines nihilominùs Archiducalibus ad 20. Maij conuentū denuntiarunt, (quę fuit decima nona Seſſio) in qua vtrimq; Articuli quidā, mutua inter Belgas commercia & confiſcata bona concernentes, fuerunt exhibiti. Qui cùm multi numero eſſent, Archiducales nō paucorum dierū deliberationem eam eſſe reſponderunt; illud verò de induciis ad finē vſque anni proferendis acceptarunt: cui tamen Confœderati illam addiderunt proteſtationem, cùm Reipublicæ ſuæ ſtatus longiorem moram ferre nō poſſet, velle omnino, vt vel in vnam vel in alteram partem omnia ante exitum Iulij expediantur. Poſthæc Verreyckius 21. Maij Bruxellas redeundi facultatem impetrauit, vt Archiducum ſententiam, vt dicebat, accuratiùs exquireret. Quo non multos poſt dies reuerſo, 6. Iunij (fuit ea vigeſima Seſſio) vtriuſque partis Delegati iterùm conuenerunt, & de finibus ſeu limitibus iterùm variè diſputarunt. Nec pigeat Lectorem diſceptationes tam varias toties audire; intereſt enim credo poſteritatis, vti meminerit, quāti tantillæ etiam iſtæ induciæ, quæ ſecutæ ſunt, cōſtiterint. Archiducales, cùm illud de Flandriæ & Brabantiæ oppidis & Arcibus reddendis, iniquiſſimis animis acceptū priùs cognouiſſent, rem ita tēperarunt, vti penes Confœderatos ſuprema quidem iuriſdictio in oppida illa Flandriæ & Brabantiæ maneret (eamdem etiā Archiduces in Lingam, Oldenzaliam & Grollam retinerent,) at pagi, villę, & agri circumiacētes Archiducum parerent imperio, quo ſimili iure etiam Confœderatis in pagos Lingæ, Oldenzalię & Grollæ annexos cedere parati eſſent. Cùm deinde ventum eſſet ad alterum illud caput, De reſtitutione bonorum ablatorum, æquum eſſe Archiducales dicebant, vti bona omnia vtrimque reſtituerentur: nec igitur deteriorem quoque debere

Legatus primarius Franciæ dicit ſe à Rege ſuo vocatum; hinc varia ſuſpicio.

Decima nona Seſſione de bonis confiſcatis, & iterùm de cōmerciis.

Volentibus Ordinibus omnia ante finem Iulij abſolui, Verreyckius Archiduces conſulit.

Vigeſima Seſſione vrgent Archiducales, Archiducibus non minùs ſuā, quàm cuiq; priuato reddenda.

bere eſſe ipſorum Principum hac in re, quàm alicuius priuati, conditionem, iiſq; omnia proinde dominia quæ vocant, ſiue patrimoniales redditus eſſe reſtituendos. Hîc Confœderati apud Archiducales apertè profeſſi ſunt, cùm animaduertant eiuſmodi poſtulatis omnem porrò Actionem infructuoſam reddi, malle ſe, vt quantocyùs ea abrumpatur. Archiducum Legati ſeriò hęc à Confœderatis dici intelligentes, diſtinctionem quamdam Dominiorum in Noua & Vetera adhibuerunt, & Vetera quidem Iuriſdictioni annexa manerent, Noua verò reſtituerentur; Noua appellantes, quæ Belgij Principes priuatis nominibus acquiſiuiſſent, quæque ita acquiſita certis documentis comprobari poſſint. Hîc Confœderati tam ſolemni Tractatui nihil dubium inferendum dicebant, quòd neſcirent, vtrùm integras etiam regiones & territoria hoc nomine comprehẽdi vellent; & ſic finita eſt hæc Seſſio. Seſſione vigeſima prima, quę fuit 10. Iunij, nihil aliud actum, quàm quòd Archiducales ſupremum illud imperium in territoria prædictorum oppidorum, itemq; Nouorum Dominiorum reſtitutionem vrgerent, Confœderati verò neutrum à ſe concedi poſſe dicerent. His igitur vltrò citroque replicatis, de ceteris quæ diſcutienda reſtabant, ac nominatim de Religione, vtraq; pars alterius ſententiam ſummariè exquiſiuit: ſed neutra ſe aperuit, niſi quantum in pręcedentibus, poſt 7. Martij; ſcilicet Confœderatis nihil hîc ſibi, vt liberis, pręſcribi velle proteſtantibus, Archiducalibus articulũ ſuum illum inter poſtremos à ſe poſitum eſſe dicentibus, ſuo ergo loco diſputandum. Et iiſdem ferè diſputationibus Seſſiones vigeſima ſecunda & vigeſima tertia, die 13. & 14. Iunij habitæ, tranſactæ ſunt. Et Confœderati tum quidem apertè præ ſe tulerunt, non poſſe ſe vlteriorẽ moram ferre; ſciſcitati denique ſunt ex Archiducalibus, vtrùm exiſtimarent Principum ſuorum intẽtionem eſſe, quidquam certi ac firmi in hac Tractatione cõcludere. Affirmantibus Archiducalibus, alia ſub deliberationẽ Confœderati proponunt; inter quæ & illud, vt peregrini milites exauctorati è Belgio educerentur. Tum Archiducales, nihil à ſe hac in re Ordines poſtulare poſſe reſpondetũt, ad quod viciſſim ſeſe non obſtringãt. Sic quoque tum infecta ferè re omni fuit diſceſſum. Poſteà verò 17. eiuſdem Iunij Verreyckius Confœderatis expoſuit, Bruxellas ſibi excurrendum. Poſtridie quoque Præſes Ioanninus, Francorum Regis Legatus, ab Rege ſuo domum ſe reuocatum Ordinibus dixit, ſtatimque iter ingreſſus eſt: vnde variæ paſſim ſuſpiciones ſunt natæ, quas valdè auxit poſt paucos dies Petri Toletani Legati Regis Hiſpaniarum in Franciam aduentus. Delegati interim 25. Iunij (quæ fuit vigeſima quarta Seſſio) nihilominùs in cœpta Tractatione progredi viſi ſunt; in qua actum fuit de priuilegiis oppidorum, terrarum, & Collegiorum mutuò conſeruandis:

1608

Indigniſſimè hoc ferunt Fœderati.

Vigeſima prima Seſſione, perſiſtũt vtrique: deinde de Religione obiter quæſitum.

Vigeſima ſecunda & vigeſima tertia Actiones iſdẽ diſputationibus impediuntur.

Tum obiter propoſitur, & reſpondetur, de extraneo milite ablegando.

Vigeſima quarta Seſſio ſimiliter inter varias altercationes.

1608 Vt Magiſtratuum electio in ſupradictis illis Flandriæ & Brabantiæ oppidis, quæ Archiducibus reſtituerentur, proximo decennio adhuc penes Confœderatos eſſet. Vt Archidux pacificationis Acta à quatuor Prælatis, quatuor Baronibus, & quatuor Brabantiæ & Flandriæ oppidis approbari & rata haberi curaret; qui, ſi Archidux contra contractum quidquam attentaret, opponere ſe, & alteri parti auxilium præſtare teneantur. Vt ſi pax fortè infringeretur, ſubditis vtrimque ſemeſtre ſpatiũ concedatur, quo intereà de rebus ſuis diſponere, & ad tuta commeare poſſent. Hæc Confœderati. Verùm cùm omnia à præcipuo huius Actionis ſcopo longè adhuc abeſſent, nihil certi de his fuit concluſum. Ipſis Kalendis Iulij (in vigeſimo quinto Delegatorum congreſſu, ſeu Seſſione) Religionis cauſa fuit propoſita, & à Confœderatis Articuli quidam ſunt exhibiti, quomodo ſcilicet ſubditi vtrimque ad illa loca, vbi alia viget Religio, commeantes ſeſe gerere debeant. Eorum ſumma eò pertinebat, vt Belgis Confœderatis ijſdem, quod ad hanc rem, priuilegiis & libertatibus vti liceret, quibus Angli in Hiſpania vtuntur, ex vi Pacificatorij Decreti cum Anglis facti. Cùm hac in re quidquam Regij concedere ſe poſſe dicerent, ante P. Naij ex Hiſpania reditum, Confœderati iterùm palàm proteſtabantur, clàm verò ringebantur, atque æſtuabant, intentis maximè in Franciæ Regem animis, cum quo Hiſpaniarum Regem occulta tum conſilia tractare metuebant. Et ecce, dum inter ſpem & metum, quem tandem exitum habitura eſſet inſtituta hæc pacis tractatio, omnium fluctuant animi, certo è Gallia adfertur nuntio, prędictum Petrum Toletanum 19. Iulij Pariſios veniſſe, nec in eius tamen comitatu P. Naium, quem omnes tam cupidè exſpectabãt, comparere. Quocircà Ordines Confœderati de abrumpenda Tractatione conſilium ceperũt: quod vbi Archiducales cognouerunt, rogarunt eos, vt aliquantuli tẽporis moram adhuc patienter ferrent, tardè in Aula Hiſpanienſi omnia pro more expediri cauſati, ſimul vt Actionis continuatio in ſex ſeptimanas prolongaretur, quibus intereà forſan controuerſa aliqua explicari poſſint; cùm iam Daniæ Regis Legatus tractationis huiuſcemodi pertęſus omnino abire cõſtituit, quamuis tam Archiducales quàm Confœderati omnibus modis ei perſuadere conarẽtur, vt aliquãtiſper adhuc exſpectaret. At ille abire certus, 31. Iulij Confœderatis, ſequẽti deinde die, Kal. Auguſti, Regiis valedixit; inter alia (vt fertur) hæc effatus, Multorum ſermonibus ſe olim Hiſpanicam audiuiſſe celebrari patientiam; & fateri quidem, eam ſua maiorem eſſe; ſtatimque poſtero die 2. Auguſti conuaſatis ſuis rebus iter eſt ingreſſus. Paulò pòſt, ſcilicet 14. Auguſti, Hagam-Comitis rediit Ioanninus Franciæ Regis Legatus, qui die 18. eiuſdem Auguſti in Ordinum Conuentu, quòd Regi ſuo Confœderatorum ſalus

Inter cetera, Si pax infringatur, ſaltem ſemeſtre ſpatium ſingulis concedatur.

Vigeſima-quinta Seſſione petitum, vt Batani quoad Religionem tolerentur in Hiſpania, ſicut Angli.

P. Naio nõ redeunte, Fœderati abrumpere volũt omnem Actionem.

Excuſant Archiducales; nihilominùs Legatus Daniæ diſcedit.

cordi

cordi vnicè eſſet, expoſuit. Ioannino deinde & aliorum Principum Legatis Actionis progreſſum & finem vrgentibus, die 20. Auguſti habita eſt Seſſio vigeſima ſexta, in qua præcipua illa de Libertate, Religione, Indico commercio, & limitibus, in medium iterùm fuere propoſita. De primo rogati Archiducales, ſe iam à Principibus & Dominis ſuis mandata accepiſſe reſponderunt, hanc quidem in ſententiam: Paratos eſſe tam Regem Hiſpaniarum quàm Archiduces iuri ſuo, ſiue ſummo imperio (*Souuerainetè* Galli vocant) in Confœderatas Prouincias renuntiare; ſed eius loco duo hæc à Confœderatis poſtulare. Primum, vt vbique in ipſarum ditione Romanæ Catholicæ Religionis vſum & exercitium reſtituant: Alterum, vt ab Indica, tam Orientali quàm Occidentali, omnino abſtineant nauigatione. Ad cetera capita quod attinet, ſe putare ea à ſe conceſſa, vt plus abs ſe poſtulari non poſſit. Perſiſtentibus hac in ſententia Archiducalibus, Confœderatorum Delegati rem omnem ad Generalium Ordinum Conuentum detulerunt; qui, collatis etiam cum Franciæ & Magnæ Britanniæ Regum, & Palatini, Brandeburgenſis, & Lantgrauij Legatis conſiliis, die 23. Auguſti decreuerunt, Actionem abrumpendam eſſe; eiuſque Decreti exemplar (in quo omnia Acta præcedentia pro ſe interpretabãtur) 25. Auguſti ſignatum, Archiducalibus tradiderũt: qui cùm ſe illud lecturos, atq; inde conſilium capturos reſpondiſſent; vbi omnem actionem eo abrumpi viderũt, grauiter de Ordinum decreto apud Regum & Principũ Legatos conqueſti ſunt. Quare 27. Auguſti, dicti omnes Legati, qui Pacis tractationi velut ſequeſtri interfuerant, in Ordinum Conuentu comparentes, expoſuerunt, ſe quidem ad hoc munus à Principibus & Dominis ſuis delectos, in promouendo Pacis negotio, omnem quam potuerint operam collocaſſe, bona quidem cum ſpe, ſed ſiniſtro, quantum videtur, euentu. Ceterùm cùm ſibi à Dominis ſuis mandatum ſit, vt ſi Pax confici non poſſet, ad inducias ſaltem faciendas partem vtramque inducant, monitos velle Ordines, vt ſi eæ ab aduerſa parte impetrari poſſint cum Vnitarum Prouinciarum commodo, eas non aſpernarentur, his nimirum conditionibus; Vt eæ inducíæ cum Confœderatis Ordinibus fierent tamquam cum liberis Statibus. Tum vt in Indiam, Hiſpaniam & omnia Archiducum loca tuta eis ſint commercia. Vt quæ iam tenent, omnia retineant. Licet autẽ valdè verendũ ſit, ne Hiſpaniarum Rex & Archiduces hęc omnia permittãt, ſuadere ſe tamen Ordinibus, vt eam tractationem nõ reſpuant: ſic enim cauſam ipſorum, ſi bellum iterùm gerendum ſit, iuſtiorem viſum iri. Inde ad Archiducales Delegatos ijdem profecti, ijſdem idem de induciarum tractatione conſilium dederunt; de quo tam hi quàm illi deliberaturos ſeſe reſpõderunt. Poſt varias cõſultationes Ordines Confœderati 30. Auguſti,

1608

Legato Franciæ reuerſo, celebratur 26. Seſſio.

Poſtulata duo; Primũ, Religio vbique reſtituatur. Secundum, ab India omnino abſtineatur.

Fœderati decernunt omnem Actionem abrumpendam.

Archiducalibus de hoc apud Legatos conqueſtis, inſtant illi, ſaltem de induciis agatur.

Multis hoc rationibus Legati vtriſque ſuadent.

1608 prædictis Legatis hanc in ſententiam reſponderunt: Vt de multorum annorum induciis agatur, conſentire ſe, ijs conditionibus quas Legati ſuprà propoſuiſſent, ita tamen, vt ſimpliciter & abſolutè ipſorum Status liber & ſui iuris pronuntietur, neq; poſteà, ceſſantibus induciis, eorũ libertas in dubium reuocetur. Sed Archiducum Delegati 3. Septembris iiſdẽ Legatis reſponſi loco declararunt, ſe nihil de faciendis ſub hac conditione induciis in mandatis habere; ceterùm Legatorum hoc poſtulatum Bruxellas miſiſſe, ac intra quatriduum inde reſponſum exſpectare. Quo ad 7. Septembris accepto, duobus ſequentibus diebus aliquoties cum prædictis Legatis congreſſi, Principum ſuorum mentem aut conſilium nequaquam eſſe reſponderunt, ſub his conditionibus cum Vnitis Prouinciis facere inducias; ab Archiduce nihilominùs induciarum illam formulam ad Hiſpaniarum Regem miſſam, ac ſperare ante exitum Septembris reſponſum accepturos. Interim, ſi Confœderatis Ordinibus placeat, paratos ſe eſſe cum ipſis iam factas inducias in ſeptẽ annos prorogare. Quod autem ad Indica & Hiſpanica commercia attinet, effecturos Archiduces, vt gratioſè omnia conſtituantur; ſed ſperare ſe viciſſim, Ordines quoque pari modeſtia vſuros. Reſponſum hoc Archiducalium, Legati prædicti eodẽ die ad Ordines retulerunt, addentes prẽterea, quandoquidem exiſtimarent Confœderatis hæc non magnopere placitura, rogare ſe, vt ſaltem Delegatis alterius partis ad exitum vſque Septembris ibi manere liceret; quod conceſſum eſt 13. Septembris, hoc tamen addito, vt ſi intra hoc tempus ijdem pleniora mandata non acciperent, ad diſceſſum ſeſe compararent. Quocircà, fruſtrà adhuc ſemel 25. eiuſdem menſis tentatis Regum & Principũ Legatis, Archiducales iam conuaſare res ſuas, & impedimẽta prẽmittere cœperunt, conductis nauigiis, & petitis ab Ordinibus Salui-conductus Willebroucum vſq; litteris. Et 28. quidẽ Septembris Mauritio Comiti ac Orangienſis Principis viduæ; poſtridie verò omnibus Regum & Principum Legatis valedixerunt. Tandem vltimo Septembris Spinola, Richardottus & Mancicidor in Ordinum Conuentum venerunt; vbi Richardottus multa de ſinceritate Regis & Archiducum in hoc omni negotio proteſtatus, multa etiam de Ordinum præciſis reſolutionibus conqueſtus, grauibus verbis eos monuit, vt diligenter, quid iam ipſis oblatum eſſet, conſiderarent, nec tam prẽfractè reijcerent, quod fruſtrà olim forſan eſſent requiſituri. Quòd ſi iterùm bello dederint cauſam, omnem ſanguinem, qui in eo poſthac effundetur, ipſis imputatum iri. Ad hęc Ordines omnia in Regem & Archiduces retorquendo reſpondebant. Inde Spinola paucis verbis ſuam quoq; ſinceram intentionem expoſuit, quam videat nunc magno cum dolore impediri. Denique cum cęrimoniis aulicis ſalutatis omnibus, ſumptoq;

Sed heus! Fœderati ante omnia volunt liberi decerni. Archiducales negant.

Interim pati Archiducem dicunt, vt inducia, quæ nunc ſunt, in ſeptennium prolongentur.

Tandem Fœderati vix patiũtur, vt vſque ad finẽ Septembris Archiducales ibi maneant.

Archiducales multa proteſtati ad abitum ſe parant.

Nihilominùs cum cęrimoniis Aulicis deducuntur.

apud

apud Comitem Mauritium prandio, poſt meridiem in viam ſeſe dederunt. Spinola ſanè diſceſſurus magna liberalitate omnes, ac præſertim domeſticos in diuerſorio proſecutus eſt, erogatis circiter quinque florenorum millibus. Comitatus eſt eos Mauritius Rijſwijcum vſque, at eius frater Henricus Naſſouius ad portum Delphenſem vſque; vbi conſcenſa Mauritij celoce, & aliis ad ipſorum vſum conductis nauigiis, vnà cum Domino Liranoo Willemſtadij Gubernatore, & Duuenuordio Hollandiæ Admiralio, Dordracum pręteruecti, 2. Octobris ſæua iactati tempeſtate manè Lilloum appulerunt. Hîc cùm ad ſuos Liranus & Duuenuordius reuerti vellent, ac Delegatis valedixiſſent, ab iiſdem rogati ſunt, vt Antuerpiam vnà proficiſcerentur. Intereà ſpe pacis præciſa, Regum & Principum tamen Legati, ſed Galli inprimis & Angli, de induciis faciendis conſilium Ordinibus rurſum propoſuerunt. At Zelandi & Amſtelerodamenſes omnem etiam induciarum mentionem præfractè reiecerunt, quibus quoque Enchuſiani & Hornani ſe poſteà adiunxerunt. Interim vulgus vtrobiq; tam in Vnitis quàm aliis Prouinciis inter ſpem & metum adhuc pendebat. Et Ioanninus quidem Francorum Regis Orator cum Delegatis quibuſdam aliis Bruxellas quoque ipſe excurrit. Ibi propoſitæ ſunt aliquę cõditiones, & in Hiſpaniam ipſo adhuc menſe Octobri per P. Inigum de Briſola Archiducis Confeſſarium tranſmiſſæ. Interim vulgò iactatur, Hiſpaniarum Regem, nuper appulſæ Indicę claſſis fretum opibus, multa millia militum conducere, hinc Confœderatos econtrà præter terreſtrem exercitum etiam trecentarum nauium claſſem armare; induciæ nihilominùs de menſe in menſem vtriuſque partis conſenſu prolongantur.

1608

Redeunt Spinola & ſocij in Brabantiam.

Nihilominùs Legati Franciæ & Angliæ adhuc inſtant pro induciis.

Ianuario menſe acerrimum gelu fuit, adeò vt Scaldis ad Antuerpiam glacie conſtrictus multa hominum millia in oppoſitum Flandriæ littus 10. die eius menſis & ſequentibus gregatim tranſmiſerit. Hugo Oneal Hibernus, Comes Tyronenſis, rebus aduerſus Anglos bello in Hibernia geſtis notus, ſibi ab iiſdem metuens, cum vxore ac familia ſeſe ex ea inſula ſubduxit, Romamque veniens à Paulo V. Pontifice perbenignè exceptus eſt. Sub idem tempus Antonius Emmanuel, Vunthi Marchio, à Rege Congi Romam ad eumdem Pontificem, obedientiæ præſtandæ cauſa miſſus Legatus, ibidem paucis poſt aduentum diebus obiit, in baſilica S. Mariæ Maioris conditus. Eodem hoc anno Vincentius Mantuæ Dux Ordinem Equitum inſtituit, in memoriam ſacratiſſimi Sanguinis Chriſti, Paulo V. Pontifice approbante. Idem Dux, cùm aquis Spadanis valetudinem curaſſe videretur, ſalutatis Bruxellæ Archiducibus, 6. Septembris in Hollandiam tranſmiſit, & plures ibi vrbes, à Dordraco Amſtelodamum & Harlemum vſque, luſtrauit; ſed curſim, ita vt die 13. eiuſdem

VARIA.

Comes Tyronius Hibernus benignè à Papa Romæ excipitur.

Dux Mantuæ Belgiũ in tranſitu videt.

1608 dem Septembris cum Mauritij celoce in Brabantiam reuerſus ſit. In Hungaria Archidux Matthias Rudolphi Cæſaris frater Heiduccos, Danubij ripam vtrãmque incolentes, Poſſonij Comitiis habitis rebellantes reprimit, inito nouo fœdere cum Hungaris & Auſtriæ Proceribus. Cæſar hoc in deteriorem partem interpretatus armatur in fratrem; tandem pax conſtituta eſt opera Dietrichſteinij Cardinalis. Hę conditiones latæ: Cęſar Rudolphus Tyrolenſem Comitatum & adiacentes Prouincias recipiet; Matthias Auſtriæ Præfecturam, idemq; Hungariæ Rex inaugurandus erit, & Boëmiæ heres, ſi Rodolphus ſine maſcula prole herede diem clauſerit. Matthię Hungarica inauguratio, peracta anno ſequente. Sexto Septembris Palatini Electoris Legati, qui Pacificatoriæ tractationi in Haga-Comitis interfuerant, Coloniam ingreſſi, inde ad ſuos redierunt, Brandeburgici Legato Duſſeldorpij digreſſo.

Cæſar acta fratris ſiniſtrè interpretatur, ſed mox pax coit.

Legati Palatini & Brandeburgenſis ad ſuos ex Hollandia redeunt.

1609 Hoc anno 9. Februarij iterùm Ioanninus, Regis Franciæ Legatus, eiuſq; collegæ, ſimulq; Magnæ Britanniæ Regis Legati Antuerpiam venerunt, quò itidem Spinola, Richardottus & Verreyckius venerant, de conditionibus induciarum extremùm diſceptaturi, eo euentu, vt ineunte Martio, inſtantiſſima dictorum Legatorum Regiorum diligentia & induſtria plerique ea iam induciarum iacta fundamenta exiſtimarent, vt de felici progreſſu vix dubitari poſſit. Quare, reuerſis in Hollandiam ijſdem Legatis, cùm de iis quæ Antuerpiæ acta eſſent, in Ordinum Conuentu 14. Martij retuliſſent, effecerũt, vt Comitia Ordinum die 22. Martij Bergopzomi celebrarentur, vbi Deputati ſunt ex ijs infrà nominandi, cum ampliſſima poteſtate conueniendi & tranſigendi de longi temporis induciis, prout ex commodo Reip. fore iudicarent. Locus colloquio ſeu tractationi deſtinatus Antuerpia. Quò cùm rediiſſent 23. Martij dicti Regum Franciæ & Magnæ Britanniæ Legati, poſt biduum, hoc eſt die 25. eiuſdẽ menſis, eò quoq; venerunt ab Ordinibus Confœderatis Deputati, mox nominandi. Qui cùm aliquoties cum Regis Hiſpaniarum & Archiducum Legatis in Curiam ſeu domum Senatoriam conueniſſent, tandem 9. Aprilis in eam quæ ſequitur formam inducias pepigerunt:

Extremùm de induciis Antuerpiæ diſceptatur.

Præeuntibus Franciæ & Angliæ Legatis, veniũt & Fœderati Antuerpiam.

NOTVM ſit omnibus. Cùm initis primùm induciis ſeu intermiſſione armorum 24. Aprilis anni 1607. in mẽſes octo à Sereniſſ. Principibus Archiducibus Alberto & Iſabella Clara Eugenia, cum Ordinibus Generalibus Prouinciarum Fœderatarum Belgij, iiſdemque ſæpiùs protractis, ac demum ad finem anni proximè ſequentis 1608. continuatis, pluries ſed fruſtrà de pace eſſet actum, ac deinde Chriſtianiſſimi Franciæ, & Magnæ Britanniæ Regum Legati diuturnas inducias propoſuiſſent, certis conditionibus firmandas, ſcriptoque contentas in manum dato vtriq; parti, multa cum prece & ſuaſione, vt iis vtriq; acquieſcerẽt: tandem

Tandem inducię in 12. annos cõſtituuntur.

„ tandem hac die 9. Aprilis anni 1609. conuenientes Antuerpiæ D. Am- 1609
„ broſius Spinola, Marchio à Benaffro, Eques Ordinis Velleris aurei, & *Nomina Deputatorum ex parte Regis Hiſp. & Archiducum.*
„ Conſiliarius aulicus & Caſtrenſis Regis Catholici, Duxq; vniuerſi eius
„ exercitus; D. Ioannes Richardottus, Eques, Dominúſq; in Barly, Conſi-
„ liarius Status, & ſupremus Secreti Concilij apud Archiduces Præſes;
„ Ioannes Mancicidor, bellicus Conſiliarius & Secretarius Regię Maieſta-
„ tis; R. P. Ioannes Naius, Generalis Commiſſarius Ordinis S. Franciſci in
„ Belgio; & Ludouicus Verreyckius Eques, Audientiarius, & primarius
„ Archiducum Secretarius, ex parte Regis Catholici, dictorúmque Archi-
„ chiducum: ex parte verò Ordinum Confœderatarum Prouinciarum *Deputati ex parte Ordinum Prouinciarum Vnitarum.*
„ D. Guilielmus Ludouicus Comes à Naſſau, &c. D. à Bilſtem, Prefectus
„ Friſiæ, Groningæ, &c. D. Walradus, D. de Brederode, Vianen, Viceco-
„ mes de Vtrecht; D. Ameidem, Cloetingen, &c. D. Cornelius à Gend,
„ D. in Louen, & Meyniſwick, Vicecomes & Iudex Imperij vrbiſq; Neo-
„ magi; D. Ioannes ab Oldenbarneuelt, Eques, D. in Tempel, Roden-
„ rijs, &c. Aduocatus & Cuſtos Sigilli, & Chartophylax Hollandiæ &
„ Weſtfriſiæ; Iacobus à Maldre, Eques, D. in Heyes, nobilitatem Zelan-
„ diæ repræſentans, & conſiliarius Statuum ibidem; Gerardus de Reneſ-
„ ſe, D. ab A. Streefkercken, Nieuleckerlandt, &c. Gellius Hillama I. V. D.
„ Conſiliarius Friſiæ; Ioannes Sloot, D. in Sallick, Satrapa dominij Vol-
„ lenhoo, & Caſtellanus in Kunder; Abel Conders ab Helpen, D. in Fan
„ & Cantes, Conſiliarius Groningenſis, &c. Hi, inquam, conuenientes
„ cum diligenti interceſſione & Conſilio infraſcriptorum Regiorum Le-
„ gatorum D. Petri Ieannin, Equitis, Baronis à Chagny & Montieu, Con- *Nomina Legatorũ Regum Franciæ & Angliæ.*
„ ſiliarij Regis Chriſtianiſſimi, Præſidis, & Legati extra ordinem apud
„ Ordines Confœderatos; & Eliæ de la Place, D. in Ruſly, Vicecomitis de
„ Michault, Camerarij eiuſdem Regis, & Præfecti in Vitry, ordinarij Re-
„ gis ad eoſdem Ordines Legati; nec non Magnæ Britanniæ Regis Lega-
„ torum Richardi Spenſeri Baronis in Wormeleython, &c. Magnæ Bri-
„ tanniæ Regi à Camera & Conſilijs, & Rudolphi Viniuodi, Equitis, ad
„ Confœderatos Ordines iam dicti Regis Legati ordinarij, pro induciis
inuicem acquieuerunt, his conditionibus ſequentibus:

I. Sereniſſimi Archiduces profitentur, tum ſuo tum Regis Catholici *Tranſigitur cum Fœderatis ſub qualitate, & tãquam liberos eos agnoſcẽdo.*
nomine, ſe paratos agere cum Ordinibus Generalibus Prouinciarum
Fœderatarum, ſub qualitate, & tamquam eas liberas agnoſcentes, in quas
nullum dominij ius prætendant, & cum iis inducias tranſigere, ijſdem
nominibus & qualitate, vti his præſentibus ſcriptis tranſigunt in hunc
modum.

II. Videlicet, has ipſas inducias fore firmas atque ſinceras in annos
duodecim; quibus omnis hoſtilis actio, cuiuſcumque ſit rationis, cohi-
bebi-

1609 bebitur à Rege Catholico, Archiducibus, & viciſſim Ordinibus Generalibus, ſiue mari ac fluuiis ſiue terra, in quouis Regno ac ditione ipſorum, inter ſubditos cuiuſcumque conditionis, nec loco nec perſonis exceptis.

Quodquiſque tenet, id durantibus inducijs tenebit.

III. Vtraque pars in poſſeſſione firma permanebit terrarum, vrbium, locorum ac ditionum, quibus inpræſentiarum fruitur; ita vt nihil impedimenti ſibi mutuò ſit allatura toto tempore induciarum. Quo genere continentur etiam pagi, municipia, Arces, ijſque adiuncti agri ſeu fundi.

Commercia erunt libera in omnibus partibus Europæ; extra, cum reſtrictione.

IV. Incolæ ſubditiſque Regis Catholici, Sereniſſ. Archiducum, & Ordinum, mutua inter ſe amicitia & familiaritate fruentur; nulluſq; erit prę-teritarum offenſarum, acceptorúmque damnorum ſenſus, & amarior recordatio. Liberum etiam erit commorari in vtriuſque partis Prouinciis, & commercia tutò exercere. Quod tamen Rex Catholicus intra certos limites reſtringit; Regna nimirum ac ditiones in Europa ſitas, aliáq; loca maritima, in quibus Regum Principúmque amicorum & fœderatorum ſubditi verſantur, & commercium agunt. In portibus verò, lociſq; extra hos limites conſtitutis non licebit ipſis Ordinibus eorúmve ſubditis commercium agere, niſi à Rege Catholico fuerit conceſſum. Poterunt tamen negotiari, ſi volent, in aliorum Principum, Dominorum, populorúmve etiam extra eoſdem limites Prouinciis, quibus id erit gratum; neque ipſe Rex eiúſve Magiſtratus aut ſubditi, quiſque ei ſunt addicti, hac de cauſa vllum impedimentum afferent, perſuaſis in contrarium Principibus, Dominis, populíſve, qui hanc eis dederint facultatem. Quod intelligitur tum de ſubditis Ordinum, tum de ſociis quibuſcum commercium exercebunt.

Hoſtilitas tamen omnis etiam in remotiſſimis locis ceſſabit, ſaltem poſt annum.

V. Et quoniam longiore temporis ſpatio eſt opus, vt moneri poſſint hoſtiles deponere animos, qui citra hos limites vias obſident nauibus armiſque inſtructi, ſtatuitur, intra annum tantùm inducias ijs in locis robur habituras; ſi tamen priùs nuntij induciarum eò peruenerint, ſtatim omnis hoſtilis vexatio reprimetur; ſed exacto anni curriculo, ſi quid hoſtiliter actum ſit, damna ilicò reparabuntur.

Neutri in aliorum terris maiora tributa ſoluent, quàm ſubditi.

VI. Prouinciarum Regis Catholici, Sereniſſ. Archiducum, & Ordinum ſubditis tributum vtrimque maius non imperabitur cauſa commercij mutuis in terris, quàm ipſiſmet locorum incolis, & amicorum ac fœderatorum ſubditis.

Gaudebũt Hollandi etiam Articulis ſecretis Anglicanis, quos infrà lege.

VII. Erit etiam ijſdem incolis ac ſubditis Ordinum eadem libertas ac ſecuritas in terris Catholici Regis & Archiducum, quæ conceſſa eſt Regis maioris Britanniæ ſubditis, poſtremo Pacis fœdere, & conditionibus arcanis cum Præfecto equitum Caſtiliæ tranſactis.

VIII. Nefas erit mercatores, naucleros, ſocios nauales, eorum naues, onera,

onera, merces, ceteramq; ſupellectilem apprehendere, occupare, ſiue vi Edicti cuiuſdam generalis aut ſpecialis, aliáve de cauſa, etiam bellica, ne quidem obtentu defenſionis publicæ vtilitatis ſuæ regionis. Hinc tamen non prohibentur communes iuris ac iuſtitiæ actiones, detentioneſque, legum vſitato more ſeruato, debitorum cauſa, conuentorum, tabularum; in quo ratio æqui iuxta leges ſeruetur. 1609

IX. Quod attinet ad commercia Prouinciarum Belgicarum & tributorum, quæ ratione mercium imperantur, ſi quid graue in poſterum deprehendatur, & incommoda ex eo naſcantur, expoſitis hinc inde rationibus, decernantur arbitri, qui communi conſenſu & iudicio modum rei ſtatuant quantum fieri poterit; ita tamen vt nihil in Inducias damni redundet, etiamſi ſuper his rectè inter ſe non conuenirent. *Si incommoda deprehendantur, decernent Arbitri; necpropterea Inducia violabuntur.*

X. Si quæ pronuntiata fuerint in homines diuerſarum partium iudicia & decreta, quibus nullius patrocinium interceſſit ſeu præſtò fuit, ſiue de ciuilibus ſiue capitalibus agatur, circa ipſos reos aut eorum fortunas tempore Induciarum effectum nullum ſortiantur.

XI. Ius pignorandi nulli conceditur Induciarum tempore, niſi cauſa cognita, & pro re nata, cùm ſcilicet per leges Imperiales, modoque ab ijs præſcripto licet.

XII. Ad portus appellere, ingredi, moram facere cum nauibus bellicis aut milite non licebit, nec in plagis ac littoribus vtriuſuis ditionis commorari, ita vt inde ſuſpicio metúſve poſſit oboriri, niſi annuente loci Præfecto. Quòd ſi fortè tempeſtas ac procella in has oras impuliſſet, aut quædam neceſſitas, vitandi cauſa periculi, toleretur. *Alterutris non annuentibus, non licebit circa portus armatas naues habere.*

XIII. Quorum bona occupata, publicata, proſcripta belli cauſâ fuerunt, ijdem, vel heredes, vel quorum intereſt, repetent eam hereditatem auctoritate propria; eaq; fruentur Induciarum tempore, vi præſentis pacti, etiam nulla formula Iuris adhibita, etiamſi huiuſmodi bona Fiſco addicta, oppignorata, donata reipſa fuerint, & conuentus pactaque interceſſerint, etiam eiurationes adhibitæ fuerint, vt ij quorum bona propria erant, deinceps his penitùs excluderentur. Ea tamen conditione id fiet, vt non liceat tempore vſus ſine facultate Sereniſſ. Archiducum vel Ordinum ea bona alienare, imminuere, vel aggrauare. *Bona confiſcatare. ſtituentur; non tamen poterunt alienari, aut grauari.*

XIV. Quod & cedet in vtilitatem heredum vitâ functi Principis Orangiæ, ex cauſa iuris in Salinas Comitatus Burgundiæ, quæ quidem illis iam inde cedunt ac relinquuntur vnà cum adiacentibus ſiluis. Quod verò ſpectat ad litem Caſtelbelini, in Mechlinienſi Curia, ſuperſtite adhuc Orangiæ Principe, contra Procuratorem Generalem Catholici Regis intentatam, pollicentur Sereniſſimi Archiduces daturos ſe operam, vt intra annum æquabili iure dirimatur, ex *Idem conceditur quoque nominatim heredibus Principis Orangij.*

quo lis conteſtata fuerit, ſine vlla longiori mora vel comperendinatione.

Ex bonis venditis annua præſtabitur penſio ad ratam.

XV. Si Fiſcus quædam voci ſubiecit præconis hinc inde addicta Ærario bona, eaque diuendita mancipauit, qui ea vi huius pacti recuperant, contenti erunt reditu pretij conſtituti prædio, lege ſex nummorum cum quadrante annuè in ſingulos centum conſtituta; ſummaque ſingulis annis tempore Induciarum perſoluetur, eorum opera & cura, qui ea bona empta poſſident; ſi id non fecerint, licebit ipſa prędia iure occupare.

XVI. Quòd ſi verò hæ mancipationes venditioneſq; bonorum iure tranſactæ ſint cauſa debiti eorum, quorum erant bona propria ante proſcriptionem, tunc licebit illis, vel heredibus, & quorum intereſt, ea repetere, perſoluto intra annum pretio, à die huius pacti ducendo exordium. Quo elapſo tempore deinceps ad id non admittentur. Ipſa verò redhibitione facta, licebit pro arbitrio bonis vti, nulla alia poteſtate iuris aut indulti requiſita.

In domibus tamen redhibendis minus quid conceditur, & quare.

XVII. Non tamen hæc redhibitio locum eſt habitura ratione domorum, quæ in vrbibus ſitæ ſunt, ijſdemque de cauſis diuenditæ fuerunt, idque ob incommoda & detrimenta quæ in emptores redundarent, quòd ſæpè in ijs multa reparari potuerunt, quæ diſcutere, ſummamque impenſarum deſcribere longum ac difficile foret.

XVIII. Reparationum, quæ factæ ſunt ceteris in bonis diuenditis, quorum redhibitio licita ſit, impenſæ ſi repetantur, Iudices vſitati, cognita cauſa, rationem iuris æquabilem tenebunt; ac tantiſper poſſeſſiones manebunt hypothecæ nomine obligatæ pro dictis reparationibus ſeu meliorationibus; ita tamen, vt emptoribus non ſit fas iure retentionis vti, quo illis ſoluatur, aut ſatis fiat.

Pro fundis ad opera publica adhibitis, Iudices de pretio conſtituent.

XIX. Si publica quædam opera & munimenta hinc inde procurata fuerint, auctoritate publica ijs in locis, quę vi huiuſce pacti Dominis reſtitui debẽt, Domini acquieſcent pretio à Iudicibus vſitatis definito, ſiue de loco agatur, ſiue de iuriſdictione, niſi aliter partes inter ſe conueniant.

Eadem quoq; erit ratio redhibendi bona Eccleſiaſtica.

XX. Bona Eccleſijs, Collegijs, alijſque pijs locis addicta, quæ ſita in Prouincijs fœderatis, ſpectantque ad Eccleſias, beneficia, & Collegia ſub poteſtate Archiducum conſtituta, ante Kalend. Ianuarias anni milleſimi ſexcenteſimi ſeptimi non alienata reſtituentur; quibus ipſa pia loca fruentur tempore Induciarum, ſic tamen vt non habeant alienandi minuendíve facultatem, prout ſuprà præſcriptum eſt. De bonis autem ante id tempus diuenditis, vel in ſolutionem datis ab Ordinibus alicuius Prouinciæ fœderatæ, ſtatuatur reditus pretij ſingulis annis perſoluendus lege ſextidecimi denarij ad centum, ab ea Prouincia, quæ manci-

mancipationes bonorum fecerit; ſintque attributæ pecuniæ tam idoneis nominibus, vt tuta perſolutio ſit. Idem ſimili modo præſtabitur à Sereniſſ. Archiducibus ſuis in terris. 1609

XXI. Quibus publicata bona reſtituenda ſunt, non teneantur perſoluere onera reddituum, aut muniorum, quæ ſpeciatim ijs bonis ſunt annexa, pro eo tempore, quo vſu caruerunt. Quòd ſi quis actionem ijs intendat, hinc inde Iudicum ſententijs abſoluantur. *Nec tenentur etiam bona ad reditus, niſi pro tempore redhibitionis.*

XXII. Eodem modo ex vi huius contractus nemo quidquam in ea bona quæ vel vendita vel meliora à quoquam facta fuerint, præter id quod ius & æquitas poſtulat, ad quod illa obligata fuerint, poſtulare præſumet.

XXIII. Valebunt ſententiæ de bonis iuribuſque confiſcatis latæ, quoad eos qui Iudices ratos habuerunt, quique legitimo patrocinio non caruerunt; nec poterunt tales qui cauſa ceciderunt rem irritam efficere, niſi ſecundùm leges agant.

XXIV. Sereniſſimi Archiduces & Ordines conſtituent Magiſtratus, iuris miniſtros, & politicæ diſciplinæ vindices ijs in vrbibus & caſtellis ſeu munitis locis, quæ vi huius pacti legitimis Dominis in vſum tempore Induciarum cedere debent. *Principes viri etſi recipient fructus ſuorum bonorum, non tamen recipient iuriſdictionē.*

XXV. Supellex occupata, & proſcripta, tum prouentus qui ante confectionem huius pacti euenerunt ſeu ceſſerunt, reſtitutioni non ſint obnoxia.

XXVI. Actiones de rebus mobilibus, quæ in gratiam & vtilitatem priuatorum vtrimque ab Archiducibus vel Ordinibus ante Kal. Ianuarias ſupradicti anni 1607. remiſſæ fuerunt, penitùs extinctæ hinc inde ſunto.

XXVII. Tempus quod fluxit, dum bellum geſtum eſt, ducto initio ab anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo vſque in præſens, non computabitur ad inducendam præſcriptionem inter partes. *Tempus belli præteriti nuſquam inducet præſcriptionē.*

XXVIII. Qui belli tempore in regiones neutras ſeu liberas ſe receperunt, commodis quoque Induciarum gaudebunt, poterúntque, vbi placuerit, commorari, atque ad priſtinas ſedes ſecurè habitatum reuerti, obſeruatis regionis legibus, ita vt occaſione cuiuſcumque habitationis, vbicumque libuerit, bonis exui, aut eorum vſu priuari nequeant.

XXIX. Nullæ munitiones nouæ, durantibus Inducijs, in toto Belgio, vel ab vna vel ab altera parte excitabuntur. *Nullæ munitiones nouæ, durantibus Induciis, fient.*

XXX. Gentilibus à Naſſau non poterit lis intendi, decurrentibus Inducijs, nec perſonæ apprehendi, nec bona occupari, vel ob æs alienum con-

1609 contractum à vita functo Principe Orangiæ ab anno 1567. ad eius obitum vsque, vel ob reliqua redituum, quæ bonis iam occupatis & obligatis non sunt soluta.

Facta fraude non tamen propterea Inducierum pentur.

XXXI. Si facta fraus his Inducijs fuerit à priuatis hominibus, nullo mandato Regis Catholici, Archiducum, Ordinum, damnum illatum eo in loco resarcietur, vbi fraus facta, si modò deprehensi rei fuerint; vel aliàs in proprijs domicilijs: alijs autem in locis nec periculum vitę, nec libertati intentabitur, nec bona inuadere licebit, nec ea de causa Inducias dissoluere; sed, denegata iustitia, secundùm leges sibi prospicere, vtpote iure oppignorandi.

XXXII. Omnes exheredationes, & dispositiones, belli aut partium odio factæ, irritæ sunto.

Vtrimque absolutum erit ius adeundæ hereditatis.

XXXIII. Subditi & incolę Prouinciarum hinc inde, Archiducum & Ordinum, quamcumque personam gerant, idonei iudicantur ad mutuum ius hereditarium, siue intercedente testamento, siue ab intestato, pro locorum consuetudine. Quòd si hactenus quibusdam hereditas obtigerit, eam tutò possideant.

XXXIV. In bello capti hinc inde, nullo pretio redemptionis numerato, libertate donantur.

Vtrimque viæ publicæ immunes præstabuntur à periculis.

XXXV. Vt autem studiosiùs hoc pactum obseruetur, vltrò citroque pollicentur Rex Catholicus, Archiduces & Ordines, operam dare publicas vias à periculis immunes efficere, vtque maria & flumina tutò nauigari possint, & ab excursionibus turbidorum hominum, prædonum seu latronum vindicentur: qui si comprehendantur, pœnas scelere dignas luant.

XXXVI. Pollicentur præterea, nihil se molituros contra huiusce pacti decretum, neq; passuros ab aliquo directè aut obliquè quidquam fieri; sin minùs, nulla mora expiatum iri. Ad rerum autem omnium exactiorem obseruantiam, fidem suam vltrò citroq; obstringunt; quin Rex Catholicus & Archiduces, eorumque successores, quò validius sit iusiurandum, nomenque signo proprio insigniendum, eiurant leges, consuetudines, ceteraque huic pacto contraria.

Signabit Rex Hisp. hoc pactum intra tertiũ mẽsem, alij principales intra quartum diem.

XXXVII. Pactum hoc ratum & authenticum habebunt Rex Catholicus, Archiduces, & Ordines, litterasque suas auctoritatem publicarum Tabularum obtinentes, ipsi quidem Archiduces & Ordines mutuò sibi tradent conuenienter descriptas intra quartum diem; Rex verò Catholicus suas intra tertium mensem, vt spondent Sereniſſimi Archiduces, decenti forma modoque expressas, quò possint Ordinum Optimates, eorúmque subditi reipsa frui emolumento huiusce pacti cum securitate.

XXXVIII.

XXXVIII. Pactum hoc ijs in locis promulgabitur, vbi de more 1609
ſolet, & expedire videbitur, ſimulatque quod ratum eſt, ſcripto litteriſque Sereniſſ. Archiducum conſtiterit; iamque nunc decretum & conſtitutum eſto, vt ab omni hoſtilitate abſtineatur.

Actum & concluſum Antuerpiæ dicta die nona Aprilis, anno milleſimo ſexcenteſimo nono: Et ſignatum per Dominos Legatos Regum, Chriſtianiſſimi, & Magnæ Britanniæ, vti arbitros & ſequeſtros; nec non per Dominos Deputatos Regis Catholici & Sereniſſ. Archiducum ex vna parte, & per Dominos Deputatos Ordinum Prouinciarum Confœderatarum ex altera parte. Et erat ſignatum, *P. Jeannin*, &c. *Elie de la Place*, &c. & ſic deinceps ſingulorum nominibus ſuprà recenſitis. Publicatæ autem ſunt hæ Induciæ (poſtquam ab ipſis quoque Archiducibus & Ordinibus Confœderatis obſignatæ fuerunt) Antuerpiæ die decimoquarto eiuſdem Aprilis; ſumma quidem earum tunc præconis voce magnâ totius populi lætitiâ propoſita, paulò pòſt autem ſingulis Articulis ſupradictis quoque diuulgatis. Mox etiam Sereniſſimi Archiduces, quod ſpoponderant, pro habenda Regis Catholici confirmatione, inſtabant, quæ & ſuo tempore à dictis Archiducibus per Audientiarium Verreyckium ad Ordines Hagam-Comitis tranſmiſſa eſt, hoc tenore:

Ita Actum & ſignatum ab arbitris & Deputatis Antuerpiæ.

Publicantur Inducia primùm ſummatim, dein etiam omnes Articuli.

„ Viſo Induciarum à Sereniſſimo noſtro fratre & ſorore Alberto & *Confirmatio Regis Hiſpan.*
„ Iſabella Archiducibus, tam ſuo quàm noſtro nomine, cum Vnitarum
„ Prouinciarum Ordinibus de noſtro conſenſu factarum exemplo, & Ar-
„ ticulis, omnibuſque diligenter perpenſis, Nos quantum ad nos attinet,
„ prędictas Inducias laudamus, approbamus & confirmamus. Manda-
„ mus inſuper, vt toto illo conſtituto tempore perfectè ac plenè eæ ſer-
„ uentur. Speramus autem viciſſim à prędictis Ordinibus, durantibus his
„ Inducijs, Catholicos, qui inter ipſos ſunt, benè tractatum iri; promitten-
„ tes, & aſſecurantes in fide & verbo Regio omnia nos punctualiter fa-
„ cturos. In cuius rei fidem ſua Maieſtas præſentibus ſubſcripſit, & Re-
„ gium ſuum ſigillum appoſuit. Datum Segouiæ 7. die Iulij, anno mille-
„ ſimo ſexcenteſimo nono.

Quin etiam menſe Maio prælo publicati fuerunt tres illi Articuli, dicti Arcani ſeu Secreti, (quorum mentio eſt ſupra Articulo 7. harum In-
„ duciarum) iſto titulo: Moderatio, quoad rationem procedēdi per Inqui-
„ ſitionem contra ſubditos Regis Angliæ in Hiſpania. Primò, Si fortè in re *Articuli Anglicani, de quibus ſuprà art. 7.*
„ aliqua ante ingreſſum ſuum in Hiſpaniam deliquerint, pro ea ab Inquiſi-
„ tione contra eos Actio ne inſtituatur. Secundò, Quòd ſi ingredi Eccle-
„ ſias nolint, nemo eos cogat; ſi verò eas ingrediantur, debitas & conſuetas
„ reuerentias ſacro Altaris Sacramento ibi prędenti exhibento. Ac ſimiliter,

1609 ſi venerabile Sacramentum in platea ſibi occurrere viderint, reuerentiam « genuum flexione impendant, aut aliàs in plateam aliam, vel in domum « aliquam ſecedant. Tertiò, In his ſi quiſquam deliquerit, Inquiſitio con- « tra talem procedendo, non poterit ſequeſtrare, niſi ipſius ſolius delin- « quentis propria bona: liberam autem dimittet nauem, & quæcumque « delinquentem non concernunt. «

Modus procedendi ex his Articulis ſecretis dictis.

Et hoc eſt Inducіarum in duodecim annos tanto labore ſancitum pactum. Concedat pro immenſa ſua benignitate Deus, fruamur aliquando poſt illas Chriſtiana tandem firmaque Pace. Ita voueo, & calamum pono.

FINIS.

IN-

INDEX RERVM IN ANNALES TVMVLTVVM BELGICORVM.

Numerus paginam, littera a *principium*, b *medium*, c *finem paginæ, designant.*

AARON Moldauiæ Princeps, ob proditionis suspicionem contra Turcam initæ, Albam Iuliã captiuus abducitur. 511.c

Abbatiæ Belgij nouis Episcopis assignantur. 3.c

Abbatis-villa, Galliæ ciuitas, ab Aumalio occupatur. 422.a

Abbatis-villenses oppidum S. Valerij, à Nauarreanis occupatum, recuperant. 457.c

Abbingtonus Londini proditionis in Elisabetham Reginam accusatus interficitur. 396.b

Abdelmelecus apoplexia inter præliandum perit. 287.b

Abdel Zamat, Legatus primarius Achimensis ex India Orientali Regis in Zelandiam, Middelburgi moritur. 608.a

Abel Conderus ex parte Groningensium deputatur, vt cum Regijs Delegatis de pace agat. 659.b

Induciarum pro Belgio transactioni interest & subscribit. 671.b

Abrahamus Shertogius ab Antuerpiensibus in carcerem coniectus, grandi ære mulctatur, & quare. 369.b

Academia Duacena erigitur. 12.c.13.a,b

Achmates patri Mahometo in Turcico Regno succedit. 621.a

Achimensis Regis ex India Orientali in Zelandiam Legati. 607.c

Achterfeldius. *vide* Henricus Achterfeldius.

Acies Mauritij circa Neoportum qualiter instructa. 580.c

qualiter Archiducis ibidem processerit. 581.c

diu strenuè pugnant, sed tertia congressione Archiducalis retrocedere cogitur. 582.a,b,c

Ackerus Edamius, Geusijs militans, à Regijs capitur. 186.b

Adolescens quidam quindecim annorum ab Harlemensibus hæreticis suspenditur. 159.a

Adolphi Geldri sepulchrum Tornaci ab hæreticis Ecclesiarum direptoribus fœdè violatur. 58.b

Adolphus Meursij Comes. *vide* Nuenarius.

Adolphus Nassouius VVeddam & Dammum in Frisia cum fratre intercipit. 85.b

à Regijs in pugna Frisica interficitur. 86.b. 87.a,b

Adolphus Tsherenbergius, Linga nullo succurrente Mauritio dedita, suos educit. 533.c

Adolphus Vandenbergius equitum præsidiariorum Siluæducensium ductor. 595.c

Adolphus Viennæ Gubernator insigni stratagemate Raab Turcis eripit. 552.c

Adrianus Assendelfius ab Harlemensibus, vt Toletanum placet, mittitur. 150.c

in ciuitatem rediens, capitur, & Leidam abducitur. 151.b

capite ab Orangianis plectitur. ibid.

Adrianus Blienburgius in prælio nauali, à Bossuio contra Orangianos habito, vulneratur, eoque ex vulnere obit. 190.c

Adrianus Cornelij, bellicæ nauis apud Hollandos Præfectus, ad Gertrudenbergam occiditur. 422.c

Adrianus Groneuenius Catholicus ab Harlemensi-

menſibus ſuſpenditur. 159.a
Adrianus Ianſenius, ciuium Harlemenſium ductor. 150.c
Adrianus Milius ex parte Orangij Pacificationi Gandauenſi ſubſcribit. 242.c
Adrianus Nicolai, noui ab Albano inſtituti Concilij Iudex conſtituitur. 80.a
Adrianus Svvitenus Oudevvateram pro Orangio occupat. 127.a
item Goudam. ibid.b
Adrianus Vierédelius, Tribunus ciuium Antuerpienſium, Kipdorpiæ portæ, Alenſonio, qui mox eâ tranſiturus erat, honoris exhibendi cauſa adſtat. 345.b
ab Alenſonij Nobilibus trucidatur. ibid.c
Adrianus Vigius nauem Hollandicam, militibus Geuſijs onuſtam, cæſis militibus, capit. 167.b
ingentem theſaurum Geuſijs eripit. 172.c
Ægidius Borlutus ex pacto pacis à Parmenſi cum Gandauenſibus initæ, è carcere Gandauenſi liberatur. 368.c
Ægidius de Mera, Patricius Antuerpienſis, Lyram cum auxiliaribus ciuibus properat, Hollandoſque pellit. 509.b
Ægidius de Monte, Franciſcanus, primus Epiſcopus Dauentrienſis conſtituitur. 4.a
Ærarij Belgici Præfectus, accepta à Caluinianis ſchedula, indictâ cauſâ exulare iubetur. 321.a
Affliginienſis Abbatia Mechlinienſi Archiepiſcopo aſſignata. 3.c
Agria, Hungariæ ciuitas, à Turca occupata. 543.c
Albam Iuliam Aaron Moldauiæ Princeps, ob proditionis ſuſpicionem contra Turcam initæ, captiuus abducitur. 511.c
Alba Iulia à Michaële Vayuoda pro Cæſare occupata. 571.b
ad Albam Regalem Turcarum aliquot millia à Chriſtianis profligantur. 482.c
Albada, vt pacis in Belgio Coloniæ conſtituendæ ſequeſtrum ſe præbeat, à Matthia Archiduce & Belgij Ordinibus delegatur. 295.a
Albanus. *vide* Ferdinandus Toletanus.
Albertinum caſtellum ad excurſiones Oſtendanorum impediendas erectum. 577.c
Comiti Solmenſi ſe dedit. 578.b
à Mauritio ſolo æquatum. 584.b
Albertus Auſtriacus naſcitur. 2.a
ſororem Annam, Philippi II. ſponſam, in Belgium, & inde in Hiſpaniam comitatur. 112.a
Luſitaniæ Prorex à Philippo II. conſtituitur. 357.c
Anglis, Vliſſiponam inuadentibus fortiter reſiſtit. 427.b
fratri Erneſto defuncto magnificam tumbam in templo D. Gudilæ Bruxellis extruit. 497.b
Belgij Gubernator deſignatus, Hollandis cum nauibus in Hiſpania detentis relaxationem impetrat. 500.b
omnibus probè paratis cum inſigni claſſe in Belgium tendit. 510.b
antequam Genuam appellat, duas Turcarum triremes vnamque onerariam Anglicanam capit. ibid.
comes eius Philippus Princeps Orangius. ibidem.
ſumma gratulatione Lutzenburgi excipitur. 512.c
Namurci adductum militem recenſet. 513.b
Bruxellam ingredienti omnia fauſta acclamantur. ibid.c
maxima ab Ordinibus lætitia in Gubernatorem ſuſcipitur. 514.a
Hollandis pacem offert, ſed fruſtrà. ibid.
Feræ à Francis diu obſeſſæ commeatum inferri curat. ibid.b,c
ad caſtra ſua in agro Valencenenſi collecta proficiſcitur. 515.a
Franciæ Regem magna dexteritate ſuſpenſum tenet quò tendat. ibid.
portum Caletanum ſubitò inuadit, vrbemque terra marique obſidet. ibid.b
ſuburbia occupat, hincque vrbem continuò quatit. ibid.c
eamdem deditione accipit. 516.a
Arcem verò vi expugnat. ibid.b
Guinam cum vicinis aliquot Arcibus occupat. ibid.c
Ardeam obſidet. ibid. & 517.a
eamdem acriter tormentis maioribus verberatam ad deditionem cogit. 517.b
relicto in Arteſia VVarenbonio, in Flandriam contendit. 518.a
Hulſtum, etſi velut inſulare, obſidere parat. ibidem.
in Auſtriaco & Blommenſi propugnaculo, ſuis primùm animos addens, quæ circa obſidionem fieri velit præſcribit. ibid.c
ad ſolemnitatem Sacramenti miraculoſi Bruxellas proficiſcitur. ibid.
tandem nullis militibus parcens, quædam loca occupat. ibid.
& Hulſtum ipſum deditione accipit. ibidem & 520.a
eique Bichium præficit. 520.a
Antuerpiæ maximo triumpho excipitur. ibid.
ſeditioſos Thenenſes magna vi auri pacat. ibidem.
magna apud eum rei nummariæ difficultas. 522.b
quo conſilio Turnhoutum copias miſerit, incertum. 523.a.524.a
eius auſpicijs Ambianum memorabili ſtratagemate occupatum. 525.c
iterùm à Franciæ Rege obſeſſo ſuccurſurus, quantas poteſt copias conſcribit. 528.a
adſunt ei ex Hiſpania nouæ copiæ. 535.c
Legatos Veruinum ad pacem inter Hiſpaniæ & Franciæ Reges componendam tranſmittit. 536.c.537.a
ei omnes Belgicæ Prouinciæ vnà cum Burgundia ad nuptias cum Iſabella Philippi II. Hiſpaniarum Regis filia ineundas certis conditionibus dantur. 541.b
de his ad Ordinum Comitia refert, Ordineſque ad

ad iuſiurandum ſibi Sereniſſimæ Infantis nomine præſtandum paratos inuenit. 542.b
ipſe Ordinibus,& hi viciſſim ipſi iurant. 545.a
profectionem in Hiſpanias vt differat fruſtrà ei Ordines perſuadere conantur. 546.a
Andream AuſtriacumCardinalem ſuo nomine rebus Belgicis præficit. ibid.b
belli adminiſtrationem Franciſco Mendozæ Aragoniæ Admiralio committit. ibid.
eius in Hiſpaniam proficiſcentis comitatus. ibid.
in itinere triſtis ad eum de morte Philippi Regis defertur nuntius. ibid.c
iungit ſe eius comitatui Margareta Auſtriaca Philippo III.deſponſata. ibid.
Tridenti dies aliquot venerandis Sanctorum Reliquijs impendit. 547.a
Senatus Venetus omni comitatui eius hoſpitia & lautia magnificè præbet. ibid.
à Summo Pontifice Ferrariæ in templo excipitur. ibid.b
ibiq́ue ſponſalia eius celebrantur. ibid.c
ingenti ſumptu à Mantuæ Duce excipitur. 548.a
cur Mediolani diutiùs ſubſtiterit. ibid.& 564.a
Ticini & Genuæ ſplendidè excipitur. 564.a
item ad Maſſiliæ portum à Duce Guiſio nomine Regis Franciæ. ibid.b
Maſſiliam Sanctorum Reliquias viſitaturus ingreditur. ibid.b
littora legens,denique in Valentiæ Regno exſcendit. ibid.c
expedito eſſedo ad Regem ſponſamq́ue ſuam Infantem complectendam pergit. ibid.
ad matrem Auguſtam viſitandam Madritum proficiſcitur. 565.a
coniugium per Legatum coramPontifice maximo initum, ratum habet. ibid.b
aurei Velleris Eques creatur. ibid.
cum Sereniſſima Infante Belgium verſus feſtinat. 566.b
celeriter per Italiam, Heluetiam, & Lotharingiam in Belgium venit. ibid.c
à Baſileenſibus boue auenáque donatur. ibid.
Namurci diſcutiendis longi itineris moleſtijs diebus aliquot ſubſiſtit. ibid.
ad Brabantiæ fines Ordinum Legatos aduentum gratulantes obuiàm habet. 568.a
ab ijſdem Hallas primùm, deinde Bruxellas deductus. ibid.
Louanij inauguratur. ibid.a,b
Læti introitus priuilegia tactis SS. Euangelijs iurat. ibid.b
Cl.V.Iuſtum Lipſium ex tempore aliquid dicere deſiderat. ibid.
quando Bruxellæ, & quando item Antuerpiæ inauguratus. 569.c
quando item varijs alijs in oppidis. 572.a
de ſeditioſis comprimendis variè conſultat. 574.c.575.a
Ordinum Comitia Bruxellis,collapſum Belgij ſtatum reſtaurare ſtudens, celebrat. 576.a
Mauritio in Flandria varias munitiones occupante quàm celerrimè copias cõtrahit. 578.c
ſeditioſos Dieſtenſes promiſſis ſtipendijs ad arma iterùm capeſſenda inducit. 579.a
luſtrato ad Langebruggam prope Gandauum exercitu, Brugas verſus mouet. ibid.b
Audenburgum & Snaskercam recuperat. ibidem c
item Bredenam. ibid.
ipſum in exercitu eſſe Mauritius vix credit. 580.a
rectáne confligendum, an hoſtis carpendus, deliberat. 581.b
prævalentibus qui totis viribus concurrendum cenſebant,quo ordine proceſſerit. ibid.c
ſuis retrocedere coactis, ipſe in maxilla læditur. 582.c.583.a
Oſtendam obſidet. 591.b.592.b
eamdem ſtrenuè oppugnat. 592.b
Siluæducenſes à Mauritio obſeſſos per literas recreat. 596.b
Mauritium per Fredericum Vanden Berge Siluamducis deſerere compellit. ibid.c.& 597.a
à Franciſco Verio Oſtendano Præfecto vafrè deluditur. 597.b
ac propterea totus in oppugnationem Oſtendanam fertur. 598.b,c
ei fruſtrà quidam Oſtendam vt deſerat perſuadere conantur. 599.c
Gandauum,bellicis rebus meliùs proſpecturus, abit. 600.a
aduentantem ex Italia Ambroſium Spinolam Gandaui excipit. 601.a
Hollandis, Brabantiam cum ingenti exercitu inuaſuris, Ammiralium & Spinolam obuiàm mittit. ibid.b
tumultuantes aliquot milites,hoſtes & rebelles pronuntiat. 605.a
ob Siluamducis à Mauritio obſeſſam,&Oſtendanam obſidionem, conſilij dubius. 616.b
Spinolæ ſummum ad Oſtendam imperium committit. ibid.c.& ſeqq.
Siluamducis proficiſcitur. 617.b
aliud ſimulans,Siluæducenſibus, quamuis obluctantibus, præſidiarios adducit. 618.b
Legatos in Angliam mittit, qui Iacobo Scotiæ Regi de adepto Angliæ Regno gratulentur. 620.b
mittit qui Mauritium à Sluſæ obſidione prohibeant,ſed fruſtrà. 623.c
Oſtenda Spinolæ dedita, ipſemet cum Sereniſſima coniuge eò proficiſcitur. 626.a
pacem cum Angliæ Rege paciſcitur,& quibus legibus. ibid.b,c
per ſuos Bergopſomam fruſtrà tentat. 631.a
vt Imperialibus gratificaretur, Bucquoium ex Keyſerſvveert, vbi ſe munierat, mouere iubet. ibid.b
VVittenhorſtium & Geuartium Hagam-Comitis mittit, vt de pace aliquam mentionem inijciant. 647.a
ad Ordines Confœderatos ſcribit, contentum

ſe eſſe, cum ipſis tamquam liberis, & in quos nil ſibi iuris prætendat, tractationem ſuſcipere. 649.c
octo menſium inducias & ab armis ceſſationem concedit. 650.a,b
ſeditioſis Diſtenſibus, Spinola agente, ſatisfacit. 656 a,b
eoſdem poſteà ſub capitali pœna Belgio excedere iubet. ibid.c
Albertus Egmondius à Regijs ad Harlemum capitur. 176.b
Albertus Naſſauius Orangianarum copiarum ductor. 94.c
Alcmaria à Sonoio pro Orangio capitur. 126.b
Toletano à ciuibus offertur. 179.c
eodem procraſtinante, ab Orangianis occupatur. ibid.
à Regiis obſidetur. 184.b
grauiſſimè ab ijſdem oppugnatur. 186.b. 187.a
ſed tandem deſeritur. 187.b
Aldegondius. *vide* Philippus Marnixius Aldegondius.
Aldenarda ab Orangio occupatur. 137.a
ibique crudeliter ab Orangianis ſæuitur. ibid.
à Rutio pro Albano obſidetur. 140.c
Rutium, dilapſis Orangianis, admittit. 142.c
templa ibidē & Eccleſiaſtici ſpoliantur. 290.b
Aldenburgenſis Comes ex parte Orangij Bredam ad pacem inter Hiſpan. Regem & eumdem Orangium conciliandam mittitur. 219.c
Aldobrandini Cardinalis operâ pax inter Francię Regem & Sabaudiæ Ducē componitur. 587.c
Alegona, magnę Canariæ oppidum, ab Hollandis inuaditur. 558.c. 559.a
ab ijſdem expilatur & incenditur. 559.a
Alemum qua parte Brabantiam ſpectat, à Mauritio Sanct-Andreanam munitionem obſidente, probè munitur. 576.b
Alenſoniani Duynkerkanis, Dixmudenſibus, Furnenſibus & VVinoxbergijs præſidia imponunt. 339.b
ad VVinoxbergam cum Regijs, ſuo tamen maiori damno, pugnant. ibid.
à Parmenſi ad Gaueram cæduntur, & ad mœnia vſque Gandauenſia fugantur. 340.a
Antuerpiæ portam Kipdorpiam occupant, & ciuitatem inuadunt. 345.b
à ciuibus fortiter repelluntur. 346.a,b
& ad 1500. cæduntur. ibid.b
alias quoque ciuitates ſui iuris fecerant. ibid.c
Brugis, quas pariter ſubiugare conabantur, Magiſtratus prouidentiâ expelluntur. ibid.c. & 347.a,b
Dixmudâ, quamuis ægrè, diſcedunt. 349.a
Alenſonium à Nauarræo occupatur. 430.c
Alenſonius, qui & Andegauenſis, opem ſuam Ordinibus Belgij contra Ioannem Auſtriacum offert. 281.b
Montes Hannoniæ venit, ibique magnificè excipitur. ibid.c
vt Hiſpanis ſe hoſtem exhibeat, aliquot loca occupat. ibid.
cum Ordinibus paciſcitur, vt Defenſor Belgicæ libertatis proclametur. ibid.
& ſi Dominum mutent, ipſe alijs præferatur. 282.a
Binchium, aliquamdiu à ſe obſeſſum, deditione capit. 283.c
Bonniuettum Gandauum, vt tumultuantes ibi ciues pacet, mittit. 286.c
à Belgij Ordinibus in Principem recipitur, & quibus conditionibus. 314.c. 315.a
cum exercitu 25000. hominum Cameracum à Parmenſi obſeſſum obſidione liberat. 329.c 330.a
Cameracum intrat, ibique iuramentum præſtat, & auream argenteamque monetam in vulgus ſpargit. ibid.b
Cambreſiacum obſidet, & obtinet. ibid.
ab Ordinibus vt in Flandriam veniat rogatus, Parmenſis caſtra perrumpere non audet. ibid.
Duynkerkam proficiſcitur. ibid.c
fruſtrà ab Ordinibus, vt Tornacum obſidione liberet, imploratur. 332.a
ex Anglia Vliſſingam venit. 334.b
inde Antuerpiam; vbi, iuratis conditionibus Burdegalenſibus, in Ducem Brabantiæ inauguratur. ibid.c
ei Antuerpiæ Ludi natalitij celebrati. 335.c
ob Orangium ſclopeto petitum, exorto in ipſum tumultu, fleuiſſe dicitur. 336.b
Orangio ipſum apud populum excuſante & commendante, ſaluatur. ibid.
in Zelandiam abit, & poſt Sluſam venit. 338.b
Brugis magnificè excipitur. ibid.
Gandaui in Flandrię Comitem recipitur. 339.c
Antuerpiam venit. 340.b
Calendarium Gregorianum Belgij ditionibus imperat. 343.b
auctoritatem ſuam apud Belgas nimis eſſe limitatam dolens, pleniùs ſibi aliquot Belgij ciuitates ſubijcere parat. 344.b
Endouiam occupat. ibid.
item Helmontium & Horſtam. ibid.c
copias ſuas ad Antuerpienſia ſuburbia conuocat. ibid.c
Aulicos ſuos Nobiles ſecretò armis inſtruit. ibid.
ſiniſtrè de eo ciuibus opinantibus, omnem mouet lapidem vt eam opinionem declinet. 345.a
caſtra ſe inuiſurum ſimulat. ibid.b
aſtuque vrbem ferè occupat. ibid.c
fruſtrà ſe ob tumultum hunc Antuerpię excuſare nititur. 346.c
alias quoque ciuitates ſui iuris fecit. ibid.c
per ſuos idem Brugis fruſtrà tentat. ibid. & ſeq.
literas Antuerpienſibus mittit, quibus tamen non reſpondetur. 347.b
inopia preſſus Teneramondam tendit. ibid.
ad Templium item Bruxellenſem Gubernatorem pro commeatu ſcribit. ibid.c
à Bruxellenſibus commeatu iuuatur. 348.a,b
certis conditionibus Duynkerkam proficiſci permittitur. ibid.b

in ca-

in caſtro Thierry mœrore conſumptus moritur. 362.b,c
Alexander Malaſpina, ab Archiduce Alberto Siluamducis præmiſſus, ab Hollandis capitur. 617.b
ei à tormento bellico crura auferuntur. ibid.
Alexander Medices ad ſummum Pontificatum euehitur, dictus Leo XI. mox tamẽ obit. 634.a
Alexander Farneſius, Ducis Parmæ filius, à Comite Egmondano ex Hiſpania Bruxellas deducitur. 33.c
cum Maria Luſitanica Bruxellis nuptias celebrat. 35.b
Auſtriacæ militiæ primus Legatus. 242.b
cum Hiſpanis, è Belgio paulò antè dimiſſis, in Belgium reuertitur. 273.a
mortuo Ioanne Auſtriaco, Rege annuente eidem ſuccedit. 284.c
dicto Auſtriaco inſigne Epitaphium ponit. 285.a
Limburgum capit. ibid.b
item Helmontium & VVeertam. 290.b
Caſimirianis equitibus è Belgio dilapſis, Antuerpiam vſque excurſiones facit. ibid.c
præſidiarios Borgerhoutanos, inſpectãtibus è mœnibus Orangio & Matthia, ad portas vſq; ciuitatis Antuerpienſis inſequitur. ibid. & 291.a
Traiectum obſidet. 291.a,b
& per ſuos ſtrenuè oppugnat. 293.b,c. 294.a
vi tandem expugnat. 299.a,b
quare poſt Traiectum occupatum aliquamdiu exercitui quietem conceſſerit. 302.b
aliquot militum turmas Mechliniam, iam primùm Regi reſtitutam, mittit. 303.b
à Malecontentis exoratus, exteros milites aliquos dimittit. 304.a,b
Martaig ne, Hannoniæ oppidum vi expugnat. 305.a
item Fanum S. Amandi recipit, & Tornacenſium agris tributa imponit. ibid.
Cameracum obſidione premit. 317.a
Bouchainium obſidet, & deditione occupat. ibid.
Cameracum obſidet. 330.a
Alenſonio maioribus cum copijs aduentante, obſidionem ſoluit. ibid.
Tornacum obſidet. 331.c
idem deditione accipit. 332.c
Lenſium Arteſiæ oppidum, ab Alenſonianis Gallis captum recuperat. 336.c
Audenardam obſidet. 337.b
Gaueram expugnat. ibid.
iuramentum Alenſonio factum, tamquam vi extortum, à Rege ignoſci publicat. 338.b
Lirâ potitur, & quomodo. 338.c.& ſeq.
Alenſonianos ad Gaueram cædit, & ad mœnia Gandauenſium vſque inſequitur. 340.a
Cluſam ad deditionem cogit. 342.b
Cambreſium occupat. ibid.
Ninouam premit & obtinet. ibid.
arces Likerkanã & Bochoutiam ſubiugat. ibid.
Londerſelliam munitionem vi expugnat. ibid.
Gaesbekam arcem recuperat. 342.c
Bruxellam à longè premit. ibid.
Tornacum cum Aula proficiſcitur. 343.c
literis Gandauenſes hortatur, vt ſe Regi ſubmittant. 348.b
Endouiam obſidet. ibid.
arcem VVeſterloo capit. 350.b
Duynkerkã obſidet, & mox eâ potitur. 351.b,c
Neoportum ſibi dedi poſtulat. ibid.c
repulſam paſſus, illud terrâ marique premit. 352.a
& poſteà, ciuibus vitam & fortunas paciſcentibus, deditione accipit. ibid.
Oſtendam premit. ibid.b
conſilio mutato, Vurnam, Dixmudam & VVinoxbergas occupat. ibid.c
Ipras dein obſidet. ibid.
Arcem Rupelmõdanam cum ditione VVaſiana à Seruatio Steenlandio accipit. 354.c
occupat item 't Sas, vel Cataractam Gandauenſem, & alias aliquot Flandriæ arces. 355.a
Aloſtum à Scotis ob ſtipendia ibi tumultuantibus emit. 356.a
Gandauenſes, captis aliquot circumcircà locis, premit. 359.a
quid potiſſimùm in conditionibus pacis Gandauenſibus oblatis ſpectarit. ibid.b
Ipras in Flandria Regi reconciliat. 360.c
Teneramondam deditione accipit. 367.c
pauloque pòſt Viluordiam. 368.a
Gandauenſes in Regis gratiam recipit, & quibus legibus. ibid.b
premẽdæ Antuerpiæ totum ſe accingit. 369.a
ponti conſtruendo, quo Scaldim præcludat, neceſſaria comparat. ibid.c
& aggerem Couvvenſteinium munit. 370.a
Antuerpienſibus per litteras typis excuſas pacem offert, ſed fruſtrà. ibid.b,c
pontem ſuper Scaldim, premendæ Antuerpiæ ſtratum, abſoluit, & qualis ille fuerit. 373.b,c
Bruxellenſes Regi reconciliat. 374.a,b,c
ad aggerem Couvvenſteinium Antuerpienſes & Hollandos, eumdem perforare tentantes, cruento prælio vincit. 378.a,b,c
Borgerhout, Sterckenhoff, Canteeroy, & alia loca circa Antuerpiam occupat. 380.b
ſolemniter Aureo vellere donatur. 382.b
magno cum triumpho Antuerpiam, iam Regi reconciliatam, intrat. ibid.
Siluæducenſes, ob Regium militem ingenti periculo liberatum, egregiè remunerat. 387.c
ei à Philippo Rege arx Placentina redditur. 389.a
in caſtra Regia ad Grauiam venit, & oppidum ad deditionem cogit. 390.a
Venlonam obſidet & accipit. 391.a,b
Nuſſiam rogatu Erneſti Bauari obſidet. ibid.c
gladio & pileo conſecratis à Pontifice Romano donatur. 392.a
de vita ad Nuſſiam periclitatur. ibid.b

Nuſſiam

Nuſſiam vi capit. ibid.c
Rhijnberkam obſidet. 393.a
Zutphanię à Lyceſtrio obſeſſę, aliquoties commeatum infert. 394.a,b
pater eius moritur. 397.c
arcem VVovvanam, Præfecto nummis corrupto, occupat. ibid.
in Veluam irrupturum ſe ſimulans, Sluſam in Flandria obſidet. 401.b,c
in Caſanto inſula caſtra ponit. ibid. c
ſummâ vi Sluſam oppugnat. 403.a,b
eamdem deditione capit. 404.b
multa in expeditionem Anglicam, mox futuram, parat. 409.b
per ſuos Tolenſem inſulam infeliciter tentat. 417.b
Bergopzomam obſidet. 418.a
à ficto quodam proditore deluditur. ibid.b
ob hiemem inſtantem obſidionem ſoluit. ibid.c
eo duce Hiſpani Fœderi Sacro in Gallia ſe iungunt. 422.b
Gertrudenbergam, tradentibus vltrò præſidiarijs, occupat. 423.b
ad Fontes Spadanos proficiſcitur. ibid.c
Philippum Egmondium in Galliam mittit. 433.a
cum inſigni exercitu Pariſienſibus ſuccurrit. 437.b
Regia magnificentia Pariſijs excipitur. 438.b
Corboilum vi expugnat. 440.a
è Gallia Bruxellas redit. ibid.c
Dauentrienſibus ſubſidia mittit. 446.b
Knodſenburg è regione Nouiomagi obſidet. 448.b
obſidionem iterùm ſoluit. 450.a
iterùm ad aquas Spadanas proficiſcitur. ibid.c
denuò in Galliam abit. 457.c
cum Nauarræanis feliciter confligit, & Arce quadam potitur. 458.a
caſtra ſua caſtris Nauarræi ad Rothomagum opponit. ibid.c
inſpectante Nauarræo commeatum Rothomagenſibus infert. 459.a
in Belgium reuertitur. ibid.b
Couordienſibus ſubſidia mittit, licet ſeriùs. 464.b
tertiam in Franciam expeditionem adornat. 465.c
Bruxellis teſtamentum condit. ibid.
Atrebati honorificè excipitur. ibid.
ibidem moritur. 466.b
inteſtina eius in S. Vedaſti Abbatia ſepeliuntur. ibid.
eidem Bruxellis ſplendidiſſimæ celebrantur exequiæ. ibid.c
corpus eius Parmam in Italiam auehitur. ibidem.
Romæ quoque funebris pompa ei exhibetur, ibiq́ue ad ſtatuam eius equeſtrem Inſcriptio, & qualis. 467.a
Alfaques portus Hiſpaniæ Tarraconenſis. 564.c
Alfena à Regijs capitur. 205.a
Ali Baſſa, claſſis Turcicę Archithalaſſus, in celebri illa Ioannis Auſtriaci de Turcis victoria interimitur. 116.a
duo eius filij capiuntur. ibid.b
Alleynus Cortracum fruſtrà tentat. 303.c
Alliana munitio ab Auxij Barone in Cameracenſi obſidione defenſa. 505.b
Allobrogicum bellum inter Sabaudiæ Ducem & Franciæ Regem vnde ortum. 587.c
Alonſus quidam Hiſpanus Ordinibus Diſtham proditione aſſerit. 312.c
Alonſus de Luna Liræ Præfectus. 508.b
Hollandis vrbem inuadentibus acriter ſe cum ſuis opponit. ibid.c
tandem retrocedere coactus, Liſperanam portam occupat, eamq́ue munit. ibid. & 509.a
Antuerpiâ Mechliniaq́ue auxilia euocat. ibid.
Harengiero liberum abitum cum omnibus impedimentis offerenti quid reſponderit. 509.a
ad Rhijnbercæ obſidionem ſoluendam cum copijs pergit, ſed ſerò. 529.a
Alonſus de Sayas ab Anglis capitur. 415.a,b
Alonſus Vergas à Philippo II. in Cæſarauguſtanos rebelles cum exercitu mittitur. 457.a
Aloſtum à ſeditioſis Hiſpanis intercipitur. 231.b
item à Malecontentis. 302.a
à Fumaio & Templio occupatur. 337.b
ſeptemdecim ibi Sacerdotes trucidati. ibid.
à tumultuantibus ibi ob ſtipendia non ſoluta Anglis & Scotis Parmenſi deditur. 356.a
non procul Aloſto ruſticus ampliùs 1500. vetuſta aurea numiſmata fodiẽdo reperit. 658.b
Alpenum à Regijs occupatur. 393.a
à Mauritio deditione capitur. 528.a
ei à Mendoza Admiralio præſidia impoſita. 548.c
Alphonſus d'Aualus Batauorum ſpeculatorias naues ad VVahalis & Moſæ confluentem excubantes profligat. 557.b
ſeditioſos Dieſtenſes promiſſis ſtipendiis ad arma pro Archiduce capeſſenda inducit. 579.a
cum Archiduce & reliquo exercitu Brugas verſus proficiſcitur. ibid.b
circa Neoportum in acie ad pugnam inſtructa quem locum tenuerit. 581.c
in eadem grauiter ſauciatus, vix euadit. 583.a
Frederico Vandenbergio in Bredenenſi ſtatione ad Oſtendam ſufficitur. 593.b
Alphonſus Ferrariæ Dux ſine liberis moritur, eiuſq́ue ditio ad Clementem VIII. Pontificem deuoluitur. 535.b
Alphonſus Mendoſus, Ootmarſij pro Rege Gubernator, Mauritio ad obſidendum oppidum aduentante, ad Verdugium ſe confert. 463.c
Alphonſus à Soto Spineleuienſe Cœnobium prope Montes Hannoniæ, à Geuſijs inſeſſum, expugnat. 135.a
Alphonſus Vloa ab Albano arci Gandauenſi præficitur. 79.c
prælio contra Ludouicum Naſſouium circa Lemingam commiſſo intereſt. 93.b
Altkerka pagus circa Venlonum, indeq́ue equites aliquot

aliquot à Ludouico Velaſco ad ſeditioſos Hamontium transfugiunt. 575.c
Aluara Dux, à Chriſtianis in ſubſidium Melitenſium, à Turcis obſeſſorum, miſſus. 38.c
Aluaricus Lodronius peditum Germanorum pro Rege Hiſpaniæ ductor. 78.a
ab Albano, vt Antuerpiæ in præſidio eſſet, mittitur. ibid. b
Eſtradam Hornani Secretarium capit. 79.b
Aluarus Oſorius, Feræ à Francis obſeſſæ Præfectus, commeatum ab Archiduce Alberto ſubmiſſum feliciter in vrbem inducit. 514. c
quibus conditionibus Feram Francis cedat. 517.c
Amadæus Sabaudiæ nothus exercitum cogit, vt Sancio, Nauarrę Legato, Thonnenſem & Euianam ditiones inuadenti, occurrat. 442.b
inde in Angliam diſcedit, & à Regina periſcelide equeſtri donatur. 287.c
eius intereà equites à Parmenſi, militiam execrati, diſceſſum impetrant, & è Belgio abeunt. 290.c
ipſe poſt eos ſubſequitur. ibid.
cum Truchſio vxorio exauctoratoque Archiepiſcopo Colonienſi Coloniam premens, ab Erneſto Bauaro cohibetur. 357.b
fruſtrà Henricum Galliæ Regem à bello Hugonottis inferendo dehortari conatur. 397.b
Ioannes Caſtellius Pariſienſis fruſtrà Henricũ IV. Galliæ Regem confodere nititur. 493.a
comprehenſus, ſententia Parlamenti primùm ignitis forcipibus, deinde quatuor equis diſcerpitur. ibid.b
Ioannes Caſtilionus, quòd Regis Philippi arcana Orangio prodidiſſet, plectitur. 334.a
Ioannes Cnifius, Franciſcanus, primus Epiſcopus Groeningenſis conſtituitur. 4.a
Ioannes Cuyckius Vlifringanos contra Albanum concitat, & eiſdem rebellionem ſuadet. 122.b.c.123
Veram VValachriæ Geuſiis aſſerit. 124.b
Ioannes Dammius vi pacis à Parmenſi cum Gandauenſibus initæ è carcere Gandauenſi liberatur. 368.c
Ioannes Deils in ſinu Meridionali Hollandiæ ab Orangianis cladem accipit. 189.a
Ioannes Douſius, Leidenſium ciuium ductor, in Regios erumpit. 212.a
Ioannes Drumius in ciuitate Inſulenſi, quòd eam Gandauenſibus prodere voluiſſet, in quatuor partes diſſecatur. 327.b
Ioannes Duuenuordius, Leidenſium ciuium ductor, in Regios erumpit. 212.a
Ioannes Eilofius Leidæ à Guilielmo Granio pro Orangio occupatæ præficitur. 127.c
Ioannes Embyſius à Gandauenſibus reuocatus, Conſul conſtituitur. 353.b
aliquot, tamquam qui VVaſianam ditionẽ Parmenſi prodidiſſent, apprehendi curat. 355.b
à Sigura Hiſpano & Manuyno, vt Regi Teneramondam aſſerat, perſuadetur. 360.a,b
quò minùs propoſitum perficiat, à populo prohibetur. ibid.b
Curiam ibi obſidet. ibid.
Conſulatu dimotus, in vincula coniicitur, & quare præcipuè. ibid. *vide* Embyſius.
Ioannes Emdanus Comes tria peditum millia & quingentos equites è Brunſvvicani Ducis militibus ad ſtipendia Regis Catholici adducit. 635.c
Ioannes Eſcouedus cum Ioanne Auſtriaco in Belgium venit. 239.c
ab Auſtriaco ad diuerſa loca mittitur, Hiſpanorum animos exploraturus. 246.c
ab eodem in Hiſpaniam mittitur. 258.b
Ioannes Georgius Brandenburgenſis, à Canonicis hęreticis Argentinenſibus ad Epiſcopatum Argentinenſem eligitur. 468.b
Ioannes Gerbrandi à Petro Duſa claſſis ad Hiſpanias infeſtandas miſſę Thalaſſiarcho cum exigua præda domum remittitur. 559.b
Ioannes Geuartius ab Archiduce Alberto in Hollandiam mittitur, vt pacis vel induciarum apud Hollandos mentionem iniiciat. 647.a
ſecretò cum quibuſdam communicat. 648.b
Bruxellas reuertitur, & ſolemne ad Ordines mandatum impetrat. ibid.
illud ipſum Ordinibus exponit. ibid.
Ioannes Gillæus ob ſecreta Bruxellenſibus prodita, Montibus Hannoniæ necatur. 327.b
Ioannes Gronelſius, aliàs *Spell*, ſuſpenditur. 108.b,c
Ioannes, Guilielmi Iuliæ Cliuiæque Ducis filius, ob cerebrum non ſatis firmum Ducatui regendo ineptus. 468.a
Ioannes Hugo breuiori in Chinam itinere fruſtrà tentato, in Hollandiam reuertitur. 512.b
Ioannes Iacobus Belgioſa Comes ad Slegelij & Nicolai Baſtæ copias ſeceſſionem molientes miſſus non admittitur. 570.c
Neoporti Præfectus in Mauritium obſeſſorem aliquoties erumpit, & recedere eum cogit. 584.a
Ioannes Iaurengus Orangium ſclopeto per maxillam traiicit. 335.c.& ſeq.
ſtatim à ſatellite transfoditur. 336.a
Ioannes de Idiaques, magnus Legionenſis Commendator, Philippo II. Regi tabulas matrimonij inter Albertum Archiducem & Iſabellam

Iam contrahendi ſolemniter conficienti adeſt. 541.a

Ioannes Iuliacenſis, arcis Kollenberganæ proditor, ſuſpenditur. 444.a

Ioannes Iunius pro Aldegondio Vltraiecti per aliquot dies obſes. 209.b

Siluæducis inſidiatur. 329.b

conſilio non ſuccedente, Endouiam cum Helmontio capit. ibid.b,c

Ioannes Lentailleur, Aquisinctenſis Abbas, Duaci Collegium inſtituit. 13.c

Ioannes Lignius. *vide* Arenbergius.

Ioannes Limburgenſis Comes, Grollæ à Mauritio obſeſſæ præeſt. 531.b

varijs incommodis preſſus, & auxiliorum omni ſpe reciſa, vrbem Mauritio cedit. ibid.b,c

Ioannes vander Lindius, Abbas D. Gertrudis Louanienſis, ex parte Catholicorum ſubſcribit Pacificationi Gandauenſi. 242.c

Ioannes de Mancicidor ab Archiduce Alberto cum alijs in Hollandiam ablegatur, cum Hollandis de pace vel Inducijs tractationem ſuſcepturus. 658.b

à Guilielmo Naſſauio Hagam deducitur. 659.b

Actione reſciſſa ad abitum ſe parat. 668.c

Antuerpiæ duodecennalibus Inducijs feliciter conſtitutis præſens acquieſcit. 671.a

Ioannes à Manderſcheit Epiſcopus Argentinenſis moritur. 468.b

Ioannes de Medicis in Belgium venit. 607.a

Ioannes Mol ex parte Catholicorum Pacificationi Gandauenſi ſubſcribit. 242.c

Ioannes Morus Medinacęlio ex Hiſpania in Belgium aduentanti cladem infert. 126.b

Ioannes Naius, Franciſcanus, in Hollandiam, negotium pacis proſecuturus, abit. 649.b

Rijſvvijkam venit, deque aduentus cauſis rogatus, dextrè reſpondet, ſe actionem à VVittenhorſtio cœptam continuare velle. ibid.

Hagam-Comitis deducitur. ibid.

felicibus ibi fundamentis iactis, Mauritij celoce Antuerpiam deducitur. ibid.b

Archiduci quæ in Hollandia egerat exponit, inque Hollandiam reuerſus, Ordinibus Archiducis mandata ſcripto conſignata proponit. ibid.

Douſæ Lilloum vſque occurrit, & cum eodem, quamuis ille hoc recuſaret, Hagam proficiſcitur. 650.c

ceſſationem ab armis etiam extra Belgium impetrat. 651.a

in Hollandiam denuò redit, nouam Approbationem Regis pro futura pacis tractatione (quòd prima ab Hollandis reiecta eſſet) ſecum deferens. 654.a

iterùm in Hollandiam ab Archiduce mittitur, de pace vel Inducijs tractaturus. 658.c

ab Erneſto Naſſauio Hagam deducitur. 659.b

in Hiſpaniam mittitur. 663.a

Antuerpiæ duodecennalibus Inducijs feliciter conſtitutis præſens acquieſcit. 671.a

Ioannes Naſſauius Geldriæ Gubernator Vnioni Vltraiectinæ ſubſcribit. 289.b

Ioannes Noritſius. *vide* Noritſius.

Ioannes Pameliæ Curio ab Orangianis crudeliter interficitur. 137.a

Ioannes de Pape ab Antuerpienſibus in carcerem conijcitur, & quare. 369.b

Ioannes Penantius ex parte Catholicorum Pacificationi Gandauenſi ſubſcribit. 242.c

Ioannes Pettinus cum Aldegondio à Iuliano Romero capitur. 192.b

Ioannes Pinſius in prælio nauali, à Boſſuuio contra Geuſios habito, à Geuſijs vulneratur & capitur. 190.c

Ioannes Pirartus cum cohorte ſua ſe Schenckio iungit, Groningam obſidione liberaturus. 311.b

Ioannes Poltrotus Guiſium ſclopeto traijcit. 23.b

capitur, & pœnas luit. ibid.

Ioannis Regiomontani de anno 1588. prædictio. 411.c

Ioannes Reinoldus Bruxellæ ab Albano capite plectitur. 89.a

Ioannes Richardottus ex parte Principis Parmenſis Bomborgum Flandriæ venit, cum Reginæ Angliæ Deputatis de pace inter Prouincias componenda acturus. 414.a

ab Alberto Archiduce Veruinum de pace inter Hiſpaniæ & Galliæ Reges componenda acturus mittitur. 536.c

in Comitijs Ordinum, iuriſiurandi Alberto Sereniſſimæ Infantis nomine præſtandi cauſa Bruxellæ celebratis, pro Rege & Archiduce perorat. 543.a

præſens eſt, dum Archidux Albertus Ambroſio Spinolæ ſummum ad Oſtendam belli Imperium confert. 617.b

ab Archiduce Alberto cum alijs in Hollandiam ablegatur, cum Hollandis de pace vel Inducijs tractationem ſuſcepturus. 658.c

ab Henrico Naſſouio Hagam deducitur 659.b

Actione reſciſſa, & in Conuentu Ordinum multa proteſtatus, ad abitum ſe parat. 668.c

Antuerpiæ duodecennalibus Inducijs feliciter conſtitutis præſens acquieſcit. 671.a

Ioannes de Riuas ab Archiduce Alberto Gandauum abeunte Oſtendanis caſtris ſummo cum imperio præficitur. 600.a

Ioannes Robbens cum alijs Mechliniam Orangio aſſerit. 136.b,c

Albano aduentante fugit. 140.c

Ioannes Roda Albano ad Montes Hannoniæ copias adducit. 135.a

Ioannes Sarracenus, Cœnobij S. Vedaſti Atrebati Abbas, Parmenſem hoſpitio excipit. 465.c

eumdem letaliter decumbentem ſacro Oleo inungit. 466.b

Ioannes Sartor Neomagi cum alijs contra Comitem Nuenarium conſpirans, eumdem cum præſidarijs Ordinum vrbe eijcit, & Regi eamdem aſſerit. 376.a

Ioannes Scofius Mechliniæ ciuium cohorti præficitur. 136.a,b
Mechlinienſium ad Requeſenium Legatus, vt pro conceſſa venia gratias agat. 207.c
Ioannes Slotius ex parte Tranſiſulanię cum Archiducalibus de pace vel inducijs agere delegatur. 659.b
Antuerpiæ feliciter conſtitutis duodecennalibus Inducijs præſens acquieſcit. 671.b
Ioannes Steenvvegius Hagę-Comitis capite plectitur, & quare. 464.c
Ioannes Tatius Amerongius, Conſul Vltraiectinus, ab Hiſpanis pænè occiditur. 118.a
fuga ſibi conſulit. ibid.
eius filius vulneratur. ibid.
Ioannes Thomas Spina exercitus reformati apud Archiducem Albertum Dux. 602.c
vt noctu Mauritianum ad Grauiam munimentum inuadat, à Mendoza mittitur. 603.a
à Mauritianis repellitur. ibid.b
Ioannes, VVilhelmi Cliuiæ Ducis filius, cum Iacoba, Marchionis Badenſis filia, nuptias celebrat. 389.a
odoco Rijnefeldij Voohdio, vt Schenckio Groningam obſidione liberaturo, cum peditibus ſe iungat, à Carolo Duce Terra-nouano aurum offertur. 311.b
Ionas, Capitaneus Orangianus Bruxellenſis, ad Regios deficit. 354.a
Ioſephus Donatus Venetijs, proditionis accuſatus, capite plectitur. 588.b
Ioſephus à VVerua in prælio nauali, cum Boſſuuio contra Geuſios habito, vulneratus, ex vulnere obit. 190.c
Ioyeuſius ſæculo iterùm renuntiat, & Capuccinorum ſe diſciplinæ tradit. 571.c
Iprenſes Sanctorum ſtatuas deijciunt. 48.b
Orangio fauentes arcem *Douxlieu* occupant. 326.c
à Parmenſi, vt ſibi portas aperiant, moniti, literas eius ad patibulum affigunt. 352.c
propterea ab eodem obſidentur. ibid.
multos Catholicos vrbe eijciunt, & quare. ibid.
fame laborant, & fruſtrà à Brugenſibus commeatum expectant, à Parmenſi cæſis. 358.b,c
tandem Parmenſi ſe dedunt, & quibus legibus. 360.c
Iprenſis Epiſcopatus erigitur. 2.c
primus eius Epiſcopus Martinus Rythouius conſtituitur. 3.c
Iprenſis Epiſcopus Gandaui à tumultuantibus capitur. 266.b
Iſabella Clara Eugenia Philippi II. Hiſpaniarum Regis filia à quibuſdam ad Franciæ Regnum capeſſendum electa creditur. 481.b
Alberto Auſtriaco à patre deſpondetur. 540.c. 541.a
ei certis conditionibus cum Burgundia omnes Belgicæ Prouinciæ in dotem dantur. 541.b
ſponſum Archiducem monet, vt ſuo nomine poſſeſſionem Belgicarum Prouinciarum capiat. 542.b
per Legatum ſuum Alberto Archiduci Ferrariæ à Pontifice deſponſatur. 547.c. 548.a
pretioſiſſimo mundi à moribundo patre donatur. 551.c
cum Archiduce Alberto Belgium verſus feſtinat. 566.b
Genuæ honorificentiſſimè excipitur. ibid.c
celeriter per Italiam, Heluetiam & Lotharingiam in Belgium venit. ibid.c
à Baſileenſibus boue auenaque donatur. ibid.
Namurci diſcutiendis longi itineris moleſtijs diebus aliquot ſubſiſtit. ibid.
ad Brabantiæ fines Ordinum Legatos aduentum gratulantes obuiam habet. 568.a
ab ijſdem Hallas primùm, deinde Bruxellas deducta. ibid.
Louanij inauguratur. ibid.a,b
Læti introitus priuilegia ſua manu ſignat, tactisque SS. Euangelijs iurat. ibid.b
Cl. V. Iuſtum Lipſium ex tempore aliquid dicere deſiderat. ibid.
Bruxellæ, itemque Antuerpiæ inauguratur. 569.c
exercitum in Flandria, contra Mauritium iam proditurum, luſtrat, & animosè rem gerere hortatur. 579.b
Oſtendâ captâ locum luſtrans, ſanguinem ibi effuſum lacrymabunda deplorat. 626.a,b
Iſabella Henrici II. Francorum Regis filia Philippo II. Hiſp. Regi nupſit, eique duas filias Iſabellam & Catharinam peperit. 552.b.
vide Eliſabetha Francica.
Iſabella, Archiducalis ad Oſtendâ munitio. 577.c
Iſelſteinij præſidium Regium admittere renuunt. 182.c
vim metuentes, poſteà recipiunt. ibid.
Iſelſteinius cum Hiergio de deditione Zutphaniæ agens, Hiſpanis ab altera ciuitatis parte irrumpentibus, clàm aufugit. 145.a
Antuerpienſibus à Parmenſi obſeſſis ſuccurrere allaborãs, Couvvenſteinium aggerem cum Hollachio perfodere conatur. 378.a
à Regijs repellitur, & ſcaphâ vix euadit. ibid.
Iſendica propugnaculum Flandriæ à Mauritio oppugnatur, & deditione capitur. 622.b
Iſidorus Paciecus Regios milites inſigni ſtratagemate per Duuelandiam in Scaldelandiam traducit. 224.c. 225.a,b
Iſſelt, pagus in ditione Vltraiectina, vbi Vltraiectenſes templum diripuerunt. 321.b
Itali in Belgium reuocantur. 337.a
Venlonâ à ciuibus excluduntur, & quomodo. 439.b
nonnulli ob iniquam ſolutionem tumultuantes, Sichemium occupant & muniunt. 490.c
conditionibus ſibi ab Erneſto Archiduce oblatis non acquieſcunt. ibid.
Mauritio ſuadente, operam ſuam Regi Franciæ offerentes, ſub mœnibus Bredanis defenduntur. 491.a
tandem vtcumque ab Archiduce pacantur. ibid.

iiſdem vtcumq; pacatis, Thenę conceſſæ. 499.a
Italorum quidam Præfectus, quòd arcem VVouvvanam præter extremam neceſſitatem dediſſet Alenſonianis, Parmenſis iuſſu capite plectitur. 349.b
Iubileum per totum Catholicum orbem celebratur. 588.b
Iucundi introitus & Additionum eius articulos ſe obſeruaturum Archidux Albertus iurat. 545.a,b
eiuſdem priuilegium Archiducis Alberti & Sereniſſimæ Iſabellæ Infantis manu ſignatum, & tactis SS. Euangeliis iuratum. 568.b
Iudocus Corteuillius crudeliter ab Orangianis interficitur. 137.a
Iudocus Schouvvenbergius pro Geuſiis in Friſia VVeddam & Dammum occupat. 85.b
Iuliacenſis Ducatus ab Hollandis vaſtatur. 467.b
item à ſeditioſis Archiducalibus. 570.c
Iulianus Romerus, prælio contra Ludouicum Naſſouium circa Lemingam commiſſo intereſt. 93.b
obſidioni Montium Hannoniæ adeſt. 138.b
Mechliniam ab Albano mittitur, exploraturus quid ciues agant. 141.a
cum ſuis munitionem quamdam Geuſiorum ad aggerem Sparendammenſem extructam expugnat. 152.a
Lumæium auxiliares Harlemum copias adducentem inuadens, vulneratur. 153.c
iterùm in eruptione Harlemenſium vulneratur, & dextro oculo priuatur. 155.a
ab Hiſpanis tumultuantibus pænè occiditur. 181.c
Geuſios, Hagam munientes, fugat. 192.b
Maſelandtſluſam, & ibi Aldegondium, capit. ibid. & 193.b,c
ad Bergopzomā ab Orāgianis ſuperatur. 198.a
natando euadit. ibid.b
à Requeſenio in Hollandiam obſes pro Legatis, qui Bredam pacis componendæ cauſa conuenerant, mittitur. 219.c
cum quadringentis Hiſpanis Ordinum Brabantiæ milites 3000. ad VValem in fugam agit, & multos cædit. 235.c
Duffelæ ab Ordinum copiis fugatur. 237.b
Iumellius cum Ienliſio, vt Montibus Hannoniæ ab Albano obſeſſis ſuccurrat, è Gallia proficiſcitur. 132.a
Iunius ex parte Orangij & ciuitatum confœderatarum Bredam ad pacem inter Hiſp. Regem & eumdem Orangium conciliandam venit. 219.c
Iunius, Lyceſtrij Secretarius, ab Ordinibus Hollandiæ capitur, & quare. 405.c
Iuoſium à Francis & Hollandis occupatur. 495.b
ab iiſdem expilatum deſeritur. ibid.c
Iuſiurandum præſtat Archidux Albertus Ordinibus, & hi viciſſim Alberto. 545.a
Iuſtinianus. *vide* Pompeius Iuſtinianus.
Iuſtinus Naſſouius auxiliis Francię Regi ab Hollandis ex pacto fœderis ſubmiſſis præficitur. 510.c
Batauorum Flandriæ littus obſidentium præfectus. 568.a
Iuſtus Lipſius rogatus, num pax in Belgio poſſit ſperari, magis ad tentandas inducias quàm pacem inclinat. 494.c 495.a
Archiducibus Alberto & Iſabella petentibus vt ex tempore aliquid diceret, Senecæ verba deſcribentis Principem cuius magnitudo ſit ſtabilis, pulcherrimè exponit. 568.c. & ſeqq.
quando obierit. 648.a
Iuſtus Scouvvenburgius Friſiæ Occidentali ab Orangio præficitur. 129.c
Curiam Franekeræ conſtituit. ibid.

K

KAlckretius cum Matthia Archiduce in Belgium Viennâ venit. 264.b
Karpena arx à Gonzaga & Mondragonio obſidetur. 288.a
à Beilio quodam priùs pro Ordinibus occupata. ibid.
armata manu expugnatur. ibid. *vide* Carpena.
Keppel, arx in Friſia, prope quam Verdugius de Anglis inſignem victoriam reportauit. 336.c
Kerckhof, Neomagi cum aliis contra Comitem Nuenarium conſpirans, eumdem cum præſidiariis Ordinum vrbe eiicit, & Regi eamdem aſſerit. 376.a
Kerſendonckium pagus à præſidiariis Neuſſia pulſis munitur. 482.b
Ketlerus Nauarchus Zelandus, nauem quamdam bellicam Duynkerkanam perſequens, à ſuperuenientibus Caletenſibus cum omnibus ferè ſuis perimitur. 527.c
Keyſerſvveert, oppidum non longè à Colonia, vbi Buquoius ſe muniit. 629.a
& Spinola ibi propugnaculum excitat. ibidem b
Buquoius inde diſcedere ab Archiduce iubetur. 631.a
Kieſius Orangio Harlemum aſſerit. 127.c
Killebeck Nauarræo deditur. 431.b
Killegreus ab Angliæ Regina Ordinibus morem gerere iubetur. 413.c
Knodſenburgum propugnaculum à Mauritio prope Neomagum extruitur. 436.b. 438.c
à Parmenſi obſidetur. 448.b,c
acriter oppugnatur, ſed fruſtrà. 449.a,b
à Parmenſi ob continuas pluuias deſeritur. 450.a
Kollenberga arx ab Oberſteinij militibus occupatur. 443.c
Korenputtius Groningam, eâ à Renneburgio pro Rege occupatâ, cum copiis cingit, ſed fruſtrà. 307.b
truculentum cuidam ciui Steenvvikano reſponſum dat. 320.b
Steenvvicæ domos, ſi quid commeatus latitet, exactè perſcrutatur. 324.c
Kuynder, locus munitus prope Steenvvikam, à Regiis capitur. 319.b

L

Laccerbetius in pugna contra Briautæum in ericeto Vuchtenſi cõmiſſa occiditur. 573.c
Lacroiſius Allemannus, vnus ex perſonatis ruſticis Ambianum pulchro ſtratagemate intercipientibus. 525.c
Lælius Brancacius ex Italia copias pro Archiduce Alberto adducit. 614.b
Frederico Vandenbergio, Mauritiũ Siluamducis obſidentẽ in ſequenti adeſt. ibid. c. & 618.a
Læti introitus priuilegia. *vide* Iucundi introitus.
Laignium oppidũ à Mainio oppugnatur. 437.b
inſpectante Nauarræo, à Parmenſi & Fœderatis expugnatur. ibid.
magna ibi inuenta annonæ copia Pariſienſem famem mitigat. ibid.c
Laloius Belgicarum rerum Secretarius, Philippo II. Regi matrimonij tabulas inter Albertum Archiducem & Iſabellam contrahendi ſolemniter conficienti adeſt. 541.a
Lama ad Harlemum vulneratur. 153.c
Lambertus Hortenſius ad Toletanum pro Nardenſibus deprecator mittitur. 149.a
ægrè ab ipſo Boſſuuio ſeruatur. ibid.c
Lambertus Iacobſonius, ab Harlemenſibus Geuſiis ad patibulum ſtrangulatur. 158.c
Lambertus Meiburgenſis vnus ex Hollandorum Centurionibus Liræ occiſis. 509.c
Lambertus VVirtzenbergius Harlemi à Regiis militibus occiditur. 160 b,c
Lamoralius Egmondanus. *vide* Egmondanus.
Lancelotus Brederodius, vnus è Geuſiis Belgis, qui Angliâ excedere coacti ſunt. 119.b
ciuium Harlemenſium ductor. 150.c
capite plectitur. 178.c
Lancelotus Gottignius Mechliniæ ciuium cohorti præficitur. 136.a,b
Mechlinienſium ad Requeſenium Legatus, vt pro conceſſa venia gratias agat. 207.c
Landas Præfectus ſtipatorum Mauritij ad Geertrudenbergam cæditur. 422.c
Landt-invveel, Exercitium ſolemne Rhetoricorum, Antuerpiæ celebratur. 9.b
Landtmetrius, ciuis Antuerpienſis, ab Alenſonio literas ad Magiſtratum Antuerpienſem deferre cogitur. 347.c
Land-raet, vel Concilium Nationale, ab Antuerpienſibus in ciuitate ſua inſtituitur. 321.b
Landreſium oppidum induci non poteſt vt Alenſonij milites recipiat. 283.c
Langebrugge, pagus in Flandria, vbi Archidux Albertus copias ſuas, quas contra Mauritium, Neoportum obſidentem, educturus erat, colligebat. 579.b
Langeſpæus ab Iprenſibus Parmenſi obſes datus. 361.a
Langeſtratiani à Bommelanis, deprædationibus vexantur. 133.b
Lanoius Engelmunſterum caſtrũ obſidet. 310.a
Inſulanam ciuitatem occupare proponit, conſilium tamen mutat, & quare. ibid.b
à Rijſborgio cæditur & capitur. ibid.b.c
arci Limburgenſi includitur. ibid.c
pro Egmondano Comite dimittitur. 311.a
Lanſbergius Orſouiam, cui Imperij nomine præerat, deſerit. 564.a
Lanterna, locus propè Antuerpiam, à Parmenſi occupatur. 380.b
Lauallius Comes cum Alenſonio Antuerpiæ turbas mouet. 345.c
Orangij nuptiis cum Ludouica Colligniaca celebratis intereſt. 349.a
ab Ordinibus equitum Magiſter conſtituitur. ibid.
Lauerdinius Mareſcallus Franciæ ex vulnere, quod à Parmenſis milite acceperat, obit. 458.a
Laukema pro curribus, Zutphanienſibus præſidiariis, ciuitate dedita, à Mauritio commodatis, fidem ſuam interponit. 447.c
præſidio Lingæ à Mauritio obſeſſæ præeſt. 533.a
Laurentius Metſius, Epiſcopus Siluæducenſis, Synodo Mechlinienſi ſubſcribit. 108.b
Laurentius Sauli Dux Genuenſium Albertum Archiducem cum Sereniſſima Infante Iſabella in Belgium feſtinantem honorificentiſſimè excipit. 566.c
Lazarus Mullerus, Orangianus Germanorum Præfectus, prope Harlemum ab Hiſpanis in fugam agitur. 134.b
ab Ordinibus Belgij peditum legioni præficitur. 281.4.b
Lazarus Svvende, belli Belgici primus fomes. 11.a
Lechier Centurio, Bergopzomæ inſidias ſtruens, occumbit. 631.a
Leerdammij Orangicum præſidium petunt & accipiunt. 183.a
Leerdamum à Chiappino Vitellio pro Rege obſidetur. 208.c
eidem deditur. 209.a
Leevva Ioanni Auſtriaco deditur. 275.b
Leevvenſes Orangianos admittũt. 99.b
propterea ab Albano ſeueriùs punitur. ibid.
maxima aquarum inundatione diuexantur. 196.a
Leevvardienſes caſtrum ſuũ obſident & capiunt. 306.c
Leevvardienſis Epiſcopatus erigitur. 2.c
eius primus Epiſcopus Cunerus Petri conſtituitur. 4.a
Leffinghen Flandriæ pagus, iuxta quem Erneſtus Naſſouius ab Archiducalibus cæſus fuit. 580.a,b
Legati Cæſarei, qui in Hollandiam pacis inter Hollandos & Hiſpaniæ Regem conciliandæ gratiâ aduenerant, inciuile reſponſum ab Hollandis retulerunt. 455.b
Bruxellis ſplendidiſſimè excipiuntur. ibid.
cum Parmenſi collocuti, in Hollandiam redeunt, & æquè ineptum ab Hollandis reſponſum accipiunt. ibid.c
Legati Groningenſium de deditione acturi ad Mauritium miſſi, quibus pactis conditionibus

cum eo conuenerint. 489.b,c. 490.a,b
Legationes variæ, pro medijs quibus Franco reſiſtatur, & Batani domentur, ab Erneſto Auſtriaco in Hiſpaniam miſſæ. 492.a
Leida à Guilielmo Grauio pro Orangio occupatur. 127.c
Leidani à Franciſco Valdeſio obſidentur. 192.b
ruſticos omnia in vrbem comportare cogunt. 193.a
nobiliſſimas aliquot Abbatias exurunt. ibid.b
arces aliquot occupant, ſed mox inde pelluntur. ibid.
ab obſidione liberantur. 201.b
ſecundò à Baldæo obſidentur. 210.b,c
ad extremam ab eodem inopiam rediguntur. ibid.c
à Ferdinando Lanoio, qui tubicinem & literas ad eos miſerat, vt Regi ſe dedant, ſuadentur. 211.a
eidem ſe dedere, non alicui Hiſpano, conſentiunt. ibid.
Baldæo Hiſpano id ægrè ferente, & permittere nolente, ab Orangio auxilia petunt. ibid.
ex vrbe erumpunt, & caſtris Regijs cladem inferunt. ibid.c.& 212.a
iterùm tamen ad vrbem repelluntur. 212.a
eorum aliqui ad deditionem inclinant. 214.a
nihilominùs tamen iterùm ad Orangium pro ſubſidio ſcribunt. ibid.
inter ciues orto diſſidio, quòd carnes equinas comedere cogerentur, alij dedere ciuitatem volunt, alij nolunt. 215.a
columbarum adminiculo literas Boiſotij, de ſubſidio ipſis ferendo eos certiores facientes, accipiunt. ibid.b
ab obſidione liberantur. 216.a
quot ibi perierint. ibid.
ab Orangio, eò veniente, perhumaniter ſalutantur. ibid.b.c
auctoritatem Lyceſtrij ſtabilire nituntur. 408.b
Lemmeca à Noritzio occupatur. 325.b
Lenſium Arteſiæ oppidum à Gallis Alenſonianis occupatur. 336.c
à Parmenſi recuperatur. ibid.
Lentius ab Vltraiectinis proſcribitur. 277.a
Leo XI. ad Pontificatum euehitur, paulò tamen pòſt moritur. 634.a
Leo ruber, nauis Hollandica ſic dicta, ab Hiſpanis perforata. 590.a
Leodienſes, vt tranſitum ſibi in Brabantiam permittant, ab Orangio rogantur. 97.a
eidem quid reſponderint. ibid.
eidem Moſam, extenſo per eum fune, tranſmiſſo obſiſtunt. ibid.b,c
ab Orangio denuò & tertiò rogati vt ſibi trāſitum permittant, abnuunt. 100.c.101.a
ab eodem oppugnantur. 101.b
eumdem ſtrenuè fugant. ibid.
ob quædam impoſita vectigalia in Magiſtratum inſurgunt. 607.c
Leodienſis Antiſtes de Neutralitatis pactis violatis fruſtrà in Haga-Comitis conqueritur. 497.a
ab Erneſto Archiduce ei aduerſus Hollandos auxilia decernuntur. ibid.
Huium obſidet & expugnat. 498.a
Huienſes, vt nimiùm Hollandis fauentes, priuilegijs priuat. 499.a
Leodienſis Nobilitas vnà cum Electore Colonienſi Alberto Belgij Gubernatori Lutzenburgum vſque gratulabunda occurrit. 512.c
Leoninus I. V. D. Legatus Ordinum Brabantiæ, vt Orangium ex Hollandia Bruxellas inuitet. 262.c. *vide* Elbertus Leoninus.
Leukama Friſius, Baronis Billij Legatus, Scutendiepium Groningēſe ſuburbium munit. 487.b
varias eruptiones in hoſtium caſtra facit. ibid.
cum quinque cohortibus furtim in vrbem intromittitur, ſed fruſtrà. 487.b
Lex Salica feminas à Corona Francica excludit. 442.c.481.b
Libellus ſupplex à Belgij Nobilibus Parmenſi offertur, & quid in eo contineatur. 20.c.21.a, b,c.22.a
Libertas Religionis in Conuentu Dordraceno conceditur. 133.b,c
Libertas Religionis Henrici IV. Franciæ Regis publico Edicto aſſerta. 534.b,c
Licqueſius Gubernator Harlemenſis pro Rege. 205.b
Valckenburgum occupat. ibid.c
Anglos, qui inde aufugerant, in gratiam recipit. ibid.
arcis Cameracenſis Præfectus Ordinibus acquieſcere detrectat. 244.b
dolo à Barone d'Inchy capitur. ibid.
Lidekerkius Antuerpienſes in ſigna centuriaſque diſtribuit. 261.b
Liefkenshoeckium à Regijs capitur. 370.a
ab Hollandis & Zelandis iterùm expugnatur. 377.a
Liekius Albano, à Nobilibus aliquot inſidias ei ſtrui, ſignificat. 84.b
Lieſueldius Aduocatus ab Ordinibus Brabantiæ, vt Orangium ex Hollandia Bruxellas inuitet, mittitur. 262.c
Lieſueltum Lumæianis deditur. 130.a
Liga ſancta aduerſus Turcam à Pontifice Pio V. Philippo II. Hiſp. Rege, Venetis, Italiæque Principibus initur. 114.c.115. & ſeqq.
Lignius Comes Sereniſſimæ Iſabellæ Infanti in Belgium venturæ obuiàm proficiſcitur. 546.b
Likerkia à ſeditioſis Hiſpanis occupatur. 232.b
eadem Parmenſi deditur. 342.c
Lilloum pagus à Regijs Bredanis inuaditur, indeque aliquot captiui abducuntur. 257.a
inde ab Ordinibus fortiùs munitur. ibid.
à Mondragonio obſidetur, & oppugnatur, ſed mox ob aquarum inundantiam deſeritur. 367.a
Limburgenſis Ducatus ab Hollandis vaſtatur. 467.b
Limburgum Ioanni Auſtriaco deditur. 277.c

ab Alexandro Parmenſi occupatur. 287.b
Lindanus, arcis Buranæ pro Rege præfectus, à Magiſtratu Burano aſtu capitur. 132.c
Lindius, Abbas S. Gertrudis, Legatus Ordinum Brabantiæ, vt Orangium ex Hollandia Bruxellas inuitet. 262.c
Linga à Mauritio obſeſſa. 532.c
eius deſcriptio, & quando primùm Belgio ſit ſociata. ibid.
ſtrenuè à Frederico Tsherenbergio defenditur. 533.a
tandem tamen nullo ſuccurrẽte deditur. ibid.b
à Spinola obſidetur, & ſeptimo pòſt die eidem deditur. 630.b,c
Lingenſe territorium Ordinum Hollandiæ Delegati in pacis tractatione ſibi pleniùs vindicare deſiderant. 660.c
Linſveldius à Brabantiæ Ordinibus Gandauum, vt Arſchotanum à Gandauenſibus captum libertati reſtitui curet, mittitur. 267.b
Lippienſis Comes Orſouiam ad Rhenum pro Imperialibus recuperat. 562.b
munitionem Rhijnbercæ propinquam expugnat. ibid.
ne ſe Mauritio iungat, Regij ei Gennapium cedunt. ibid.
arrogans eius ad Legatum Regium reſponſum. ibid.c
Lipſius. *vide* Iuſtus Lipſius.
Lira ab Ordinibus poſt cladem Gemblacenſem ciuium Antuerpienſiũ preſidio munitur. 275.a
à Semple Scoto Parmenſi traditur. 339.a
diripitur. ibid.
ei ab Aldegondio inſidię ſtruuntur, ſed fruſtrà. 358.a
Harengiero Gubernatore Bredano ductore ab Hollandis ex inſidijs inuaditur. 508.b,c
Mechlinianâ portâ effractâ occupatur. ibid.c
ab ijſdem ſpoliatur. 509.a
auxiliaribus Antuerpiâ & Mechliniâ aduolantibus, Hollandis iterùm eripitur. ibid.b,c
qui & quot ibidem ex Hollãdis perierint. ibid.c
ibidem electis Centurionibus ſuis, tumultuantur Hiſpani. 545.c
Liramontius quando & vbi interemptus. 503.a
Liſperana porta contra Hollandos Liram occupatam ſpoliantes ab Alonſo de Luna munitur. 508.c.509.a
per eamdem auxiliares Antuerpiâ & Mechliniâ aduolantes intromiſſi. 509.b
Littelton Anglus Sluſam aſtu occupare conatur, ſed fruſtrà. 433.b
Litterę Erneſti Auſtrij, Belgij Gubernatoris, Fœderatos peramanter ad pacem inuitantes. 486.a
aliæ Henrici IV. Gallię Regis Arteſijs & Hannonijs bellum minitantis. 492.b,c
alię Nobilium Belgij ad Regem Hiſpanię contra Granuellanum. 19.b.22.b
aliæ ab Ordinibus Brabantiæ, &c. ad Magiſtratum Namurcenſem ſcriptæ, quibus Ioannem Auſtriacum capere iubebatur, ab Auſtriaci domeſticis intercipiuntur. 259.b
Litſenhammenſis ager à Mauritio contra Regios munitur. 561.b
Lobenſteinius Baro à Maximiliano Imp. Bredam Brabantiæ pro pace inter Hiſp. Regem & Orangium concilianda mittitur. 219.c
Lochemium à Verdugio obſidetur. 340.b
& paulò pòſt deſeritur. 341.a
ab Hollachio præſidijs munitur. 362.b
à Marchione Spinola obſidetur. 638.a
nequidquam Mauritio ſuccurrere ei parante, Spinolæ deditur. ibid.b
à Mauritio recuperatur. 645.b
Lochus Abelius, vnus è Geuſijs Belgis, qui Angliâ excedere coacti ſunt. 119.b
Loenhoutum à Mansfeldio Ordinibus eripitur. 349.c
Loeuenich, pagus in Ducatu Iuliacenſi, ab Hollandis ſpoliatur & incenditur. 467.b
Londerſellia munitio à Parmenſi vi expugnatur. 342.c
Longeuillius Dux, Dorlani Gubernator, Arteſios continuis excurſionibus infeſtat. 500.c
Lonuilla à Francis ſpoliata. 496.a
Looncaſtrum exiguum Leodiorum oppidum, vbi Orangiani templum, deturbatis ſacris Imaginibus, in equorum ſtabulum verterunt. 98.b
Lopeſius ab Ancona Toletano tria Italorum veteranorum millia ad Harlemum adducit. 159.c. 172.a
Loſecotius à Boſſuuio Schoonhouiam, ad Orangium declinantem, mittitur. 130.b
à Schoonhouianis excluditur. ibid.
poſteà ab ijſdem admittitur. ibid.
Geuſios ſibi inſidiantes cædit. ibid.c
Schoonhouiam Lumæio, ab eo obſeſſus, dedit. 143.b
Loſius, militum Regiorum præfectus, à Stella vt Ordinibus ſe adiungat ſollicitatur. 244.c
à milite proprio capitur. 245.a
Louanienſes Academiam ſuam cultiorem, & Profeſſorum augmento ampliorem reddunt. 13.b
vrbis ſuæ oppugnationem, quæ ab Orangio inſtituebatur, redimunt. 135.c
magna aquarum inũdatione vexantur. 196.a,b
Louanienſes Doctores Pacificationem Gandauenſem approbant. 242.c
Louanium ab Ordinibus Ioanni Auſtriaco pro corporis ſui ſecuritate offertur. 248.b
Ioanni Auſtriaco ſe dedit. 275.a,b
fruſtrà à Templio tentatur. 342.a
olim fuit Brabantiæ metropolis. 568.b
ibidem Albertus & Iſabella Archiduces inaugurantur. ibid.
Louęſteinium ab Hermanno Ruytero aſtu capitur. 113.b
ab Hiſpanis recuperatur. 114.a
Lumæianis deditionem facit. 130.a
Louirium à Nauarræo operâ proditoris intercipitur. 453.c
Lubecenſes naues in Hiſpania detentæ, & quare. 553.c

Lucas Heddingus in Præfectura Rhijnbercana Schafio ſuccedit. 549.b
Lucas Seinagus ad Harlemum occiditur. 153.c
Lucius Denticus parti exercitus, quem Marchio Spinola pro Rege Catholico ex Italia in Belgium adducebat, præficitur. 600.c
ſeditioſis Archiducalibus obſes datur. 646.c
Ludouica Colligniaca cum Orangio Antuerpiæ matrimonio iungitur. 348.c
Ludouica Lotharinga Henrici III. Galliæ Regis vidua moritur. 598.b
Ludouicus quidam, à Caluinianis vt ſe dæmoniacum fingeret perſuaſus, Matthæo Lanoio hæretico Miniſtro, ab eodem curandus offertur. 17.a,b
in ſpeciem curatur. 18.a
Ludouicus Barlaymontius, Archiepiſcopus Cameracenſis, à Comite Fuentæo obtinet, ne Cameracum militū libidini permittatur. 506.a
eiectis vrbe & arce Francis, ſolemni ritu laudes Deo in templo decantat. 507.b
Ludouicus Boiſotius ab Orangio ex Zelandia euocatur. 213.a
aggeres quoſdam perfodere, & Leidanis commeatum adferre iubetur. ibid.b
Hiſpanos Zoetermerâ pellere volens, ab iiſdem repellitur. 214.b
deſertas aliquot à Regiis munitiones occupat, & Leidanis aduentus ſui ſignum dat. ibid.c
eius claſſis ob aquæ defectum progredi non valet. 215.a
tandem, auctis iam aquis, perrumpit. ibid.b
Hiſpanos variis è munitionibus pellit. ibid.b,c
ex parte Orangij Bredam pro pace inter Hiſp. Regem & Orangium concilianda venit. 219.c
cum claſſe, qua Ziriczæanis à Mondragonio obſeſſis ſuccurrat, mittitur. 229.b
cladem patitur, & ibi ſubmergitur. ibid.c
Ludouicus Carlierius Bruxellę ab Albano capite plectitur. 89.a
Ludouicus Franciæ Delphinus naſcitur. 598.a
quid de eo pater eius præſagierit. ibid.
Ludouicus Guntherus Naſſouius Embricenſi præſidio inſidiatur. 556.c
Buquoium, Paciorum, alioſque in ſe erumpentes capit. ibid.
à Mauritio VVachtendonckam intercipere mittitur. 572.a
eadem potitur. ibid.b,c
præſidiarios VVeertâ fruſtrâ elicere conatus, Venlonam intercipere tentat, ſed & hoc fruſtrà. 584.c
Margaretam Manderſcheitiam, Vlrici Falcoſteinij viduam, vxorem ducit. 590.c
Lutzenburgenſem ditionem inuadens, oppidum S. Viti diripit. 606.c
Ludouicus Melzi Alphonſo Daualo in legionis vnius regimine ſuccedit. 607.c
cum Marchione Spinola Rhenum verſus mouet. 637.b
Ludouicus Naſſouius fratri Guilielmo Franciſcum Balduinum I.C. quem olim Heidelbergę docentem audierat, commendat. 26.b
cum Lutheranis & Caluinianis varia conſilia verſat. 29.a
Balduinum è Gallia, quò ille abierat, fruſtrà reuocat. ibid.b
in Germaniam proficiſcitur, milites ibi contra Regem conſcripturus. 64.c
ab Albano in ius vocatur. 81.b
VVeddam & Dammum in Friſia occupat. 85.b
Regios aduentantes inuadit. ibid.c
arma ponere ab Imperatore iubetur. 88.a
obſidionem Groningæ, aduentante Albano, ſoluit. 93.a
contra Albani copias ipſum inſequentes cōfligens, nobili prælio vincitur. ibid.b,c. & 94.a, b,c
Arenberga, Karpa & Horneſona potitur. 95.a
à Lumæio è Gallia euocatur. 124.b
Montes Hannoniæ aſtu occupat. ibidem c. & 125.a,b
ibidem à Frederico Toletano obſidetur. 130.a
quot ibidem præſidiarios habuerit. 131.b
Ienliſio, vt fratri Orangio ſe iungat, ſcribit. ibid.c
cæſo & profligato ab Hiſpanis fratre Orangio, ex mœrore morbum ſibi contrahit. 139.c
cum Albano de ciuitatis Montenſis deditione agit. ibid.
& conditionibus quibuſdam tranſigit. 140.a
Ruremundam proficiſcitur. ibid.
ditionem Valckenburgenſem & Limburgenſem hebdomadarias ſoluere contributiones cogit. 200.b
Sanchium d'Auilam fugat. ibid.c
ab eodem Sanchio poſteà cladem accipit. 201.a
prope Traiectum ſe munit. ibid.
fratri Orangio iungere ſe parat. ibid.b
à Regiis ad Moock victus, ad Moſam fugiens, à ruſticis occiditur. 203.c
Ludouicus Requeſenius, Ioanni Auſtriaco, Ligæ ſanctæ contra Turcam Archithalaſſo, adſiſtit. 115.b
à Rege Hiſpaniæ Belgij Gubernator conſtitutus, Bruxellam venit. 192.c. 195.a
ſplendidiſſimè à Belgij Nobilibus excipitur. 194.c
Belgij regimen ab Albano recipit. 195.a
Middelburgenſibus ſuccurrere parat. 197.b
claſſem inſignem inſtruit, quę tamen ab Orangianis ſuperatur. 197.b,c. 198.a
denuò nomine Regis gratiam ijs qui arma poſuiſſent offert. 207.b,c
quæ ab Hollandis deridetur. ibid.
Mechlinienſibus gratiam concedit. ibid.c
de pace cum Orangio acturus, Elbertum Leoninum I.C. Bredam mittit. 219.c
Zelandos ab Hollandis ſeparare aggreditur. 224.b
Zirickzæam ſtratagemate obſidere parat. ibidem b,c
annum non ampliùs à Paſchate, ſed à Ianuarij Ca-

Calendis auſpicandum eſſe edicit. 227.a
Champagneium in Angliam, ad diſturbandas Orangij ab Anglię Regina petitiones, mittit. ibid.b
Mechliniæ vitæ ſuæ iubileum celebrat. ibid.c
Bruxellis Hiſpanos, corporis ſui cuſtodes, tumultuantes experitur, & eorum aliquos ſupplicio vltimo afficit. ibid.c.& 228.a
febre moritur. 228.c
in templo Coudenbergico Bruxellis ſepelitur. 229.a
Ludouicus del Rio ab Albano noui à ſe inſtituti Concilij Iudex eligitur. 80.a
Ludouicus Tsherenbergius Steenvvicæ ſclopeti ictu perit. 460.b
Ludouicus Velaſcus Huiana ſuburbia, pulſis Hollandis, occupat. 498.a
in Galliam obſes mittitur. 540.c
cum aliis militiæ ducibus Ræſæ deliberat, quà potiſſimùm exercitus in hoſticum ducendus. 557.a
ne copiæ ſuæ ſeditioſis ſe adiungerent veritus, eas vltra Moſam ducit, è quibus tamen trecenti dilapſi ſunt. 575.c
Sanct-Andreanis à Mauritio obſeſſis ſuccurrere tentat, ſed infeliciter. 576.c.577.a
cum Archiduce Alberto contra Mauritium in Flandriam abit. 579.b
Franciſco Mendozæ in Hiſpaniam abeunti ſufficitur. 606.c
Mauritio in Flandria ad Iſendicum conſiſtenti, & vel Saſſam Gandauenſem vel Brugas inuadere meditanti, caſtra opponit. 628.c
Villerſium Batauorum Præfectum, pontem ſuper Lippam in Dorſten incendere cogitantem, fugat. 630.a
à Marchione Spinola Grollam, obſidionis initium facturus, deſtinatur. 640.b
Ludouicus Verreykius, cum aliis Legatis de pace inter Hiſpaniæ & Galliæ Reges componenda acturus, ab Alberto Archiduce Veruinum mittitur. 536.c
Approbationem Regiam pro futura pacis tractatione in Hollandiam defert. 652.a
ab Archiduce in Hollandiam, de pace vel induciis acturus, ablegatur. 658.c
à Ioanne Naſſouio Hagam deducitur. 659.b
Bruxellas abit, Archiducem de actis hactenus certiorem redditurus. 664.b
Antuerpiæ duodecennalibus induciis feliciter conſtitutis præſens acquieſcit. 671.a
Lueſden, pagus in ditione Vltraiectina, vbi Vltraiectenſes templum diripuerunt. 321.b
Lugdunenſes Fœderi, Sacro dicto, ſe adiungunt. 427.c
Lugdunum Nauarræo iam ad Catholicam Religionem conuerſo ſe dedit. 483.c
ibidem ſolius Catholicę Religionis exercitium permiſſum. 534.c
Lumæius Cœnobium Vallis noſtræ Dominæ diripit. 100.b
item Monaſterium Flonenſe. ibid.
Monachum, caſu repertum, equi ſui caudæ alligatum per montes valleſque raptat. ibid.c
Brilam Holandię capit, & qua occaſione. 118.c 119. 120
Regi & Orangio Brilanos iurare perſuadet. 121.b
ab Vliſſinganis, iam ad rebellionem ope cuiuſdam Cuyckij concitatis, in ſubſidium vocatur. 123.b
eiſdem Treſlongium mittit. ibid.c
Orangium è Germania & Ludouicum Naſſouium è Gallia euocat. 124.a
Schoonhouiam obſidet. 143.a
& deditione accipit. ibid.b
duos ibi Monachos cõtra pacta ſtrãgulat. ibid.
Harlemum copias ſubſidiarias ducit. 153.a,b
à Regiis multò numero inferioribus, amiſſis pluribus, fugatur. ibid.b
turbas poſteà apud Orangianos ciet. 156.a
propter quas in vincula coniicitur. ibid.b
dimiſſus, & denuò machinari ſeditionem deprehenſus, iterùm carceri mancipatur. ibid.
inde elapſus, Roterodamum ſe confert. ibid.
aliquot eius flagitia recenſita. ibid.c
ex canis rabidi morſu obit. 157.a
Lumbrius, vnus ex confœderatis Belgij Nobilibus. 61.a
Lusboſſa, propugnaculum Regium premendæ Oſtendæ extructum, ab Oſtendanis præſidiariis magno ſuo cum damno inuaditur. 612.c
Oſtendanis candentes globos emittentibus ignem concipit, & totum conflagrat. 613.b
Luſitaniæ Regnum à multis, cæſo Rege Sebaſtiano in Africa, ambitur. 322.c
à Philippo II. Hiſp. Rege armis, pulſo Antonio, occupatur. 323.a
Lutherani in Belgio conciones publicas habere incipiunt. 45.b,c
eorum Religio quare multis arriſerit. ibid.c
Antuerpiæ templũ S. Georgij occupant. 49.b,c
ibidemque, vi Pacis à Matthia Archiduce factę, templa accipiunt, & quæ. 281.a
Lutzenburgenſis Ducatus ab Henrico IV. Galliæ Rege & Hollandis fruſtrà tentatur. 491.c
à Ludouico Naſſouio vaſtatur & expilatur. 606.c
Lutzenburgi Albertus Auſtriacus Belgij Gubernator à Nobilitate Belgica & Erneſto Bauaro cum Nobilitate Leodienſi, ſumma gratulatione excipitur. 512.c
Luxouium à Francis ſpoliatum. 496.a
Lycanthropus quidam in Bebber oppido extremo ſupplicio affectus. 431.a
Lyceſtrius, ab Angliæ Regina Gubernator Prouinciarum Fœderatarum conſtitutus, in Zelandiam appellit. 387.c
Hagam-Comitis venit, & ab Ordinibus Belgij Fœderatis in Gubernatorem recipitur. 389.a
amplior ei ab iiſdem Ordinibus, quàm Regina dederat, auctoritas conceditur. ibid.
Regina id ægrè ferente, multùm eius auctoritas apud plurimos imminuitur. ibid.c

Hemertium capite plecti iubet,& quare. 390.b
vt Parmenſem à Nuſſij obſidione auocet, Flandriam inuadere parat. 391.c
vt Parmenſem à Rhijnobercæ obſidione retrahat,aliquot millia colligit. 393.a
ſed iſta copiis ſuis Parmenſem ab obſidione pellere diffidens,Doeſburgum obſidet,& paulò pòſt occupat. ibid.b
Zutphaniam obſidet. ibid.c
aliquantam à Parmenſi cladem accipit. 394.b
Zutphaniam deſerit,& quo prætextu. 395.a
Equites creat,& Iorckium Anglum propugnaculo à ſe occupato præficit. ibid.
multa in eo Ordines deſiderant, & quænam. ibid. b,c
In Angliã proficiſcitur, & de Prouinciarũ Gubernatione varia conſtituit. ibid.& 396 a,b
ab Ordinibus Belgij confœderatis in Belgium reuocatur. 402.c
in Zelandiam redit. ibid.
Oſtendam,Sluſanis ſuppetias laturus, proficiſcitur. 403.c
portum Sluſanum occupare tentatæ, ſed naucleris pleriſque contrà ſuadentibus,rem terrâ tentandam eſſe decernit. ibid.
Blanckenbergenſe propugnaculum fruſtrà tentat,& inglorius Oſtendam redit. 404.a
occupatæ iam à Parmenſi Sluſæ cauſam in alios retorquet. 405.a
Hoochſtratam fruſtrà tentat. ibid.b
ſimultates inter eum & Ordines reuiuiſcunt, occaſione epiſtolæ cuiuſdam, qua auctoritatem ſuam ſtabiliri volebat. ibid.
ab Ordinibus ſcripto admonetur. 406.a
ei cum Hohenloio controuerſia intercedit, & quare. ibid.b.c.& ſeq.
per ſuos Reginæ nomine Ordinibus pacem cum Rege perſuadere conatur. 407.a.b
pro eo Synodus Reformatorum acriter inſtat. ibid.c
item Vltraiectenſes. 408.a
Leidenſes quoque eius auctoritatem vi ſtabilire nituntur. ibid.b
à Regina in Angliam reuocatur, & Gubernationem deponere iubetur. 409.a
moritur. 419.a

M.

MAcuta prælio ad Namurcum contra Ordinum Belgij fœderatorum copias commiſſo adeſt. 274.b
Maelſtedius à Proceribus Belgij, Orangium non ferentibus, Viennam, vt Matthiam Auſtriacum in Belgium aduocet,mittitur. 264.a
Mænius, capto ab Henrico Valeſio Cardinale Borbonio,à ſicariis, qui miſſi eſſent vt ipſum è medio tollerent,ſibi cauere prænonetur. 422.a
à Pariſienſibus,qui à Rege Valeſio defecerant, aduocatur. ibid.
& Prorex ab eis proclamatur. 427.c
ad Diepam infeliciter pugnat. 430.a,b
Pontiſaram deditione capit. ibid.c
Egmondano Comiti, è Belgio cum exercitu aduenienti,ne fortè quid à Nauarræo aduerſi patiatur,occurrit. 433.a
iunctis cum eo copiis Nauarræũ inuadit. ibid.b
cladem accipit,& ne fortè maior putetur quàm reuerà erat,Pariſios proficiſcitur. ibid.c
Alexandrum Parmenſem, ſecreta ei aliqua creditурus,Condæum Hannoniæ inuitat. 434.a
Pariſienſes, à Nauarræo obſeſſos, per litteras de ſubſidio à ſe ferẽdo certiores reddit. ibid.c
Laignium oppidum oppugnat. 437.b
à Gregorio Pontifice auxilia accipit. 442.a
Briſaacum in Belgium pro ſubſidiis mittit, ſed nullo effectu. ibid.
Honfleurium occupat. ibid.b
Nauarræi caſtris ad Nouiodunum cladem infert,Nouioduno tamen non ſuccurrit. 454.b
ſuo & confœderatorum nomine Comitia Pariſiis indicit. 468.c
ei,recepto à Pariſienſibus Nauarræo, poteſtas Generalis Vicarij Coronæ Franciæ adimitur. 484.a
Nauarræo iam Romæ reconciliato ſe ſubmittit. 510.a
cum Balignio ad Feram obſidione premendam mittitur. ibid.
Magiſtratus Romanus Pontifici viuenti ſtatuam poni vetat,& qua occaſione. 441 b,c
Mahametus Rex Feſſæ & Marochi in limo perit. 287.b
Mahometa vrbs à Melitenſibus ſtratagemate capta incenditur. 607.c
Mahumetes patri Amurati in Turcico Imperio ſuccedit. 511.a
fratres ſuos nouemdecim ſtrangulari, patris vxores ſuffocari, & matrem in exilium ad Perſarum fines deferri curat. ibid a,b
bellum in Hungaria contra Chriſtianos continuari iubet. ibid.b
Hungariam vaſtans, Agriam deditione accipit. 523.c
peſte extinguitur. 621.a
Maiſſius Regis Franciæ Conſiliarius Reginæ Angliæ Legatos pacem cum Hiſpaniæ Rege diſſuadentes audit. 537.c
Malagambus Italus Steenvvicam fruſtrà tentat. 526.c
Malcotius ex parte Bruxellenſium conditionibus, quibus à Parmenſi in Regis gratiam recipiebantur, ſubſcribit. 375.a
Malditius à Bergopzomanis capitur. 426.c
Malecontenti qui primùm, & quare ſe hoc nomine vocarint. 280.c
Gandauenſibus valdè ſunt infeſti. 283.c
aliquot ibi pagos occupant,& muniunt. 284.a
à Caſimirio,quem Gandauenſes in ſui patrocinium aduocarant, aliquo modo reprimuntur. ibid.
quamplurimos Gandauenſes ſternunt. 287.a
eorum cauſa ex Antuerpienſium,Mechlinienſium & Vltraiectinorum in Eccleſias & Eccleſiaſticos furore mirè promouetur. 294.c

ijs ſe aliquot Nobiles adiungunt. ibid.
Catholicis Brugenſibus auxilio futuri accurrunt, ſed ſerò. 300.c
Gandauum aſtu intercipere conantur, ſed fruſtrà. 302.a
nihilominùs Aloſtum & Ronzœum occupant. ibid.
& Baeſrodam flammis abſumunt. ibid.
eis à Balfurio Scoto Meninga eripitur. 303.c
Cortracum fruſtrà tentant. ibid.
VVarvvijcka eis à Lanoio eripitur. 304.a
Parmenſem, vt exteros milites dimittat, vrgent. ibid.
Cortraco potiuntur, & quomodo. 306.a
Malta à Turcis obſidetur. 37.c
fortiſſimè à Militibus defenditur. ibid.
propugnaculum eius S. Elmo à Turcis expugnatur. ibid.
ciuitas quoque & arx S. Michaëlis ab ijſdem oppugnatur, ſed fortiter defenditur. 38.a
inde, aduenientibus Chriſtianorum ſubſidijs, inglorij Turcæ recedunt. ibid.b
quot Turcæ ibidem cæſi. ibid.c
Malucus apoplexia inter præliãdum perit. 287.b
Mandemakerus à Camp-verenſibus in cuſtodia detentus dimittitur. 413.c
Manſartius ab Ordinibus Belgij fœderatis ad Alenſonium, cum eo de ſubſidijs ſibi oblatis acturus, mittitur. 281.b
Mansfeldia Comitiſſa Sereniſſimæ Iſabellæ Infanti in Belgium venturæ obuiàm proficiſcitur. 546.b
Mansfeldius. *vide* Petrus Erneſtus, & Carolus Mansfeldius.
Manuvnus Audenardæ Gubernator, Embyſium, vt Teneramondam Regi aſſerat, perſuadet. 360.a,b
Marauilla municipium à Flandris Orangianis expugnatur, diripitur, & incenditur. 325.b
Marcellus Caraccius, Hanno per proditionem à Francis occupato, cũ ſuis vrbe pellitur. 501.a.c
Marchantus, arcis VVouvvanæ Præfectus, auro à Parmenſi corruptus, arcem eidem tradit. 397.c
Marchianum Benedictinorum Monaſterium à Tornacenſibus & Valencenenſibus Geuſijs ſpoliatur. 58.c
Marcus Antonius Columna à Pio V. Pontifice claſſi à ſe contra Turcam miſſæ præficitur. 115.a
Marcus Peres, Delegatus Caluinianorum, cum Magiſtratu Antuerpienſi tranſigit. 56.b
Marcus Toletanus obſidioni Montium Hannoniæ adeſt. 138.b,c
Margareta Caroli Archiducis filia Philippo III. Hiſpaniarum Regi deſponſata, ab Archiduce Alberto in Hiſpaniam deducitur. 546.c
eius comitatus quis & quantus fuerit. ibidem, & 547.a
Tridenti dies aliquot venerandis Sanctorum Reliquijs impendit. 547.a
à Venetorum Legatis in Dulci pago honorificè excipitur. ibid.
& à Senatu Veneto toti eius comitatui hoſpitia & lautia magnificè præbentur. ibid.
ei Dux Mantuæ gratulabundus occurrit. ibidem b
incredibili pompa & ſumptu Ferrariæ excipitur. ibid.
à duobus Cardinalibus ad Pontificem in templum deducitur. ibid.
ibique ſponſalia eius celebrantur. ibid.c
Sacro peracto, à Pontifice Aurea Roſa conſecrata donatur. 548.a
ingenti ſumptu à Mantuano Duce excipitur. ibid.
cur Mediolani diutiùs ſubſtiterit. ibid. & 564.a
Ticini & Genuæ ſplendidè excipitur. 564.a
item ad Maſſilię portum à Duce Guiſio nomine Regis Franciæ. ibid.b
inde littora legens, denique in Valentię Regno in portu Biuaros appellato exſcendit. ibid.c
ei ad D. Matthæi fanum Deniæ Marchio occurrit. ibid.
illam ignoto habitu Rex ſalutat. 565.a
incredibili pompa Valentiam ingreditur. ibid.
ibique nuptiæ Regali planè magnificentia celebratæ. ibid.b
Barcinone inauguratur. ibid.
Margareta Francica. *vide* Margareta Valeſia.
Margareta Manderſchetia, VIrici Falcoſteinij vidua, ab Ordinibus Hollandiæ vindictam mariti ſui de Admiralio captiuo ſumi petens, feſtiuo & arguto ab eodem Admiralio reſponſo repellitur. 589.c
Ludouico Gunthero Naſſouio nubit. 590.c
Margareta Parmenſis à Philippo II. Belgij Gubernatrix deſignatur. 1.c
in Geuſios ſeditioſos Valencenis lege agi iubet. 14.b,c
ei à Nobilibus quibuſdam libellus ſupplex offertur. 20.c.21.a,b,c.22.a
Armenterium, ob Nobilium in Belgio tumultum, in Hiſpaniam mittit. 25.a
Senatui, Egmondium ob tantas Belgij turbas in Hiſpaniam debere mitti, proponit. 30.a
euocatis quibuſdam doctis viris, de Republica grauiter deliberat. 34.a
quid ij conſuluiſſent, Regi perſcribit. ibid.b
mitigandis edictis formulam concipit. 40.c
quid Nobilibus fœderatis ad libellum ſupplicem reſponſi dederit. 41.a
Edictum mitigatum in Geuſios proponit. 44.a
Geuſijs nimiùm inualeſcentibus, ſeueriùs in eos animaduertere conſtituit. 45.c
in Orangio multa deſiderat. 46.b
Orangium & Egmondanum, vt Confœderatis ſatisfaciant, delegat. 47.b
Bruxellis conuentum Procerum indicit, quo de Fœderatorum querelis ageretur. 50.b,c
ob minas Fœderatorum magnis verſatur in anguſtijs. ibid.c
propterea abire parat. 51.a

à Senatoribus & Magiſtratu Bruxellenſi, ne aliò commigret, rogatur. 51.b
Mansfeldium ciuitati Bruxellenſi præficit. ibid.
cum Fœderatis tranſigit, & quibus conditionibus. ibid.
eamdem tranſactionem promulgat. 52.b
Proceres ad quietem, & vt ſeditioſos armis compeſcant, hortatur. 53.b,c
Fœderatos diſſociatos ad ſe allicit. 54.a
Scheiffium Cancellarium & Merodium, qui turbas Siluæducis ſedarent, mittit. 64.c.65.a
Siluæducenſes officij admonet. 66.c
mittit & eò Apparitorem & Fecialem. 67.a
Legatos mittit, qui Valencenatibus, vt ſe dedant, honeſtis oblatis conditionibus perſuadeant. 71.a,b
cum Antuerpienſibus tranſigit. 73.c
Antuerpiam venit. 74.a,b
Torrium Secretarium Amſtelodamum, vt Bredenrodium inde pelleret, mittit. ibid.c
totum Belgium, dilapſis omni ex parte Geuſijs, pacatum habet. 75.c
è Belgio in Italiam ad maritum abitura, Ordinibus ſcripto valedicit. 81.c.82.a
è Belgio diſcedit. 82.b
Margareta Valeſia Nauarræi coniux ad aquas Spadanas proficiſcitur. 259.a,b
à Nauarræo, Pontifice annuente, dimittitur. 571.b
S. Maria Deipara à Geuſijs Antuerpiæ blaſphematur. 48.c
Maria Angliæ Regina Philippo II. Hiſp. Regi nupſit, ſed ſine liberis obijt. 452.b
Maria Caroli Archiducis vxor, filiam ſuam Margaretam Philippo III. deſponſam in Hiſpaniam deducit. 546.c
Maria, Caroli V. filia, Archiducis Alberti mater, in Hiſpania feliciter obit. 620.c
Maria Chriſtina, Caroli Archiducis Auſtriæ filia, Stephano Battorio Tranſiluano nubit. 511.c
Maria Ioannis Luſitaniæ Regis filia, Philippo II. Hiſp. Regi nupſit, eique filium Carolum peperit. 552.b
Maria Luſitana, Alexandri Farneſij ſponſa, a Comite Mansfeldio in Belgium adducitur. 35.b
Maria Malſenia, vxor Sonoij, maritum ſuo hortatu periculo eripit. 114.b
Maria Mediceæa Henrico IV. Galliæ Regi nubit. 571.b.587.c
Ludouicum XIII. Franciæ Delphinum parit. 598.a
Maria Mommorantia, vxor Comitis Mansfeldij. 35.b
Maria Scotiæ Regina proditionis in Eliſabetham accuſatur. 396.c
examini aut iudicio ſiſtere ſe recuſat, vt nata Regina. ibid.
mortis in eam ſententia pronuntiatur. 397.a
in caſtro Fodringam capite plectitur. 409.b
eius vita & genealogia breuiter attingitur. 410.a
Marienfeltum Abbatia in VVeſtphalia ab Oberſteinio Comite vaſtatur, & in Monachos ibi ſæuitur. 441.a
Marinus Brantius à Mondragonio ad Tergouſam fugatus, Armudam opprimere conatur. 144.b
inglorius Delfos redit. ibid.
Maroci & Feſæ Regni in Africa heres baptizatur. 482.c
Marollius Abbas ad Ioānem Auſtriacum ab Ordinibus mittitur, qui ſiniſtram, quam de Ordinibus conceperat, opinionē eximeret. 260.b
Ordinum nomine Orangium Antuerpiâ Bruxellas deducit. 263.c
ab Ordinibus ad Matthiam Archiducem mittitur, vt ei Belgij gubernacula deferat. 269.a
vt pacis in Belgio Coloniæ conſtituendæ ſequeſtrum ſe præbeat, à Matthia Archiduce & Ordinibus Belgij delegatur. 295.a
Marquettus à Risborgio ad Ingelmunſterum capitur. 310.c
Iprenſium pro Ordinibus Gubernator, ciuitate à Parmenſi obſeſſâ, Catholicos vrbe eijcit, & quare. 352.c
Iprenſem ciuitatem Parmenſi dedit. 360.c
Henrico Naſſouio, Nouorum Geuſiorum Tribuno, Vicarius datur. 577.c
Martina, Friſiæ Occidentalis Nobilis, Fœderatis ſe adiungit. 129.b
Martinengus Italorum Præfectus, prælio ad Namurcum contra Ordinum Belgij fœderatorum copias commiſſo adeſt. 274.b
in pugna cum Hollandis in Cliuia commiſſa vulneratur. 508.c
Martineſius à ſeditioſis Hamontijs equitatui præficitur. 571.a
Martinus Ayala Traiecto à Magiſtratu eijcitur. 236.b
Martinus Cobbenius arci Lingenſi à Mauritio deditione occupatæ præficitur. 533.c
Martinus Droghe a Lyceſtrio in carcerem conijcitur. 405.a
à Mauritio poſteà & Ordinibus dimittitur ibidem
Martinus Forbiſcherius cum claſſe in Hiſpanos Breſtanum portum intercludere meditantes miſſus interimitur. 491.b
Martinus del Hojo, Vicarius Auilę in Arce Antuerpienſi, Arcem Ordinibus tradit. 254.b
Martinus Rythouius primus Epiſcopus Iprenſis conſtituitur. 3.c
Synodo Mechlinienſi ſubſcribit. 108.b
Martinus Schenckius Baro peditum legioni ab Ordinibus præficitur. 281.b
Dotekemum occupat. 300.c
ab Orangianis ibi obſidetur & capitur. 301.a
à Carolo Terranouano Duce aurum, vt equites in vnum cogat, Groningamque obſidione liberet, accipit. 311.b
Hohenloio cladem ingentem infert. ibid.b,c. & 312.a
cum Rhijnefeldio Dauentrienſes, qui Ghoram obſederant, à tergo obſidet, & obſidionem

dionem ſoluere cogit. 329.a,b
Bronchorſtiũ ab Ordinibus obſeſſum obſidione liberat, & Ordinũ milites profligat. 334.b
Santhis Cliuiæ oppidulo neutri parti addicto ab Heluetio quodã Orangiano capitur. 337.a
à Rege ad Ordines deficit, & vt magis ſe eis cõmendet, militem pro eis conſcribit. 379.b,c
à Verdugio egregio ſtratagemate vincitur. 380.a
in inſula Grauenvveerta validam munitionem extruit. 390.c 391.a
Venlonæ, à Parmenſi obſeſſæ, fruſtrà ſuccurrere tentat. 391.a
Bonnam ad Rhenum pro Truchſio occupat. 411.c
arci Blijenbekanæ à VVarenbonio Marchione expugnatæ ſerò ſuccurrere parat. 424.b
Rhijnbereæ de commeatu prouidet. ibid.
circa VVeſaliam aliquot Regias cohortes ſternit. ibid.
Neomagum intercipere tentat. ibid.c
portâ vnâ effractâ ad forum vſque ciuitatis penetrans, à ciuibus repellitur. 425.a,b
effusâ fugâ cum ſuis naues repetens, in VVahali ſuffocatur. ibid.b
à ciuibus repertus, & in quatuor partes diſſectus, diuerſis locis ſuſpenditur. ibid.c
à Mauritio, capta ciuitate, ſepulchro infertur. 426.a
Maſeica Epiſcopo Leodienſi ſe dedit. 66.b
Maſelant ſluſa à Iuliano Romero capitur. 192.b. 193.b
Maſius. *vide* Philippus Maſius.
Maſſilia à Guiſio pro Nauarræo occupata. 523.c
Maſſiliam proficiſcitur Albertus Archidux Sanctorum ibi Reliquias veneraturus. 564.b
Mateneſſij Dominus pro pace Belgica componenda delegatur. 209.b
Matrimonij inter Albertum Archiducem & Iſabellam ineundi tabulæ à Philippo II. Hiſpaniarum Rege ſolemniter conſcriptæ, lectæ & ſignatæ. 541.a.& ſeqq.
à Principe Hiſpaniarũ etiam confirmatæ. 542.a
Matthæus Dulcken VVachtendonckam arcem ſtratagemate occupat. 608.b
ab oppidanis obſidetur & oppugnatur. ibid.
Hollandis eam reddit. 609.a
Matthæus Molartius Abbas Fani D. Giſleni, ex parte Catholicorum Pacificationi Gandauenſi ſubſcribit. 242.c
Matthæus Lanoius Concionator Caluinianus in Gallia. 16.b
à Valencenatibus auditus, in Angliam iter inſtituens, ab ijs detinetur. ibid.
ſæpiùs ibi & Tornaci concionatur. ibid.c
vt ſimulatum dæmoniacum curet, à Caluinianis vocatur. 17.b
ignarus doli, egregiè, vt putabat, rem ſuam gerit. ibid.b,c
Matthias Auſtriacus à Belgij Proceribus Viennâ in Belgium euocatur. 264.a
à Maelſtedio perſuaſus, inſcio fratre Imperatore Rudolpho, noctu diſcedit. ibid.b
à fratre Imperatore fruſtrâ reuocatur. ibid.
Liram Brabantiæ venit. ibid.
Lirâ ab Ordinibus Antuerpiã deducitur. 267.c
ei ab Ordinibus per Legatos Belgij gubernacula deferuntur. 269.a
quibus conditionibus & reſtrictionibus ab iiſdem in Gubernatorem receptus ſit. ibid.b. vſque 272.a
ei Vicarius datur Orangij Princeps. ibid.b
Bruxellas cum Orangio intrat, & ſolemniter in limitatas illas conditiones iurat. 273.b
Ordinum copiis ad Namurcum & Gemblacum à Ioanne Auſtriaco cæſis, Bruxellâ Antuerpiam fugit. 275.a
Religionis pacem conficit. 279.a,b,c
Gandauenſes vt Eccleſiaſtica bona reſtituant monet. 284.b
atrox ab eis reſponſum refert. ibid.
Ordines in Alenſonij Principatum conſenſiſſe conſiderans, Gubernatoris titulum ſponte abdicat. 316.b
diu expectat, antequam honorario aliquo donetur. ibid.c
è Belgio diſcedit. 317.a
in Germaniam redit. 333.a
Budam obſidet. 553.a
Heiduccos in Hungaria vincit, & cum Hungaris & Auſtriæ Proceribus fœdus init. 670.a
in eum frater Rudolphus Cęſar, ſiniſtrè factum hoc interpretatus, armatur. ibid.
Hungariæ Rex, ex pacto cum fratre operâ Cardinalis Dietrichſteinij inito, inauguratur. ibid.
Matthias Houius Archiepiſc. Mechliniẽſis Sacellum B. Virginis Aſpricollenſis dedicat. 627.a,b
Maubuſa Ioanni Auſtriaco deditur. 276.b
ab Alenſonio occupatur. 281.c. 283.c
Mauldeus, militum Præfectus, Curiam Leidenſem pro Lyceſtrio eiuſque aſſeclis occupare conatur. 408.b
fraude detecta, capitur, & paulò pòſt capite plectitur. ibid.c
Mauri è Regno Granatæ eiiciuntur. 107.b
Mauriqueſius ad Traiectum interimitur. 299.c
Mauritius Naſſouius ab Ordinibus Hollandiæ & Zelandiæ, pater ejus interfecto, ſpecie tenus in Gubernatorem adſciſcitur. 366.b
eorumdem iuſſu Axelam Flandriæ aſtu occupat, & Hulſtum ſibi dari poſtulat. 391.c
ei ab iiſdem ſummum imperium defertur, omneſque Præfecti ei iuramentum dicere coguntur. 400.b
Sluſam à Parmenſi obſeſſam intelligens, Brabantiam inuadit, exuſtiſque pagis viginti duobus, & duobus oppidulis, Siluamducis aggreditur. 402.a
in Zelandiam ad Lyceſtrium, recenter ex Anglia reducem, proficiſcitur. 402.c
cum claſſe ingenti in Flandriam, vt Sluſam obſidione liberet, abit. 403.c
ei Snoius, niſi de Lyceſtrij abrogatione pleniùs conſtet, ſacramentum dicere recuſat. 412.b

Me-

Medenblikam Ordinum iuſſu obſidet, deditione accipit, ſuiſque præſidiariis firmat. ibid.c
ei cum Ruſſelio Fliſſingæ Gubernatore ſimultates intercedunt. 413.a
de eo apud Reginam Angliæ per literas conqueritur. ibid.b
Geertrudenbergam obſidet, vt Anglos ibi ob ſtipendia tumultuantes compeſcat. 422.c
ſtrenuè eã oppugnat, at mox iterũ deſerit. 423.a
Schenckij cadauer, capta ciuitate Neomagenſi, ſepulchro infert. 426.a
collectis copiis Geertrudenbergam oppugnare velle ſimulans, nautæ cuiuſdam ope Bredam intercipit. 432.b
propugnaculum Knodſenburg premendæ ciuitati Neomagenſi erigit. 436.b
obſidionem Neomagenſem ſoluit. 438.c
propugnaculum Knodſenburg præſidiariis rebuſque neceſſariis inſtruit. ibid.
Neomagum denuò obſidet. ibid.
Parmenſi in Gallia impedito, aliquot in Brabantiam expeditiones conficit. ibid.& 439.a
Geertrudenbergam ſe petere velle ſimulans, ad Rhenum copias ducit. 444.b,c
Zutphaniã obſidet, ſpatioq; deliberãdi oppidanis denegato, eamdẽ deditione accipit. 445.a,b
exinde Dauentriam obſidet. ibid.c
dedi ſibi eam poſtulans, repulſamque ferens, validè eam oppugnat. 446.b,c
tandem deditione eam occupat. 447.c
inde in agrum Groningenſem mouet, & aliquot loca ibi capit. 448.a
cum exercitu Neomagum verſus properat, Parmenſem in Knodſenburgici propugnaculi obſidione hærentem prouocaturus. 449.b
plures ex Regiis cædit, & multos etiam captiuos abducit. ibid.c
Hulſtum in Flandria obſidet. 450.c
& paulò pòſt capit, non ſine euidentibus proditionis indiciis. 451.a
inde velociter iterùm Neomagum verſus properat, illudque obſidet. ibid.b.c
Steenvvicam in Friſia obſidet. 459.c
qualiter ibi caſtra ſua locarit. ibid.& 460.a
acerrimè illam licet tormentis quatiat, ab oppidanis tamen ridetur, & conuitiis proſcinditur. ibid.
ab oppidanis eruptionem facientibus magna clade afficitur. ibid.b,c
turrim ligneam præaltam premendæ ciuitatis cauſa exſtruit. ibid.c
qua ab oppidanis inutili reddita, tribus diuerſis locis vrbem inuadit. 461.c
infeliciter per ſuos vrbem aſtu opprimere conatur. 462.b
deditione tandem eamdem occupat. 463.b
Ootmarſum obſidet. ibid.c
& deditione accipit. 464.a
inde Couordiam aggreditur. ibid.b
& Regios ciuitati ſubſidia parantes repellit. ibid.c
Couordiam deditione capit. 465.a
Lingam tamen tentare non audet. ibid.
nouo ſtratagemate Traiectum ad Moſam fruſtrà occupare conatur. 484.b,c
recèns conſcriptam Germanorum legionem luſtraturus, Arnhemium tendit. ibid.c
Couordiã à Verdugio obſeſſam liberat. 485.b
Groningam dedi poſtulans, falſum à ciuibus accipit reſponſum. ibid.b,c
eamdem variis munitionibus premit, quibus omnem ei commeatum intercipit. ibid.c
Auvvartzielenſem munitionem Groningenſibus eripit. 487.a,b
cum eorumdem Legatis de deditione tranſigit. 489.b
Regia pompa à Groningenſibus excipitur. 490.b
in Hollandiam redux, maximis honoribus afficitur. ibid.
ei Amſtelodami Claudius Ciuilis Batauus, cuius Tacitus meminit, exhibetur. ibid.
Middelburgi cum Regiis de pace colloquitur. 499.b
copias educens Siluamducis ſe petere ſimulat. 503.b
tandem Grollam obſidet. ibid.c
appropinquante cum exercitu Mondragonio, obſidionem ſoluit. 504.a
poſteà circa Lippam caſtra ſua caſtris Regiis opponit. ibid.b
mandato Ordinum Hollandiæ ſubitò millibus aliquot conuocatis Archiducales circa Turnhoutum rerum omnium inopia laborantes aggreditur. 524.b
Herentalium tendentes inuadit, cædit & fugat. ibid.
potitur quoque arce Turnhoutana. 525.a
quantas poteſt copias colligit. 528.a
Alpam Cliuienſis ditionis oppidulum deditione occupat. ibid.
Rhijnbercam obſidere aggreditur. ibid.b
inſulam vrbi præiacentem vtrimque ponte iungit. ibid.
& vrbem, omnibus ad irruptionem paratis, ad deditionem cogit. ibid.c.
muris oppidi refectis, & Mutiliana munitione ſolo æquata, Meurſam obſidet. 529.a,b
eamque mox deditione accipit. ibid.b
traiecto Lippia fluuio Grollam petit. ibid.c
eamdem obſidet. 531.b
& mox deditione occupat. ibid.c
Breuordam licet in paludibus ſitam obſidione cingit. ibid.& 532.a
eamdem, diſiectis ſubitò mœnibus, ad deditionem cogit. ibid.b
cum Vaſquio & Grotfeldio de deditione Enſchedæ tranſigit. ibid.
eidem ſe Oldenſala & Otmarſia dedũt. ibid.b,c
Lingæ caſtra admouet. ibid.c
Frederico Tsherenbergio nequidquam ſtrenuè defendente eamdem ad deditionem compellit. 533.b
eius multiplices victoriæ Hollandici fœderis

Pro-

Prouincias incredibili lætitia afficiunt. ibid.c
audito Regiorum circa Rhenum apparatu, ſuos quoque educit. 548.c.549.a
occupato à Mendoza Admiralio Dotecemo, Dusburgum proficiſcitur. 551.a
Seuenarum oppido & caſtello, viciniſque locis præſidia imponit, Regioſque commeatuum inopia affligit. ibid.
ad Seuenas munitionem erigens, cum Embricenſibus velitatur. 556.b
Admiralio ſuos ad Ræſam recenſente, ipſe quoque aduigilat. 557.a
Bommelenſes ciues ob Regiorum in Bommeliam inſulam irruptionem trepidantes, inexſpectato ſuo aduentu recreat. ibid.c
Regiorum caſtra tentat, ſed infelici ſucceſſu. 558.b
Batuam contra Regiorum incurſum probè munit. ibid.
Hiſpanis VVahalim traijcere conantibus ſe opponit. 560.a
in Teruora inſula prætorium figit. ibid.c
Heruerdum munit. 561.a
item agrum Litſenhammenſem. ibid.b
Regios per Brabantiæ pagos diſtributos opprimere meditatur, ſed nullo ſucceſſu. ibid.c
à transfugis de VVachtendonckæ ſtatu edoctus, eò Ludouicum Naſſouium & Edmundum Scotum deſtinat. 572.a
ex ſeditione Archiducalium occaſionem nactus, Creuecœur obſidet, & occupat. 576.a
mox & Sanct-Andreanam munitionem obſidet. ibid.b,c
præſidiarijs pecuniâ numeratâ, eamdem deditione occupat. 577.b
Oſtendam à Caſtellis Archiducalibus, quæ præſidiariorum excurſiones impediebant, liberaturus, in Flandriam cum exercitu mouet. ibid.c.578.a
per ſuos Philippinâ, Audenburgo, Bredena, S. Alberto, & Snaskerkano munimentis occupatis, Neoportum obſidet. 578.b
à Vagemanno Centurione Archiducem Albertum cum exercitu contra ſe prodirecertior factus, ipſum Archiducem adeſſe vix credit. 580.a
Erneſtum Naſſouium ad Leffingen mittit, vt pontem quemdam, ne Archidux illac tranſire poſſet, occupet. ibid.
magnis licet in anguſtijs conſtitutus, Archiduci tamen occurrere ſtatuit. ibid.b
copiarum eius & aciei deſcriptio. ibid.c.& ſeq.
prima & ſecũda congreſſione vincitur. 582.a,b
tertia tandem congreſſione victoriam obtinet. ibid.c
ſecundam Neoporti obſidionem molitur, at fruſtrà. 584.a
in Zelandiam redit. ibid.b,c
intereſt nuptijs patruelis ſui Ludouici Guntheri cum Margareta Manderſcheitia. 590.c
Rhijnbercam obſidet. ibid.
eamdem deditione accipit, & quibus conditionibus. 591.b,c
vt Albertum Archiducem ab Oſtenda retrahat, Siluamducis obſidet. 595.c
Frederico Vandenbergio cum exercitu aduolante, obſidionem ſoluit. 597.a
Brabantiam cum exercitu inuadit. 601.c
Archiducalibus ei occurrentibus, recedit. ibid.
Grauiam Geldriæ ciuitatem obſidet. 602.b
propugnaculum quoddam in ripa Batauica obtinet. ibid.
Grauiam tribus ſimul locis oppugnat. ibid.c
impreſſionem in eam moliens, ab oppidanis fortiter reijcitur. 603.c
tandem deditione occupat. 604.b
ſeditioſos Archiducales in Hooghſtraten cõmeatu & præſidio iuuat. 614.b
Siluamducis obſidet. ibid.c
ciuibus præſidium admittere detrectantibus de ea capienda benè ſperat. 615.a
ex ea parte qua Marchio della Bella ſe munierat, Archiducales inuadit. ibid.c
munitione illa potitus, vrbi maximum inde damnum infert. 616.a
impoſito iam ab Archiduce præſidio expugnare eam deſperans, obſidionẽ ſoluit. 618.c
ingenti claſſe Flandriam maritimam adoritur. 622.a
prope Sluſam aliquot propugnacula expugnat. ibid.b
an Sluſa oppugnanda, an caſtra Archiducalia inuadenda, deliberat. 623.b
tandem obſidionis Sluſanæ initium facit. ibid.
eamdemque deditione accipit. 624.b
Antuerpiam terreſtribus & naualibus copijs intercipere tentat. 627.b
in ripa Scaldis Brabantica, dum ij qui nauibus aduecti erant aggerem *Blockerſdijck* perfodere moliuntur, ſuos paratos habet. 628.a
re infeliciter ſuccedente, VVouam arcem obſidet & deditione accipit. ibid.b
Iſendicum in Flandriam contendit, portus Gãdauenſis munimentum, Saſſæ dictum, vel Brugas inuaſurus. ibid.c
aliquot millia Archiducalium Rhenum tranſmiſiſſe audiens, variè diſtrahitur. 629.a,b
contra Archiducales circa Ruroort, maiore tamen ſuo damno, velitatur. 632.a
Geldriam intercipere molitur, irrito tamen conatu. ibid.b
Lochemio à Spinola obſeſſo ſuccurrere parat, ſed fruſtrà. 638.a
Solranum Comitem, quò minùs Vechtam amnem cũ copijs tranſire poſſet impedit. 640.a
Rhijnbercæ à Spinola obſeſſæ ſuccurrere parat; ſed contrà prodeuntibus Archiducalibus, ſe ſubducit. 643.a,b
Venlonam aſtu intercipere tentat, ſed & hoc fruſtrà. ibid.c
Meurſæ metuens, ei præſidia imponit. 644.c
Grollam Ordinum iuſſu obſeſſurus, in itinere Lochemium per ſuos occupat. 645.b
Grollam obſidet. ibid.

Spinola

Spinola cum copijs aduolante, eam deſerit. 646.b
Spinolæ & alijs in Hollandiam, vt de pace vel inducijs agant, venientibus, Rijſvvijkam obuiàm procedit. 658.c
in primo cum Spinola congreſſu quædam vultus mutatio in eo deprehenſa. 659.b
eius ad Spinolam verba. ibid.
Spinolam ſuâ thedâ, à dextris collocatum, Hagam deducit. ibid.a,b
eumdem abeuntem Rijſvvikam vſque comitatur. 669.a
Maximilianus Imperator Legatos Bredam Brabantiæ, qui de pace inter Regem Hiſp. & Orangium conſtituant, mittit. 219.c
Maximilianus Auſtriacus, Rudolphi Imp. frater, in Poloniæ Regem contra Sigiſmundum III. Suecorum Regem eligitur. 411.b
à Sueco captus, inhoneſtiùs quàm perſonę eius qualitas exigebat, habetur. 419.c
Pontificis Sixti V. interuentu liberatur. ibid.
Iauarinum in Hungaria fruſtrà tentat. 535.b
Maximilianus à Meloduno, Archiepiſcopum Cameracenſem ab Egmondij ſocijs indignè exagitari, ægrè fert. 31.b,c
Maximilianus Morilonus Præpoſitus Arienſis à Cardinale Granuellano è Belgio diſcedente Vicarius ſubſtituitur. 27.c
Synodo Mechlinienſi ſubſcribit. 108.b
Maydſtonum in Anglia ab exſulibus Belgis inſtauratur. 102.c
Mechliniæ Carmelitarum & Franciſcanorum Cœnobia à Geuſijs inuaduntur. 54.c
Mechlinia Orangianis cedit, & quâ ratione. 135.c & ſeq.
ei caſtigandæ Albanus ſe parat. 140.b,c
maxima aquarũ inundatione diuexatur. 196.a
ab Ordinibus Ioanni Auſtriaco pro corporis ſui ſecuritate offertur. 248.b
ab ijſdem poſt cladem Gemblacenſem ciuium Antuerpienſium præſidio munitur. 275.a
Regi aſſeritur. 303.b
Parmenſis eò præſidia mittit. ibid.
à Noritzio pro Ordinibus occupatur. 308.c. 309.a,b,c
per menſem integrum diripitur. 309.c
Regi reconciliatur, & quibus conditionibus. 381.b
Mechlinienſes ciuitatem ſuam contra Albanum muniunt. 140.c
aliquot Monaſteria in ſuburbijs demoliuntur. ibid.
dilapſis metu Albani perduellibus, ad Albanum veniam deprecaturi abeunt. 141.a
ab Hiſpanis, non reſiſtentes, inuaduntur, & immaniter ab ijs exagitantur. ibid.b,c
vitam, direptis omnibus fortunis, carè redimere coguntur. 142.a
omnia priuilegia amittunt. ibid.
poſt trimeſtre denuò affliguntur. ibid.b
tandem poſt annum integrum iſta ſeruitute liberantur. ibid.
publicè gratiâ à Requeſenio impetrant. 207.c
inde aliquantum reſpirant. ibid.
mittunt qui Requeſenio gratias agant. ibid.
commeatu Bruxellenſibus ſuccurrunt. 370.b
ab Alonſo de Luna Liræ Præfecto euocati, Hollandos Lirâ pellunt. 509.b
Mechlinienſis Archiepiſcopatus erigitur. 2.c
annuo reditu quinque ducatorum millium à ſummo Pontifice dotatur. 3.a
ei Abbatia Affliginienſis aſſignatur. ibid.c
primus eius Archiepiſcopus Granuellanus. ibidem.
Mechlinienſis Synodus auſpicijs Granuellani quando celebrata. 107.c.108.a
eidem qui interfuerint. 108.b
Meda, pagus prope Geertrudenbergam, in quo, ne Geertrudenbergani Langeſtratijs moleſti eſſent, munitio erigitur. 202.b
Medemlaco à Sonoio pro Orangio Cabeliauius præficitur. 126.b
Medenblica agente Snoio variè turbatur. 412 b
ibidem præſidiarij pro ſtipendijs tumultuantur. ibid.
qui à Mauritio Ordinum iuſſu obſidẽtur. ibid.c
præſidiarijs aliò commigrantibus, deditur. ibidem.
operâ VVillongbei Angli Ordinibus reconciliatur. 413.c
Medices Cardinalis, Pontificis ad pacem inter Hiſpaniæ & Galliæ Reges conciliandam Legatus. 536.c
Medina-Cęlius in Belgium, Albano ſubſtitutus, proficiſcitur. 126.b
cladem à Zelandis accipit. ibid.
aliam item ad Rammekenum. ibid.c
omnia turbata in Belgio videns, munus apud Regem deprecatur. ibid.
cum Albano Montes Hannoniæ, eam vrbem preſſurus, proficiſcitur. 134.c
cum filio in Hiſpaniam reuertitur. 187.c
Regem de Belgij ſtatu certiorem facit. ibid.
Medinæ Sidonię Dux, Hollandis cum nauibus in Portugallia detentis relaxationem ab Alberto Auſtriaco Belgij Gubernatore obtentam nuntiat. 500.b
Meetkerckius, vt pacis in Belgio Coloniæ conſtituendæ ſequeſtrum ſe præbeat, à Matthia Archiduce & Belgij Ordinibus delegatur. 295.a
Mega à Parmenſi occupatur. 391.a
Megemus Comes adeſt Nobilibus confœderatis, Bredæ conuenticulum agentibus. 39.c
apertè Hoochſtrati Orãgio contradicit. 40.a,b
& quę in Conuentu Hochſtratano acta eſſent, Gubernatrici refert. ibid.b
euitato Orangio, Gubernatrici adhæret. ibid.
Antuerpiã præſidia introducere conatur. 46.c
à parte Regis ſe futurum declarat. 53.b
Siluamducis præſidium inducere conatur, ſed fruſtrà. 65.a
Vltraiectum abit. ibid.b

à Ludo-

à Ludouico Naſſouio Groningę obſidetur. 87.c
Meinerſvvichus Neomagenſibus à Mauritio, donec de ciuitatis deditione conuenerint, obſes datur. 453.b
Meldenſes Nauarræo iam ad Catholicam Religionem conuerſo ſe dedunt. 483.c
Melitenſes Equites aliique Principes Chriſtiani inſigni claſſe inſtructa, Turcas Italiam & Siciliam infeſtantes, in Græciam redire cogunt. 494.b,c
vrbem Mahometam ſtratagemate captam incendunt. 607.c
Melodunum à Nauarræo occupatur. 433.c
Melroyus ab Ordinibus Traiectum cum pecunia mittitur. 276.c
Mendoſa, Caleto ab Archiduce obſeſſo, littora Grauelingam verſus tuetur. 515.c
Meninga à Balfurio Scoto Malecontentis eripitur. 303.c
Mepſquius à quibuſdam militibus, per Stellam ad defectionem à Rege perſuaſis, Groningæ capitur. 245.a
Mercatores Belgij Regi pecuniam numerare detrectant. 487.c.522.c
quidam, Rege ſolutionem non præſtante, foro cedere coguntur. 522.b
tandem nouo cum ijs inito pacto pecunias ſuppeditant. ibid.c
Mercatores Zelandi, Hollandis lucrum inuidentes, claſſem in Indiam Orientalem adornant. 589.c
Mercurius Dux ciuitates & arces Britanniæ Armoricæ quas tenebat Ioanni Aguillario cur ceſſerit. 510.a
è Pannonia rediens, Norimbergæ moritur. 607.b
ei Pariſiis ſolemnes exequiæ celebrantur. ibid.
Merodius, Peterſemij Dominus, à Parmenſi Gubernatrice ad Siluæducenſes tumultus ſedandos mittitur. 65.a.
ibidem capitur. ibid.b
à Siluæducenſibus iterùm dimittitur. 74.b. *vide* Bernardus Merodius.
Meſpelaria Flandriæ pagus, ibique à ruſtico quodam vltra 1500. antiqua aurea numiſmata effoſſa. 658.b
Meſſanenſes aduerſus Turcarum depopulationes à Prorege auxilium fruſtrà implorant. 494.b
Meſſinenſis Abbatia à Geuſiis violatur & diripitur. 48.a
Metrius Hiſtoricus calumnię in Erneſtum Belgij Gubernatorem conuincitur. 486.b,c
Meurſa à Regiis occupatur. 393.a
eius præſidiarij Hollandis opimam prædam excutiunt. 443.b
à Mauritio obſeſſa. 529.b
eidem paulò pòſt deditur. ibid.
ei ab Admiralio Mendoza præſidia impoſita. 548.c
eadem à Mauritio valido præſidio munitur. 644.c
eidem neutralitas ab Archiduce Alberto conceditur. 646.c.647.a
Meurſij Comes. *vide* Nuenarius.
S. Michaëlis inſula, vna ex Azoribus, ab Eſſeixo Anglo diripitur. 535.a
Michaël Backerus à Flandris ad Orangium, eius contra Hiſpanos ſubſidium petiturus, mittitur. 235.b
Michaël Vayuoda Andream Battoriũ, qui Tranſiluaniam occupauerat, fugat. 571.b
Michaut, ciuis Antuerpienſis, in tumultu ab Alenſonianis excitato interimitur. 346.b
Michautius ex parte Bruxellenſium conditionibus, quibus à Parmenſi in Regis gratiam recipiebantur, ſubſcribit. 375.a
Middelburgenſes graui inopia laborant. 162.c
aliquantum recreantur. 163.a
ab Albano in nouem menſes commeatum accipiunt. 167.a
iterùm ijs ſuccurritur. 182.c
denuò graui inopia laborant. 194.a,b
arctiſſimè ab Orangianis terra marique premuntur. 195.b
tandem omni commeatus inferendi ſpe reciſa, Orangio ſe dedunt. 199.a
Middelburgenſis Epiſcopatus in Zelandia erigitur. 3.a
ei Abbatia Præmonſtratenſis eiuſdem ciuitatis aſſignatur. 3.c
eius primus Epiſcopus Nicolaus à Caſtro conſtituitur. ibid.
Middelburgi Hollandi cum Regiis de pace collocuturi fruſtrà conueniunt. 499.b
Milanus, vt pacis in Belgio Coloniæ conſtituendæ ſequeſtrum ſe præbeat, à Matthia Archiduce & Belgij Ordinibus delegatur. 295.a
Militaris diſciplina admodum conuulſa, nonnihil à Comite de Fuentes reſtituitur. 500.c
eadem à Marchione Spinola exactiùs obſeruata, caſtra eius annonâ & commeatu abundare fecit. 629.c
Milites Hollandi à Grobbendonckio cladem accipiũt. 609.b,c. *vide* Geuſij milites & Hollandi.
Milites Regij ad Staueram Geuſios milites cædunt. 145.c 146.a
Middelburgo ab Orangianis obſeſſo ſuccurrere parant. 146.b
magnam à Geuſiis cladem accipiunt. ibid.c
Schoonhouiam tentant, at fruſtrà. 147.b,c
à Schoonhouianis decipiuntur. ibid.
Seuenbergam, &c. occupant, & aliquot naues Geuſiorum incendunt. 148.a
ductore Roderico Sapata, munitionem Geuſiorum ad aggerem Sparendammenſem exſtructam inuadunt. 151.c
eamdem deſerunt. 152.a
demum ductore Iuliano Romero eam expugnant. ibid.
ex ſubſidiarijs, qui Harlemum tendebant, vltra mille cædunt, & vigintiquinque ſigna militaria reportant. 153.b
S. Crucis portam Harlemenſem oppugnantes repelluntur. ibid.c

pauci numero plurimos Geuſios ſternũt. 158.b
ab Harlemenſibus cladem accipiunt. 160.b. 165.a
Geuſios, qui commeatum caſtris Regiis intercludere conabantur, inſigniter cædunt, & fugant. 168.b,c
Middelburgenſibus ſuccurrere volentes, à Geuſiis ad Bergopzomam nauali prælio vincuntur & cæduntur. 198.a
qui in Langeſtrata erant, Geertrudenbergenſes infeſtant. 202.a
ducenti & ampliùs ibidem cæduntur. ibid.
in ericeto Mookenſi Naſſouiana caſtra inuadũt, cædunt, vincunt, profligant. 203.a,b,c
prope Antuerpiam cladem accipiunt. 206.b,c
ad Purmerendam & alibi munitiones exſtruere conantes, clade accepta, totâ VVaterlandiâ à Geuſiis expelluntur. 207.a,b
in Hollandia circa Schoonhouiam multa loca occupant. 209.a
ad Leidam cladem accipiunt. 211.c.212.a
aliqui illorum Antuerpiæ ſeditionem moliri tentant. 217.c
ſtratagemate quodam inſigni ductore Iſidoro Pacieco, Duuelandiam tranſeunt. 224.c. 225.a,b
Scaldelandiam intrant, & aliquot munitiones occupant. 225.b
Bomenæum vi expugnant. 226.a,b
Gaesbekanam arcem æſtu capiunt. 337.c
deditâ Groningâ, cum armis & impedimentis excedunt. 490.b
duo circiter millia de iniqua ſolutione querentes, Sichemium occupant, ibique tumultuantur. 490.c
excurſionibus Bruxellam vſque omnia vaſtant. ibid.
pagis menſtruas contributiones imperant. ibid.
Franciæ Regi operã ſuam offerentes, ſub mœnibus Bredanis defenduntur. 491.a
tandem vtcumque ab Archiduce Erneſto pacantur. ibid.
Mondragonij auſpiciis in Cliuia acriter cum Hollandis concurrunt. 507.c
à Fuentæo in Brabantiam reuocantur. 508.a
circa Turnhoutum rerum omnium penuria laborantes, à Mauritio & Hollachio fugati & cæſi. 524.b,c
fruſtrà Steenvvicam tentant. 526.c
in Geldria ciuitate pro ſtipendiis tumultuantur. 529.a
circa Neomagum Hollandos quoſdã cædunt, quoſdam capiunt, alios in fugam agunt. 545.b
Rhijnberca, Dotecemo, aliiſque locis occupatis, per Imperij ditiones in hiberna diſtribuuntur. 551.a
in obſidione Bommelenſi multarum rerum inopia conficiuntur. 560.b
Milites Regij, ſiue Archiducales, diuerſis in locis ſeceſſiones faciunt. 570.c.571.a
Duces ſibi eligunt. 571.a
Sapenam ad ſe miſſum abigunt. ibid.
in Sanct-Andreano munimento tumultuantur. 574.b
item in Creuecœur. ibid.c
pro iis compeſcendis variè ab Archiduce conſultatur. ibid.c. & 575.a
ſeditioſis Hamontij commorantibus, Dieſtæ ſtatiua aſſignantur. 575.a,b
Hannoniam vſque excurrunt. ibid.
mox alij ad arcem Karpenam tumultuantur. ibid.
item alij inter Venlonium & Grauiam. ibid.c
qui Hamontium, vnde alij digreſſi fuerant, occupant. ibid.
qui Dieſtæ morabantur, promiſſis ſtipendiis ad arma pro Archiducibus contra Mauritium capeſſenda inducuntur. 579.a
ij verò qui Hamontij, flecti nequeunt. ibid.
variis locis pro ſtipendiis tumultuantur. 590.b
alij iterùm Hamontij. 604.b
Beringham tentant, ſed fruſtrà. ibid.c
Hoochſtratanam arcem occupant. ibid.
Frederico Vandenbergio cum exercitu ad caſtigandos eos aduentante, cum Mauritio & Hollandis paciſcuntur. 614.b
à Vandenbergio in Hoochſtraten obſidentur & oppugnantur. ibid.
Mauritio, Siluamducis obſidenti, ſe iungunt. ibid.c
à Mauritio Grauiam accipiunt. 618.c
Carpen Caſtellum Colonię vicinum & alia loca occupant. ibid.
Brabantiam peruagantur. 622.b
Archiducibus reconciliantur. ibid.c
Millendonckius arcem Kollenbergam, ab Hollandis paulò antè occupatam, obſidet, ſed deſerere mox cogitur. 443.c
poſtero tamen die iterùm eamdem obſidet, & paulò pòſt deditione accipit. 443.c.444.a
Neuſſij Præfectus cum ſuis à ciuibus vrbe pellitur. 482.b
de Moerſchans munimentum Archiducalibus Hulſtum obſidere parantibus valdè infeſtũ. 518.b
tormentis acriter verberatum deditur. ibid.c
Moilbaiſius, arcis Tornacenſis Præfectus. 59.b
Geuſios vi templis cedere cogit. 60.c
Molatri Dominus, Erneſto Archiduci à cubiculis, eiuſdem in Hiſpaniam Legatus. 492.a
Moldauia, locaque vicina, tumultuationibus agitata. 511.c
Rudolpho Cæſari aſſeritur. 588.b
Molitor Bruxellis capitur, quòd literás Catholicorum ad Catholicos deportaſſet. 325.c
Moluccæ inſulæ breuiori itinere ab Hollandis fruſtrà quæſitæ. 512.a
Mombechius Torreſio ad molem S. Spiritus ab Hollandis Steenvvicam inuadere parantibus vulnerato ſubſtituitur. 462.b
Mauritio, donec de ciuitatis eiuſdem deditione tranſigeretur, obſes datur. 463.a
Mommedium Lutzenburgi oppidulum, à Francis & Hol-

& Hollandis ſpoliatum & exuſtum. 495.c
Mommedius portum Santonum obſidet. 196.b
Mommius, Vicarius ſummus Friſiorum Regiorum, in Steenvvicana obſidione globi ictu periit. 319.b
Monachus quidam à Lumæio equinæ caudæ alligatur, & per montes & valles trahitur. 100.c
alter ab Orangianis in camino è pudendis ſuſpenditur. 101.c
Monaſteria & templa Antuerpiæ à Caluinianis & Lutheranis violantur, occupantur & deformantur. 49.b,c 50.a
varia ab Orangianis, contra pacta cum Ordinibus Catholicis inita, Hiſpanis è Belgio dimiſſis, diruuntur. 255.a
Liræ ab Hollandis ſpoliantur. 509.c
Monaſterium S. Bernardi ad Scaldim, à Geuſiis inuaditur, violatur & diruitur. 50.a,b
Monaſterium Bonæ ſpei ab Orangio incenditur. 101.c
Moncada Hiſpanus transfuga Traiecti ad Moſam repertus à Regiis ſuſpenditur. 299.b
Moncaulerius veteranus Præfectus Caleto ab Archiduce Alberto obſeſſo præſidia inducit. 515.c
Monceau, ductor copiarum Rennebergicarum, cum Verdugio Orangianis ad Nienzijl cladem infert. 331.a
Mondragonius. *vide* Chriſtophorus Mondragonius.
Moneta, niſi Regis Philippi ſigno cuſa, ab Albano prohibetur. 108.c
Monclaſſius nobilis Francus in pago Heruetdiano à Regiis vulneratur, & paulò pòſt moritur. 561.c
Moniales Carmelitanæ Tereſianæ in Gallia recipiuntur. 627.b
Monikendamum ab Orangianis inuaditur & ſpoliatur. 114.c
à Sonoio pro Orangio occupatur. 126.b
Monikenzijl à Schullio pro Ordinibus expugnatur. 328.a
Monitorium Bullæ Gregorij XIV. quo Henricus Nauarræus denuò excommunicabatur, in Parlamento Turonenſi ante Palatiũ publicè per carnificem laceratur & comburitur. 454.a
Monſauius à militibus per Stellam ad defectionem à Rege perſuaſis capitur. 245.a
Mons Hullinus ex pacto pacis Regi Galliæ à Rege Hiſpaniarum reſtituendus. 538.b
Monſtreulium oppugnare ſe velle ſimulat Albertus, vt commodiùs Henricum IV. Galliæ Regem fallat. 515.a
Caleto ab Alberto occupato, validè à dicto Galliæ Rege munitur. 516.c
Montecutius Comes Italus cum VVarenbonio Francis Arteſiam depopulantibus ſe obiiciens, ab iiſdem capitur. 520.c
Monteſdoqua Hiſpanorum Traiecti ad Moſam Præfectus, à Traiectenſi Magiſtratu, à Rege ad Ordines ſeceſſionem meditante, callidè capitur. 236.a,b
Montes Hannoniæ à Ludouico Naſſouio ſtratagemate capiuntur. 124.c. 125.a,b
à Frederico Toletano obſidentur. 130.a
Albano deduntur. 140.a
Montfortius Regi Hattemum aſſerit. 322.a
aliquot Orangianos Præfectos ibi capit. ibid.
ab Hattemiis capitur, & capite plexus, quattuor in partes, nequidquam Parmenſi pro eo intercedente, diſſecatur. ibid.b
Montigneus, occultus fœderis contra Inquiſitionem iniri auctor. 39.a
à Parmenſi Gubernatrice in Hiſpaniam mittitur. 43.c
Pariſiis Franciſcum Alauam, Regis Hiſp. Legatum conuenit, & capita ſeditioſorum tolli oportere audit. ibid.
nihilominùs in Hiſpaniam abit. ibid.
ad fratrem Hornanum de Regis Hiſp. in Nobiles Belgij ira literas mittit. 64.b
quòd Albani ſæuitiam liberiùs incuſaſſet, carceri, in quo & obiit, mancipatur. 80.c. 81.a
Montignius clàm Regi ſe reconciliat. 291.b
à Bruxellenſibus ſubdolè ad ipſorum ciuitatem vocatur, ab eis, ſi veniſſet, capiendus. 313.b
ſed à quibuſdam de eo monitus, Bruxellenſem & Viluordienſem agrum vaſtat. ibid.
Flandros Orangianos ad Dixmudam cædit. 325.c
ad Antuerpienſes, vt Regi ſe reconcilient, ſcribit. 348.b
Duynkerkam obſidet. 351.b
Montlimarenſis in Flandrica aduerſus Mauritium pugna captus, paulò pòſt moritur. 583.a
Montlucus cum copiis ab Henrico IV. Galliæ Rege Ardeæ obſidionem impediturus mittitur, ſed nullo effectu. 517.a
in obſidentium ſtationes erumpens perimitur. ibid.b
Montmeillanũ in Sabaudia ab Henrico IV. Franciæ Rege occupatur. 587.c
Montpenſerius Dux cum Alenſonio Antuerpiæ turbas mouet. 345.c
Orangij nuptiis cum Ludouica Colligniaca celebratis intereſt. 349.a
pro Nauarræo Aurancæum obſidet. 442.b
fruſtrà eum Rothomagenſes inde pellere conantur. ibid.
Montrecutium propugnaculum Ambianenſe à Francis occupatum. 530.b
ad Moock Orangiani inſigniter à Regiis vincuntur. 203.c
Mordonij Commendator à Philippo Hiſp. Rege ad Pariſienſes cum auro mittitur. 430.b
Mortaigne, Hannoniæ oppidum, à Parmenſi vi expugnatur. 305.a
Mortis hora Philippo II. à Religioſo quodam præſignificata. 552.a
Moſa intenſo frigore congelatus, currus grauiſſimis oneribus onuſtos tranſmittit. 31.b
Moſcouiæ Dux, arbitro Summo Pontifice, cum Polono pacem conſtituit. 333.c
Moſcouitæ in Demetrium Ducem ſuum conſpirant,

rant, eumdemque trucidant, & quare. 648.a
alium ſibi Principem legunt. ibid.
Moſcronius cum filio Gandaui à tumultuantibus capitur. 266.b
Moſtardus à Sonoio Alcmariæ pro Orangio præficitur. 126.b
la Motte. *vide* Valentinus Pardieus, Mottæ Baro.
Moucronius Aloſti Gubernator, capta ciuitate & ipſe capitur. 337.c
Mudani præſidium Regium admittunt. 131.a
Mulleius Xequus, Mulei Mahumetis Feſæ & Maroci Regis filius, Sebaſtiano Luſitaniæ Regi obſes datur. 482.c
pòſt à Philippo II. Hiſpaniarum Rege enutritus, & Chriſtiana fide imbutus, ſolemni ritu baptizatur. ibid.
Mulertius nobilis, Dauentriæ à Mauritio obſeſſæ tormenti ictu interimitur. 447.b
Mulieres & imbelles ciues Hernantellus Ambiano à Francis obſeſſo emittit. 529.c
Munitio S. Andreæ inſtar oppiduli quando & à quo erigi cœpta. 560.c. *vide* S. Andreæ munitio.
Muſtaphaz, ſupremus copiarum Turcicarum præfectus, à Solymanno ad Maltam expugnandam mittitur. 37.c
Mutiliana munitio à Regijs deſerta, à Mauritio ſolo æquatur. 529.a,b

N.

NAmurcenſes cum Brabantis contra Hiſpanos conſpirant. 235.a
Namurcenſis Arx à Ioanne Auſtriaco occupatur. 260.a
Namurcenſis Epiſcopatus erigitur. 2.c
ei Abbatia S. Gerardi Bronienſis aſſignatur. 3.c
eius primus Epiſcopus Antonius Hauetius, Dominicanus, conſtituitur. 4.a
Namurcenſis Epiſcopus Mechliniâ captâ Orangio iurare detrectans, carceri mancipatur, ſed auro ſe liberat. 137.a
Namurcum ab Alenſonianis Gallis inuaditur, qui tamen inde pelluntur. 336.c
ibidem Albertus Belgij Gubernator exercitum ſuum recenſet & ſupplet. 513.b
Nardenſes præſidium Regium admittere recuſant. 131.a
Geuſiorum verò recipiunt. ibid.
à Frederico Toletano vrbem Regi dedere iubentur. 148.b
in equites, Regis nomine deditionem poſtulantes, tormentum explodunt. ibid.
à Geuſijs auxilia petunt. ibid.
ea non accipientes, mittunt qui vrbem Toletano dedant & veniam deprecentur. ibid.c
ad Iulianum Romerum reijciuntur. 49.a
cum eodem paciſcuntur. ibid.
malè nihilominùs ab Hiſpanis tractantur. ibidem b,c.
operâ VVillongbei Angli Ordinibus reconciliantur. 413.c
Naſſouianum propugnaculum prope Hulſtum quibus conditionibus Archiduci deditum. 519.c
Natalitia Chriſti extra Hollandiam & Zelandiam celebrare Caluiniſtis præcipitur. 280.b
Nationale Concilium ab Antuerpienſibus in ciuitate ſua inſtituitur. 321.b
Nauarræus. *vide* Henricus Nauarræus.
Naues incendiariæ ad diſturbandum pontem à Parmenſi Scaldi impoſitum, ab Antuerpienſibus inuentæ. 376.c.377.a,b,c. & ſeq.
Naues plurimæ frumento oneratæ iuxta Teſſaliam Hollandiæ inſulam tempeſtate pereunt. 482.b
aliæ Hollandorum, Orientalis Indiæ nauigatione feliciter tentata, pipere onuſtæ incolumes redeunt. 533.c
plurimæ Hollandorum & Zelandorum à Caletenſibus & Duynkerkanis captæ. 536.a
aliæ eorumdem bellicæ Rheno impoſitæ à Barlotto fugatæ. 548.b
Naues multæ in Hiſpania detentæ, & quare. 553.c
Nauis Zelandica à Caletenſibus victa & capta. 527.c
Neapolitanus Prorex vnà cum Pontifice alijſque Chriſtianis Principibus claſſem inſtruens, Turcas Siciliam & Italiam infeſtantes in Græciam redire cogit. 494.b,c
Neckerſpoel, munitio prope Mechliniam à Regijs capitur. 381.a
Nemourſius Dux ab Henrico III. Valeſio Galliæ Rege in vincula conijcitur. 421.c
Neomagenſes ſub tumultuum initia egregios & laudabiles ſe præſtiterunt. 55.a
Megemum in ciuitatem recipientes, Religioni & Regi ſe parêre velle profitentur. ibidem
à Martino Schenckio inuaduntur. 424.b,c
eumdem, qui effractâ portâ ad forum vſque penetrarat, viriliter repellunt. 425.a.b
eumque in VVahali ſuffocatum reperientes, in quatuor partes diuidunt, & diuerſis è turribus ſuſpendunt. ibid.c.& 426.a
propterea multi ex ipſis à Schenckianis militibus occiduntur. 426.a
à Parmenſi auxilia expetunt. 434.c
ab Hollandis primùm inſidijs, deinde aperto Marte oppugnantur. 435.a,b
fortiter & ſtrenuè ſe defendunt. ibid.b,c
Carolum Mansfeldium in ſubſidium aduocant. ibid.c
denuò à Parmenſi opem implorant, quamuis non impetrarint. 436.b
lucro inhiantes Hollandis & Germanis liberum in VVahali tranſitum concedentes, ſibi exitium parant. 439.c.440.a
per Legatos Parmenſi, ni ſuccurrat, neceſſariò ſe hoſti ſuccumbere debere, euidenter exponunt. 446.a
præſidia, à Parmenſi eis oblata, recipere nolunt. 450.b
inde, Parmenſi iam ad Fontes Spadanos profecto,

cto, ab Hollandis iterùm vexantur. ibid.c
à Mauritio, quem ciues quidam Caluiniani de Regiarum ibi copiarum paucitate præmonuerant, arctè obsidentur. 451.c.452.a
strenuè se contra hostes defendunt. 452.b
tumultuantibus inter se ciuibus, & de deditione dissidentibus, eorum qui deditionem suadebant, sententia præualet. 452.c.453.a,b
Mauritio se dedunt. 453.b
Neomagum Catholicorum ciuium astu, eiectis inde Comite Nuenario & præsidiarijs, Regi Hispaniæ adseritur. 375.c.376.a,b
iterùm à Nuenario proditione ferè occupatur. 386.c
ab eodem obsessum, Hautepennij aduentu liberatur. ibid.
à Martino Schenckio frustrà tentatur. 424.c. & seqq.
à Mauritio obsidetur. 451.c.452.a
eidem deditur. 453.b
Neoportum, ciuitas Flandriæ, magna maris inundatione damnum patitur. 112.c
Parmensis sibi dedi postulat. 351.c
eidem deditur. 352.a
à Mauritio obsidetur. 578.b
Neussia. *vide* Nussia.
Neutralitatis cum Leodiensibus initæ pacta ab Hollandis violari frustrà conqueritur Leodiensis Antistes. 496.c.497.a
Nicolai Bastæ turma Slegelij cohorti iuncta Peram Leodiensis agri oppidum inuadit & diripit. 570.c
Nicolaus à Berck ex parte ditionis Vltraiectinæ cum Archiducalibus de pace vel inducijs agere deputatur. 659.b
Nicolaus Brulartus Sillerius Regis Galliæ Legatus Veruini cum alijs Legatis de pace inter Hispaniæ & Galliæ Reges componenda disceptat. 537.a
Bruxellas obses mittitur. 540.c
Nicolaus de Catris, VValonum seu Gallo-Belgarum ductor, obsidioni Ostendanæ adest. 592.c. *vide* Catricius.
Nicolaus Dammantius Brabantiæ Cancellarius Philippo II. Regi matrimonij tabulas inter Albertum Archiducem & Isabellam contrahendi solemniter conficienti adest. 541.a
Nicolaus Harstadius Orangianarum copiarum ductor. 94.c
Nicolaus à Nouaterra primus Episcopus Harlemensis constituitur. 3.c
Nicolaus Sellin, Delegatus Caluinianorum, cum Magistratu Antuerpiensi transigit. 56.b
Nicolaus Sfondratus in Romanum eligitur Pontificem, dictus Gregorius XIV. 441.b
Nicolaus Vanderlanius in occupatione Mechliniensis ciuitatis grauiter vulneratur. 308.c
Nicolaus Viuienus, Legatus Magistratus Valencenensis ad Noircarmium. 61.b
Nicolaus de Viuier, Delegatus Caluinianorum, cum Magistratu Antuerpiensi transigit. 56.b
Nicopolis à Valachis capta & incensa. 553.a
Nicosia Cypri vrbs à Turcis capitur. 114.c
Nienbekana arx à Lyceστrio occupatur. 395.a
Nienzijl, locus in Frisia, ad quem Orangiani à Verdugio ingenti clade affecti. 331.a
à Verdugio obsidetur, at paulò pòst iterùm deseritur, & quare. ibid.b.& 438.c
Nieucasteel ab Orangio contra pacta cum Ordinibus Catholicis inita, Hispanis è Belgio dimissis, munitur. 255.a
Nieuellius ex parte Orangij & ciuitatum confœderatarum Bredam pacis inter Hisp. Regem & eumdem Orangium constituendæ causa venit. 219.c
ab Orangio & Ordinibus Hollandiæ in Angliam mittitur, vt cum Angliæ Regina fœdus ineat. 227.b
Pacificationi Gandauensi subscribit. 242.c
Nigellum à Rhosneo expilatum. 498.a
Nilæus pons in ditione Guinensi à Rhosnio occupatur, præsidioque munitur. 515.b
Nimannius in prælio nauali, à Bossutio contra Geusios habito, à Geusijs vulneratur & capitur. 190.c
Ninoua à Comite Egmondano pro Rege occupatur. 298.c
Niortius arcem Staueranam deditione accipit. 326.c.327.a
Nisbetsus strategus in pugna ad Nienzijl à Regiis letaliter vulneratus moritur. 331.b
Niueldius Signifer Orangianus ad Groningam à Regiis occiditur. 312.b
Niueldius Centurio Orangianus ad Groningam à Regiis capitur. 312.b
Niuella pecuniâ ab Orangio mulctatur. 137.b
à Carolo Mansfeldio obsidetur & capitur. 275.b,c
astu à Bruxellensibus recuperatur. 305.b
à Tournio opprimitur. 308.a
Niuernensis Dux S. Valerij oppidum Nauarræi iussu occupat. 457.b,c
Nauarræi ad Clementem Pontificem Legatus. 482.a
Dorlano à Fuentæo obsesso decem mulas puluere tormentario onustas vnà cum præsidio immittit. 504.c
Noæus Tribunus metu Embysij Gandauo fugit. 301.b
Nobiles Belgij confœderati multa Bruxellæ in Granuellanum, Barlaymontium, & Viglium objiciunt. 18.a,b
atque item multa contra leges in hæreticos latas obmurmurant. ibid.b
præcipuè qui vxores Lutheranas habebant. ibidem c
contra Granuellanum ad Regem in Hispaniam scribunt. 19.b.22.b
Parmensi libellum supplicem offerunt, & quid ibi conquerantur. 20.c.21.a.b,c.22.a
apud Gasparem Schetum conuiuantes, de mutanda vestium diuersitate agunt. 24.a
cucullum morionis pro symbolo assumunt. ibid.b

eo relicto, ſagittas in faſcem colligatas aſſumunt. ibid.c
cum variis de Religione conferunt, præſertim cum Balduino quodam. 25.b
Cardinale Granuellano iam è Belgio profecto, nondum quieti, alia carpere occipiunt. 27.c. 28. a,b
vnum ſupremum Concilium, ſublatis reliquis, conſtituendum aſſerunt. 28.b
contra Inquiſitionem fœdus ſanciunt. 35.c
eius fœderis forma & exemplar. 36.a,b,c
Inquiſitionem quàm poſſunt iniquiſſimam immaniſſimamque depingunt. 37. a
fœderis eius præcipui, ſed occulti auctores. ibid.39.a
plures leuiter, re non ſatis expenſa, fœderi ſubſcribunt. ibid.b
aliqui tamen, ad mentem redeuntes, eidem renuntiant. ibid.
Bredæ conuenticula celebrant. ibid.c
item Hooghſtrati. 40.a
varia conſilia agitant. ibid.b,c
Bruxellam veniunt, bini ad Aulam procedunt, & Gubernatrici libellum offerunt. 40.c.41. a, b
ad trecentos iam confœderati, Bruxellis in ædibus Culenburgij conuiuantur. 42.c
nomen *Gens* ibi aſſumunt, & qua ratione. ibid.
alias ibidem ineptias exercent. ibid.& 43.a
numiſmata ſymbolica cudi curant. 43.b
inuita Parmenſi Gubernatrice ad S. Trudonis conueniunt. 47.a
Dufflæ Delegatis Parmenſis colloquuntur. ibid.b
quæ ibi à Parmenſi petierint. ibid.c
Parmenſi vi armata minas intentant, & in magnas eam anguſtias coniiciunt. 50.b,c
cum eadem tranſigunt, & quibus conditionibus. 51.b,c
Nobiles Franci merum mixtumque imperium tenentes in ſuis ditionibus ex Edicto Regis Henrici IV. quam volunt Religionem exercere poſſunt. 534.b
Nobilitas Belgica pænè omnis Lutzenburgum vſque Alberto Belgij Gubernatori gratulabunda occurrit. 512.c
Noiellus, Francis ad Montes Hannoniæ ab Hiſpanis cæſis, cum pauciſſimis aliquot, triſtis cladis nuntius, ad Naſſouium euadit. 132.c
Noircarmius præfectus ciuitatis Audomaropolitanæ. 53.c
Egmondanum, vt ſe Gubernatrici contra ſeditioſos adiungat, hortatur. ibid.
Egmondani comitibus animosè reſpondet, ſe, mandante Rege vel Parmenſi, in ſeditioſos iſtos arma ſumpturum. ibid.
à Parmenſi Valencenas mittitur. 54.a,b
per arcem milites in ciuitatem Tornacenſem inducit. 60.c
à Valencenatibus Geuſios Miniſtros eiici, & templa reſtitui poſtulat. 61.a,b
Valencenenſem Magiſtratum & Legatos Conſiſtorij Geuſiorum Cameracum ad ſe vocat. ibid.b
eiſdem, vt Miniſtros Geuſios eiiciant & templa reſtituant denuò iniungit. ibid.b,c
à Valencenenſibus vilipenditur. 62.a
præſidia eis fruſtrà imponere conatur. ibid.b,c
aliquot Geuſios in Flandria cædit. 63.c
ad domandos Valencenates totum ſe comparat. 64.a
Valencenas obſidet. 70.b
quorum cõſiliis tum vſus maximè fuerit. ibid.c
quantas copias in exercitu ſuo habuerit. ibid.
Valencenenſes per literas cohortatur. ibid.
iiſdem conditiones à Parmenſis Legatis oblatas ſuperbè contemnentibus, ad vrbis expugnationem ſe accingit. 72.a,b
& paulò pòſt expugnat, & ad deditionem cogit. ibid.c
copias verſus Cameraceſium mittit. ibid.
Valencenenſes rebelles punit. 73.a
Traiectum ad Moſam mouet. ibid.b
nullo reſiſtente intrat. ibid.
Turnhoutum, Antuerpianis inde terrorem incutiens, mouet. ibid c
Siluamducis militem infert. 74.c
Albano in Belgium venienti occurrit. 78.a
noui ab Albano inſtituti Concilij Iudex conſtituitur. 80.a
ad Harlemum ſauciatur, & quatuor dentes amittit. 155.a
à Villerſio proditoriè capitur. 313.a
Rammekam Zelandiæ abducitur, ibique in carcere moritur. ibid.
Noritzius Mechliniam occupat. 308.c
item Cataractam nigram. 323.b
Regios eamdem oppugnantes retrocedere cogit. ibid.c
Steenvvicanis à Regiis obſeſſis auxiliaturus venit. 324.b
à Thoma Epirota ad ſingulare certamen prouocatur. ibid.
Oldenerctum & alia oppida in poteſtatem redigit. 325.b
